



f. Amb. de Com. Neap. Romę 1618 ... 10

DOCTORIS

FR. BALTHASARI PAES

LVSITANI, ORDINIS

SANCTISSIMÆ TRINITATIS,

Redemptionis Captiuorum.

COMMENTARII

in Epistolam B. Iacobi Apostoli.

EDITIO NOVISSIMA

suis Indicibus illustrata.




LVGDVNI,

Sumptibus Horatij Cardon.

M. DCXVII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Bibliothecæ S. Honuphrij. 1627.



REVERENDISS°. AC COLENDISS°. P.N.

FRATRI LVDOVICO

PETIT, DECRETORVM DOCTORI, ET TOTIVS NOSTRI ORDINIS SANCTISSIMÆ TRINITATIS,

Redemptionis Captiuorum dignissimo Ministro Generali.



VANQVAM permulti viri (Religiosissime, & amplissime Pater) in hoc nostro Lusitaniæ Regno mihi occurrerint præstantissimi, queis has meorum laborum tenues primitias possem dicare; tu tamē inter omnes, non vt alienus, sed vt noster, licèt alio sub Sole, velut nouus splendor affulsisti, cui multis ex titulis has nostri studij lucubrationes, tanquam nostro communi iubari, maiore tuo lumine collustrandas meritissimò consecrarem. Quamobrem hoc in opere te solum Mecænatem intueor, te Patronū aspicio, te amplector Pastorem, quē in hac D. Iacobi Epistola non vulgariter video adumbratum. Quis enim sic meditatus loquitur? quis tam beneuolus audit? quis duplicitatem animi sic effugiens, constans in viis suis, factor verbi, perfectam libertatem perspiciens, nullius personæ acceptor, operibus fidem astruens, neminē verbo offendens ex bona cōuersatione in mansuetudine sapientiæ operationē ostendens? Aderat nunc opportuna occasio in tuarū laudū commendationē euagatiùs spatiādi ex his nostris Apostoli verbis deprompta, nisi me ad carceres reuocaret incredibilis tui modesti animi indoles omnibus sat nota; non faciam proinde sermonem

de tuo senili sensu , teneris adhuc annis à tuis satis cognito, nec de tuo in rebus arduis peracri iudicio, nec de singulari tua in literario ludo eruditione, mitto insignem tui Doctoratus in iure Canonico lauream magna cum laude comparatam; non eloquor de tuis patriis virtutibus, tum à proauis, tum praecipuè à Patruo tuo Francisco nostri sacri Ordinis quondam Generali dignissimo veluti hæreditario iure tibi concessis; prætereo supremum totius Ordinis verticem, ad quem iam matura ætate communi Generalis Capituli consensu, acclamãte Regina Christianissima, suóque Regio applaudente Senatu, iure optimo Magnus Petit fuisti sublimatus: quam dignißimam electionem Beatißimus Pater Paulus Papa V. ratam habuit, confirmatámque, & obseruatam esse voluit apud omnes nostri Ordinis Prouincias. Multa denique alia missa facio, quæ, qui te norunt, potius silentio, quàm verbis possunt assequi; hoc vnum eloquar, hilarem scilicet tui sinceri pectoris conditionem in tuorum filiorum preces exaudiendas procliuem; meũ itidẽ in tui semper obsequiũ deditissimũ animum, quod tibi modo testatum volo, & in posterũ semper ratum deuoueo. Suscipe proinde (Pater amplißime) ab humillimo filio libellũ verè tuum, vt tuo nomine, qui omnibus carus es, nemini possit esse inuisus, vt te Mecænate, te Patrono, te Pastore per totius Orbis plagas liberè euagari, & euulgari poßit, dum alios nostros labores, nonnullos post menses, Diuino fauente Numine, in lucem emittere paramus. Interea Deũ oro, vt quod agis, diu agas, maioráque & præclara multa addas, & de sacrosãctissimæ Triadis cõmisso tibi grege, de sacris studiis, de viris eruditis, & virtute præditis semper optimè merearis: eádemq; Pater amplissime, & dignissime, feliciter ad amplissimos euehâris honores. Ex nostro Vlyssiponẽsi Conuẽtu sanctissimæ Trinitatis Nonis Martij, anno Domini 1613.

Reuerendissimæ Paternitatis vestræ humillimus filius
Doctor Fr. BALTHASAR PAES.

Prologus

Prologus ad Lectorem.

CVm plures, ac potiores ætatis annos in Cōimbricensi Academia insumpserim, tum docēdo, tū concionando, huiúsque in studij exactum laborem multa ex Sanctorum Patrum, sacræq; Scripturæ interpretum thesauris, quibus iugiter incūbebam, quósque ferè omnes euolueram, in communem omnium vtilitatem hauserim, nostro ex silentio grauem quidem offensam omnibus inferri prospiciens, quæ potissima loca ex sacris Doctoribus sedulò decerpseram, in lucem edere decreui, vt quo animo, quo iure, quóue titulo sunt collecta, sint etiam euulgata. Non vt nostras igitur, sed vt proprias perlege, candide Lector, has annotationes in D. Iacobum, cuius Epistola aptissima sanè nostræ tempestatis, & hæreticorum erroribus, & iniquorū hominum corruptis moribus est concio. Interim alias in vtriusque Testamēti cantica expedimus. Has verò ideo sacrorum Auctorum verbis totas ferè texuimus, vt sic faciliùs, quæ nostra minùs decora, & perpolita apposuimus, æqui, boníque consulas. Vale.

APPROBATIO.

LEGIMVS accuratè hos in Epiſtolam Catholicam B. Iacobi Apoſtoli Commentarios, auctore fratre Balthaſaro Paës Ordinis ſanctiſſimæ Trinitatis, Redemptionis Captiuorum, ſacræ Theologiæ Conimbricenſi Doctore. In nullo fidei Catholicæ aduerſantur, aut bonis moribus contradicunt, quin potiùs ſingulari ſtudio, & ſumma eruditione ſunt pleni, ſanctorum Patrum ſententiis referti, & digni, qui typis excuſi in commune commodum diuulgentur. Datum in Conuentu ſancti Dominici Olyſipponenſis die 13. Decemb. anno. 1612.

Frey Manoel Coelho.

VISTA a informação podeſe imprimir eſtes Commentarios ſobre a Epiſtola Catholica beati Iacobi Apoſtoli, & depois de impreſſa torne a eſte Conſelho opera ſe conferir, & dar licença pera correr, & ſem ella não correra. Em Lisboa 14. de Nouembro de 611.

Bertholameu Dafonſequa. Ray Pirez Daueiga.

VISTA licença acima do ſancto Officio, podeſe imprimir a. 26. de Nouembro de 611.

Ioanno Sarayua.

PODESE imprimir eſte Liuro viſtas as licenças que offerece do ſancto Officio, & Ordinario, & antes de correr, tornara a Meſa pera ſer taixado. Em Lisboa a 31. de Nouembro 612.

Magalhaës. Machado. Franciſco Vaz Pinto. Ruy Pirez Daueiga.

QVE ſe poſſa vender eſte Liuro, a ſetecentos reis em papel viſto ó mais que alega à 21. de Março de 1613.

Franciſco Vaz Pinto. *Sebaſtião Barboſa.*
Luys Machado de Gouea.

FRATER

FRATER Philippus Ribeiro Prouincialis, & Vicarius Generalis Ordinis sanctissimæ Trinitatis, Redemptionis Captiuorum in Lusitaniæ Prouincia charissimo nobis fratri Balthasaro Paës sacræ Theologiæ dignissimo Magistro facimus facultatem ad Commentarios in Epistolam Catholicam Beati Iacobi Apostoli typis excudendos; sunt enim, & Concionatoribus, & sacrarum literarum ac Theologiæ studiosis ob multifariam, præstantémque doctrinam admodùm vtiles. Datum Olysippone in nostra domo sanctissimæ Trinitatis 22. Augusti anno 1612.

Frater PHILIPPVS RIBEIRO Prouincialis, & Vicarius Gener.

APPROBATIO.

IOANNES CLAVDIVS DEVILLE in sacra Theologia Magister in Sancti Pauli huiusce ciuitatis Canonicus, librorum Censor in hac Lugdunensi Diœcesi designatus: fidem facimus nos hunc librum, cui inscriptio est, *Doctoris Fr. Balthasari Paës Lusitani, Ordinis Sanctissimæ Trinitatis, Redemptionis Captiuorum Commentarij in Epistolam B. Iacobi Apostoli*, vidisse, nihílque Catholicæ & Romanæ fidei contrarium inuenisse. Lugduni apud S. Paulum prid. Nonas Ianuarias, anno M.DCXVII.

DEVILLE.

R. D. D. Thomæ de Mescatin la Faye huius libri imprimendi facultas.

THOMAS DE MESCHATIN LA FAYE, Comes, Canonicus & Camerarius Ecclesiæ Lugdunensis, & Vicarius Generalis in Archiepiscopatu Lugdunensi: Opus inscriptū, *Doctori Fr. Balthasari Paës Lusiani, Ordinis Sanctissimæ Trinitatis, Redemptionis Captiuorum Commentarij in Epistolam B. Iacobi Apostoli*, vt in lucem edatur, facultatem concedo. Lugduni pridie Nonas Ian. anno 1617.

MESCHATIN LA FAYE.

Summa

Summa Priuilegij à Christianißimo Galliarum Rege concessi.


LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis auctoritate sancitum est, atque patentibus Literis cautum, ne quis in Regno suo aliisue locis ditioni suæ subiectis, intra proximos annos decem, à die impressionis primæ inchoandos, ac numerandos excudat, vendat, excudendum, vendendúmque quouis modo, & ratione curet librum, qui inscribitor, *Doctoris Fr. Balthasari Paës Lusitani, Ordinis sanctissimæ Trinitatis, Redemptionis Captiuorum Commentarij in Epistolam B. Iacobi Apostoli*, præter HORATIVM CARDON Bibliopolam Lugdunensem, aut illos quibus ipse concesserit. Prohitum insuper eadem auctoritate Regia omnibus suis subditis, eundem librum extra Regni sui limites imprimendum curare, vel quempiam, vbicumque fuerit, ad id agendum impellere, ac instigare sine consensu dicti HORATII CARDON. Idque omne sub confiscatione librorum, aliisque pœnis originali diplomate contra delinquentes expressis. Datum Turonibus die 19. Aprilis 1616.

De mandato Regis.

Signatum

BERRVYER.

INDEX



INDEX
EORVM QVÆ IN HIS COMMENTARIIS IN EPIST. B. IACOBI APOSTOLI AD VSVM Concionum tractantur.

Dominica 1. Aduentus Domini.



VANTVM conducat ad virtutem recordatio extremi Iudicij. pag. 311. Iusti expectãt diem Iudicij læto animo. 717. & 726. vbi ostenditur quòd dies Iudicij nos ad patientiam excitet. Dies Iudicij porta Regni. ibidẽ. De confidentia iustorum in Iudicio. ibid.

Dominica 2. Aduentus.
Euangelium ex cap. 11. Matth.

Quid existis videre? hominem mollibus vestitum? Vnde licet arguere ignorãtiam eorum qui externũ hominum ornatum mirãtur, & ex eo homines pensant. 263. & sequentib. Contra luxum, & curiosè se ornantes. 222. & 467. & sequentib. Opera cuiusq; hominis testes sunt ipsius: *Ite, renuntiate quæ audistis, & vidistis.* 386. Verba etiam idem faciunt. 237. 309. 428. *Cum audisset Ioannes in vinculis.*

Quomodo tentationibus, & laboribus examinatur animi virtus. 50. 51. at filij sæculi voluptatibus enutriũtur, & mollibus vestiuntur. 722. & sequentibus.

In Natiuitate Domini.

Quomodo à nobis suscipiendũ sit Verbũ diuinũ factũ caro. 216. Natiuitas Christi nostram carnem reddit fructuosam. 213. Natiuitatis humilitas nos replet bonis. 614.

In festo S. Stephani.

Pag. 25. 89. 295. *Vt veniat super vos omnis sanguis iustus.* 25.

In die Innocentium.

Rachel typum Ecclesiæ gerit. *Vox in Rhama audita est.* 39. & sequentibus.

In Circuncisione Domini.

Bonitas Dei elucet dum se statim omni

omnibus communicat sanguinem fundendo. 65. Aliter faciunt terreni Domini, qui inferiores deprędātur. 245. 285. & seqq. Docet nos superflua abscindere. 571. & seqq. Dum tam citò pro nobis sanguinem fundit; nostrámque curat salutem, docet nostram maturādam conuersionem. 628.

In Epiphania Domini.

Superiores sunt stellæ, quæ nos ad Deum ducunt. 419.

Dominica 3. post Epiphaniam.
Euangelium ex cap. 8. Matth.

In hoc dignus quidem erat beneficio, qui dicebat. *Domine non sum dignus*. 433. *Domine, si vis, potes me mūdare.* 564. *Vade, ostēde te Sacerdotibus.* De reuerentia, & honore exhibendo Sacerdotibus. 166. vsque ad 175. De sapientia Sacerdoti necessaria, vt discernat inter lepram. 754.

Dominica 4. post Epiphaniam.
Euangelium ex cap. 8. Matth.

Nulla constantia, aut quies in vita. 463. Orandus Deus ne quando nobis dormiat. 547. & vide ibi de tempestate concupiscentiæ. Vide etiam quàm inquieta sit peccatoris conscientia in mari huius mundi. 86.

Dominica 5. post Epiphaniam.
Euangelium ex cap. 13 Matth.

Superseminauit zizania. 548. Vide etiam lit. *P.* pax. & lit. *V.* vnio. *Sinite vtraque crescere vsque ad messem.* Nō est ferendum iudicium de fratribus quandiu viuimus. 657. Mansuetudo necessaria Prælato. 484. vsque ad 488.

Dominica Septuagesimæ.
Euangelium ex cap. 20. Matth.

Non datur maius præmium iis, qui laborarunt, quia ipsum laborare maioris præmij loco habendum est. 37. & sequētibus; & vide tit. labores. *Erunt nouissimi primi*, &c. 270. *Quid hîc statis otiosi?* Necessitas operum. 330. & sequēt. Mercenarij sumus, propterea operari debemus vide. titul. opera. & 374. *Amice non facio tibi iniuriam.* Lenia verba in Prælato necessaria sunt, & mansuetudo. 195. 213. 484. 486. 488. Breue tempus vitæ sufficit ad promerendam æternam vitam. 672.

Dominica Sexagesimæ.
Euangelium ex cap. 8. Luc.

Diuitiæ meritò fallaces dicuntur. 675. & sequentibus. Semen est verbum Dei. 162. *Qui habet aures audiēdi*, &c. 176. 179. magis vero. 181. Audientes verbum Dei, & non facientes. 218. *Natum aruit, quia non habebat humorem.* 646.

Dominica Quinquagesimæ.
Euangelium ex cap. 18. Luc.

Quid tibi vis faciam? Nos deberemus vt serui Dominum interrogare, *quidni Domine?* & illi obedire. 183. *Ecce ascendimus Hierosolymam*, &c. Quanta lætitia Christus pro nobis passus fuerit, cùm tormenta sua referat,

ferat, vt molestiam itineris leuaret. 715. & sequentibus. *Fides tua te saluum fecit.* Beneficia confert Deus hominibus eos honorando. 68. & sequentibus. *Sequebatur illum magnificans Deum.* Pro gratiarum actione reddenda. 71. 156. vsque ad 158.

Feria 6. ante 1. Dominicam Quadragesimæ.

Euangelium ex cap. 6. Matth.

Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, vt sitis filij Patris vestri. Quàm nobilis sit iniuriarũ obliuio, & inimicorum amor. 207. & sequentibus. Est virtus Dei vindictam non sumere. 210. Nobilitas amoris inimicorum. 293. & sequent. Iniuriarum remissio. 319. 479. 549. 719. Quàm vilis, & immũda cupiditas vindictæ. 208. 294. *Orate pro persequentibus, &c.* 714.

Dominica Quadragesimæ.

Euangelium ex cap. 4 Matth.

Ductus est vt tẽtaretur. De necessitate tentationum, quæ probationes sunt. 34. 137. 537. & tit. labores. Post Baptismũ assumitur tentandus, vt ostendat nobis necessitatem operũ. 384. Vide etiã tit. opera necessaria. Quomodò vincendæ sint tentatationes, & resistendum diabolò. 617. Vide tit. tentationes. Quomodò diabolus persequatur fugientes tentari. 619. Tentat diabolus, acriúsque persequitur sanctiores. ibid. *Cum ieiunasset, &c.* Cibi nimietas effœminatos reddit ad pugnam spiritualem. 706. 707. *ostendit ei omnia Regna mũdi*; quæ nihili sunt facienda. 115. Quibus potissimùm ostẽdat diabolus Regna mũdi. 677. *Cum ieiunasset, &c.* De carnis mortificatione. 542. & 544. *postea esuriit.* Diabolus nõ tentaret, nisi nos esurientes videret. 559. & 561. *Tunc reliquit eum diabolus.* Quomodo diabolus nos relinquat. 616. 622. Post tentationes accesserunt Angeli, & ministrabãt, vt intelligamus post labores & tentationes nos possessuros æterna bona, quorum pignora sunt tentationes. 126.

Feria 4. post 1. Dominicam.

Euangelium ex cap. 12. Matth.

Generatio mala, & adultera. Acriter vitia reprehendenda sunt, non leuiter. 213. 557. & de hac re vide in cõmuni Doctor. ibi. *Vos estis sa terræ.* Non referunt Patrem in vita qui, quod facere debebãt, non fecerunt. 290.

Feria 6. post 1. Dominicam.

Euangelium ex cap. 5, Ioan.

Vis sanus fieri? Diligentia in subueniendo miseris. 335. Miser qui tot annos expectauit hominem, & confidit venturum aliquem qui misero subueniret homini. ibid. Constantia tamen commẽdatur paralytici, qui tot sustinuit annos ægritudinis, & miseriæ. 56. & 83. *Ecce sanus factus es, iam noli peccare.* Quæ mala incurramus per sequens peccatum. 305. Ingratitudo eius qui post beneficia iterum peccat. 306. *Tolle grabatum tuum.* 768.

Dominica 2. Quadragesimæ.

Euangelium ex cap. 17. Matth.

Duxit eos in montẽ excelsũ. Quàm necessarij sint labores ad gloriã consequendam

quendā 35. vſque ad 44. vide tit. labores. *transfiguratus eſt.* Gloriæ bona vera ſunt.724.& ideo non decet gloriari in diuitiis. 112. ſunt vera gaudia.556.& 647. nam gaudia terrena ficta, & profana. 41. *Domine bonum eſt nos hic eſſe;*bene dicit alius Euāgeliſta: *hoc autem dicebat neſciens quid diceret*; quia commune bonum intra priuatum cōcludere nitebatur, quod inordinatum eſt. 28.& ſequentibus. & 45. & 251. & ſequentibus. *Ipſum audite.*De obediendo verbo Dei.143. & de audiendo verbo Dei.176.212.

Feria 4. poſt Dominicam 2.
Euangelium ex cap.20.Matth.

Ecce aſcendimus Hieroſolymam. De quo vide Dominicam Quinquageſimæ,& feſtū Sancti Iacobi in menſe Iulio.

Feria 6.poſt Dominicam.
Euangelium ex cap.21.Matth.

Cùm tempus fructuum appropinquaſſet. De neceſſitate operum. 331.& multa deinde in ſequentibus.*Hic eſt heres, venite, occidamus eum.* Notitia Dei non ad Dei offenſas, ſed in Dei cultum debet applicari.668.Iniqua etiam conſequentia eſt,*occidamus eū, & habebimus hæreditatem eius*; quomodo enim occiſo, & offenſo Deo, qui ſolus vera bona confert, poſſideri poſſunt bona? ibid. Nulla bona ſine Deo, neque etiam domus ſine Deo. 562.

Sabattho poſt Dominicam 2.
De filio Prodigo.

Quomodo Deus ſit Pater noſter, &vt talis nos diligat. 64.&ſequentibus.Negare, aliquādo beneficium eſt, & de facto eſſet ſi pater filio petenti denegaret ſubſtantiam. 569. Diſſipauit ſubſtantiam ſuam viuendo luxurioſè. 571. & 712. ſimilis redditur porcis per luxuriam. *Adhæſit vni ciuium regionis illius.* De ſeruitute peccati. 228. & ſequentib. *Cupiebat ſaturari de ſiliquis.*Vide quomodo temporalia non ſatient. 446. 556. De miſero ſtatu prodigi. 579. *Abiit in regionem Longinquam.* 624. Miſeria animæ ſeparatæ à Deo. ibid. *In ſe reuerſus*; quia à ſe antè exierat. 151. *Surgam, & ibo, ſurgénſque venit.* Maturanda conuerſio. 629. & ſequentibus. Qualiter Deus occurrat venienti.ibid. Peccatoris conuerſio. 581.Plura Deus tribuit,quàm petatur. Petebat haberi ſicut vnus ex mercenariis, excipitur vt filius dilectiſſimus. 64. 508. & ſequentibus.

Dominica 3. Quadrageſimæ.
Euangelium ex cap. 11. Luc.

Et illud erat mutum. Verecundia in confitendis, non in perpetrandis peccatis.133.759.& ſequentibus.& quomodo peccator ſua excuſet peccata. 131. & ſequentibus. & 460. *Cùm fortis armatus.* Cur appellet diabolū fortem, & qualiter illi occurrendum. 145. *Erat mutum*; additur, *& ſurdum*; quia nihil ſic curat diabolus.177. A ſeruitute diaboli nos liberauit Chriſtus. 231. *Aſſumit ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe.* De anima reincidente in peccata. 305.

Feria 4 poſt Dominicam 3.
Euangelium ex cap.15 Matth.

Quare

Quare discipuli tui transgrediuntur, &c. Quomodo Sancti defectus excusent, & occultent, at mali obseruent, & proferant. 382. & sequentibus. Mali id maximè volunt, scilicet omnes alios iniquos esse. 456. Proprium est eorum, qui non considerant propria peccata, de alienis ferre iudicium. 369. & contra eos, qui iudicant secundùm visionem oculorum, & externam apparētiam. 267. *Quare & vos transgredimini preceptum Dei?* Maledicus dum de aliis loquitur, seipsum percutit. 458. Contra eos qui solam externam puritatem curant. 632.

Feria 6. post Dominicam 3.

Quantùm prosit lenitas verborum in Prælatis, quam erga Samaritanam ostendit Christus. 46. *Tu forsitan petiisses ab eo.* Dubitationem non in concedendo, sed in petendo posuit. 81. *Fatigatus ex itinere sedebat.* Sic laborat, sic fatigatur, qui sic amat: vide amorem Dei erga nos lit. A. Proponuntur defectus aliorum, vt corrigantur, & omnipotentia Dei ostendatur. 383. 385. *Qui biberit ex hac aqua, sitiet iterum.* 557. 558. Cur sola temporalia sitim causent: Deus verò tribuat ea bona, quæ sitim explent. 557. vsque ad 563. Deus dolet nostram animam illi desponsatam adulteris commisceri, & cū eis adulterari. 577. & seqq. *Reliquit hydriā;* quia cessit Dei amori. 583.

Dominica 4. in Quadragesima.
Euangelium ex cap. 61. Ioan.

Cùm subleuässet oculos. Oculi Dei sunt causa omnium bonorum. 596. *Quia iam triduo sustinent me.* Perseuerantia in sequela Dei quàm vtilis sit. 57. & 235. Vt videt indigentiam, statim succurrit antequam petatur. 334. & sequent. *Misereor super turbam.* De miseratione alienæ miseriæ. 524. Deus solus potest saturare, non sic mundus, quæ est causa vt de bonis terrenis multi litigent, & prælientur. 556.

Feria 4. post 4. Dominicam.
Euangelium ex cap. 9. Ioan.

Præteriens vidit, & curauit. Nos videntes præterimus. 334. & sequentibus. Quomodo Deus virum eiectum à mundo suscipit. 585. *Vidit illum.* Oculi Christi sunt causa omnium bonorum. 596. *Scimus quia peccatores non audit Deus.* Verbum adhuc cæci fuit. 86.

Feria 6. post 4. Dominicam.
Euangelium ex cap. 6. Ioan.

Lacrymatur Christus, quia vnum tātùm Lazarū erat suscitaturus, & non omnes, qui nulli omnino vult deesse. 68. Lacrymatur, quia mortuus audit vocem Dei, non verò viui. 179. *Ecce quem amas, infirmatur.* Nō petunt aliquid; sed proponunt infirmitatē, quia sufficit Dei pietati dedisse occasionem, vt succurrat. 334. & seqq.

Dominica in Passione.
Euangelium ex cap. 8 Ioan.

Qui ex Deo est, verba Dei audit. Quàm vtile sit audire verbū Dei. 176. 181. 199. 205. & sequentib. Contra inimicos veritatis, & qualiter impugnatores veritatis eā illustrent. 506.

Per miraculum ſubterfugit ipſa ſanctitas malorum vnionem & conſpirationem. 299. *Nónne bene dicimus nos.* Lingua neque Deo parcit, quia nulli parcit. 454. *Samaritanus es tu, & dæmoniũ habes.* Iniqui volunt omnes eſſe iniquos. 456. *Benedicimus nos.* Loquuntur mali, vt tales: verba enim oſtendunt qualis ſit qui loquitur. 237. 438. Vide etiam 460. quòd neque dæmones inter ſe habent inuidiam. 589.

Dominica in Ramis Palmarũ.

Humana proſperitas quàm breuiter tranſeat. 114.

Pro muliere Cananæa.

Euangelium ex cap. 15. Matth.

Diſſimulat audire petentem, vt faciat perſeuerantem. 76. 77. 88. Delectatur Deus noſtris petitionibus, veluti muſica, propterea non vult interrumpi. 89.

Pro Diuite auaro.

Euangelium ex cap. 15. Luc.

Induebatur purpura, & byſſo. Diuitiæ in præſenti perſonatæ ſunt. 112. Iuſtè appellatur ſtultus hic diues. 193. Miſeria iſtius diuitis. 682. 684. 690. *Habes multa bona poſita in annos plurimos.* 661. & ſequentibus. *Deſtruam horrea mea.* Iure deſtrui debent horrea iniquitatis. 245. *Epulabatur quotidie.* Quomodo tractanda caro. 139. 541. Auaritiæ crudelitas in auarum. 553. 554. *Induebatur purpura, & byſſo.* 571. Vlcera Lazari erant ora clamantia miſeriam, & poſtulantia remedium. 336. De Abrahæ charitate etiã poſt hac vitã. 378. De pœna linguæ inffigẽda. 448. *Guttã poſtulat.* 639.

De Latrone beato.

Multa habes 125. 272. 384. 386. 566. 583. 672.

Feria 5. in Cœna Domini.

Cùm dilexiſſet. Qualiter Deus amauit hominem in creatione, & quomodo ſe illi iam obligauit ad mortẽ. 164. Præuenit nos amor Dei. 282. Quomodo Deus nos diligat. 580. & ſeqq. Amorem ſuum in nos oſtẽdit dum gaudens moritur, & ſolus vult pro nobis mori. 715. Quomodo Chriſtus tunc fuerit Dominus, quãdo vt ſeruus lauit Diſcipulorum pedes. 20. Quomodo præ amore appellat Iudam amicum. 296. *Cùm dilexiſſet ſuos.* Efficacia, & magnitudo amoris Chriſti. 27. & ſequentibus. Quàm immunda, & vilis pecuniæ cupiditas quæ adegit Iudam, vt magiſtrum ac Dominum venderet. 27.

Feria 2. poſt diem Reſurrectionis.

Interpretabatur illis Scripturas; quæ clauſæ erant Iudæis. 227. Hoſpitalitas detinet Chriſtum. 378.

Dominica 1. poſt Paſcha.

Pax vobis. 529. & ſequentib. *oſtendit eis manus, & latus*; vt oſtẽderet veram pacem eſſe quam ore annũtiauerat, cùm ex corde procederet: vbi contra duplices animo, & doloſos, de quibus. 103. 104. 530. 532. 634.

Dominica 2. poſt Paſcha.

Euangelium ex cap. 10. Ioan.

Ego ſum Paſtor bonus. De benignitate

te boni Paſtoris. 441. 443. Bonus Paſtor cur dicatur Chriſtus. 496. *Et vocem meam audiunt.* Vide quomodo ſit munus boni Paſtoris per aures oues à faucibus lupi ac leonis extrahere, & de vtilitate audiendi verbũ Dei. 177. & ſequẽtib. *Vocem audiunt.* 1. obediunt. 143. 200. 205. *Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis.* Contra ſuperiores qui propriã vtilitatem quærũt ex ouibus. 289. 413. & ſeqq. De munere boni. Paſtoris. 414. *Et ante eas vadit.* 418. 419. De exemplo boni Paſtoris. 490. ſequẽtibus.

Dominica 3. poſt Paſcha.

Euangelium ex cap. 16. Ioan.

Amen dico vobis quia plorabitis, & flebitis vos. Beatificat hoc in loco Chriſtus lacrymas noſtras, qua de re vide 637. & ſequentib. 641. *Sed triſtitia veſtra conuertetur in gaudium.* 643. Oſtendit Deus omnipotentiã ſuam conuertendo labores in gaudia. 380. Vera gaudia ſolus Deus tribuit, falſa verò habent mundani. 41. 647. Gaudia cœleſtia qualia. 556. Gloriæ bona qualia. 724. *Triſtitia veſtra conuertetur in gaudium.* Promiſſa bona mitiora reddunt mala. 718. Triſtitia pignus vitæ beatæ, & cœleſtis gaudij. 126. *Gaudium veſtrum nemo tollet à vobis;* fixum, & permanens. 557. & 647.

Dominica 5. poſt Paſcha.

Euangelium ex cap. 16. Ioan.

Si quid petieritis Patrem, &c. Cur Deus peti velit, & de magna orationis efficacia. 75. & 566. Qualiter, & pro quibus ſit Deus exorandus. 563. 564. *In nomine meo;* quia iuſta debet eſſe petitio. 566. 568. 625.

Feria 2. in Rogationibus.

Euangelium ex cap. 11. Luc.

De orationis efficacia, & potentia. 75. & ſequentibus. Videtur Chriſtus erubeſcere ſi aliqua neget, dum poſtulatur. 87. Quæ ſint à Deo petenda. 563. 625. Quomodo Deus pręſtò adſit orationibus noſtris. 746. Quomodo intelligẽda ſit improbitas amici. 758. 759. 762.

In die ſancto Pentecoſtes.

Euangelium ex cap. 14. Ioan.

Siquis diligit me, ſermonem meum ſeruabit. Lex Dei teſtis eſt pro nobis, vel contra nos. 301. Hoc etiã oſtendit quàm neceſſaria ſint opera ad noſtrã ſalutem. 218. 341. 354. 373. 385. Opera teſtantur fidem Dei, & dilectionem. 334. *Si quis diligit me,* &c. Quàm ſuauis ſit lex Euangelica, quæ amore, & charitate fũdatur, & meritò dicitur lex libertatis, & diſcrimen inter eã, & legẽ veterẽ. 225. & 230. *Ignis decidit ſicut lingua.* 451. Et notandum quòd linguæ ignis ſuper capita erant veluti capita iudicantia, quia verba oſtendunt hominem. 238. & 448. Lingua velut corona hominis. 454. *Pacem relinquo vobis.* De bono pacis. 529. & ſequent.

In feſto ſanctiſſimæ Trinitatis.

Euangelium ex cap. 28. Matth.

Data eſt mihi omnis poteſtas, &c. Chriſtus poteſtatẽ à Deo acceptam recognoſcit, magis nos recognoſcere debemus bona ab eodẽ accepta, & pro iiſdẽ gratias agere. 71. Gloriatur Chriſtus de poteſtate propriis meritis cõparata, honoratiores ſi- qui

quidem nos reddunt ea, quæ nobis comparamus. 392. *Data est*, &c. Potestatem acceptam conuertit in vtilitatem suorum. Potentes verò sæculi deprædantur inferiores. 245. 285. & sequentibus. *Euntes ergo*, &c. De diuina bonitate, quæ in omnes effunditur libentissimè. 63. *docete omnes gentes*. Quomodo Prælatus, & Doctor debeat esse cómunis omnibus. 28. & sequent. Quomodo nullum excipiat, quod recti Domini proprium est. 252. & sequentibus. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij*, &c. Mysterium sanctissimæ Trinitatis nobis aperit, quod Iudæis clausum erat; etenim nos sumus amici, illi verò serui. 226. *Docētes eos seruare omnia*, &c. Necessitas operum ad nostram salutem hoc in loco docetur. 331. 332. & sequentibus. 384. Nobis cur expresserit Diuinas personas, non verò Iudæis. 233. *Prædicate Euangelium omni creaturæ*; quia nostra Ecclesia magna est. ibidem. *Ego vobiscum sum*; in pauperibus quidem. 268.

Dominica 3. post Pentecosten.

Euangelium ex cap. 15. Luc.

Erant appropinquantes ad Iesum publicani, & peccatores. 85. *Murmurabant, quia hic peccatores recipit*, &c. Quomodo lingua nec Deo, nec vlli parcat. 455. & sequentib. Linguam hanc diabolus accendit. 465. Quàm longè fiat à Deo perdita anima per peccatum. 524. Miseria animæ velut ouis perditæ per peccatum. ibid. Ouis perdita per insipientiam dum relinquitur bonus Pastor, & à se exit; si enim in se esset, non desereret Pastorem. 150. 152. Mãducabat Christus cum peccatoribus vt eos conuertens suam ostenderet omnipotētiam. 380. *Quare hic peccatores recipit?* Mali volunt omnes inficere, & iniquos reddere. 455. *Gaudium erit in cœlo.* Quantùm Deo placeant lacrymæ pœnitentis. 645. Vide denique de hoc Euangelio. 612. 722. & 725. De pastoris cura erga oues. 767. Cur Christus nostros errores in oue perdita assimilauerit. 768. vide etiam 769.

Dominica 4. post Pentecosten.

Euangelium ex cap. 5. Luc.

Duc in altum retia. Obediendum verbo Dei. 183. *In verbo tuo laxabo rete.* Perfectio fidei in eo cernitur quòd difficultates omnes naturales superet. 360. Verbo Dei, Deóque maxima fides adhibenda est. 361. & sequentib. *Exi à me, quia homo peccator sum.* Humilitas Sanctorum cùm potiora à Deo accipiunt beneficia. 15. 17. & seqq.

Dominica 5. post Pentecosten.

Euangelium ex cap. 5. Matth.

Qui irascitur fratri suo, &c. Ira curatur silentio. 192. 452. Ira si durat, transit in odium. 196. Ira quomodo superetur. 194. & sequentibus. Amor proximi quomodo occultet defectus illius. 382. 525. Amor proximi. 295. 299. & seqq.

Dominica 6. post Pentecosten.

Vidē 4. Dominicam Quadragesimæ.

Dominica 7. post Pentecosten.

Euangelium ex cap. 9. Matth.

Attendite à falsis Prophetis. 98. & sequētibus. Contra duplicitatem animi. *& sequentib.* 99. 527. 529. & con

contra hypocritas. 99. 101. 281. *A fructibus eorum.* Nota ibi quòd hypocritæ non ferunt fructum suum. *A fructibus*; quia homo est arbor temporalis. 114. Opera nostra, & fidem, & virtutem animi ostendunt. 340. & sequent. 241. 310. 344. 353.

Dominica 8. post Pentecosten.

Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis. 110. 266. De iniquitate Mãmonæ. 285. 295. De optima ratione iudicandi de fratribus. 525.

Dominica 10. post Pentecosten.

De præsumptione Pharisæi. 83. 548. 614. 616. *Non sum sicut ceteri homines.* Superborum vitium nolle esse sicut cæteri sũt. 597. *Ieiuno bis in Sabbatho.* Quo pacto superbia insidietur virtutibus. 603. 605. De exaltatione linguæ superbiæ. 448. 462. *Velut hic Publicanus.* Contra eos qui secundùm externa iudicant. 268. De humilitate Publicani. 15. *Non audebat oculos ad cælum leuare*, depressus propriæ conscientiæ pondere. 695. Vide etiã de hoc Euangelio 432. 434.

Dominica x. post Pentecosten.

Epheta, quod est adaperire; sunt quorum os diabolus aperit, & quorum os Deus aperit. 465.

Dominica 13. post Pentecosten.

Commendatur gratitudo illius Leprosi qui rediit, vt gratias Christo redderet. 75. Pro hoc etiam Euãgelio vide 758.

Dominica 14. post Pentecosten.

Nemo potest duobus Dominis seruire. 575. 585. & sequentibus. Quomodo primùm quærendum sit regnũ Dei, & de minima entitate bonorum tẽporalium. 27. 566. sunt qui pecuniæ velut Deo seruiunt. 207. 256. Non fidẽdum temporalibus, sed soli Deo. multa de hac re habes 370. & seqq.

Nolite solliciti esse. 546. & sequentibus. 556. *Nec Salomon in omni gloria sua.* Vnusquique debet se conformare proprio statui. 571. & sequentib.

Dominica 16. post Pentecosten.

Et ipsi obseruabant eum. Quomodò mali obseruent defectus aliorum, & boni eosdem excusent. 382. & sequentibus. 612. Quomodo mali omnes volũt esse defectuosos in sui solatiũ. 456. & seqq. *Qui se humiliat, exaltabitur.* Quomodo sit proprium humilitatis exaltare. 158. 160. 629. *Cùm inuitatus fueris*, &c. Contra ambitiosos locorũ. 396. vsque ad 405.

Dominica 17. post Pentecosten.

Magister, quod est mandatum magnum in lege? Iste tentator necessariò erat ignorans cùm esset impudens; est siquidem comes sapiẽtiæ pudor. 518. *Diliges Dominum Deum tuum*, &c. Quomodo amor Dei omnia superet. 380. & seqq. De amore Dei habendo, & proponendo. 583. Vult Deus à nobis diligi, quia nos maximè diligit. 589. & sequentib. *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* 295. 300. Amor proximi non sola verba, sed opera secum defert. 309. Amor proximi in eo maximè cernitur, quòd illius defectus, & occultat, & excusat. 338. 612. 732. & contra iniquos magistros, qui aliud docent, & aliud faciunt. 419.

Dominica 18. post Pentecosten.

Quid cogitatis mala in cordibus vestris? Contra dolosos viros. 103. 104. & 528. 529. & contra eos qui aliud habent in corde; aliud verò in ore. 101. 103. 632. contra eos, qui secundùm externa iudicant. 268.

Dominica 19. post Pentecosten.

Simile est Regnum cælorum Regi, qui fecit nuptias filio suo. Zelum animæ

nostræ habet Deus vt sponsus ipsius. 590. Nuptiæ inter animam, & Deum. 577. & seqq. *Quoscumque inueneritis, vocate.* Deus non est acceptor personarum. 255. 256. & sequent. Vestis nuptialis quæ sit. 316.

Dominica 20. post Pentecosten.

Deus plura tribuit quàm postuletur: petebat Regulus præsētiam, absque illa sanatur filius. 64. 612.

Dominica 21. post Pentecosten.

Plura Deus concedit quàm ab eo petantur: postulat seruus tēpus soluendi, & dimittitur illi omne debitum. 66. 564. 566. Humana fragilitas nostra excusat debita. *Patientiam habe in me.* 433. Quomodo cupiditas rerum temporalium lites, & bella excitet inter fratres. 546. Ingratitudo serui, qui conseruum torquet, & suffocat. 305. Iudiciū fit iniquo seruo sine misericordia. 312. 314. Iniquitas serui dum non miseretur cōserui. 525. Non debemus inuehi in alienos defectus, neque de illis iudicare. 526. & sequent. Supplicium illatum aliis, nos debet cautiores reddere. 608.

Dominica 22. post Pentecosten.

Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari. Imaginem Dei quam in te defers homo, noli reddere Deo deformatam. 479. & quomodo debeamus hominem revereri propter Dei imaginē quam portat. vide ibidem. *Non respicis personam hominum.* Cōtra acceptores personarum, & eos qui diuites ob externum cultum reuerentur, & colunt. 252. vsque ad 260.

Dominica 23. post Pentecosten.

Si tetigero fimbriam vestimenti eius, &c. Fiducia istius mulieris ipsi maximè profuit. 81. Cur Christus Dominus suscitaturus filiam Archisynagogi tibicines eiecerit. 84. De fide necessaria ad petitiones nostras. 80. vsque ad 84.

Dominica 24. post Pentecosten.

Cùm videritis abominationem desolationis. Peccatum est abominatio desolationis. 305. Quantùm conducat ad rectè viuendum recordatio extremi iudicij. 311. & de confidentia iustorum tunc temporis futura. 727. 728.

In communi vnius Martyris.

Si quis vult venire post me, &c. Semper Christus loquebatur de laboribus. 720. *Si quis vult venire post me.* Quantùm conducat præuium exēplum superioris ad sequelam, & doctrinam. 420. *sequatur me.* Christus est nobis exemplum patiendi, & tolerandi. 756. *Si quis vult venire post me, tollat crucem suam.* Quāti faciant Sancti sequi Christum per labores. 35. & de beatitudine laborum per quos sequimur Christum, vsque ad gloriam. 120. *tollat crucem suā.* 542. Quàm suauiter labores ferantur præeunte Christo, seu cùm Deus patientibus assistit. 43. *Qui vult animam suam saluam facere, perdet eam*; quia se tradit proprio appetitui, qui hostis internus noster est. 136. 137. 577. & ideo illi potiùs debemus occurrere, & nos illi opponere. 143. 540.

In communi plurimorum Martyrum.

Vide in festo omnium Sāctorum, & pro communi plurimorum martyrum tempore Paschali: *Ego sum vitis, & vos palmites.* 218. 235. Deo adhærendum, non temporalibus. 370. 371.

In communi Confessorū Pontificū.

Sicut homo peregrè proficiscens vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua. Dei sunt

ſunt omnia bona. 675. 676. Prælatus, & Dominus debet communicare bona ſeruis, ac ſubditis, & nulli deeſſe. 31. Diuina liberalitas in hoc homine oſtenditur. 63. Vocauit ſeruos, & omnibus tribuit, quia diuina liberalitas nulli deeſt. 68. Hic Dominus tradit bona ſua, at Domini terreni aliena bona deripiũt. 245. 285. Diuina liberalitas etiam oſtenditur. 67. 152. vſque ad 157. Talenta ſunt verbum Dei auditum. 218. Lucramur nobis, dum aliis benefacimus ex talentis nobis commiſſis. 243. Quomodo diſpenſator lucrari debeat. 318. *Serue bone & fidelis.* Quomodo ſit intelligendum in hoc Euãgelio. 330. 355. *Domine, quinque talenta tradidiſti mihi, ecce alia,* &c. Gratiſſimus ſeruus, qui primò accepta bona Deo cõmemorat. 72. Qualiter Deus damnet eos, qui nihil aliis proſunt. 337. Lucrum quærit Dominus, vt cauſas habeat remunerandi. 353. 354. 392. *Vnicuique ſecundùm propriam virtutem.* Non ſic homines faciunt, quod maximè dolendũ eſt. 406. 407. Vide etiam cur dixerit, *quia in pauca fuiſti fidelis.* 554. Sunt igitur quæcumque temporalia pauca, & breuiſſimæ durationis. 279. 557. 558.

In communi Doctorum.

Vos eſtis ſal terræ. De libertate prædicandi verbi Dei. 232. & quomodo Doctor Eccleſiaſticus debeat acriter reprehendere, & arguere. 575. 769. qua de re plura habes 213. 214. Cõdienda eſt benignitas Prælati rigore aliquo. 488. De ſapientia Prælatorum, & prædicatorum. 404. De infatuato ſale, & indoctis magiſtris. 406. *Vos eſtis lux mundi.* De exemplo doctoris, & de luce doctrinæ præferenda. 419. 420. 421. *Vos eſtis ſal terræ.* Pacem, & concordiam curare maxime debent magiſtri, & Doctores Eccleſiaſtici. 519. *Videant opera veſtra bona.* 479. *Qui fecerit, & docuerit.* 490. 519. Verbum Dei debet eſſe mordicans. 213.

In communi Confeſſorum.

Similes hominibus expectãtibus Dominũ ſuũ. In ſpe debemus laborare, ac pati. 512. & ſequentibus. *Lucernæ ardentes in manibus veſtris.* 328. 332. 341. 349. Opera noſtra quærit Deus vt remuneret, qui lucernas tenere iuſſit. 353. & ſequentibus, & 384. *expectantibus Dominum ſuum.* De incertitudine aduẽtus Domini, ac mortis cuiuſcumque noſtrûm. 662. 670.

In communi Abbatum.

Ecce nos reliquimus omnia. Negotiatio eſt aliqua relinquere in hac vita. 112. 274. Quomodo omnia relinquenda ſint omnino. 276. 550. Nullius momenti ſunt temporalia omnia, proindéque libenter relinquẽda. 554. *Ecce nos reliquimus omnia.* Vana reliquerunt, & bona vera habent, quæ ſolus Deus tribuit. 278. 557. 559. 575. *Vos qui reliquiſtis omnia,* &c. Debitor eſt Deus iis, qui propter ipsũ omnia reliquerũt. 276. Quomodo Deus ſuſcipiat eos, qui propter ipſum omnia reliquerunt. 585. *Sedebitis, & vos iudicantes.* Quomodo Deus honoret ſeruos ſuos, ſiue quãtus ſit honor ſeruorum Dei. 19. & deinceps. Meretur verò dignitates, & ſedes, quia eas contemnit. 403. Eſt quidem immunda cupiditas rerum temporalium, inhonoróſque reddit eos, qui ſe illis immiſcent. 205. Quàm nihili facienda bona omnia temporalia. 81.

In communi Virginum.

In ſpe aduentus ſponſi animarum noſtrarum debemus laborare,ac pati,& præparari. 724.Pro virginibus prudentibus,& contra imprudentes facit quòd caſtitas maximè cõducit ad ſapientiam.516. *Domine*, *Domine aperi nobis*.Fides ſine operibus nihil prodeſt.341.359.Agnoſcere Dominũ,& habere notitiam Dei, & legis ipſius,ipſámque non implere, cedit in maiorem condemnationem.679. Opera noſtra quærit Deus,vt remuneret. 353.383.Oleum caritatis nõ habuerunt imprudentes. 523. 524. *Neſcio vos*.Alienum ſupplicium nos debet prudentes reddere. 546. *Vigilate,quia neſcitis diem, neque horam*. De incertitudine diei mortis, & aduentus Dei.662.671.674. *Moram autem faciente ſponſo*. Non deſumenda occaſio delinquẽdi ex eo quòd Deus differat ſupplicium. 228.

In feſto plagarum Domini.

Vnus militum lancea latus eius aperuit. Etiam poſt mortẽ vulnerari voluit, ſicut Iacob poſt mortem peregrinari.44.*Inclinato capite emiſit ſpiritũ*. 127. Lancea latus eius aperuit.318.761.

In feſto S. Andreæ Apoſtoli.

Vidit duos fratres. Oculi Dei cauſa totius boni.595.*mittentes rete in mare*; cùm pauperes piſcatores elegerit. 270.271.*At illi continuò relictis retibus ſecuti ſunt Dominum*. 629. Quomodo omnia relinquẽda ſint omnino.276. 550.&cur libenter relinquẽda.553. Vide etiã 79. Negotiatio eſt aliquid relinquere.112.275.A labore ad laborem eos vocauit; quia Prælatorũ officium laborioſum eſt.413. Vocauit eos a piſcatione,quia ſicut piſcatores non eiſdem retibus, neq; eodem modo omnes piſces capiunt:ſic Prælatus non debet eodẽ modo ſubditos gubernare; ſed quoſdam lenitate,& manſuetudine.44.484.486. alios verò acri reprehenſione. 214. 215. Aliquando etiam acris reprehẽſio cõdienda eſt benignitate. 436. 488. Denique magna eſt ars hæc piſcatio:proinde multa indiget ſcientia. 401. 487. A vili inſuper officio eos vocat vt priſtini ſtatus, & officij memores humilitatẽ ſeruarent, quam maximè curat Deus in ſeruis ſuis.Hoc vltimum vide 15. 16. Primum verò inuenies 156. 239.254.277. *Mittentes rete*, alij,*reficientes*:laudabile vtrumque, quia ſuo ſtatui ſe conformabant; quod Deo maximè placet. 571.

In Conceptione Beatiſſimæ Virginis.

Cur Dauid ſolus in Genealogia Chriſti Rex nominetur. 16. aliam rationem habes 293. Cur Berſabee proprio nomine non nominetur. 204.612.Cur peccatores nominentur in hoc Euangelio? quia per pœnitẽtiam omnino mutati ſunt. 381. deinde,vt oſtẽdatur Dei virtus, quæ adeò perfectè ſanat peccatores, vt nec cicatrix remaneat. 381. Cernitur in hoc Euangelio varietas,& inſtabilitas rerum temporalium. 279. 368.559.

In feſto Purificationis B. Mariæ.

Deo obligata erat Beatiſſima Virgo à præcepto Purificationis, eam tamen pro perfectiſſima obedientia adimpleuit. 183. Simeon expectabat ſalutem Iſraël, non propriũ cõmodum curabat.28.496.Modò propria curant homines, & aliena diripiũt. 288. 416.Mortem appellat pacem,quia requies eſt.Solus Deus faciat noſtrum appetitum,ideo lumen

gentium in manibus habens mũdo valedicit. 281.556.557.647.723.

In festo S. Matthiæ.

Confiteor tibi Pater. Christus cùm sit caput nostrum, pro nostris bonis gratias reddit Deo, sicut in manus accipit munus,& caput discooperitur:qua in re docet nos gratias agere Deo.de quo argumento vide 539. *Tollite iugum meum super vos.* De beatitudine crucis ac laborũ. 121. Excellentia legis gratiæ, quæ est iugum Christi. 225.231. *Discite à me quia mitis sum.* 217. 420. Quàm pulchra sit hæc virtus humilitatis corde. *Discite à me quia mitis sum.* 44.195.484. Nobis se manifestat, & reuelat secreta velut amicis, qui sunt humiles, non superbi Iudæi. 227. Iugum suaue respectu antiquæ legis. 218.267. 270. 614.

In die Annunciationis.

Pro quo vide 610. Qualem humilitatem in honoribus debemus seruare cùm Beatissima Virgo se tunc ancillam vocauerit, cùm in Matrem Dei assumitur. 15. 17. *Dominus tecum.* Quàm bonum sit Deum habere. Vide in cap. 4. vers. 2. parag. 4.

In die SS. Apostolorum Petri,& Pauli.

Vos autem quem me esse dicitis? Quia aliter debetis loqui, ac loquuntur homines, de quibus vos iã interrogaui, vnusquisque enim loqui debet sicut est. 237.438.460. *Caro,& sanguis non reuelauit tibi,* &c. Cognitio rerum diuinarum à Deo est, & ab eo postulari debet. 61. *Tibi dabo claues Regni cœlorum.* Magna potestas ob quã multùm honorandi sunt Sacerdotes. *Beatus es Simon Bariona.* Patrem nominat ne cõstitutus in sũmo dignitatis vertice superbiat. 272. *Caro,& sanguis non reuelauit tibi.* Tribuit Deus maximam sapientiam Petro, illi vtique necessariam tanquã vniuersali Pastori. 405. *Portæ inferi non præualebunt aduersùs eam.* Quàm pulchra cernatur hodierna die Dei misericordia, dũ citissimè occurrit Baptistæ in peccato originali existenti. 324. Visitatio dicitur B. Mariæ cùm ipsa fuerit quæ visitauit, non quæ visitata est, quia quicũque aliis benefacit, sibi benefacit. 143. Conceptus in vtero Virginis Dei Filius statim suã vult communicare gratiam, & virtutem, quod maximã Dei beneficentiam ostendit, & liberalitatem. 63. Hanc imitatur beneficus,& misericors homo. 66.241. Deus homo statim hominibus benefacit; at homines qui volũt esse in terra Dij, suos depredantur. 245. 285.

In die S. Mariæ Magdalenæ.

Vt cognouit quòd Iesus accubuit. Diligentia in surgendo à peccatis. 334. 430. Maturanda vtique conuersio. 628. *Erat in ciuitate peccatrix.* Peccatum inhonorum reddit peccatorẽ. 147. vsque ad 152. &de misera seruitute peccati. 227. Cur non nominetur hoc in loco proprio nomine. 203. *In ciuitate peccatrix.* Defectus aliorũ nobis proponit Euãgelium, vt nostros corrigamus. 381. 382. In laudem etiam Magdalenæ nobis proponitur peccatrix. ibid. In laudem etiam omnipotentis Dei, qui talis maximè ostenditur in conuersione peccatoris. ibid. *Vides hanc mulierem?* Pulchriores & humiliores surgunt sancti. *Hic si esset Propheta,* &c. Non iudicãdum facilè de aliis. 526. De lacrymarum lauacro. 633. Qua etiam de re multa habes 635. *Vt cognouit quòd accubuit.* Etiam tem-

pus cœnæ, est tempus orationis, & tunc Deus præstò nobis adest. 747.

In festo S. Iacobi.

Defectus aliorum nobis proponit Euangelista, vt nostros corrigamus. 226.384. *Dic vt sedeant hîc duo filij mei.* Apud Deum, & apud verum Præsulem, & Regem non respectus ac ratio carnis loca tribuunt, quia omnibus debet esse cummunis, & nulli addictus. 29. 51. Contra eos qui respectum carnis, & sanguinis in electionibus curant. 409. & sequentibus. Malum ambitionis perfectos etiam homines adoritur. 397. *Adorans, & petens.* Quàm viles reddat ambitio ambitiosos. 401.402.403. *Nescitis quid petatis.* 716. Beneficium Dei est aliquando ab eo postulantem aliquid non exaudiri. 52. 89. *Non est meum dare vobis.* Erubescit Christus negare ea quæ ab ipso postulantur præ summa benignitate sua. 77.78. *Dicunt ei, possumus.* Quàm audax sit ambitio, & quomodo omnia aggrediatur. 397. Quomodo nihil omnino reuereatur, & quo tempore aggrediatur. ibid. *Audientes decem indignati sunt de duobus.* Quomodo pacem turbet ambitio, & commotionem excitet. 395. vide etiam 548.

In festo B. Mariæ ad Niues.

Antè blasphemauerāt Iudæi Christum Dominum, modò exurgit mulier de turba, quæ ipsum laudat, quia vnusquisque loquitur prout mores habet, iniquus scilicet iniquè loquitur, iustus verò iustè loquitur. 237. 438. *Beati qui audiunt verbum Dei.* De vtilitate verbi Dei. 87. vsque ad 177.179.202.222. Cōtra eos qui audiunt, nec seruant verbum Dei. qua etiā de re habes 218. 679. Quomodo verò audiendum sit verbum Dei. 179. Hinc est quòd auditores se reprehendant, non prædicatores. 217. audire idem est ac obedire verbo Dei. 183.

In festo S. Laurentij.

Nisi granum frumenti, &c. In vtilitatem suorum veluti exinanitur; at homines suorum substantiam deprædantur 245. 289. 416. Illúdque maximè notandum quòd Christus se inglorium, & solitarium iudicat si solus remaneat; at superbi Principes terræ, gloriosos se iudicāt si se solos videant super terram, vnde ab ipsa alios eiiciunt 553. 598. *Qui amat animam suam perdet eam;* quia se tradit appeti tui proprio, qui infestus, internúsque inimicus est. 136. 137. 538. 540. & sequentibus. Occurendum proinde est interno huic hosti. 143. 538. 540. & sequentibus. *Siquis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus.* Quomodo Deus honore afficiat seruos suos. 19. & sequentibus.

In festo Assumptionis Beatæ Mariæ.

Excepit illum in domum suam. Magna dignitas hospitalitatis, quæ ipsum Deum meretur suscipere. 378. Vnde hospitalitas plus accipit quàm hospitibus tribuat. ibid. Quàm vtile sit audire verbum Dei. 177. *Quæ etiam sedens audiebat.* Quantam quietem, & mãsuetudinem requirat Dei verbum, vt rectè audiatur. 200. 24. *Non est tibi curæ, quòd soror mea,* &c. Linguæ vitium etiam perfectos aggreditur, & qui multa vitia vicerunt, ab hoc vincuntur. 239. Proinde aperienda est ratione, quæ clauis linguæ est. 185. Neque parcit lingua sorori, *quòd soror mea;* neque Christo, dum ait, *non est tibi*

tibi cura, quia lingua nemini in vniuersum parcit. 454. Mortiferum vtique venenum, quod omnes virtutes perdit. 463. 467. *Martha, Martha solicita es*, &c. Detractores reprimendi sunt dum audiuntur. 554. *Domine non est tibi cura quòd soror mea*, &c. Non est temerè iudicandum de proximo. 515. 526. Imbecillitas magna est aliorum defectus subnotare, & mordere, vt ex illis honoratior quis euadat, vnde veluti imbecillitatem suam fatetur Martha dicens, *dic ergo illi, vt me adiuuet*, quæ sororem iam subnotauerat. 384. *Sedens audiebat*; nec mirum, quia vera gaudia in solo Deo reperiuntur, quæ est ratio cur querimoniam in Deum conuertat, & non in sororem, dum ait, *non est tibi cura*, &c. cui enim se Deus communicat veluti extra se fit. 556. 647.

In festo S. Bartholomæi.

Exiit in montem orare. Qualiter sit Deus orandus. 566. Et in rebus arduis, & magnæ entitatis Deum adire debemus. 75. & sequentibus. 565. & seqq. *Et erat pernoctans in oratione*. Dei orationi instandum. 87. 566. Rectam electionem discipulorum præcessit oratio Magistri. De electionibus vide 259. 257. 403. 492.

In festo decollationis Ioan. Baptistæ.

Non licet tibi. Reges nequeunt iniqua facere ac iubere, in quo maximè falluntur. 258. 259. *Non licet tibi*. Docet viros Euangelicos liberè loqui. 233. & acriter vitia reprehendere. 214. 215. 424. Dimidium Regni sui promittit pro saltatione puellæ: quod ostendit vilitatem, & inconstantiam. Regnorum, rerúmque omnium temporalium. 92. 114. 279. 370. 547. 548. *Volo vt des mihi in disco caput Ioannis*. Postulat hoc post ebrietatem, quia iniusta & iniqua petitio ostendit qualis sit is, cui proponitur. 569.

In die S. Matthæi Apostoli.

Vidit hominem sedentem in telonio. Oculi Dei causa sunt omnium bonorum. 589. Humilitas Sãctorum etiam in maximis dignitatibus. 13. 14. 15. Quomodo tamẽ sit superba. Sanctorum humilitas. ibidem. & magna humilitas exaltare solet. 21. 159. 160. 650. Quanti verò fiat à Deo hæc humilitas, quæ in Matthæo hîc cernitur. 610. & sequentibus. Vocauit autem eum à vili & turpi quæstu, & officio, vt pristini status & officij memor humilitatem seruaret. 31. 156. 277. *Surgens secutus est eum*. 629. Quomodo omnia relinquenda 254. 750. & cur libenter relinquenda. 27. 79. 754. Maiorẽ verò quæstũ reperit in sequela Christi, quàm habuerit in telonio. 112. 273. Defectus aliorum nobis proponuntur in hoc Euangelio, & sæpe in Scriptura, vt nostros corrigamus. 385. Hoc etiam fit in laudem ipsorum Sanctorum, quorum defectus narrantur. 389. 412. laudem insuper Dei, qui in conuersione peccatoris, & publicani suam omnipotentiam maximè manifestat. 386.

In festo S. Michaëlis.

Quis putas, maior est in regno cælorum? Quomodo superbia insidietur virtutibus, & perfectos, quales erant Apostoli, aggrediatur. 604. Ambitio etiã quomodo perfectos adeat. 397. Ambitio etiam, & superbia quomodo

modo vnitatem, & pacem ſcindat. 398. 548. Deus verò qui ſuperbis reſiſtit, ſtatim occurrit, *niſi efficiamini.* &c. 596. 597. *aduocãs paruulum.* 575. Sumpſerunt verò occaſionem interrogandi de principatu, & maioritate, quia viderunt Petrum in ſolutione pretij, vnde elicitur Prælatũ ſuos æqualiter debere tractare, ſi pacificos, & vnanimes eos vult habere. 30. 44. 252. Humilitatem maximè docet in hoc Euangelio, quam Deus pluris æſtimat. 610.

In feſto S. Lucæ.

Deſignauit Dominus, &c. Pauperes quidem elegit diſcipulos, cur tamen id fecerit. 272. vſque ad 278. *Meſſis quidem multa, operarij autẽ pauci.* Quàm pauci veri operarij in Eccleſia Dei reperiantur. 171.


In feſto SS. Simonis, & Iudæ.

Hæc mando vobis, vt diligatis inuicẽ. Amor proximi commendatur. 295. 299. qui amor occultat defectus proximi. 382. 463. At verò non in ſolis verbis conſiſtit hic amor; ſed opera inſuper requirit. 309. dilectio ad conſeruandam vnionem, & pacem inter fideles, quam Deus magni facit, vt videre eſt 548. & maximè neceſſaria eſt, vt patet 530. quam etiam maxime curare debent Paſtores Eccleſiaſtici, cum quibus Chriſtus hîc loquitur. 519. De laudibus verò pacis. 295. 520. *Si mundus vos odit*, &c. Amor Dei, & mundi inter ſe pugnant. 583. *Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur.* Laboribus perficiuntur Sancti. 36. 714. Labores Deum ſocium habent, proindéque modò etiã poteſt dicere Chriſtus, me vobiſcum perſequentur. 44. Laboribus examinatur virtus. 47. Exemplum patiendi nobis præbuit nobiliſſimum Chriſtus Dominus. Exempla patiẽtiæ multa habemus in Sãctis. 506. proinde patienter ferẽdæ ſunt perſecutiones. 712. contra eos verò, qui in laboribus conqueruntur. 728. Quantùm verò valent exempla patientiæ ad ferendum libenter labores. 730.

In feſto omnium Sanctorum.

Aperiens os ſuum docebat eos. Maximam libertatem in docẽdo, & prædicando denotat, & inculcat. 214. *Beati pauperes ſpiritu.* 108. Propria doctrina Chriſti de laboribus. 718. Oſtẽdit Deus omnipotentiam ſuam in conuertẽdo labores in lætitiam, lacrymas in riſum, &c. 380. *Beati qui perſecutiones patiuntur.* 121. Futura bona promiſſa reddũt mitiora mala præſentia. 720. *Beati miſericordes.* 314. Miſericordes, & benefici imitantur Dei naturam. 67. & ſibi benefaciunt miſericordes. 243. *Beati mundo corde.* 633. *Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam.* 628. *Beati qui lugent.* 637. *quoniam ipſi conſolabuntur.* 438. *Gaudete, & exultate*, &c. 735. Labores pignora sũt vitæ beatæ. 125. *Beati eſtis cùm maledixerint vobis homines.* 469. Pacifici cur dicãtur Dei filij. 530. pacis verò turbatores dicũtur filij diabolij. ibid. Pax quãtùm Deo placeat. 548. eius neceſſitas. 323. *Merces veſtra copioſa eſt in cælis.* Ideo iuſti ſolos labores in hac vita quærunt. 722. 723.

QVÆSTIO



QVÆSTIONES PROOEMIALES.

Quæ sit huius Epistolæ materia, quæ vtilitas, ac necessitas, & quo loco in Bibliis ponatur.

QVÆSTIO PRIMA.



TEMPORIBVS Apostolorum exorta est Simonis hæresis, teste D. Augustino lib. de Fide & Operibus cap. 14. asserentis iustificari hominem per fidem sine operibus; quæ præsertim Samariæ non longè ab vrbe Hierosolymitana infelici germine (vt Iustinus testatur) coalescẽs, in dies magis grassabatur, aduersùs quam noster Apostolus, sicut Petrus, Ioannes, & Iudas fecerunt, insurrexit, summáque prudentia multa in eam profert, dum multus est in operum commendatione, sine quibus fidem esse prorsus inanem affirmat, contra impiam Simonis doctrinam, de qua D. Irenæus lib. 1. cap. 20. Cui velut fluuio carnis libertate fluenti Iacobus fortissimum huius Epistolæ aggerem opposuit; in quos enim campos non exundasset malè accepta viuendi libertas, si scelestis quibuscunque absque labore, perinde ac vilissima merces, sic esset prostituenda potiùs, quàm præstanda felicitas patriæ? Et ingredientibus hostibus Ecclesiam Dei, murum, & antemurale obiecit: sic enim appellauit D. Hieronymus lib. 8. Comment. in Isai. cap. 26. fidem & bona opera, cùm ait: Murus bonorum operum, & antemurale rectæ fidei, vt duplici septa sit munimento; non enim sufficit murum habere fidei, nisi ipsa fides bonis operibus confirmetur. Hic murus, & antemurale, siue circummurale, de viuis lapidibus extruitur. Similia habet Prosper de Vita contemplat. lib. 1. cap. 19.

1. Esdr cap. 4. SICVT igitur olim dum Iudæi ex captiuitate Babylonica reuersi, in templi reædificatione à vicinis Samaritanis impediebantur, vna quidem manu laborabant; altera verò contra hostes gladio decertabant; sic etiam noster Apostolus contra hæresim à Samaria itidem prouenientem, non solùm curat vt fideles incitentur, & confirmentur in sana doctrina, verùm contradicentes arguit, & impia dogmata introducentes ab oppugnatione Hebr. 11. domus Dei, gladio spiritus fortiter repellit, hostium impetum frangit, & retundit, leonum ora obturat, & fortis factus in bello, strenuè operandum, & bona opera exhibenda docet; dúmque id facit, & hæresim illius temporis, & eandem nostra ætate ab Orco excitatam, & adauctam expugnat. Etenim, teste D. Hieronymo epist. ad Ctesiphontem, hæreses ad originem reuocasse, confutasse, hæreticorum sententias prodidisse, superasse, est quod accuratè gessit Iacobus in hac Epistola.

VNDE constat quàm vtilis, ac necessaria sit hæc Epistola, quæ vastatori igni hac tempestate grassanti occurrit: verum est enim illud Ioannis Apoc. 9. Oraculum, quo dixit; *Et quintus Angelus tuba cecinit, & vidi stellam de cælo cecidisse in terram & data est ei clauis abyssi. Et aperuit puteum abyssi: & ascendit fumus putei, sicut fumus fornacis magnæ, & obscuratus est Sol, & aer de fumo putei: Et de fumo abyssi exierunt locustæ in terram, & data est illis potestas, sicut habent scorpiones:* hæc enim in hæreticis, Luthero, & aliis incentoribus in orbem effusis sortiri effectum, proh dolor! apertè cernimus. Quis enim nouorum hominum in hæresibus recentibus excogitandis, veteribus reuocandis, ac renouandis, vtrisque disseminādis, fucādis, propugnandis, fulciendísque solertiam, audaciā, atque rabiē non miretur? Quod præcipuè cernere licet in reuocatione sopitæ, ac antiquæ hæresis de sufficientia solius fidei absque operibus ad salutē, cui Iacobi doctrina denuò opponenda, eorúmque oculis propalāda. Quod etsi alij fecerint, id tamē ne nos faceremus, nihil retrahit: præclarè etenim D. Aug. post plurimorū de B. Trinitate libros, suos quoque euulgaturus dixit lib. 1. c. 3. Vtile est plures libros à pluribus fieri, diuerso stylo, non diuersa fide, etiā de quæstionibus eisdem, vt ad plurimos res ipsa perueniat, ad alios sic, ad alios verò sic. Cùm enim ingeniorum varietas sit infinita, fit ratione ea, vt pro cuiusque captu res, quæ traduntur, & faciliùs in animos influant, & firmiùs inhæreant memoriæ, & ad vsum expeditiùs depromantur, quod meliùs, aptiúsque fiet, si quæcunque Sancti Patres dixerunt, & Iacobi doctrinæ fuerint cohærentia, proferamus. Ipsi namque, sicut dixit Aug. lib. 2. contra Iulian. quod inuenerunt, hoc tenuerunt, quod didicerunt, hoc docuerunt, quod à patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt. Vnde apud Basil. lib. de Spiritu sancto c. 29. Dionys. Alex. citatur non ex mente sua loquēs, sed, vt Basilius ait, forma, reguláque à senioribus, qui ante nos vixerunt, accepta. Et Theodoret. lib. 1. Hist. Eccles. cap. 5. Ioannem Chrysost. producturus: Annon hūc, inquit, putas Apostolicam fidei seruasse regulam? Cùm ergo Apostolica hæc doctrina pernecessaria sit contra Nouatores, eandem Sanctorum Patrum testimoniis adornatam trademus, vt eorum cohærentia cum veritate à Iacobo tradita clariùs eluceat, & hæreti-

corum

còrum impudentia execranda propaletur.

NEQVE verò præsens Epistola ad vitandos tantùm Nouatorum errores prodest, sed etiam ad Catholicorum mores componendos, fideles in Sacramentorum doctrina instruendos, in pauperum subuentione, in vitando inuidiæ zelo, in asserenda proximi dilectione perutilis vtique est. Vnde Thomas Malleolus in Valle liliorum cap. 33. dixit: Vide Sanctum Iacobum fratrem Domini Epistolam Canonicam scribentem, formam Christianæ vitæ, & Religionis perfectionem continentem. Rabanus Maurus de Vniuerso lib. 5. cap. 3. Iacobus frater Domini vnã scripsit Epistolam ad ædificationem Ecclesiæ pertinentem, cuius sententia immensam scientiæ claritatem legentibus videtur infundere. Et Otto Frisingensis lib. 3. cap. 16. Iacobus frater Domini, ciuitatem Dei non solùm factis informauit, sed vnam de septem Epistolis, quæ Canonicæ dicuntur, valde vtilem, & sale sapientiæ conditam scripsit Epistolam; quæ proinde in omnium oculis debet versari, quando omnium maximè interest.

IN sacris verò Bibliis prima aliarum septem Canonicarum Epistolarum ponitur; & ab Eusebio lib. 2. Hist. cap. 22. & Nicephoro libro 2. Hist. cap. 38. appellatur etiam prima. Licèt autem in hoc dignitatis rationem habitam plerique negent, id tamen non minimam huius Epistolæ dignitatem esse existimo. Ratio verò cur primo loco ponatur, temporis quo scripta fuit, esse videtur, scilicet, ante alias septem Epistolas. Sicut enim nulla alia de causa Matthæus, aliíque Euangelistæ, quàm propter ordinem temporis in scribendo, eo modo dispositi sunt, quem cernimus, non verò quia Matthæus Hebraicè scripserit; sic & hæc Epistola ante alias, imò & ante Petri Epistolas ponitur, quia ante alias scripta fuit. Nam prima Petri creditur scripta anno Domini quadragesimo quarto, & secunda anno sexagesimo tertio; hæc verò Epistola scripta est paulo post dispersionem Christianorum, in eorum solatium, & leuamen. Contigit autem ea dispersio, & persecutio Ecclesiæ paulo post mortem Christi, eiúsque in cœlos Ascensionem. Post Petrum scripsit Iudas Thaddæus; vnde videtur imitari secundam Petri. Quòd verò Ioannes vltimus scripserit, apertè constat, & ostendit Baron. tom. 1. Annalium. Ex quibus fit consequẽs, quòd priùs noster Iacobus scripserit, primáque proinde hæc Epistola inter Catholicas, ac Canonicas collocetur.

Quæ huius Epistolæ inscriptio.

QVÆSTIO II.

ILLVD pro titulo huius Epistolæ aduertendum est; omnes aliorum Apostolorum Epistolas, post Epistolas Pauli in Canonem relatas, Græcum in Bibliis titulum *Catholicarum* gerere; quem Latina Sixtiana reti-

nuerunt, licèt non affixerint nisi primæ, quæ est Iacobi, & vltimæ, quæ est Iudæ; Regia etiam priori. Complutentia solam Iacobi cum titulo *Canonica* nominant; nostris emendatis Vatablus fauet, atque Brixianus. Hieronymus in Prologo harum Epistolarum Canonicas eas vocat, qui tamen lib. de Viris illustribus c. 47. Catholicas eas perpetuò vocat. Cassiodor. de Diuin. lect. cap. 8. non has propriè, ac solas septem, sed simul quæ Pauli sunt, nomine communi Canonicarum Epistolarum insignit, sicut & alij alios sacros libros: recentiores tamen interpretes dicunt esse hoc nomen peculiare his Epistolis, rationémque reddentes, aiunt; vel quòd ad Canonicam Scripturam pertineant: vel quoniam Authores Canone comprehenduntur Sanctorum, vtpote qui Apostoli fuerint vel quia continent canones, ac regulas credendarum, & agendarum rerum. Licèt verò istis de causis (sicut notauit Carthusianus) Pauli etiam Epistolæ Canonicæ dici possint, hanc appellationẽ sibi vendicarunt iam hæ septem postremæ Epistolæ, vt sicut vnus suas Author Paulus, ita nomen vnum istas designaret.

NEQVE verò nobis placent Iodocus in Damascenum, Clictouæus, & Feüardentius in hanc Epist. cùm aiunt, imperitia scriptorum factũ esse, vt commutatis aliquibus mediarum syllabarũ literis, pro Catholicis Epistolis, Canonicæ dictæ sint: etenim Concilium Roman. sub Gelasio, Concil. Carthaginense III. cap. 47. Hieronymus dicto Prologo, & alij Sancti Patres, Authores, & codices eodem titulo apertè vtuntur. Quis verò audeat dicere Concilia, & Patres deceptos, & corrupta per imperitiam voce vsos? Vnde in Concil. Antiocheno sub Iulio Papa I. Canonicæ Epistolæ eandem significationem præ se ferunt cum Catholicis (quales Dionys. Alex. dicitur scripsisse) id est, generalibus, quæ etiam dicuntur Encyclicæ, id est, circulares, & Ecclesiasticæ.

HIS itaque sic pręmissis, Oecumenius hìc, & antea Leontius de Sectis act. 2. tom. 4. Bibliot. Patr. Isidor. lib. 6. Etymolog. cap. 2. ideo Catholicum nomen huic, & aliis dictis Epistolis affixum putant, quòd non ad vnam scribantur gentem, velut Paulinæ; sed generaliter ad omnes. Oecumenio adhærent plures Græci, quorum ille nectit ex sentẽtiis Commentarium. Leontius verò profitetur se loqui ex ore Theodori Abbatis, & doctissimi Philosophi. Idem etiam fundamentum affert, & probat Martines in Epist. Iudæ, part. 2. de titulo.

CÆTERVM hęc ratio in prõptu habet obiectionem in 1. Epist. Pauli ad Corinth. vbi Paulus non iis duntaxat, sed & omnibus, qui inuocant nomen Domini nostri Iesu Christi in omni loco ipsorum, & nostro, scribere se dicit: & in 2. & 3. Ioannis Epist. quas ille ad priuatas misit personas. Et licet recentiores hanc obiectionem nitantur diluere; vtrùm communis responsio omnino satisfaciat aliorum iudicio relinquo; dicendúmque existimo, Catholicam hanc, & alias Epistolas appellari, quoniam passim ab omnibus, & vbique receptę sunt, ceu diuinę, sacræque Scripturæ, tum etiam quia ipsomet numero septenario, qui maximè refert vniuersitatem, deno

denotant vniuersalem doctrinam, quam continent, & vniuersales personas, nempe Apostolos, à quibus editę sunt, cùm non habeant vnum authorem, à quo vno peculiari nomine denominentur.

Quanta sit authoritas huius Epistolæ.

QVÆSTIO III.

QVONIAM hæretici hanc Epistolam reiiciunt, notant, ac mordent, vt videre est apud Lutherum Præfatione in Nouum Testamentum, vbi dicit hanc Epistolam non habere Euangelicum genium; & in captiuitate Babyl. cap. de Extrema vnctione, non esse dignam Apostolico spiritu; & in cap. 22. Genes. vbi asserit delirare Iacobum; & apud Vitum Theodorum in summariis Bibliorum, vbi dicit, in aliquot locis reprehensibilem; & apud Ioannem Bugenhagium Pomeranum ad cap. 4. Epist. ad Rom. vbi impium argumentum, & ridiculam collectionem huius Epistolę ridet; & ad cap. 3. Ionę, vbi dicit, in Epistola Iacobi quædam esse, quæ videntur Ebionitis similia; & apud Vvolfgangum Musculum in Locis Communibus, cap. de Iustificatione, vbi asserit eam veritati fidei præiudicare. Non parum gratum fore existimo, si eam ab hæreticorum calumniis vindicantes, maximam insimul Epistolæ auctoritatem comprobauerimus. Etenim Concil. Laupicense cap. 58. eam recipit, & vocat Catholicam Epistolam. Concil. Carthagin. III. cap. 47. Mileuitan. c. 7. Arausicanum II. c. 25. Cabilonens. II. cap. 33. Parisiens. c. 13. Tolet. VIII. c. 14. & citant, & probant hanc Epist. Probant insuper, & asserunt summi Pontifices, Clemens Rom. lib. 2. Constitut. c. 8. Alexand. I. Epist. 2. Innocentius I. Epist. ad Exuperium c. 7. Vrbanus I. Epist. ad omnes Episcop. Sixtus III. de malis Doctoribus, & operibus fidei. Leo Magnus Ser. 2. de Quadrages. Gregorius Magnus multis in locis. Zacharias epist. ad Bonifacium. Nicolaus I. epist. 9. Ioannes VIII. epist. 38. Innocent. III. ad Psal. 2. Pœnitent. Citant, & venerantur antiquiores Patres, Dionys. Areopag. cap. 1. de Cœlesti hierarch. Clemens Alexand. qui, teste Cassiod. lib. 1. Diuin. lect. cap. 8. eam Attico sermone declarauit. Hyppolitus de Consummatione mundi. Orig. passim. Athanasius multoties, prçcipuéque epist. 39. & epist. de Nicęna Synod. & ad Episcop. Africæ. Cyrill. Hierosoly. Catech. 4. Cyril. Alex. lib. 4. in Ioan. & 14. Thesauri. Tertull. de Orat. c. 8. & lib. cont. Iudæos c. 2. Cypr. ad Nouat. Hilarius 4. de Trinitat. Ephrem sæpissime. Basil. in Asceticis. Nazian. carmine de Canonicis Scripturæ libris. Cassian. lib. 12. Instit. c. 6. Arnob. in Psal. 32. Prosper de Vocat. Gentium lib. 1. cap. 24. Greg. Turonens. de gloria Martyr. lib. 1. cap. 41. vt posteriores Patres relinquam, & quos in expositione context. adducemus.

Ex quibus constat, quanti facienda sit nostri Apostoli Epistola probata tot Conciliis, confirmata à summis Pontificibus, adductáque à Patribus

omnibus. Vnde pro defensione eius possemus dicere cum Athanas. dicta epist. de Nicæna Synod. vbi nostrum refert Apostolum: Quomodo non odio digni sunt, qui nunc tandem contradicunt, homines nimirum tales, quales D. Iacobus duplices corde, & instabiles in omnibus viis appellat? neque enim alij, aliteruè appellari possunt, qui Iacobi Epistolam non recipiunt, nec venerantur. Ideóque meritò Isidorus Pelusi. lib. 1. epist. 93. se Iacobi auditorem ratione huius Epistolæ gloriatur.

FACIT etiam pro commendanda præsenti Epistola, id quod quisque facilè in ea recognoscet, si aduertat in ipso scilicet ingressu Apostolicum characterem, cùm eandem præ se ferat inscriptionem, quæ ponitur in Epistola ab Hierosolymit. Concil. (cui idem Iacobus interfuit, & pars eius magna fuit) ad Ecclesiam Antiochenam; etenim salus ibi postulatur, sicut Iacobus initio suæ Epistolæ. Et sicut loci, ac temporis ratio postulabat, aliíque fecère Apostoli, Simonis hæresi se opponit.

Ad quos missa fuerit hæc Epistola.

QVÆSTIO IV.

EX principio huius Epistolæ constat, Iacobum eam Iudæis conuersis, & causâ fidei dispersis scripsisse: quod non minima est laus Iacobi; sicut etiam & Petri, quòd peculiaris Iudæorum Apostolus haberetur: pluris enim initio nascentis Ecclesiæ fiebant Iudæi, quos ex omnibus mundi populis in peculiarem sibi Deus elegerat, sui cultum
Rom. 9. docuerat, Filij sui aduentum promiserat, vnde & ex eis natus est secundùm carnem, & illam mundi portionem, ac terram, quam aduentui suo consecrarat, eis dedit in possessionem hæreditariam & quia ad ipsos præ-
Rom. 15. cipuè missus est Filius Dei in carne; vnde à Paulo dicitur Circuncisionis minister, propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones Patrum, cuius ministerij functio erat Euangelium docere, comprobatio, miracula edere; finis verò, perditos lucrifacere; propterea cùm socios legationis, quæ ipsi obeunda erat, assumpsit duodecim, iubet illos ad Israëlitas tan-
Matt. 10. tùm legationem deferre, dicens; *In viam gentium ne abieritis, & ciuitates Samaritanorum ne intraueritis; sed potiùs ite ad oues, quæ perierunt domus Israël.* Quæ fuit ratio cur Ioannes Euangelista initio sui Euangelij Iudæos suos (i. Christi Domini) appellauerit: sic enim interpretatur D. Chrysost. hom. 8. in cap. 1. Ioan. & Cyrill. ibidem ea verba Ioannis, *& sui eum non receperunt* Quasi diceret Ioannes (inquit Cyrillus) non est mirum si mundus Filium Dei non nouerit; quoniam ipse populus Iudæorum, quem sibi Deus peculiarem delegerat, Filium Dei præsentem, & ad salutem præsertim ipsorum venientem non recepit. Suos itaque commisit Christus discedens Iacobo, eisdem vt peculiari Pastor scribit, & legatione pro Christo fungens, Christi Domini fide, & doctrina instruit, & quos verbo non poterat, scripto docet.

NEC

Nec mirum si cùm Iudæis scribat, Græcè tamen id faciat; enimuerò lingua Græca omnium erat communissima, vt etiam testatur Tullius in Oratione pro Archia Poëta. Vnde & Paulus Romanis, & Petrus dispersis Græcè scripserunt: idque iure optimo factum esse à Iacobo censendum est, cùm hæc Epistola & Catholica sit, & omnibus proinde eius doctrina debeat innotescere, & Canonica itidem, vtpote quæ continet formam Christianæ vitæ, ac Religionis; κανὼν enim Græcè, Latinè est *forma*, aut, *regula*, quæ ideo in vulgatissima, ac notissima lingua erat proponenda.

Quis fuerit Author.

QVÆSTIO V.

QVONIAM, sicut aduertit D. Ambrosius in cap. 1. Luc. diuina Scriptura docet non solùm mores in iis, qui prædicabiles sunt, sed etiam parentes oportere laudari, vt veluti transmissa immaculatæ puritatis hæreditas in iis, quos volumus laudare, præcellat; quod D. Paulus minimè reprehendit, vt perperam voluit Beza 1. ad Timoth. 1. Loquitur enim de iis tãtummodo genealogiis, quas quotidie texebant, & inanis gloriæ cupidi iactabant Iudæi, siue Gentiles, dum de suorum Deorum prosapiis inaniter gloriabantur, vt ibi annotauit Chrysost. alioqui non rectè Spiritu sancto dictante, tot in Genesi, Exodo, & Paralip. genealogiæ describerentur; imò neque Matthæus, & Lucas Christi Domini auos, atauósque texerent. Vnde Sidonius lib. 7. epist. ad Perpetuum; *Natalibus*, inquit, *seruanda reuerentia*, quia & hoc non omittendum Euangelista monstrauit; nam Lucas laudationem Ioannis aggressus, præstantissimum computauit, quòd Sacerdotali de stirpe veniebat. Et D. Hieronymus epist. 8. Disciplina est ab auis, & atauis, & omni retrò nobilitate ornare quem laudant: est enim gloria parẽtum natis præclarus, & magnificus thesaurus, sicut dixit Plato in Epitaph.

Illvd ergo à nobis exponendum erit, quinam fuerint parentes nostri Authoris; qua de re non minima est controuersia, & vtraque pars (in duas enim diuiditur) grauissimos habet assertores. Etenim Epiphanius tom. 2. lib. 1. ait; Iacobus filius Ioseph natura erat, frater autem Domini vocabatur propter conuersationem: erat enim hic filius Ioseph, ex vxore Ioseph, non ex Maria; enimuerò, vt idem Epiphan. testatur tomo 2. lib. 3. hæres. 78. Ioseph habuit primam vxorem suam ex tribu Iuda, & peperit hæc ipsi liberos numero sex, quatuor masculos, & duas fœmellas, quemadmodũ Euangelium secundùm Matthæum, & secundùm Marcum declarauerunt. Quibus verbis videtur existimare Epiphanius, eos qui à prædictis Euangelistis fratres, aut sorores Domini appellantur, esse ex Ioseph, & prima illa vxore progenitos. Idem censent Hyppolit, teste Niceph. lib. 2. cap. 3. Orig. in cap. 13. Matt. Euse. 2. lib. Histo. cap. 1. Nyssen.

ora

oratione 2. de Resurrectione Christi. D. Chrysost. hom. de Annuntiatione Virg. Theophylact. in Matth. c. 27. Euthym. in cap. 2. Matth. Ambros. in Epist. ad Galat. cap. 1. Hilarius in cap. 1. Matth. Simeon Metaphrast. in Vita Iacobi.

CONTRARIA tamen sententia, eaq; probabilior, asserit Iosephum nullam ante Virginem habuisse vxorem; quod probat D. Hieron. contra Heluidium prope finem, vbi ait D. Iosephum fuisse Virginem; vt ex virginali, inquit, coniugio Virgo filius nasceretur: Mariæque Ioseph custos potiùs fuit, quàm maritus. Similia habet D. Aug. Ser. 14. de Natiuitate Dom. & Theodoret. in cap. 1. Epist. ad Galat. Bernar. Rupert. Beda, Gerson; quibus accedunt omnes ferme recentiores doctissimi. Ideóque Petrus Damian. epist. 11. c. 4. ait, Ecclesiæ fidem in eo esse, vt non modò Deipara, verùm etiam putatiuus pater, atq; nutritius Virgo habeatur; satis enim rationi consonũ videtur, vt qui discessurus ex hoc mundo ad Patrem, Ioanni Virgini Matrem Virginem commendauit, eandem mundum ingressurus, Iosepho etiam Virgini seruandam, & seruiendam commiserit.

NEC officit quòd Iacobus frater Domini appelletur; namque ab Euangelistis Alphæi filius dicitur: solent enim Euangelistæ filios nomine patris insignire, Iacobum autem dicunt Alphæi, Matth. c. 10. Marc. 3. Luc. 6. Dicitur ergo frater Domini ratione matris, quæ soror putatur sanctissimæ Virginis, non germana, ex Anna genita, sed consobrina ex sorore, vel fratre patris, aut matris suscepta sicut mos est Scripturæ simili consanguinitate coniunctos, fratres appellare. Qua de re videndus Hieronymus contra Heluidium cap. 8. Potuit insuper noster Iacobus dici frater Domini ratione similitudinis solent enim multoties fratres simillìmi esse. De Iacobo autem sic scribit Ignatius Epist. 2. ad Ioannem Seniorem: Iacobum referunt Christo Iesu simillimum facie, & vita, & modo conuersationis, ac si eiusdem vteri frater esset gemellus, quem dicunt, si videro secundùm omnia corporis eius lineamenta; video Christum Iesum.

FVIT itaque pater nostri Apostoli prædictus Thaddæus, mater verò Maria illa, de qua Marcus ait: *Erant mulieres à longè aspicientes, inter quas erant*
Marc. 15. *Maria Magdalene, & Maria Iacobi minoris, & Ioseph mater*; quod idem asserit Matthæus. Vnde patet non posse stare, id quod Hyppolitus suprà citatus
Mat. 27. asserit, scilicet, matrem Iacobi fuisse Salomẽ: constat enim Salomen fuisse matrem filiorum Zebedæi; deinde quomodo ea, quæ fuerat vxor Iosephi, superstes esse poterat tempore Passionis? Illud insuper aduertunt, quòd Maria mater Iacobi interdum dicitur Cleophæ, siue à patre, siue à gentilitate familiæ, siue alia ex causa, vt Hieronymus contra Heluidium ait, qui subdit: Si autem inde tibi alia, atque alia videtur, quòd alias dicatur Maria Iacobi minoris mater, & hìc Maria Cleophæ; disce Scripturæ consuetudinem esse, eundem hominem diuersis nominibus nuncupare. Theophylactus verò in cap. 27. Matth. ait prædictam Mariam propterea Cleophæ fuisse nuncupatam, quòd fuerit filia Cleophæ, eademque vxor Alphæi, non quidem illius, qui pater fuit Matthæi Apostoli.

Qualis

Qualis fuerit noster Author.

QVÆSTIO VI.

NON defuerunt qui negauerint nostrum Authorem fuisse Apostolum, inter quos est Caietanus hîc: sed apertissimè constat eum fuisse Apostolum; etenim Matthæus sic ait; *Duodecim autem Apostolorum nomina sunt hæc, primus Simon, qui dicitur Petrus, Iacobus Zebedæi, & Ioannes frater eius, &* *Matt.10.* *deinde Iacobus Alphæi*, & Paulus ad Galat. 5. *Alium Apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domini.* *Galat.5.* Denique in Actis Apostolorum dicitur ob *Act. 8.* persecutionem Ecclesiæ omnes fuisse dispersos, præter Apostolos: sed Iacobus remansit Hierosolymis, indéque potiùs dispersos per literas consolatur: ergo fuit verè Apostolus, & vt talis mansit in ciuitate. Neque verò audiendi sunt, qui dicunt tertium adhuc fuisse alium Iacobum, eundémque esse Authorem huius Epist. cōtra quos videndus est Eusebius lib. 2. Hist. cap. 1. & D. Hieron. citato libro contra Heluidium, vbi ait; Nulli dubium est duos fuisse Apostolos Iacobi vocabulo nuncupatos, quorum alter hic est. Videndus item Baron. tomo primo, anno Domini 44. Et certè hunc nostrum Iacobum vocat Apostolū Anacletus epist. 1. Alexander I. epist. 2. Vrbanus I. epist. ad omnes Episcopos. Innocent. I. ad Decentium cap. 8. Hieremias Constantinop. respons. 1. cap. 1. Hilar. 4. de Trinitat. Ambros. mansione 18. & in Thalmud Babylonico Discipulus Iesu dicitur.

HIC igitur Apostolus, si verum est quod scripsit Ægesippus, teste D. Hieronymo de Scriptoribus Ecclesiasticis, & D. Antonino titul. 31. cap. 8. & Epiphan. hæresi 29. in matris vtero sanctificatus est, & fortè à iustificatione illi collata, & per totam vitam conseruata dictus est Iustus. Et D. Cyril. Alex. lib. 2. in Ioan. eum appellat Spiritu sancto plenum. Nec mirum proinde, quòd iustus vsque adeò vir perpetuus de iustitia, & operibus concionator existat. De eo verò sic habet D. Chrysost. homil. 5. in cap. 5. Matth. Tam fuit Iacobus mirabilis, vt genua eius boũ duru iſſe callo dicantur, tantámque in eo fuisse carnis incuriam ferant, vt adhuc viuentis omnia fere mēbra morerentur, atque assiduitate orationis, iugíque ad pauimentum prostratione corporis frontem quoque eius callo similiter obductam, vt nihil fere à cameli genibus discreparet. Quibus habet similia Epiphanius lib. 3. tom. 2. vbi inter alia; Laneum, inquit, vestimentum nunquam induit: hunc nomine non amplius appellabant, sed Iustus erat ipsi nomen, animatis nō participabat, calceamenta non induit: & multa de viro dicere possem, & de virtuosa ipsius conuersatione. Ferrum in eius caput non ascendit, non se in balneo lauit, imam tunicam non mutauit, expers coniugij, & fidus custos perpetuæ virginitatis fuit. Putátque idem Epiphan. Iacobum fuisse illum, qui relicta sindone nudus passionis tempore aufugit; hoc idcirco opinatus, quòd eum lineam sindonē semper inducre solitum Ægesippus,

Clemens, & Euseb. affirment. Tradit prætetea nudis pedibus incedere solitum; & D. Hieron. in cap. 1. Epist. ad Galat. ad finem de eo sic ait: Vir tantæ sanctitatis, & rumoris in populo, vt fimbriam vestimenti eius certatim cuperent attingere. Videndus denique de Authore nostro Euseb. lib. 2. Histor. cap. 23. Chrysost. hom. 2. in Matth. Antiochus Monachus 2. tomo Bibliot. Patrum homil. 72. & D. Hieron. in catalogo Scriptorum Ecclesiast. vbi plura ex Ægesippo referens, addit, quòd Saluator mūdi statim post suam Resurrectionem iuit ad Iacobum, & apparuit ei; iurauerat enim Iacobus se non comesturum panem ab illa hora, qua biberat calicem Domini, donec videret eum resurgentem à mortuis. Et paulo post. Afferte, ait Dominus, mensam & panem; tulit panem, & benedixit, ac fregit, & dedit Iacobo Iusto, & dixit ei: Frater mi, comede panem tuum, quia surrexit Filius hominis à dormientibus. Ægesippum insuper apud Eusebium lib. 2. Hist. cap. 2. audiamus: In templum solus intrare solitus est, atque ibi genibus humi positis, pro populi peccatis veniam postulare, qui propter singularem iustitiæ præstantiam Iusti, & Obliæ (quod Latinè populi præsidium dici potest, & iustitia) nomen, sicut Prophetæ de eo memorant, inuenit.

FVIT autem Iacobus primus qui Missam post Christi Domini Ascensionem celebrauit, cùm adhuc omnes Apostoli Hierosolymis congregati essent. Licèt enim D. Petrus omnium Apostolorum caput, Vicarius Christi, & summus Ecclesiæ Pontifex esset, cessit tamen Iacobo in huiusmodi celebratione, eo quòd Episcopus illius esset ciuitatis; & de manu eiusdem, vt piè creditur, acceperunt tunc temporis primò sanctissimam Eucharistiam omnes Apostoli, insimúlque beatissima Virgo Mater. Fundamentum præbuit Ekius tom. 3. de Sanctis, vbi sic ait: Hunc honorem reliqui Apostoli detulerunt sancto Iacobo, vt permiserint primitias (hoc est, primā Missā) illum suas celebrare Hierosolymis; quod de inde fecit Petrus in Antiochia, & Marcus in Alexādria. Vnde noster Iacobus propriam Missam cōposuit, quā posteris reliquit, & cuius meminit VI. Synodus generalis can. 32. vbi sic habet: Iacobus frater Domini secundū carnē, cui primùm credita est Hierosolymitana Ecclesia, & Basilius Cæsariensis Episcopus, quorum claritas per Orbem effulsit, in scripturis dederunt no- Missæ celebrationem.

ORDINATVS est autem Episcopus eodem anno, quo Redemptor noster Dominus Iesus Christus consummato Redemptionis humanæ mysterio, cœlos ascēdit. Si quis (inquit D. Chrys. hom. 87. in Ioannē) à me percontaretur, quomodo Iacobus sedē Hierosolymitanā accepit; respōderem ego, hunc totius Orbis magistrum prępofuisse Petrū. Porrò ipsū ordinationis mysterium, quod cōsecrationē vsitatiori vocabulo dicere cōsueuimus, ab eodē Petro, Ioanne, ac Iacobo fratribus esse cōsummatū, epistola, quæ dicitur Anacleti docet; & habetur tomo primo Cōcil. testatúrq; inde traditā fuisse à Petro formā, vt nō minùs quàm à tribus Episcopis electus Antistes consecraretur. Cōtigit autē hæc Iacobi ordinatio die 27. mens. Decēb.

CON

CONSTITVTVS itaque Hierosolymitanus Episcopus, non legitur in externas profectus esse Prouincias; sed ne Iudæi, quorum causâ munus illud susceperat, omnino derelicti haberentur, loco constitit, nec sicut cæteri ad gentes in diuersas Orbis partes abire permissus est, idque iure optimo, quandoquidem fratris Domini nomen sortitus est. Iam verò secundùm illam legem Deuteronomij. *Quando fratres habitauerint simul, & vnus ex eis absque liberis fuerit mortuus, vxor defuncti non nubet alteri; sed accipiet eam frater eius, & suscitabit semen fratris sui*; desponsauerat sibi Dominus Iesus Synagogam, cuius caput Hierosolymis erat, & ob hanc sponsam, quam vnicè diligebat, & ad quam quærendam, & amplectendam confessus est se ad terras venisse, iuxta promissiones Patrum, & speciale fœdus initum cum genere Abrahæ, reliquit Patrem in cœlis, insuper & Matrem in terris, quæ ideo in ipsius Natiuitate eum reclinasse in præsepio, & non potiùs in brachiis amplexata dicitur; imò & eleuatus in Cruce, se à Patre derelictum conqueritur, & Matrem velut alienam, & extraneam alloquitur, aliúmque substituit filium, vt sic propter sponsam Synagogam, & Patrem, & Matrem se dereliquisse testaretur, illique soli adhæsisse, vt verè per totam adhæsit vitam, vnde nec Discipulos Synagogæ terminos egredi permisit, vt vidimus q. 4.

D.ut. 25. *Mat. 15.* *Rom. 15.* *Genes. 17.* *Luc. 2.* *Ioan. 19.* *Mat. 10.*

Satis superque seminauerat verbum in Synagoga Christus Dominus, docuerat quotidie in templo, confirmauerat signis & prodigiis, quæ si alibi facta fuissent, facilè conuerterentur ij, qui ea cernerent, & quo citiùs, & vberiùs iactum semen surgeret; sicut aqua effusus est Dominus, & dispersa sunt omnia ipsius ossa; vbi diuus Augustinus: Purgatæ, inquit, sunt mentes, rigati sunt fructus, vt multiplicati pullularent. Et Bernardus Serm. de quadrupl. debito: Illius sanguis, non guttas, sed vndas à quinque partibus corporis emittebat in terras; nec sic tamen Iudæi conuertebantur, nec filij ex ea sponsa prodibant, nec proles aderat tali patri, nec natos tali sponso impia progenuerat Synagoga, imò spinas pro floribus, acetum pro vino propinauerat. Emortuo ergo Christo Domino Synagogæ sponso, & veluti absque liberis discedente, fratri Domini incumbebat semen defuncti fratris suscitare, & Hierosolymitanæ Ecclesiæ desponsari, capútque & Pontifex constitui, vt filij, ac fideles nascerentur, fouerentur, & alerentur in fide, moribus, ac Religione instituerentur; quod eleganter sanè attigit diuus Bernardus 2. de Considerat. cùm ait: Iacobus, qui videbatur columna Ecclesiæ, vna contentus est Hierosolyma, Petro vniuersitatem cedens; pulchrè verò ibi positus est suscitare semen defuncti fratris, vbi occisus est ille; nam dictus est frater Domini. Hæc igitur fuit ratio, cur cùm cæteri Apostoli per totum Orbem ad fines vsque illius vagarentur, & veluti nubes volarent, quò rorem doctrinæ omnibus vsquequaque gentibus infunderent, solus Iacobus Hierosolymis mansit, soli huic ciuitati veluti defuncti fratris Christi Domini sponsæ adhæsit, vt semen illius iactum iamdiu suscitaret, filiósque progigneret Christo, fideles scil. qua de re videndus Eusebius lib. 2. Histor. cap. 2.

Luc. 10. *Psal. 21.*

NEQVE verò derogat præcellenti Iacobi sanctitati, quòd ipse minor Iacobus dictus fuerit, id namque factum est causa differentiæ à Iacobo Zebedæi,qui maior est appellatus, vel ob ætatem, vel ob staturam; non quasi noster Iacobus minor in sanctitate, ac dignitate dicatur, imò Andreas Cæsareensis in Apocal. cap. 36. magnum Iacobum vocare ausus est. Quod idem habet D. Maximus lib. 3. de Virtutibus, & Vitiis cap. 92. vbi ait: Magnus Iacobus qui dicitur frater Domini. Et Richar. de Sancto Victore in annotationib. ad Psal. 8. appellat Iacobum vnum ex magnis ducibus Christi. Ostendit insuper eum non fuisse minorem, insigne illud, & ornamentum, quod in capite gestabat, lamina scilicet, siue bractea aurea, cuius meminit Epiphan. hæres. 29. & Hieron. de Scriptorib. Ecclesiast. cæterique ferme omnes Ecclesiastici Scriptores. Rationem affert Epiphan. loco citato, in signum scilicet Regalis Sacerdotij, quod Christus Dominus transtulit ad Ecclesiam, cuius Sacerdotij primus, non minor extitit minister actualis. Quì igitur fieri potuit, vt qui tanta excelluit sanctitatē, à qua & nomen Iusti sortitus est, & consanguineus, similisque & facie, & vita Christo, & magnæ ciuitatis, Deóque charissimæ gentis Pastor fuit, minor ob inferiorem vitam, ac gloriam dicatur? Facit etiam quod Ægesippus, Epiphanius, & alij asserunt, Iacobo scilicet tantummodo concessum, vt ingrederetur Sancta Sanctorum, quod summo, ac magno Sacerdoti, idque semel tantummodo in anno licebat; neque enim credendum est, inferiori, ac de media plebe, & vulgari opinione homini fuisse concessum.

TANTA itaque, támque conspicua sanctitate eum effulsisse tradunt, vt quamuis Iudæorum Magistratus in cæteros sæuirent Apostolos, ipsi tamen nullum negotium facesserent, sed honore potiùs prosequerentur; quod non Ægesippus tantummodo Apostolorum temporibus proximus, sed Iosephus Iudæus lib. 10. Antiquitatum testatur, dum ait, tanta eum apud vniuersum populum æstimatione claruisse, vt propter illatam ipsi necem existimauerint Hierosolymam excissam, & Iudaicum populum acerbissima clade afflictatum fuisse.

QVANTA verò eius inter reliquos Apostolos fuerit authoritas, inde facile licet colligere, quòd Diuus Bernardus dixit 2. de Considerat. ipsum scilicet, Petro Apostolo cessisse vniuersitatem. Porrò cedente Domini fratre, ait Bernardus, quis se alter ingerat Petri prærogatiuæ? quasi nullus inter Christi Domini Discipulos Iacobo posset coæquari, aut Petro. Facit etiam id, quod notauit Simeon Metaphrast. in Vita nostri Apost. cùm ponderat id, quod Paulus dixit Galat. 5. *Alium Apostolorum vidi neminem nisi Iacobum fratrem Domini.* Vtpote inquit, quòd res esset magna, & digna quæ mandaretur memoriæ, videre Iacobum. Vnde etiam Iudas Apostolus initio suæ Epist. vbi scriptores gloriæ & honoris titulos solent quasi in vestibulo domus præponere, vt mox dicemus, se Iesu Christi seruum, fratrem autem Iacobi appellat, quasi nihil post seruum Dei sequatur, nisi fraternitas Iacobi; quæ verò dignitas sit seruitutis Dei, cum nostro Iacobo

iam


iam dicemus. Insuper & Tertullianus libro contra Gnosticos sub finem, Iacobum cum Petro, Paulo, & dilecto Ioanne confert, dicens neminem magis nosse medullas Scripturarum, quàm Paulum, Ioannem Theologum, & Iacobum. Quibus habet similia Hieronym. tom. 2. epist. ad Paulin. dicens: Iacobus, Petrus, Ioannes, Iudas Apostoli septē Epistolas ediderunt tam mysticas, quàm succinctas, & breues pariter, & longas, breues in verbis, longas in sententiis, vt rarus sit, qui in earum lectione non cæcutiat. Tandémque eius auctoritas inde probatur, quòd Euseb. lib. 7. Histor. c. 15. dicit vsque ad sua tempora Hierosolymis cum veneratione seruatam fuisse ligneam Cathedram, ex qua Iacobus conciones habere solitus erat ipséque Iacobus creditur conuertisse primò ad fidem Philetum, & Hermogenem, qui postea à fide exciderunt.

Si quis verò adhuc quæreret cur cùm tantus inter Apostolos fuerit noster Iacobus, ei tamē Christus Dominus Matrem Virginem non commendauerit? respondet Chrysologus Ser. 49. Matris, inquit, non potuit habere curam, qui inter primordia, & in illo Iudaico tunc furore Hierosolymitanam singulariter rexit Ecclesiam.

Iacobi mortem sic refert Epiphan. loco citato. Moritur Iacobus frater Domini in Hierosolymis, vbi vixit post Saluatoris assumptionem annis plus minùs 24. anno suæ ætatis 96. à fullone ligneo percussus in caput, deiectus à pinnaculo templi, & delatus, at nihil læsus; inclinauit autem genua, & orauit pro ipsis, qui eum deiecerant, ac dixit, *Ignosce ipsis Domine, non enim sciunt quid faciunt.*

Qvod verò ad eius sepulchrum spectat, videndus Euseb. lib. 2. Hist. cap. 2. vbi ita ait: Vitam beato & felici martyrij cruciatu affectus, afflictúsque amisit, in quo loco prope templum, vbi columella eius nomine inscripta adhuc manet, corpus tumulo mandatum est. Et D. Hieron. de Scriptoribus Ecclesiasticis. Eius sepultura, inquit, titulum vsque ad obsidionem Titi, & vltimam Adriani notissimum habuit. Quidam è nostris in monte Olíueti eum putarunt conditum, sed falsa eorum opinio est.

* * *




COMMENTARII IN EPISTOLAM B. IACOBI APOSTOLI.

CAPVT PRIMVM.

Vers. 1. *Iacobus Dei, & Domini nostri Iesus Christi seruus.*

EXPOSITIO LITERALIS.



ST vocabulum, *seruus*, tam apud Græcos, quàm apud Latinos æquiuocum ad mancipium, & ministrum: quo autem modo hoc loco sumatur constare nequit. Potest proinde duplex esse sensus, vt dicat se seruum emptitium Christi, iuxta illud: *Empti estis pretio, nolite fieri fieri sicut serui hominum.* Secundus sensus erit, quòd tanquam fidelis Christi minister, eius doctrinæ, & mandatis exequendis inseruiat, non suum negotium agat, quod ipse præmittit, vt doctrina, quam apponit, libentiori animo ab auditoribus, & discipulis suscipiatur, animoque altiùs fixa remaneat. 1. Cor. 7.

APPELLAT autem se Dei, ac Domini nostri Iesu Christi seruum, quæ verba dupliciter possunt intelligi, transitiuè scilicet, & intransitiuè; possunt enim referri ad eandem personam, vt sit sensus: Iacobus seruus Iesu Christi, qui est Deus, & Dominus noster: sic enim de eo dixit Ioannes Euangelista. *Hic est verus Deus,* non contentus quòd eum dixerit Deum, nisi verũ Deũ addidisset, sicut notauit August. 1. de Trinit. c. 6. eundéque professus est Filium Dei viui Petrus. Sic expositus præsens locus est non solùm

1. Can. c. vltim.
Matt. 18.

ſolùm contra Arrium, Deitatem Chriſti negantem, ſed contra Ebionitas, Cerinthianos, Carpocratianos, & alios hæreſiarchas, qui eo tempore iam ſurrexerant, vt colligitur ex Irenæo lib. 3. & ex Tertulliano lib. Præſcriptionum, qui cum Iudæis Chriſtum hominem tantùm, & duntaxat filium Ioſeph, non autem Deum, ac Dominum dicebant: & prædictus huius loci ſenſus ab antiquis receptus eſt contra dictos hæreticos, vt aduertit Feüardentius hic.

Oecvmenivs verò, Lyran. D. Thom. Hugo, Titelman. & Carthuſian. disiunctim hæc verba explicant, quaſi in illis duarum diuinarum perſonarum ſeruum ſe Iacobus profiteatur: quæ expoſitio diuinam Chriſti majeſtatem comprobat; quandoquidem ex æquo Dei Patris, & Filij ſe ſeruũ gloriatur Apoſtolus, & vtrumque Deum, ac Dominum profitetur, & æqualem Patri in honore Filium oſtendit: & in hoc ſenſu explicatus locus refellit errorem Noët. Sabellij, & Priſcilliani, qui Patrem cum Filio in vnam confundunt perſonam: at verò Iacobus dum ſe vtriuſque ſeruum dicit, duas perſonas apertè oſtendit.

Addit verò D. Thom. in his duabus Spiritum ſanctum intelligi, tanquam vtriuſque vinculum, nexum, & amorem ab vtroque ſpiratum. Initium autem ſuæ Epiſtolæ (quæ potiùs libri nomẽ quàm Epiſtolæ meretur, vt hic notauit Caietan.) dedit Iacobus in nomine Ieſu Chriſti, vt ſicut hoc nomen à tota Beatiſſima Trinitate in principio libri vitæ æternaliter fuit ſcriptum, ſicut dixit Bernar. Ser. 49. in Cant. ita ab eodem auſpicaretur hoc opus; opere inſuper nos docens id quod Paulus ſcripto, dum dixit: *Omne* Coloſ. 3.
quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, gratias agentes Deo & Patri per ipſum.

§. I.

Humilitas Iacobi, & Sanctorum oſtenditur.

Initio huius Epiſtolæ ſolent inquirere præcipui interpretes rationem, qua ductus noſter Apoſtolus prætermiſit honoris, dignitatíſque titulos, cùm ſuppeterent plurimi, vtpote qui Apoſtolus, Eccleſiæ columna, Galat. 2.
frater Domini, Iuſtus, Hieroſolymitanus Epiſcopus ab omnibus acclama- Galat. 1.
batur, ſéque ſolùm Ieſu Chriſti ſeruum cognominauerit: dicúntque id humilitatis causâ feciſſe, ac vt Scribarum, & Phariſæorum faſtum deprimeret, quandoquidem Iudæis ſcribebat, qui ſplendidos honoris titulos, ſi- Luc. 14.
cut & primos accubitus admodùm ambiebant; nihil verò pulchrius præ foribus ſuæ Epiſtolæ potuit diuus Iacobus nobis proponere tanta modeſtia, & humilitate. Etenim, teſte Tertulliano, modeſtia claram, & ſtabilem comparat autoritatem. Et iterum: Si ineſt in oratione mixta modeſtiæ grauitas, nihil admirabilius fieri poteſt: arrogantes, ſuperbos, inſolentes nemo libenter audit, nemo æquo animo illis obtemperat. Et diuus Hieron. epiſt. ad Celan. tom. 1. Nihil eſt, quod nos ita & hominibus

minibus charos, & Deo faciat gratos, quàm si vitæ merito magni, humilitate infimi simus: quod apposite etiam notauit D. Bernar. in Publicano, qui oculos ad cælum leuare non audebat; Regnum cœlorum, inquit, Serm. de quatuor mod. orandi, vim patitur, vim faciebat Publicanus ille, qui dum non audetet oculos ad cælum leuare, ipsum cælum ad se potuit inclinare. & 2. de considerat. Nulla splendidior gemma in omni præcipuè ornatu summi Pontificis, quo enim celsior cæteris, eo humilitate apparet illustrior, & se ipso.

Luc. 18.

E A verò commendabilis est humilitas, quæ, sicut dixit Chrysost. hom. 22. in 4. Genes. quando occasiones habet vt extollatur, & se ipsam humiliat, & supprimit; quid enim laudis, si vilis homuncio humilis sit? Vnde August. Serm. 213. de tempore: In summo honore summa tibi sit humilitas, honoris enim laus est humilitatis virtus; superbire verò, & fastuosum esse, opus est eius, qui pusillo animo est, vt notauit Theophylact. Ioan. 13. ideoque Dauid dum Michol ipsi exprobrauit, veluti indecorè ante arcam Dei saltanti, Regia humilitate respondit: *Ero humilis in oculis meis, & cum ancillis, de quibus locuta es, gloriosior apparebo.* Quod exposuit Brixian. Non ob id ab ancillis, & vxoribus seruorum meorum contemnar, sicut à te vili pensus sum, sed magis ab illis laudabor: quis enim non mirabitur, nec laudabit honoratam humilitatem, cùm honoris, & dignitatis laus sit humilitas? Etenim, sicut dixit Bern. homil. 4. super *missus est*; non est magnū esse humilem in abiectione, rara est virtus humilitas honorata. Vnde & Deus eam humilitatem sic exaltauit, vt solus Dauid inter tot Reges in Genealogia Christi Regio nomine decoretur, cùm Matthæus ait, *Iesse genuit Dauid Regem; Dauid autem Rex*, &c. quod in nullo alio Rege dixit, quasi is solummodo Regiam dignitatem, sceptrum, ac coronam inter alios mereatur retinere, qui inter Regia insignia talem, ac tantam corā Domino nouit exhibere humilitatem, & abiectionem. Vnde Chrysolog. Serm. 23. ad ea verba, quæ Christus Dominus dixit: *Nolite timere pusillus grex, quia cōplacuit Patri vestro dare vobis Regnum*: acquisiuit, inquit, humilitas, superbia quod amisit.

Reg. 2. c. 6.

Matth. 1.

H I N C est quod cùm Deus voluit Moysen de successore eligendo ad introductionem promissæ terræ, cuius ingressum ipsi prohibuerat, admonere, dixit: *Tolle Iosue filium Num*, &c. *Dabis ei præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ*, seu, *de decore tuo*, vt vertit Vatabl. hoc est, transferes in eum gloriam tuam, ornando, & commendando eum verbis, ostendésque eum diuinitùs constitutum, vt tibi succedat, eíque in omnibus obtemperetur. In Hebræo verò, pro eo, quod nos legimus, *partem gloriæ tuæ*, habetur, *dabis ei partem humilitatis tuæ*, vt significetur totam gloriam, honorem, & verum ornamentum Sanctorum esse humilitatem, & in iustis pro vno, & eodem reputari gloriam, & humilitatem, hac vna re superbis, si laudes & titulos gloriarum contemnant, sicut loquitur D. Bernard. Serm. 16. in Cant. qui etiam 2. de considerat. sic alloquitur Eugenium Papam. Quidni erubescas minimus inueniri in magnis, qui te recordaris magnum in minimis extitisse? hæc te cōsideratio facit honoris contemptorē, in honore etiā ipso, atq id magnum.

Num. 27.

SIMI

SIMILIA habet Eusebius Emissenus homil. de Sancto Maximo, vbi ait: Qui iam dudum in Abbate Pontificem gesserat, postmodùm Abbatem in Pontifice custodiuit; fugax voluptatis, appetitor laboris, honoris impatiens; pauper in pecunia, diues in conscientia, humilis ad merita, superbus ad vitia.

HANC etiam Sanctorum humilitatem in honoribus ostendit optimus locus in lib. Num. vbi cùm septuaginta viros à Moyse delectos sancto suo Spiritu Deus replere vellet, ad Moysen ex illis duo de septuaginta tantùm conuenerunt, & hos egregio illo dono Spiritus Deus repleuit. *Remanserant autem*, ait sacer textus, *in castris duo viri, quorum vnus vocabatur Eldad, & alter Medad, super quos requieuit Spiritus: nam & ipsi descripti fuerant, & non exierant ad tabernaculum. Cumque prophetarent in castris, cucurrit puer, & annuntiauit Moysi, dicens. Eldad, & Medad prophetant in castris.* Statim Iosue filius Nun, minister Moysi, & electus ex pluribus, ait: Domine mi Moyses prohibe eos. At ille: Quid, inquit, æmularis pro me? quis det, vt omnis populus prophetet, & det eis Dominus Spiritum suum? Ecce tibi ostendimus locum, qui totus humilitatem in summis honoribus redolet; paucis accipe, quæ multa postulant. Primò namque sese offerunt Eldad, & Medad, qui ex quadam animi modestia non venêre vocati, quòd honorem horruerint, quòd se tanto impares oneri, & honori existimauerint, quòd sese alios digniores omnino putauerint, non quòd Moysis imperium, authoritatem, iudicium, promissúmue aspernarentur. Etenim D. Hier. mansione 13. ait: Non imperij negligentes, sed humilitate submissi, dum se honore arbitrantur indignos; & Cyrill. Hierosol. Catech. 16. idem videtur sentire. Deinde etiam notanda occurrit Moysis humilitas, qui nihil prorsus dolet, si existentibus aliis Prophetis, desineret ipse aliis antecellere, & præstare; cùm bonum si in vno tantùm sit, eum admirabilem, & præ omnibus magnum, ac excellentem faciat: si verò in pluribus esse incipiat, vilescere incipit; & quasi è vulgo vnus tantùm aliquis videri, namque rara, pretiosiora. Hanc igitur honoris, & præstantiæ imminutionem nihili faciens humillimus Moyses, ait: *quid æmularis pro me? quis det vt omnis populus prophetet?* quem postea imitatus Paulus ait. *Quid enim? dum omni modo, siue per occasionem, siue per veritatem Christus annuntietur: & in hoc gaudeo, sed & gaudebo.* Si verò causam cur Iosue voluerit prohibere Eldad, & Medad à prophetia, velimus indagare, reperiemus apud Abulensem ibi eam primò assignari, quòd scilicet prædicerent illi Moysis mortem, futurámque Iosue dignitatem, & principatum; quod Hierosolym. Thargum etiam tradere videtur: sic enim habet apud Eliam ex Genebrardi versione fol. 560. Remanseruntque duo viri in castris, quorum vnus vocabatur Eldad, alter autem Medad, & insederat super eos Spiritus sanctus. Eldad sic vaticinabatur: En Moyses Propheta, Scriba Israëlitarum congregatus est de medio mundi, & Iosue filius Nun eius discipulus post eum administrabit res exercitus. Miram igitur Iosue modestiam, qui de sua ipsius gloria, & amplificatione sic dolet, quis non miretur? vel quis satis vnquam mirabitur? quanti enim

Num. 11.

Philip. 1.

enim eiusmodi spem, vel oraculũ æstimasset, imò & redemisset alius, quod ille audire renuit, & silentio prohibet? Viden' igitur qui superbire indignitate potuit, qui nec illius prænuntiationem audire præ humilitate potuit, nec marcescere, obscurariue Moysis gloriam passus est, etiam cùm ipse inde efflorescere propriam cerneret? Dignissimus hac in re, qui Moysis gloriæ substitueretur.

MERITO ergo D. Iacobus lectorum animos conciliaturus, imò dignitatem maximam ostẽsurus, dignitatum titulos subticuit, dignus proinde, qui ab omnibus, & humiliter legatur, & in humilitate imitetur. Vbi cum Guarrico Serm. 1. de purificat. sic libet dicere: Vtinam fratres mei nos illam haberemus humilitatem in peccatis nostris, quam veri Sancti habuerunt in virtutibus suis. Dignitates omittit Apostolus, virtutes tacet, se solùm seruum gloriatur Christi, cùm plerique sola vitia ostentent, peccata in aream edant, iniustitias in forum adducant, sanguinem ponant in baltheis, seruíque diaboli velint videri, & agnosci.

HAC insuper humilitate Iudæorum superbiam retundit, & elationem reprehendit, quorum tumentes animi Christi Domini submissionem abhorrentes, ipsum proinde reiecerunt, quia non maiestatem exhibuit, sed formam serui accipiens, humilem paupertatem sectatus est, ait siquidem Tertull. 3. contra Marcion. Iudæi negant venisse Christum suum, quia non in sublimitate venerit; & Chrysost. hom. 2. in Act. Apost. Messiam quærebant, qui ditare, non qui sanare posset, imò quia mitis, & humilis ad erigendos deiectos homines venit, Iudæi in ipsum veluti humi iacentem,
Psal. 117. imò humilem lapidem offenderunt, sicut loquitur Aug. tract. 4. in Ioan. attamen lapis hic offensionis ab eis reprobatus, factus est in caput anguli, & super ipsos cadens, eosdem contriuit, & comminuit, vt non nisi dilacerati, ac discissi in toto terrarum orbe valeant consistere. Propter hoc, inquit Bernar. epist. 322. viui quidam apices nobis sunt in vniuersas regiones, & dum iustas tanti facinoris pœnas habent, testes sunt nostræ Re-
Psal. 58. demptionis, vnde Ecclesia ait, *Disperge illos in virtute tua, & depone eos protector meus Domine.* Ita factum est, dispersi sunt, depositi sunt, deposuit enim superbos Iudæos humilis Dominus, & omnipotens Deus; confundit verò eorum elationem ambitiosam, & fugiendam humilis Discipulus, dum se solùm seruum Christi appellat, humili cognomine contentus, cætera quæ honorem possent redolere, omittens.

§. II.

Ostenditur summa dignitas seruorum Dei.

NISI fortassis ea potiùs placeat ratio, quam assignat Didymus Alexand. præceptor D. Hier. in breuissimis huius epistolæ Commentariis, tom. 6. Bibliot. Patrum, vbi ait, ob id Sanctum Iacobum serui titulum

suæ

ſuæ epiſtolæ præfixiſſe,quoniã ſicut homines mortalē gloriã appetentes in ſuis cōſcriptionibus dignitates,quas habere putant, præponunt:ita Sancti viri in epiſtolis potiſſimùm ſe ſeruos eſſe Domini noſtri Ieſu Chriſti proferũt,æſtimãtes hãc appellationē ſupra regna totius mũdi conſiſtere ; quod videtur voluiſſe Dauid in illa iactatione,*ò Dñe ego ſeruus tuus, ergo ſeru' tuus,& filius ancillæ tuæ*,vbi illa reduplicatiua,*ſeruus tuus , ſeruus tuus,* iactantiã quandã denotat,qua probat,quãti faceret huius ſeruitutis dignitatē,in qua humiliter ſuperbire,&in Domino ſeruos Dei gloriari licet.Vnde Phil.lib.de Cherub.Seruire Deo maxima eſt gloriatio,nō modò libertate maior , ſed & diuitiis,& principatu , & omnibus rebus , quas mortales mirantur , pretioſior , vnde nullam aliam ſeruitutem veluti ignominioſam patitur , quia ipſa vera libertas eſt animæ ; quod deducit ſubtiliter idem Philo lib. de confuſione ling.ex ſacris literis, in quibus dictum eſt, *dimitte populum meum, vt mihi ſeruiat*, quaſi dedeceret Dei ſeruos ſub alterius Regis poteſtate degere,quandoquidem eis vera libertas contigerat, & inamiſſibilis dignitas. *Pſal. 115.* *Exod. 7.*

TESTATVS eſt hoc Salomon cùm ait, *Fili accedens ad ſeruitutem Dei ſta in iuſtitia* ; vbi poſſet quis dubitare, cur filius ad ſeruitutem vocaretur , ſi enim ſeruus,quomodo filius?imò ideo filius, quia ſeruus; namque in domo Dei idem penè ſunt & filius , & ſeruus. Vnde Chryſol. Serm. 7. ad illa verba, *Pater noſter, qui es in cælis*, ait:Nemo cùm ſe filium clamat,manere ſe miretur in habitu ſeruitutis; & Serm. 14. Hæc ſeruitus non obligat , ſed abſoluit,non onerat , ſed honorat , abſtergit ſeruitutis maculam , non incurrit , impleta eſt Chriſti ſententia , qua dixit , *qui vult eſſe Dominus, ſit ſeruus.* Beata eſt hæc ſeruitus quæ dominationem generat ſempiternam. *Eccleſ. 2.* *Mat. 20.*

ANNOTAVIT hoc ipſum D. Ambr. epiſt. 6. in Ioſepho vendito à fratribus, & pro pecunia ſeruituti perpetuæ addicto , de quo tamen pulchrè,inquit Ambroſ. dixit Pſalmiſta,*in ſeruum venundatus eſt Ioſeph,* non ſeruus factus,quomodo ſeruus factus,qui totam terram acquiſiuit ? non fecit igitur eum ſeruum venditio. Vbi latè probat Ambroſ. Ioſephum , quia ſeruus Dei erat , nullam aliam ſeruitutem potuiſſe incurrere , quantumcunque hoc niterentur inuidi fratres dum eum vendunt. *Pſa. 104.*

ACCINIT etiam illud,quod idem Ambroſ.pro noſtro inſtituto affert epiſt. 4. dum expendit querimoniam Labani in fuga Iacobi , cùm dixit: *Cur ignorante me fugere voluiſti,nec indicare mihi ? ſi annuntiaſſes , inquit , mihi, emiſiſſem te.* Affert igitur rationem ob quam Iacob clàm,nec petita licentia, è Labani domo euaſit. Se ſubiicere,inquit,non debuit , vt ab eo tanquam ſeruus dimitteretur,etenim ſi à ſocero abeundi facultatem poſtulaſſet,eidem in hoc ſubiectionem,& ſeruitutem profiteretur,cùm tamen hæc à Dei ſeruis procul exulet, vtpote qui filij, liberi , domini , ac Reges ſint; quæ ſi probemus,minimè extra chorum vagabimur.

NOTATV dignum cenſuit Aug. tom. 3. lib. 5. de Geneſi ad lit. c. 11. Deum in ſacra Scriptura tunc ſe Dominum cognominaſſe,cũ hominem in paradiſo cōſtituit,eũque rebus omnibus præfecit. Nullo modo,inquit,vacare arbitror,ſed nos aliquid magnũ,& magnũ aliquid admonere,quòd ab

ipso huius diuini libri exordio, vsque ad hunc locum nunquam positū est, Dominus Deus:nunc verò, vt ad id ventum est, vt hominem in paradiso
Gen. 2. constitueret, ita Scriptura locuta est. *Sumpsit Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradiso.* Id autem magnum quod hac in re latere dixit August. esse existimo, quòd quando Deus hominem constituit in paradiso, ad eum cuncta animantia, & volatilia adduxit, vt videret qui vocaret ea, qua in re illum omnium viuentium principem constituit, & paradiso præfecit. Tunc se igitur Dominum appellari vult, quando iam possit referri ad eum seruum, quem ad dominationem, & præfecturam totius Orbis euexerat, is vtique Dominus declarandus, & pro tali tunc habendus, quando serui ipsius possint domini appellari, quæ fortassis est causa cur in seruis suis Deus glorietur, quia scilicet eos nobiles, liberos, filios, & dominos videt. Vnde Chrysost. hom. 10. in Epist. ad Rom. ait: Non aliter gloriatur, quàm solent, qui summis sunt honoribus affecti, in omnes illud euulgans, hoc in Abraham fecit vbique dicens; Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob; atqui famulos magis oportebat gloriari: verùm illud ipsum Dominum facere videmus, quia scilicet tantam gloriam, & honorem cernit in seruis, quos dominos priùs constituit.


FACIT insuper pro præsenti argumento id quod Christus Dominus post venerandam illam pariter, & admirandam lotionem pedum dixit
Ioan. 13. Discipulis. *Vos vocatis me Magister, & Domine, & bene dicitis, sum etenim.* Optimè equidem tunc temporis constare poterat, ipsum esse Magistrum, quando exemplum, ac doctrinam præbuerat non vulgarem. Non ita notum erat in eo seruili opere, & obsequio, esse Dominum, siquidem Discipulis velut seruus lauerat pedes, ac si illi domini essent: sed si rem attentiùs consideremus, & altiùs velimus tremendum opus rimari, tunc se Christus Dominus apertissimè ostendit Dominum, quando Discipulos suos sedentes vt domi-
Apo. 19. nos lauit, & lauando dominos constituit; est enim ipse *Rex regum, & Dominus dominantium*; ideo tunc Dominus benedicitur, quando vt dominos seruos pertractat. Quæ fuit ratio cur D. Thomas præfatione in epistolas
Psal. 71. Canonicas exposuerit ea verba Psalmi. *Adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes seruient ei*; per distributionem accommodam, vt sit sensus: quotquot seruient ei, erunt Reges, quia ei seruire regnare est, secundùm Gregorium in Glossa ibi ad Rom. 1. *Paulus seruus Iesu Christi.*

AGNOVIT pretium, & honorem huius seruitutis Esau, dum eam pro benedictione postulauit, sicut aduertit D. Ambrosius libro de parad. cap. 14. vbi referens id, quod contigit Esau, quando rediens è venatione, vt benedictionem paternam acciperet, eam à Iacobo sibi præreptam agnouit deprecando, *nunquid non reseruasti, ait, & mihi benedictionem? cui Isaac respondit: Dominum tuum illum constitui*; quasi filio per hoc satisfaciens & benedictionem, quam postulauerat, concedens. Ait ergo Ambrosius: Seruitus Dei, donum est, inter benedictiones numeratur huius seruitutis obsequium; nam Isaac in loco benedictionis eam dedit Esau filio suo, vt seruiret fratri suo. Denique benedictionem ille poscebat, etsi

etsi vnam sibi cognouisset esse præreptam, tamen aliam postulabat. *Nunquid vna benedictio tibi est pater mi?* per hanc igitur seruitutem, qui gratiam benedictionis amiserat, credit se ipso futurum esse meliorem, si typum Christi veneraretur in fratre. Vnde cōstat tanti æstimādam esse Christi seruitutem, vel etiam in typo ac ænigmate, vt inde & amissæ benedictionis dolor temperaretur, & cumulati honoris gradus is, qui denuò acquirebatur, existimaretur. Quamobrem D. Hieron. super Psalm. 133. ait: Putamus parum esse, quod dicitur, *Ego seruus Domini*, summa virtus hoc est mereri, quomodo quasi dignitatem vendicat, qui dicit, ego seruus Imperatoris sum, & nemo audet accedere ad seruum Imperatoris; sic infinita dignitas se dicere seruum Dei.

NON ergo dixerim humilitatis causâ solùm cæteros titulos Iacobum subticuisse, imò eisdem prætermissis, eum qui alios longè excellit, honoris ergo sibi merito apposuisse, imò & ea humilitas eundem satis exaltauit, quod proprium humilitatis est, sicut notauit Ambros. Serm. 20. in Psal. 118. vbi notans illud, *humiliauit semetipsum, propter quod & Deus exaltauit illum*, &c. Laborauit Apostolus demonstrare quanta sit humilitatis gratia, quantus eius profectus: accipe ergo argutis auribus, si putas quòd Christo profuit humilitas sua, cui ergo non proderit? si illum exaltauit, quem non augebit? Si itaque Iacobus humilitatis gratia se seruum Christi appellauit, eundem Iacobum satis nobilitauit, & euexit talis humilitas, sicut ipsa consueuit. Philip. 2.

Vers. 1. *Duodecim Tribubus, quæ sunt in dispersione, salutem.*



EXPOSITIO LITERALIS.

IVDÆORVM gens, quæ à duodecim Iacobi filiis, veluti è fontibus, sicut arena maris, & stellæ cæli, innumerabilis emanauit, varias dispersiones perpessa est, in supplicium ingratitudinis, qua Deum reliquit, & post idola gentium, velut adultera abiit. Etenim regnante Ozia, Salmanasar 4. Reg. 17. Assyriæ Rex decem Tribus transtulit in durissimam captiuitatem, quando & Tobias etiam abductus est, eásque collocauit in Hala, & Habor flu- Tob. 1. uiis Gozan in ciuitatibus Medorum; & de hac captiuitate loquitur Angelus Raphaël apud Tobiam; & istius captiuitatis reditus nunquam in Tob. 12. Scriptura narratur.

SECVNDA captiuitas facta fuit à Nabuchodonosor Rege Babylonis regnante Ioachim super duas Tribus, quando omne pretiosum ablatum est, & Hierusalem nihil relictum, exceptis pauperibus populi: *protulit enim inde omnes thesauros domus Domini, & thesauros domus Regiæ, & concidit vniuersa vasa aurea, transtulit vniuersos principes, & omnes fortes exercitus,*

decem millia in captiuitatem, & omnem artificem; & cætera quæ sacer textus refert 4. Reg. cap. 24.

4. Re. 25. TANDEM dispersæ sunt omnino cum perfido Rege Sedecia; funditúsque euersa ciuitas, & templum flammis absumptum, & hæ tres dispersiones factæ sunt ante Christi aduentum. Misera itaque Iudæa inter Assyrios, & Ægyptios constituta, ab vtrisque conculcabatur, & dissipabatur, vt satius ducerent Iudæi cum feris potiùs, quàm cum efferatis hominibus

Heb. 11. degere in melotis, & pellibus caprinis, in speluncis, & cauernis terræ; qua de re videndus liber 1. Machab. cap. 2. & liber 2. cap. 5. & hæc fuit ratio cur in omnem nationem, quæ sub cœlo est, palantes, effugiúmque quærentes dispergerentur.

NON existimo autem Iacobum sic dispersis Iudæis hanc epistolam conscripsisse, sed potiùs iis, qui in prima Ecclesiæ persecutione dispersi sunt post necem S. Stephani, quæ est sententia Bedæ, ac plurimorum re-

Act. 8. centiorum, de qua dicitur. *Facta est in illa die persecutio magna in Ecclesia, quæ erat Hierosolymis, & omnes dispersi sunt per regiones Iudeæ, & Samariæ.* Mitto aliam dispersionem per Romanos factam, quando tot hominum millia de terra sancta expulerunt, & per totum orbem dissiparunt, de qua prophetauerat Dauid Psalmo 58. *Deus ostendit mihi super inimicos meos*, &c. *disperge illos in virtute tua*: nam hanc dispersionem ob necem Christi Domini illatam videtur Propheta prædicere; fuisse verò tunc temporis maximam Christianorum multitudinem, inde licet colligere, quia præter quingentos adhuc agente in terris Christo, 1. Corinth. 15. octóque millia duabus Petri concionibus aggregata, Actorum 2. Lucas quasi de innumerabili multitudine dixit cap. 5. & 6. magis auctam credentium in Deum multitudinem virorum, ac mulierum creuisse, atque multiplicatum esse numerum Discipulorum in Hierusalem valde, & multam etiam turbam Sacerdotum obediisse fidei; & licet numerum definire sit difficicile, Baronius tomo 1. anno Christi 35. coniicit, quindecim millia fuisse eiecta. Loquens verò Athanasius de hac dispersione homil. de semente; Habes, inquit, in Actis Apostolorum post lapidatum Stephanum Discipulos dispersos, & quasi seminatos, non quòd imbecillitate disiecti, sed fidei gratia ita diuisi essent: sed enim ita dispersi, vt seminatoris frumenta effecti, ad panem supercœlestem, vniuersúmque Orbem peragrantes viuificæ doctrinæ virtutes, efficaciásque disseminarint. Vnde Gregorius Nyssenus Serm. de sancto Stephano; Nisi, inquit, ab Stephani cæde populus Iudæorum in Discipulos sæuisset, forsitan solummodo Hierosolymis Euangelij gratia inclusa esset; nunc verò omnes vtique gentes sermo præcurrens ad fidem adducit.

HIS igitur Christianis ob Christi fidem dispersis scripsit Iacobus, sicut notauit D. Thom. Beda, Titelman. Carthusian. innuit Oecumenius, asserit Baronius, aperte habet Feüardentius, probátque Gagneius. Vnde miror Lorinum Actor. 8. versu 1. dixisse communiorem esse sententiam, quòd Iacobus respexerit aliam dispersionem, seu Assyriaca illa fuerit, seu

ſeu Babylonica, ſeu per varios Aſſyriorum, & Ægyptiorum principes facta. Conſtat enim in primis Chriſtianos eſſe homines, quibus hanc epiſtolam ſcribebat, vnde totus in ea concionator eſt de operibus exequendis, mutus verò de operibus Chriſti, de notitia, ac doctrina fidei: hortatur deinde ad patientiam, & taciturnitatem, ratione ſcilicet præſentis tribulationis: & cùm eo tempore prædicta contigiſſet diſperſio, quænam alia potuit ſubintelligi nomine diſperſionis ſimpliciter prolato, niſi ea quæ tunc in ore omnium circunferebatur, & quam tunc ij, qui ad fidem fuerant conuerſi, patiebantur? His ergo Iacobus præſentem ſcripſit epiſtolam.

Ea verò ratio, quam prædictus Author pro ſe affert, quòd ſcilicet Iacobus ſcripſerit duodecim Tribubus, cùm tamen illæ omnes non eſſent ex Babylonica captiuitate reuerſæ, ſed duæ ſolùm, nempe Tribus Iuda, & Benjamin, proindéque fieri non poſſe, vt ſcripſerit Apoſtolus diſperſis Tribubus poſt necem Stephani, hæc, inquam, obiectio facilem habet ſolutionem: non eam quidem, quam plerique aſſignant, ſcilicet, quando duæ Tribus ſoluta captiuitate Babylonica in patriam reuerſæ ſunt, ſimul cum illis multos ex aliis Tribubus rediiſſe: quæ eſt ſententia Theophylacti in cap. 10. Matth. & Theodoreti in Oſeæ c. 3. ad finem.

Hæc tamen ſolutio nobis non placet, namque conſtat ex D. Hieron. in cap. 2. Malach. ibi *abominatio facta eſt in Iſraël*; & ex 1. lib. Eſdræ c. 2. ex Ioſepho lib. 11. Antiquitat. c. 1. & 4. eos, qui redierunt ex prædicta captiuitate, fuiſſe tantummodo ex duabus Tribubus, alias verò decem manſiſſe trans Euphratem, qua in re nullum omnino dubium videtur eſſe.

Dicendum proinde cenſeo cum Ioſepho lib. 8. Antiquitatum cap. 3. quo tempore regnum Iſraël diuiſum eſt ſub Roboam, ad ipſum Hieroſolymis degentem ex tota Iſraëlitarum multitudine cōfluxiſſe Sacerdotes, Leuitas, & quotquot è reliqua plebe probi erant, ac vero Dei cultu tenebantur, cuius rei cauſa erat in primis Hieroſolymitanum templum, vbi eis licebat adorare, & offerre, quod eo libentiori animo faciebant, quo plus offendebantur Ieroboami tyrānide, & idololatria, dum homines cogebat vitulos aureos adorare, & colere, quò factum eſt, vt Roboami regnum integro triennio talibus acceſſionibus creſceret: quæ omnia deſumpſit Ioſephus ex 2. Paralip. c. 11. vbi dicitur; *Sed & de cunctis Tribubus Iſraël, quicumque dederant cor ſuum, vt quærerent Dominum, venerunt in Hieruſalem, & roborauerunt Iuda regnum.* Initio etiam Regni Ezechiæ nōn pauci ex Iſraël videntur ad duas Tribus acceſſiſſe, vt patet ex 2. Paralip. c. 2.

Omnes ergo, qui ad duas Tribus acceſſerunt ſicut cum eis abducti ſunt, ita pariter & reducti ex Babylone, & nomine Iuda intelliguntur, deſumpto nomine à maiori parte, indéque factum eſt, vt tempore aduentus Chriſti ex omnibus Tribubus Hieroſolymis degerēt homines, qui ibidem conuerſi, grauiter poſtea fuerunt afflicti, & à propriis ſedibus eiecti ab infidelibus Iudæis. Vnde & Actorum 2. dicitur. *Erant in Hieruſalem habitantes Iudæi, viri religioſi ex omni natione, quæ ſub cœlo eſt*; quod de fixis habitatoribus plerique intelligunt. Inſuper, & qui ad ſacrificia

ascendebant, poterant etiam Religionis studio ibidem commorari.

LICET verò sic dispersis & eiectis ex omnibus Tribubus scripserit noster Apostolus, communis tamen est doctrina, & omnibus in vniuersum necessaria, quod aliàs de Paulo notauit Tertullian. lib. 5. contra Marcion. cùm ait: Nihil de titulis interest, cùm ad omnes Paulus scripserit, dum ad quosdam. Quibus habet similia August. lib. 1. contra Cresconium Donatistam cap. 9.

INSVPERQVE si Iacobus dispersis, & peregrinis scribit; omnes qui secundùm Deum viuunt, peregrini in terra appellantur, quod eleganter docet Augustinus Serm. 32. de verbis Domini, & testatur Dauid cùm ait; *Quoniam aduena & peregrinus ego sum, sicùt omnes patres mei.* Proinde nobis omnibus conuenit præsens doctrina, & velut nobis inculcata suscipienda est.

CVM verò Iacobus dispersis, afflictis, ac miseris scribat, neque opes, aut diuitias, libertatémue imprecatur, quam ipsi magnopere viderentur appetere, sed sola bona spiritualia, salutem scilicet, in præsenti gratiæ, & in futuro gloriæ, ait D. Tho. & alij. Neque enim hàc in re audiendus est Caiet. inter Catholicos, nec Erasmus, Lutherus, Osiandérque in annotationibus ad hanc epistolam, nec in Centuriis Magdeburg. Centur. 1. lib. 2. col. 54. & 583. dum putant hanc salutationem esse purè humanam, quia nihil Dei, vel Iesu Christi gratiam, aut pacem sonat, sed prophano more salutat. Namque Act. 15. Apostoli Antiochenos, & Syrios salutantes eisdem verbis vtuntur, & Iudæi ad fratres suos in Ægypto 2. Machabæorum 2. & Angelus ad beatam Virginem Luc. 1. *Aue.* Christus etiam mulieribus Matth. vlt. *auete:* & Cyprianus in principio epistolarum ponit *Salutem.* Deinde quid est Iesus nisi salus? quam precatur sibi Dauid dicens Psalmo 3. *Dic animæ meæ, salus tua ego sum.*

§. I.

A Iudæis fit prima persecutio in Ecclesia, eorúmque innata crudelitas, & contra Christianos sæuiens ostenditur.

ITAQVE prima Ecclesiæ persecutio à Iudæis facta est, vt impræsentiarum videmus: quapropter Tertullianus in Scorpiaco, Synagogas Iudæorum fontes appellat persecutionum nostrarum, & Hieronymus ad illa verba Hieremiæ Threnorum 4. *Filia populi mei crudelis quasi struthio in deserto;* & ad illud Iob. 3. *Induratur ad filios suos, quasi non sint sui;* ait. Indurata est crudelis Synagoga Iudæorum contra Apostolos, & prædicatores Noui Testamenti, qui de ipsa gente nati fuerant, quasi non essent filij sui, odio eos habens, & externos deputans, crudelitérque illos vbique in deserto gentium persequebatur, propter Euangelium Christi. Cùm enim Iudæi natura essent crudeles, causa fuit, cur toties eis esum sanguinis in lege Dominus pro

prohibuerit, sicut notauit Theodoret. q. 2. in Deuteron. cùm ait. Cur tam frequens interdicit Iudæis esum sanguinis? existimo legis scopum esse, nempe vt cruentum eorum sanaret animum: quæ etiam fuit ratio cur illis multa dura permiserit, duris corde, sicut notauit Abulens. q. 23. in cap. 20. Iosue, inter aliáque illud erat, vt consanguinei alicuius viri occisi casu,& sine odio, possent interimere occisorem, antequam ingrederetur aliquam ciuitatem refugij. Vbi Lyran. ait; Licèt interfector à casu esset innocens, & puniretur sine sua culpa, in hoc quòd erat profugus à ciuitate sua, & confugiebat ad aliam, non tamen hoc erat sine causa, quia ex more ipsius gentis inter amicos defuncti poterant seditiones, & homicidia oriri, maximè quia Iudæi crudeles erant, & proni ad effusionem sanguinis, ideo ad hoc malum euitandum manebat homicida exul ad tempus. Cùm ergo Iudæi natura sua essent crudeles,& in causis fidei simulatus legis zelus, & pudorem ipsis abstulerit, & licentiam innatæ sæuitiæ præbuerit, non mirum si tam crudeliter debacchantes Christianos vsquequaque persequebantur. Et vt multa crudelitatis Iudaicæ exempla omittam, vnum referam vnde cætera facile sit coniicere; refert siquidem noster Guagui. lib. 7. Histor. Francorum, quòd cùm Galliarum Rex Philippus Longus viueret, per subornatos à Iudæis leprosos, omnes vbique putei veneno infecti sunt; idémque religiosus & accuratus Authior plura crudelitatis inauditæ refert facinora, quæ longum esset recensere. *Num. 35.*

IDEO D. Hieron. epistola 65. dixit: Si expedit odisse homines,& gentem aliquam detestari, miro odio auersor circumcisos, vsque hodie enim persequuntur Dominum nostrum Iesum Christum in Synagogis Satanæ. Et Origines lib. 6. contra Celsum ait, Iudæos architectos, ac disseminatores fuisse calumniarum Gentilium contra Christianos, vt verbi gratiâ, quando viuente Petro vrbis incendium affictum est Christianis, eóque nomine ferarum tergis contecti, canum laniatui obiecti sunt, vel crucibus affixi, vel flammati, ac in vsum nocturni luminis vsti, teste Tacito lib. 15. Et Eusebius Emissen. homil. de Sancto Steph. ad illa verba; *Vt veniat super vos omnis sanguis iustus*, &c. sic habet: Nemo Christianorum vsquam occisus est, qui eorum vel manibus, vel affectu non sit occisus, vnde & omnium rei esse dicuntur. Et ad illa verba; *à sanguine Abel iusti, vsque ad sanguinem Zachariæ*, ait: His verbis Saluator dicere videtur, quòd hæc impia generatio tantam pœnam pro suo scelere patiatur, quãtam pateretur, si omnium sanguinem fudisset, qui ab Abel fusus est, vsque ad Zachariam. Hæc igitur impia, & crudelis gens contra nascentem gratiæ legem,& Euangelij doctrinam statim sæuire cœpit, & Christianos in totum Orbem dispergere, quorum tum temporis vnum erat cor,& vna anima, quanuis corporaliter dispersi essent, proindéque vnica ad eos mittitur epistola. *Matt. 23.*

§. II.

Crescit & dilatatur Ecclesia Dei persecutionibus.

NON minuitur tamen Ecclesia persecutionibus, sed augetur, sicut dixit Leo Papa Serm. 1. de Petro, & Paulo, semen siquidem est sanguis Christianorum, plures efficimur, quoties metimur à tyrannis, sicut dixit Tertull. in Apolog. cap. vlt. & Bernard. Serm. 1. in Cant. Puto quidem quòd non parua insuper, & in hoc ipso apparebit prærogatiua, si quis diligenti cura aduerteret quantùm vbique per orbem vinea Domini Sabaoth dilatauerit terminos suos à die illa, qua Hierosolymis à filiis matris suæ expugnata est, & exturbata vnà cum prima illa sua plantatione, multitudinem dico credentium: nec enim ita inde euulsa in persecutione fuit, vt non alibi plantaretur, atque aliis locaretur agricolis, sed migrauit, creuit, dilatata est, tanquam cui benedixit Deus, pulsa de ciuitate, ab vniuersitate exciperis; vnde Iustinus Martyr Dialogo cum Tryphone ait. Vineæ putatione ad vbertatem prouocantur, ita Ecclesia persecutiouibus crescit. quibus habet similia Serm. de Iuuencio & Maximo martyribus, & Hilarius 7. de Trinitate: Ecclesiæ proprium est, vt tunc vincat, cùm læditur, tunc obtineat, cùm deseritur; & Leo Papa Serm. 6. de Epiphania, Cruenta impietate, ait, in Dei populum sæuiebant, quasi ad maximam gloriam suam pertinere ducerent, si de terris nomen Christianum auferrent, nescientes Ecclesiam Dei per furorem suæ crudelitatis augeri, quando in suppliciis, & mortibus beatorum martyrum, qui putabantur minui numero, multiplicabantur exemplo, cúmque dæmon sæuiendo, nihil videret proficere contra Ecclesiam, terrores præscriptionum in auaritiæ mutat incendium, & quos Christianos damnis non fregit, cupiditate corrumpit: malignitas enim longo vsu propriæ imbuta nequitiæ, non deposuit odium, sed vertit ingenium, quò sibi mentes fidelium blandiùs vrat, inflammat concupiscentiis, quos non potest vexare tormentis. Dixerat hoc D. Hieron. in vita Malachiæ. Persecutionibus creuit Ecclesia, martyriis coronata est, postquam ad Christianos Principes venit, potentia quidem, & diuitiis maior, sed virtutibus minor facta est. Videndus denique Chrysost. in cap. 6. Act. Apostol. vbi ait. Post tentationes creuit Ecclesia, non ante. Plura hac de re habet Aug. Ser. 48. de Sanctis, & lib. 22. de ciuit. Dei cap. 6. Chrysost. homil. 4. de verbis Isai. *vidi Dominum*, tom. 1. & Serm. de S. Pentecost. tom. 3.

ILLVD verò notandum est, dispersionis Ecclesiæ Christianæ pœnas luere Iudæos in totum terrarum orbem dispersos, & dissipatos, quod breuiter, & eleganter dixit Nazian. ora. 12. Vna vtique illis calamitatis columna, totus terrarum orbis est; quod exposuit Elias Cretensis dicens: Quemadmodum columnæ ex ære, vel lapide excitatæ, aut vituperationes, aut ærumnas aliquorum continentes, prætereuntibus illas spectandas exhibent, sic totus terrarum orbis, per quem Iudæi dispersi sunt, instar columnæ

columnæ, eorum miseram conditionem prædicat. Notauit hoc Origen. hom. 9. in Genes. cùm ponderat id, quod dictum est Abrahæ; *multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & sicut arenam, quæ est in litore maris*; Ego puto, ait Origen. quòd vtrumque exemplum possit vtrique populo aptari (Iudaico scilicet, & Christiano) aptabitur verò si dicamus Christianos stellis comparari, quia à Sole mutuatam lucem accipiunt, & cum cœlis, quibus affixæ sunt regulatissimo motu cientur, Iudæos verò arenæ assimilari, quæ ab vndis, imò & à leui aura agitatur, quod contigit Iudæis per totum orbem dispersis. Qua de re videndus est August. in Psalm. 58. Qualiter verò à Romanis in eos sit animaduersum refert Iosephus lib. 7. de bello Iudaico cap. 17. & 18. Genes. 22.

§. III.

Sola spiritualia vera bona, proindéque ea tantummodo imprecanda, & inquirenda: & de salutationibus Sanctorum.

SOLAM spiritualem salutem dispersis fratribus precatur, cæteráque bona omittit, quæ, sicut dixit Christianus Philosophus Heron apud Nazianz. orat. 23. bonorũ nomen obtinere nõ possunt, quòd dominos suos haudquaquam meliores, imò etiam persæpe deteriores efficerent, nec constanter cum his à quibus possidentur, manerent. Vnde Bernard. Serm. 30. in Cantica, loquens de promissionibus Veteris, ac Noui Testamenti, ait. Graue legis iugum, testibus ipsis Apostolis, qui hoc & sibi, & patribus importabile clamant, graue iugum, & vile præmium: nam terra est in promissione; meritóque propterea de nobis conqueritur D. Chrysost. hom. 8. in epistolam ad Hebræos; Omne studium in iis, quæ ad vitam hanc pertinent, euacuatur, de spiritualibus autem nulla ratio est. Et Cyprian. epist. 2. ad Donatum: O nominum quanta diuersitas! bona appellant, ex quibus nullus illis, nisi ad res malas vsus est. Et Bernard. Serm. de primordiis, &c. Non tam bona, quàm minora mala, plus molestiæ continent, quàm iucunditatis; vt inductione probat Basil. in Psal. 33. ideóque Gregorius 2. Moral. capit. 16. ait: Propterea terrena nobis pro voto non proueniunt, Christus quippe dixit, *petite regnum Dei, & hac omnia adiicientur vobis*, hæc (scilicet temporalia) in adiectionis parte, tanquam adiectitia dicit datum iri; nos autem ordinem peruertimus, & petimus terram, & bona terrena, quasi cœlestia additionis loco nobis dentur; idcirco neque ista, neque illa habemus: euigilemus aliquando, & efficiamur futurorum desideratores, sic etiam ista sequentur, &c. Quibus verbis illorum videtur carpere cæcam cupiditatem, qui inania bona sequuntur, quæ potiùs nos debent sequi, dum ad patriam pergimus. Vnde Clemens Alexand. orat. ad Gentes ait: Ne ergo porcis efficiamur similes, sed vt germani filij lucis intueamur lucẽ, & sursum aspiciamus, ne nos esse adulterinos deprehẽdat Dominus, quemadmodũ Sol aquilas. Et Aug. in Matth. 6.

Psal. 36. Aurum non potest tibi esse argentum, vinum non potest tibi esse panis, lux non potest esse potus, Deus tuus totum tibi erit.

Ex quibus patet, cur Apostolus cæterorum omnium, quæ afflictis maximè conducere videbantur, oblitus, sola spiritualia precatur fidelibus, solam exoptat salutem, insimul docens quid præ oculis debeamus habere, & præ omnibus curare, salutem scilicet; quam exposuit D. Thom. intelligendam esse de gratia in præsenti, & de gloria in futuro, quod etiam videtur dixisse Dauid: etenim vbi nos habemus, *Prosperum iter faciet nobis*
Psal. 67. *Deus salutarium nostrorum*, Regia Biblia habent: *In onus imponet Deus nobis salutem nostrã*, vt scilicet nihil aliud curemus, quàm id quod semper portandum nobis Deus commisit, salutem scilicet nostram, quam velut onus tradidit, ne aut caderet, aut amitteretur; potestque huic oneri rectè adaptari id quod Bernar. dixit Serm. 15. in Psalm. *Qui habitat*: Onerificum animal est homo tempore suæ mortalitatis, fert quippe hoc onus, leue quidem amantibus Deum, eiúsque visionem exoptantibus. Et vt magis nobis inculcatam esse cerneremus curam huius salutis, quam nobis imposuit ferendam, illi etiam propositam vt acquirendam testatur idem Da-
Psal. 97. uid, sic enim exposuit Theodoret. illud Psalm. *Saluabit sibi dextera eius.* Sæpius, inquit, diximus manum, actionem dicere, dexteram verò bonam actionem: dixit autem hominum salutem eius potentiæ esse opus, immensa autem benignitate vtens, suum quæstum hominum vitam ducere, propterea non dixit, *saluabit eos dextera eius*, sed *saluabit sibi*; & Basil. eodem loco Psalm. Mortalium vitam suum dicit esse emolumentum, propterea non dixit, *saluabit eos*, sed, *sibi*, quibus habet similia D. Hieronymus ibi.

Hanc igitur salutem nostram, quam Deus vt proprium quæstum curat, & vt emolumentum sibi acquirit, quam iugiter curandam, & præ oculis habendam nobis imposuit, neque enim putare debemus hoc onus supra dorsum, & post oculos nobis esse impositum, sed in manibus, tanquam pretiosum aliquid portandum, hanc, inquam, solam Apostolus suis exoptat, & ante omnia commendat. Sunt autem Sanctorum virorum salutationes, ac bonæ precationes efficaces iis, qui digni sunt, sicut ait Chrysost. hom. 10. in 1. ad Timoth. cap. 4. Vnde Christus Dominus præcepit Discipulis, vt domos, quas intrassent, salutarent. Et Philo lib. de charit. ait, precationes Moysis (scilicet Deuteron. 33. de iis enim loquitur) ratas fore credendum est, quandoquidem illæ ab amico Dei profusæ sunt. Hoc igitur agnosceus Iacobus, spiritualia bona imprecatur, dum ait, *fidelibus, qui sunt in dispersione salutem.*

§. IV.

Paternus, verúsque amor circa absentes filios, & amicos maximè probatur, & quòd Prælatus omnibus debeat esse cõmunis.

IVRE suo vtitur Iacobus, ait Didymus Alexand. hoc loco, dum circuncisionis Apostolus, his qui ex circuncisione sunt, quantumuis dispersis, &

ſis, & abſentibus ſcribit, eóſque conſolatur ſimul, & hortatur; qua in re & paternum amorem oſtendit, & Paſtoris officio fungitur. Paternum amorem dixi, quia is maximè in abſentia comprobatur: eſt enim abſentia, ſicut dixit Bern. Serm. 51. in Cant. nouerca amoris. Vnde ipſe ait; Cùm propè eſt quod amatur, viget amor, languet cùm abeſt: is verò amor, quem abſentia neque minuit, nec extinguit, paternus vtique comprobatur. Quod dixit Ambroſ. Serm. 28. Quãuis à vobis, inquit, abfuerim corpore, tamen à vobis amore non defui, & quanquam eſſem de veſtra deuotione ſecurus, trepidabam tamen, quia hoc ipſum, quod in vobis noueram, non videbam: hic enim affectus paternæ pietatis eſt, vt de abſentibus liberis non tam certa ſpe gaudeat, quàm ſolicita cogitatione, & ſimul ac eos videre deſierit, amare plus nouerit, ac per hoc intelligimus quòd amor inter præſentes gratus ſit, inter abſentes moleſtus. Videndus etiam Bernardus epiſt. 201. quæ eſt ad Balduinum Abbatem, cùm ait. Sicut mater vnicum amat filium, ita te diligebam hærentem lateri meo, placentem cordi meo, diligam & abſentem, ne ſolatium meum ex te, & non te videar dilexiſſe, eras perneceſſarius mihi, atque hinc vel maximè claret, quàm ſyncerè te diligam: hodie nempe te caruiſſem, ſi quæſiſſem de te quæ mea ſunt.

Hoc ipſum quod proſequimur, oſtendit Nazianz. eleganti ſimilitudine orat. 18. Deſiderabamus, inquit, vos filij, paríque, vt mihi perſuadeo, deſiderij affectu à vobis expetebamur, atque hactenus inter nos diſiuncti, ac diuulſi, vt deſiderium noſtrum vtrinque cognoſcere, atque ita locorum diſtantia, & interuallo, quemadmodum pictores tabulas expectare poſſemus. Tota verò ſimilitudinis vis in eo videtur conſiſtere, quòd ſicut oculi, quod iuſto propiùs admotum eſt, non vident, ſed opus habent moderata quadam interuallari diſtantia, quæ ſunt verba Baſilij homil. 5. in Martyrem Iulitam; ita paternus affectus non inter præſentes, ſed abſentes potiùs debet comprobari, quod etiam Euripides dixit in Hecuba, cùm Græcorum Imperatorem ſic alloquitur:

Pictoris inſtar nonnihil tu diſſitus,
Quænam malorum me premat moles vide.

Ostendit igitur patris amorem erga abſentes filios noſter Iacobus, dum eiſdem diſperſis, & abſentibus ſcribit, afflictos conſolatur, nutantes confirmat, & de ipſorum ſalute tam ſolicitum ſe oſtendit; in quam ſententiam optimè dixit Greg. lib. 30. Moral. c. 8. Charitas, quæ diuiſa vnire conſueuit, vnum cor Pauli per multa diuidi compellit.

Pastoris inſuper officio fungitur, dum non ſolùm docet præſentes, ſed abſentes ſua doctrina inſtruit, ſicut Cyprianus tempore, quo quærebatur ad mortem, abſentes oues per epiſtolas ſuas gubernabat; ad Paſtores ſiquidem pertinet, imprimis ſubditorum mores componere, & de rebus fidei inſtruere, vtpote rationẽ pro animabus ipſorum reddituros; vnde & præſentes verbo, & exemplo debent inſtruere, abſentibus verò non deeſſe, ſaltem per epiſtolas. Et hunc Apoſtolicum morem imitati ſunt

Summi Pontifices, Clemens, Anacletus, Gregorius Magnus, Leo, Innocentius, & alij, quorum tot extãt decretales, & doctrinales epistolæ: hos etiam secuti sunt Ecclesiæ proceres, & primates, Ignatius, Dionysius, Cyprianus, Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Nazianzenus, Basilius, & præ omnibus Isidorus Pelus. D. Chrysost. discipulus, qui teste Nicephoro lib. 14. cap. 53. vnam myriadem. i. decem epistolarum chiliades conscripsit, quibus sacros omnes vtriusque Testamenti Codices exposuit. Adeóque priscis illis temporibus scribendi epistolas vsus percrebuerat, vt Clemens Petri successor, ad nostrum Apostolum Iacobum iam vita functum, quasi ad viuentem scripserit, vt sub nomine fratris Domini alios Episcopos, ac Præsules de rebus necessariis admoneret, vnde aliqui existimarunt epistolas sub nomine Clementis ad Iacobũ non esse scriptas ad Iacobum: sed falluntur, quia plerique tam sacri, quàm profani Authores ad demortuos scripserunt: morémque sic scribendi mutuati sunt à Platone, qui Dialogos instituit, in quibus introducuntur viri vita functi de rebus necessariis colloquentes.

Est ergo docendi, ac scribendi operi iugiter incumbendum: hoc enim 1. Tim. 3. est opus, quod Episcopus dicitur desiderare, & cuius cessationem redarguit Christus Dominus, dum Matth. 23. tacitè reprehendit Scribas, & Pharisæos, dicens: *super cathedram Moysi sederunt Scribæ, & Pharisæi* neque enim tam videtur reprobare quòd sedeant, cùm hoc proprium sit magistrorum, sed quòd otientur: & ab operatione cessent, hoc enim verbum plerumque *cessationem, & quietem ab operando* significat, vt videre est apud Pierium Valerianum lib. 43. Quo sensu dixit Horatius, *sedet qui timuit ne succederet*, id est, cessat, & quiescit, qui nõ sperat aliquid assequendum. Et cùm Dominus se vniuersalem Pastorem dixit, inde veluti necessariò infert doctrinam vniuerso orbi præbendam. *Euntes* ergo *docete omnes gentes*, Matth. 28. quæ verba ponderans Ber. lib. 2. de consid. ait: Qui iussi sunt ire in orbem vniuersum, non orbem circuierunt præsentia corporis, sed mentis prouidentia. Et Ieremiæ 3. *Conuertimini, quia ego vir vester, & introducam vos in Sion, & dabo vobis Pastores iuxta cor meum, & pascent vos scientia, & doctrina*, vnde Chrysost. in 1. ad Timotheum notauit id, quod Apostolus dixit Ephes. 4. *alios autem Pastores, & Doctores.* Vt quid, inquit Apostolus dixit, oportet Episcopum esse Doctorem, nisi vt doceat, neque satis esse, quòd doceat exemplo vitæ, imò oportere eũ laborare in verbo, & doctrina? Quãtumuis autem absentibus vitæ monitis accurrit, docens facto verum Pastorem nulli deesse debere, imò omnes, & præsentes, & absentes summo studio curare. De probo Iosia Rege dicitur Ecclesiastici 49. *In omni ore quasi mel indulcabitur eius memoria, & vt musica in conuiuio.* Desiderium huius Regis absumpti inde deducit Ecclesiasticus, quòd memoria retinerent illum ad instar mellis, ac musicæ in Regni administratione se habuisse, mellis siquidem dulcedine ille tantũmodo fruitur, qui illud in ore versatum degustat, quod nisi per propinquam attrectationem fieri nequit: at verò musico concentu, & modulantium vocum varietate potiuntur, & qui proximi cantoribus adsunt, & illi etiam,

etiam, qui remoti ac distantes audiunt. Ille ergo Pastor dulcem sui memoriam ad posteros relinquit, qui & propinquis, vt mel dulcorem impertitur & absentes etiam, vt musica recreat, ac reficit, nullique omnino deest.

ROGAVIT Moyses Num. 27. Deum vt præficeret populo illi hominem tali administratione dignum, cúmque his verbis deprecatur, *Prouideat Dominus Deus spirituum omnis carnis hominem, qui sit super multitudinem hanc.* Plerique vertunt, vt in annotationibus marginalibus Bibliorũ videre est, *Prouideat Dominus Deus spiritum*, & Hebraicus Codex habet, *Prouideat Dominus Deus spiritum omni carni.* Quasi velit pastorem, ac gubernatorem esse spiritum, & animam populi, in eo scilicet, quòd sicut animus in toto corpore, & in qualibet eius parte totus adest, nullibíque deest, sic & animarum Rector omnes singulariter debet curare, nullúmque quantumuis distantem deserere, diuinámque curam, prout potuerit, imitari; quam expertus Augustinus ita dixit 3. Confessionum cap. 11. Sic curas vnumquemque nostrum, tanquam solum cures, & sic omnes tanquam singulos. Et in lib. Soliloquiorum cap. 14. In toto tempore totum me simul consideras semper; ac si nihil aliud considerare habeas, sic super custodiam meam stas, sicut si hominum oblitus sis, & mihi soli intendere velis: quocunque iero, tu me Domine non deseris, nisi prior ego te deseram.

NOTAVIT ad præsens institutum Abulens. id, quod Scriptura narrat, factam scilicet fuisse famem in diebus Dauid tribus annis iugiter: cuius famis causam ipse apponit ibi quæst. 2. ex mente Rabbi Salomo. & Rabbi Dauid Kimhi, quoniam Dauid dabat omnia munera sua vni solummodo Sacerdoti Hiræ Ioratithæ, qui vocabatur Sacerdos Dauid, & quando Rex aliquis dat omnia munera sua vni Sacerdoti, inducit famem super terram, debet siquidẽ Rex non vni, sed omnibus prodesse, non vnum, sed omnes curare, quia omnibus addictus est. 2.Reg.21. 2.Re.20.

HÆC expositio licèt nostro argumento videatur inseruire, nullatenus placere potest, cùm sacro contextui contradicat; vnde rem præsentem conficit ille alius locus, quando Tribus Iuda Dauidem reduxit Hierusalem; qua de re conquestæ sunt vndecim Tribus apud eundem Regem, & dixerunt: *Quare te furati sunt fratres nostri viri Iuda? respondit autem omnis vir Iuda. Quia propior est mihi Rex.* super quæ verba sic optimè Abul. q. 34. In hoc non respondebat conuenienter Tribus Iuda, quia licèt eis propior esset Rex (erat siquidem ex eadem Tribu) non tamen ad eos solos pertinebat; ideóque potiùs debebant concludere, propior est mihi Rex, ideo ego debui esse principalis in transductione eius, non tamẽ quòd essem sola; & q. 36. Dauid considerabatur dupliciter, scilicet in quantum Rex, vel in quantum persona priuata: si vt persona priuata, magis pertinebat ad Iudam, quàm ad omnes Tribus, eo quòd erat de cognatione eius; si in quantum Rex, magis pertinebat ad Tribus Israël, quàm ad Iudam, quia in quantum Rex, erat princeps illius populi totius, & viri Iuda computabantur vt vna pars; at verò Rex non vnam tantùm partem, sed omnes æqualiter respicere debet, qui omnibus, non vni debitor est. 2.Re.19.

Ex

Cap. 29. EXPRESSIT Iob quomodo suos gubernauerit, & se in administratione Regni habuerit, dum dixit, *in circuitu meo pueri mei*; qui sicut centrum terminat omnes lineas, quæ etiam ad ipsum tendunt à circunferentia æquali vtrinque distantia, ita totus pater debet omnibus filiis, & dominus omnibus seruis, totúsque singulis instruendis, & gubernandis adesse; vnde & addit, *diademate, iudicio meo*; gubernandi enim methodus debet omnes amplecti, omnibus æqualiter adesse, & æquanimiter prodesse.

HINC est quòd in sacro sermone, quantumuis, *esse in medio*, dum de priuatis personis dicitur, nihil aliud significet, quàm esse intra, vt patet 4. Reg. *In medio populi mei ego habito*, id est, intra vrbem, sicut cæteri ciues, attamen quando de Principe, ac Rege sermo est, presè, & strictè accipitur pro eo qui in medio suorum est sicut centrum in medio circuli, ex quo in quamcumque partem circunferentiæ rectus sit prospectus, nullibi maior vni parti proximitas, quàm alteri reperietur: sic erat arca in
2. Re 17. medio populi, sic Chusi ad Absalon: *tu eris in medio eorum*; sic Salomon:
3. Reg. 1 Leuit 26. *seruus tuus in medio est populi*; sic Moyses: *non ascendam tecum*; propriè ex He-
Exod. 3. bræo, *non ascendam in medio tui*; & Exod. 34. *Profitetur esse in medio populi.*

HÆC est ratio cur dum Petrus videns Dominum gloria perfusum, redundante scilicet animæ beatitudine ad corpus vsque illustrandum, voluit ea pulchritudine solus potiri, & vniuersalem Dominum secum tenere; vnde & dixit: *Domine bonum est nos hic esse.* Euangelista Marcus cap. 9. notanter dixit, *non enim sciebat quid diceret*; quod eleganter exposuit D. Bernard. de vita solitaria ad fratres de monte Dei. Nesciens quid diceret, ait, quia visa Dei maiestate, commune bonum intra priuatum suum visus est conclusisse, & quo omnes æqualiter frui debebant, ipse solus frui curabat.

IN quam sententiam facit locus ille Cant. 1. quando diuina sponsa ad peculiarem lectum, propriúmque domicilium vocauit cœlestem sponsum, dicens: *Lectulus noster floridus, tigna domorum nostrarum cedrina*, &c. cui inuitanti respondit sponsus, *Ego flos campi, & lilium conuallium.* Illa monstrante lectum, ille vocat ad campum, ait Bernard. Serm. 47. in Cantica. Voluit ipsa seorsum in cubiculo frui sponso, ipse verò tacitus eam reprehendit, dum se florem campi, & lilium conuallium dixit, quod non vni, sed omnibus patet, odorem efflat, pulchritudinem ostendit, vt inde intelligant communes viri, singularitatem cauere, discántque omnibus patere, præesse, ac prodesse, nulli peculiariter addici.

CVM ergo Apostolus iis, qui erant Hierosolymis verbo, ac doctrina non deesset, absentibus etiam, ac dispersis, scripto saltem, vt verus Pastor, ac Magister voluit adesse. Qua etiam in re indefessam curam Discipulorum ostendit, quibus & præsens, & absens subuenit; quod etiam
Genes. 41. voluit Moyses significare, dum dixit, *Prouideat Dominus Deus spiritum*: quia spiritus semper vigilat, & nunquam dormit. Qua ratione, vel in somnio fames, & abundantia futura populi, Pharaoni in vaccis ostenditur, quia Rex nunquam debet dimittere curam sui populi, indéque est, vt in Scriptura nomine *spiritus*, cura intelligatur, sicut videre est in Concordantiis Benedicti,

nedicti, verbo *spiritus, & cura*: quo pacto venit intelligendus locus ille Numerorum 11. *Auferam de spiritu tuo, tradámque eis, vt sustentent tecum onus populi*; vbi *spiritu* ex mente Benedicti, idem est atque cura, quo pacto intelligitur, iam in hoc sensu Moyses, cùm ait. *Prouideat Dominus Deus spiritum.* Cùm igitur Apostolus iis, qui Hierosolymis erant, verbo, ac doctrina deesset; absentibus, ac dispersis scripto saltem voluit adesse, vtrosque diligens vt Pater, curans vt Pastor.

Vers. 2. *Omne gaudium existimate fratres, cùm in tentationes varias incideritis.*

EXPOSITIO LITERALIS.

MAGNA Christianæ Philosophiæ vis, quæ naturas rerum videtur immutasse, & labores, ac ærumnas in gaudium vertisse, & quo grauiora ingruunt mala, eo iubet copiosiori affici gaudio; Oecumenius enim, & Vatablus legunt, *pro summo gaudio existimate*; D. Thomas, & alij, *perfectum gaudium*: in Scriptura enim, *omne*, perfectum significat, Psalm. 106. *Omnem escam abominata est anima eorum*, id est, perfectum, & absolutum cibum, qualis erat manna. 1. ad Timot. *Omnem patientiam*, id est, perfectam; & 1. ad Corinthios 13. *Si habuero omnem fidem*, id est, perfectam, & absolutam fidem. Quibus addimus, in Scriptura, *gaudium* sumi pro confidentia, vt patet Ezechielis 24. *Cùm abstulero gaudium dignitatis eorum*, vbi Hieron. *confidentiam, & gaudium dignitatis.*

TENTATIONVM verò nomine, omne calamitatum genus, quod pro fide, ac pietate à perfidis, & improbis hominibus inferri potest, intelligit: quo sensu Ægypti plagæ vocantur *tentationes*; Deuteronom. 29. & cæcitas oculorum Tobiæ cap. 2. persecutio Dauid Psalmo 17. *Quoniam in te eripiar à tentatione*, laboresque; vigilias, perigrinationes, & persecutiones suas appellat Christus *tentationes* Luc. 22. *Vos qui permansistis mecum in tentationibus meis.* Quam etiam phrasim secutus Tullius in Tusculanis, dixit. *Animi valentes morbo tentari non possunt, corpora possunt.*

VARIAS autem dixit *tentationes*, eo quòd nonnullæ à Deo, aliæ à nobis, & ab aliis in nos procedunt, vt dixit Oecumenius, vel *varias*, id est, magnas, ac multiplices, vt ait Carthusianus.

HIC verò locus, quo nos Apostolus gaudere iubet in tentationibus, non pugnat cum eo, quo Christus Dominus nos docuit orare, ne nos inducat in tentationem. Namque, sicut dixit Aug. lib. 2. de Serm. Domini cap. 14. aliud est induci in tentationem, aliud tentari; nam sine tentatione probatus esse nullus potest, siue sibi ipsi, siue alij: non ergo hîc oratur, vt non tentemur, sed, vt non feramur in tentationem, tanquam si quispiam cui necesse sit igne examinari, non oret, vt igne non probetur, sed ne exuratur. Ioseph tentatus est adulterij illecebra, tentata Susanna, similiter

& Iob,& alij, sed inducti in tentationem non sunt. Et epistola 121. Cùm dicimus, *ne nos inferas in tentationem*, admonemur hoc petere, ne deserti Dei adiutorio, alicui tentationi vel consentiamus decepti, vel cedamus afflicti; & hæc est communior huius loci expositio. Consulit ergo Discipulus lætari in tentationibus, præcipit Magister precari, ne eisdem cedamus. Hoc ipsum dixit Petrus 1. Can. cap. 5. *Communicantes Christi passionibus gaudete*, quod Cyprianus legit: *Per omnia gaudete*, & fecerunt Apostoli gaudentes, quoniam digni habiti sunt pro Christo contumeliam pati, Act. 5. vnde Agatha ad carcerem quasi ad epulas inuitata ibat. Marcus, & Marcellianus fratres confixi ad stipitem negabant se tam iucundè vnquam epulatos, quàm cùm libenter Christi causa tormenta ferrent: & Tiburtius in prunis, velut in rosis, incedere se protestabatur.

APPELLAT autem Iacobus discipulos quibus scribit, *Fratres*, quod nomen discipulis, ac fidelibus cõmune fuit in primordiis Ecclesiæ, vt ostendit Baronius anno Domini 43. & hac nomenclatura sæpe vsus est Christus Dominus, Matth. 23. Luc. 22. & Ioan. 20. & Apostoli frequentiùs, vt videre est in omnibus epistolis Apostolorum, & in antiquis Patribus, Iustino in Apologia 2. Clem. Alexand. 2. Strom. Tertul. c. 39. Apologetici, vbi ex eo quòd infamarentur à Gẽtibus ob hoc nomen, sic ait: Sed & quòd fratres nos vocamus, non aliàs opinor infamant, quàm quòd apud ipsos omnes sanguinis nomen de affectione simulatum est. Fratres autem etiam vestri sumus iure naturæ, matris vnius, etsi vos parum homines, quia mali fratres, at quanto digniùs fratres, & dicuntur, & habentur, qui vnum patrem Deum cognouerunt, qui vnum spiritum biberunt sanctitatis? sed eo fortasse minùs legitimi existimamur, quia ex substantia familiari fratres sumus, quæ penes nos fere dirimit fraternitatem, omnia indiscreta sunt apud nos, præter vxores. Quibus habet similia Athenagoras Philosophus Christianus oratione pro Christianis, & Minutius Felix in Octauio. Aliam etiam rationem affert Tert. huius nominis, incredibilem scilicet amorem inter Christianos vsque ad Gentilium, inquit, stuporem, qui non poterant quin exclamarent. Vide vt inuicem se diligant, & vt pro altero mori sint parati? Videndus Chrysost. hom. 21. ad Rom. Fratres estis, eosdem partus dolores soluistis; & Ambros. Serm. 9. Maior est fraternitas Christi, quàm sanguinis, hæc interdum sibi inimica est, illa sine intermissione pacifica, illa inter se communia cum æmulatione diuidit, hæc propria cum gratulatione communicat, illa in consortio despicit interdum germanum, hæc assumit frequenter alienum; & Cyprian. lib. de orat. Dominica: Concordes, atque vnanimes esse in domo sua Deus præcipit, & quales nos fecit secunda natiuitate, tales vult renatos perseuerare, vt qui filij Dei esse cœpimus, in Dei pace maneamus, & quibus spiritus vnus est, vnus sit animus.

VEL etiam, vt notauit Didymus, fratres appellat, quia ad perfectionem, & virilem patientiam inuitat, & ideo non filios, sed fratres appellat; quia filij teneriores sunt, & vix tantæ perfectionis capaces: vnde Christus Dominus

Dominus Ioan. 13. dixit, *Filioli adhuc modicum vobiscum sum*, super quæ verba Rupertus lib. 11. Commentariorũ in Ioann. ita ait. Vno, eodémque nomine, dum dixit, *Filioli*, maternam sui amoris gratiam, & infirmam tum temporis Apostolorum designat infantiam, nam ex quo fortes facti sunt, Spiritu sancto armati, filij sunt: nunc autem quia timidi sunt, & patrem sequi non valent, filioli sunt. Et diuus Thomas super hæc verba: Filiolos appellat, quia adhuc erant filij paruuli, non firmati, non perfecti virtute ex alto; & Ioannis 21. dixit Christus Dominus Discipulis, *Pueri nunquid pulmentarium habetis?* quod explicans Chrysolog. Ser. 78. ait: Quia eos fidei virtute repererat destitutos, & à virili robore inuenerat perdeiectos, arguit tales, pueros nuncupando; ibi erat Petrus, qui negauerat, Thomas, qui dubitauerat, Ioannes, qui fugerat: non ergo vt fortissimos milites, sed vt pueros cõpellat, vt timidos, & quos idoneos necdũ deprehendit ad præliũ, vt teneros inuitat ad mensã. At verò Iacobus, quia discipulos fortes cernebat in pressuris, & ad perfectam patientiam inuitabat, non filiolos, aut filios, sed fratres vocat, vt fortiores, & laboribus induratos.

§. I.

Omne, ac summum gaudium Sanctorum in laboribus, & ærumnis ostenditur.

AGGREDIMVR igitur Sanctorum scientiã, quæ, sicut dixit Bern. Serm. ad illa verba, *Iustum deduxit Dominus*; est temporaliter cruciari, & delectari, ille enim mœret, & deflet si sibi malè sit in sæculo, cui non bene potest esse post sæculum, cuius viuendi fructus omnis hic capitur, ille pœnã de aduersis mundi sentit, cui & lætitia, & gloria omnis in mundo est, ait Cyprianus lib. cõtra Demetrianum; at verò hi, quos secundùm tentationũ varietatem expectat & præmij magnitudo, læti, ac festiui, & quærunt tentationes, & ab eisdem inueniuntur. Vnde Dauid dixit, *Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti, annis, quibus vidimus mala*, Psalm. 89. de qua lætitia dixit Psal. 89.
Bern. Ser. 87 in Cant. Hoc genus lætitiæ cœli nesciẽrũt, nisi per Ecclesiæ filios, & Greg. Nyss. ad ea verba Christi Matth. 5. *Beati qui persecutionem patiuntur*; ait. Fructuum qui sperantur, flos afflictio est, iam verò anima sancta visis Matth. 5.
floribus, qui æternitatis fructum inamissibilem promittunt, gaudio perfusa annuntiat, *Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis aduenit*; Cantic. 2. Dum enim capita amputantur, & mẽbra præscinduntur, flores martyrum apparent, & voces gaudij in Ecclesia resonant.

MERITO proinde Dauid ait, *Tribulationem, & dolorem inueni quasi bonus athleta*. Quæsiuit certamina, vt coronam inueniret, ait Ambrosius de obitu Theodosij, sed etiam gratulatur Dauid se inuentum ab eisdem tentationibus, dum ait. *Tribulatio, & angustia inuenerunt me*. Quærunt, inquit, Ambros. Serm. 18. in Psalm. 118. tribulationes, & necessitates iustum, Psal. 118.
& interdum inueniunt, interdum non inueniunt eum: inuenitur cui corona debetur, non inuenitur, qui idoneus certamini non probatur. In

quam sententiam facit locus ille; *dum Israel adorauit Deum, conuersus ad lectuli caput.* Septuaginta habent, *Adorauit Israel summitatem virgæ eius.* Quæ igitur conuenientia inter caput lectuli, vbi ceruical ad sustentationem capitis ponitur, & virgam, qua plerumque labores, & supplicia in Scriptura significantur? Exposuit hoc D. Hilarius Canone 11. in Matth. Nunquam dulciùs sancti requiescunt, quam dum laboribus fatigantur. Vnde Hier. in regula Monachorum: Christianis vexilla crucis sunt deliciæ, trophæa nostræ vitæ, non pompis, sed miseriis reputantur, in nostra classe viri fortes opprobria sciunt portare, non munera, ideóque plus vobis datum est, non solùm, vt credatis, sed etiam vt pro Christo patiamini.

Videndus hac de re est Ber. Ser. 21. in Cantic. cùm explicat ea verba sponsæ, *Trahe me post te*; quasi sancta anima nihil magis optet, quàm Dominum Iesum per crucem, ac labores sequi, & comitari; peruentura quandoque ad montes gaudiorum per viam ærumnarum, ac persecutionum. Addit verò Bern. Quàm pauci post te ô Domine Iesu ire volunt, cùm tamen ad te peruenire nemo sit, qui nolit, hoc scientibus cunctis, quia delectationes in dextera tua vsque in finem: propterea volunt omnes te frui, at non ita imitari, conregnare cupiunt, sed non compati. Videndus item Chrysologus Serm. 84. cùm explicat eam legationem, quam pro singulari beneficio, filius Dei commisit Apostolis, dicens: *Sicut misit me Pater, sic & ego mitto vos.* Mitto, inquit, ad tolerantiam famis, ad onera vinculorum, ad squallorem carceris, ad perferenda omnia genera pœnarum, mittò, non authoritate adhuc iubentis, sed toto diligentis affectu. Vbi nõ vulgare beneficium diuina bonitas censet conferre Apostolis, si ipsos perferendis laboribus committat.

Luc. 10

Hinc est, quòd sicut in prima hominis conditione Deus, ipsum omnis laboris, & defatigationis expertem vitam habere voluit, sic in reparatione, eiusdem laboriosam vitam, miseriis, & ærumnis plenam habere voluit, & pro beneficio concessit in remedium damni illati, & felicitatis amissæ. Mirabitur iure optimo quis, dum inciderit in eum locum Genes. qui ita habet; *septuaginta quinque annorum erat Abram cùm egrederetur de Haran mortuo patre.* Difficultatem subministrat ille alius locus, vbi sic ait sacer Textus. *Vixit Thare septuaginta annis, & genuit Abram*; & in fine capitis additur. *Facti sunt dies Thare ducentorum quinque annorum, & mortuus est in Haran.* Quî ergo fieri potuit vt Abrã septuaginta tantùm fuerit annorum, quando egressus est de Haran, mortuo patre, si post natiuitatẽ eius, quæ fuit anno septuagesimo Thare vsque ad mortem ipsius Thare patris Abram centum, & triginta anni adhuc elapsi sunt? Difficultatem conspiciens D. Hieron. in quæst. Hebraic. ad hunc locum, indissolubilem hanc quæstionem appellat; soluit tamen dicendo, ex illo tempore dies vitæ, & tempus ætatis Abrahæ reputari, ex quo peregrinari cœpit, & apud exteros persecutiones, ac labores perpeti: ac si ad hoc solùm nobis à Deo vita concessa credatur, vt laboribus, & miseriis ferendis, felicem illam, ac beatam vitam acquiramus. Vnde Euseb. Emiss. hom. de Sanctis Martyrib. Ephipodio, &c. Cauete,

Gen 12.
Gen. 11.

uete,ait,ne bonam vitam,si quando afflictionibus subditam videritis, miseram iudicetis, cauete ne in arena mundi, in quam ad subeundos agones missi sumus, aliquam felicitatem expectandam putetis: beatitudo parari hîc potest,non potest acquiri;non hîc quæras, quod nullus Sanctorum obtinuit,non hîc quæras, quod nec Christus inuenit.

REQVIEM quærebat Dauid cùm fugiens à facie Saülis profectus est in Maspha ad regem Moab,cuius tutelæ, ac fidei parentes suos committens, ait. *Maneat oro pater meus,& mater mea vobiscum, donec sciã quid faciat mihi Deus.* 1.Re. 22.
Id igitur mirum,quod statim additur: *Dixit Gad Propheta ad Dauid: Noli manere in præsidio,proficiscere,& vade in terram Iuda.* Si ergo Dauid in præsidio, & sub vmbra Regis Moab securus erat, cur diuinitùs mittitur ad terram Iuda, vbi à Saüle ad necem quærebatur? Scio aliam huius rei rationem: inseruit nobis ea, quæ est apud Carthusianum, & Hugonem Victorinum. Iubetur, inquiunt, abire,vt persecutionem sustineat, & vt in terra sua, & à suis,à quibus acerbiora proueniunt mala, laboribus exerceatur, & per eos victor euadat, & de persecutore Saüle triumphum erigat: is enim tantummodo vincit,qui crucem fert secum, succumbit verò, & bello premitur, qui crucem non tollit,ac tolerat, sicut dixit Cyrillus in collectan. cap. 16. præsignatúmque asserit in Moyse extendente manus in crucis figuram, vt populus Israël deuinceret Amalecitas.

CELEBRIS mihi videtur locus apud Nazianz. orat. 40. cùm quærit quænam fuerit ratio cur paterfamilias, qui ad vineam suam excolendam Mat.20
operarios conduxerat, non maius præmium, auctámue pecuniam dedit illis, qui à primo mane ad vesperam vsque laborarunt, quàm iis,quos vespere vocauit, quíque breui temporis spatio sunt operati. Respondétque, hoc ipsum amplius laborare, amplioris mercedis loco habendum est his certè, qui animo sunt non omnino illiberali, & sordido; vbi vides ipsum laborem præmij loco æstimandum, & tanquam mercedem reputandum: quod videtur dixisse, si non amplius dixit orat. 24. Pro Christo pati animi magnitudine præditis viris, ad sequentia certamina velut arrha existit; & 2.orat.de pace:nequaquã detrimentũ ducimus pati,sed potiùs non pati,idque eo magis, quòd periculorũ quæ pro Christo patiũtur, gustũ cepimus.

NOTANDVS etiam est locus,dum Christus Dominus ait Discipulis. *Amen dico vobis, nemo est, qui reliquerit domum, aut fratres propter me, qui non accipiat centies tantum,nunc in hoc tempore:domos, & fratres, & agros cum persecutionibus*; vbi Christus Dominus præmij loco cum cæteris multiplicatis bonis persecutiones enumerat, iuxta Brixiani expositionem, qui ait: Ipsæ persecutiones, pars muneris est. Vnde iam placet ea expositio quam Hilar. Can. 31. affert ad ea verba; *Pater si possibile est, transeat à me calix iste*; vbi ait Hilar. Qui vt à se transeat,rogat, non vt ipse prætereatur,orat, sed vt in alterum, id quod à se transit, excedat, transeat calix à me, id est, quomodo à me bibitur, ita ab iis bibatur,sine spei diffidentia,sine sensu doloris, sine metu mortis; ideo autem si possibile est, quia & carni,& sanguini horum grauis terror est, & difficile est eorum acerbitate corpora humana

Marc.10.
Mat.26.

E 3 non

non vinci:facile autem erit si quis aduertat,& beneficia esse diuinitùs concessa,& monitum esse Iacobi,dum ait: *omne gaudium existimate,* &c.

VNDE iam non mirum si aliter exponamus illud Actorum 26. quàm communiter solet exponi, quando coram Agrippa dixit Paulus: *Opto apud Deum, omnes qui audiunt me hodie fieri tales, qualis & ego, exceptis vinculis his*; quasi omnia bona auditoribus exoptaret, vincula tamen tanquam peculiare bonum,in quo nullum admittit eorum sitibundus consortium, sibi soli reseruat. Videndus tamen Chrysost.hom. 33. in primam ad Corinth. vbi reddit rationem cur Paulus exceperit vincula ab aliis, quibus cætera bona exoptabat; vt qui,inquit, nondum istam gloriã nostram degustarint, vbi philosophari discent,etiam catenæ,& vinculorum decus admirabũtur.

FACIT etiam pro hac re expositio Origenis, & Nili circa illam vestium dilacerationem, quando auditis tentationibus,quæ inuictum Iobi animum ostentarunt, scidit vestimenta sua: dicunt etenim id fecisse Syrorum more, qui cùm conferendæ essent cum hoste manus, vestes scindebant, & nudo pectore sese in medios hostes audacter coniiciebant; quod respicit vulgatum illud Gregorij homil. 32. in Euangel. Nudi ergo cum nudis luctari debemus: nudatus igitur ipsos labores aggreditur, prouocat, ac lacessit, vel se illis obiicit, ac offert nullo operimento, sed ipso corpore ærumnas omnes suscepturus. Videndus Theod. lib. 3. Hist. Ecclesf. 11. dum refert de quodam adolescente, qui in tormentis semper tacuit, inde verò eductus cœpit clamare, tanquam si tunc torqueretur. Videndus etiam Basil. lib. de Spiritu sancto, c. 8. & August. lib. 2. de Ciuit.cap.23.& lib. 4. de doctrina Christ. cap.20. ad ea verba Pauli ad Rom. 8.*in his omnibus superamus*;vbi Græcè habetur, *superuincimus*, quod energiam habet, quam Chrysost. ibi sic exposuit. Superuincimus, quia non solùm vincimus, sed cum omni facilitate superamus, ita vt simus admirationi. Meliùs Basilius hom.in Psal.114. Vincit,inquit ille,is qui necessitate quapiam illatis non cedit,nec frangitur, at superuincit, qui sua sponte accersit dolores permolestos, & acres, quò suæ edat specimen patientiæ. Quod & significatum vult Orig. lib. 2.in Iob. dum vestibus se exuit, quasi nouos accerseret dolores, & saniem vulneris testa radebat, vt vires gratiæ superiores esse omni tentatione significaret. Videndus etiam pro hac re Clemens Alexand. 4. Strom. cap. 7. vbi ostendit virum perfectum impleri gaudio, dum patitur, & D.Thom. in illud Abac. *Ego autem in Domino gaudebo*; quod ipse intelligit de gaudio tribulationum, quo iusti perfunduntur, & exultant dum tribulantur. Videndus etiam Tertull. lib.ad Martyres, dum ait nihil interest vbi sitis in sæculo, qui extra sæculum estis, nihil crus sentit in neruo, cùm animus in cœlo est.

Iob. 1.

Cap. 3.

IN hoc sensu meliùs intelligentur ea verba lib. Num. 29. vbi sic habetur:*decima dies mensis septimi* (qui est September) *erit vobis sancta, atque venerabilis, & affligetis animas vestras.* Vbi pro eo quod nos legimus, *erit vobis dies venerabilis*, legit Origenes ibi homil. 25. *erit vobis dies propitiationis*, quasi Deus nihilo magis nobis propitietur, quàm cùm nos in afflictionibus consti

constitutos videt; vnde idem Orig. addit: O mira festiuitas! dies festus animæ afflictio appellatur, quia videlicet festiuitas cum ipsa afflictione coniungitur: enimuerò gaudium cum tentatione coincidit, & ideo is, qui in tentationes varias incidit, iubetur omne gaudium inde habere.

NON bene innotescit quo pacto impletum sit illud, quod Deus dixit de Iacob, & Esau, *maior seruiet minori*, siquidem non legimus Esau aliquando serui obsequium fratri minori Iacob præbuisse; quin potiùs dominum suum Esau confessus est Iacob: sed quando, & quomodo illi seruierit, exposuit Augustin. tomo 2. Sermon. 78. de tempore: Seruiet, inquit, persequendo, quomodo limæ, vel mallei auro; quomodo molæ seruiunt tritico, quomodo panibus coquendis fornalia. Famulatum enim, & obsequium exhibuit, dum eundem persecutus, exulare, & peregrinari coëgit. Et ad hunc sensum possumus intelligere id quod dicitur de Iacob, *honestauit illum in laboribus*; vbi Græcus Codex habet; *locupletauit in ærumnis*, vel, *per ærumnas*; quod non solùm de diuitiis materialibus intelligendum censeo, sed de spiritualibus, vnde cóstat ille modus loquendi apud Guerric. Serm. 2. de Sancto Benedicto, dum ait: Poterit inuidus ille tentator sæuire, sed hoc erit seruire, poterit vrere, tundere, dissecare, sed hoc erit coronas fabricare. Idem habet Euseb. Emissen. hom. de Sácto Stephano, cùm ponderat orationem Stephani pro lapidantibus: Nec mirum, ait, si eis nescit irasci, per quos sibi videt aulam Regni cœlestis aperiri, per quos æternis sæculis se intelligit consecrari, tantùm abest vt in tormentis tristetur, quòd pro torquentibus deprecatur. Gen. 25. Gen. 31.

BENE hoc agnouit Ioseph, dum fratres qui ipsum vendiderant, honorifico excepit conuiuio, nullúmque malum pro malis reddidit; cuius rei rationem affert Phil. lib. de Ioseph. Adeò, inquit, pœnam ab eis abstinuit, vt tanquam benemeritis daret munera reddito pretio, quasi eo vellet soluere beneficium persecutionis, eiectionis in cisternam, venditionis in Ægyptum. Facit etiam & ille locus Hierem. quem Matth. mysticè de cæde innocentum intelligit. *Vox in Ramah audita est, ploratus, & vlulatus, Rachel plorans filios suos*: quem locum D. Hilar. Can. 1. in Matth. sic explicat, vt Rachel typum Ecclesiæ gerat: hæc igitur Ecclesia in occisione filiorum noluit consolari, quia non sunt; rationem autem cur renuat cósolari, pulchrè explicat Euseb. Emissen. Sermone de innocentibus: Noluit consolari, inquit, quia nó sunt. Sancta namque Mater Ecclesia, quanuis multùm de filiorum suorum nece lugeat, consolationem non recipit, quia non sunt in tali euentu dandæ, vel suscipiendæ consolationes: vbi enim lætitia vincit lacrymas, gaudium mœrorem, gloria passionem, ibi consolatio necessaria non est, magis enim lætandum est de illa vita, quàm de ista sit dolendum. Superfluas itaque censet Eusebius consolationes vbi superabundat consolatio, lætitiæque rationes suppetunt: quod idem dixit hom. de Sancta Bandina, loquens de Martyribus Lugdunensis Ciuitatis, afferénsque hunc intellectum ad eadem verba, *Rachel plorans filios suos, & noluit consolari*; dicens. Ita hæc beata parens, & triumphalium illustris patria, Hiere. 31. Matt. c. 2.

tria,

tria, bellatorum tantorum diues pignorum meritis, etsi ad momentum oculis inspicientium orbari visa est, nequaquam tamen indiget consolari, nec plorat filios suos, quia in videndis luctibus dum perderet, acquisiuit. Hilarius verò loco citato: *Noluit consolari, quia non sunt*, sic explicat, quia non erant mortui, qui reputabantur mortui, noluit consolari, in æternitatis enim profectum per Martyrij gloriam efferebantur: consolatio autem rei amissæ, & non auctæ præstanda est. Videndus etiam hac de re Chrysostomus hom. 3. de variis in Matth. locis cùm ait: Duo diuersa in eo conspicio, quòd flet, & quòd consolari contemnit, si enim fleuit, cur consolari contempsit? aut si noluit consolari, cur fleuit? & respõdet, conditio à matre defletur, sed spe gloriæ consolatio humana contemnitur, plangit affectus: sed fides exultat.

SED quoniam Hieremiæ locus adhuc progrediendi locum aperit, cõsiderandum vtique venit, cur Rachel introducatur in necem infantium innocentium plorans filios suos, cùm potiùs filij Liæ innocentes essẽt nuncupandi; vtpote quia in Bethlehem fuêre occisi, quæ non in Tribu Benjamin filij Rachelis, sed in Tribu Iudæ filij Liæ sita erat, ac proinde eidem Liæ tanquam matri luctus infantium competebat; & licèt multi hac de re multa dicant; dicendum vtique videtur, quòd ex felicitate alterius sororis infelicitatem suam misererè deplorat Rachel, quasi lamentetur, planctúmque edat ex eo, quòd filij sui non fuerint occisi, sicut sorori contigerat; perpendens quantum gaudium esset, vel in cæde filiorum tentari.

2. Cor. 6. VNDE iam licet aduertere id quod Paulus dixit, *exhibeamus nosmetipsos, vt Dei ministros in multa patientia, quasi morientes, & ecce viuimus, vt castigati, & non mortificati, quasi tristes, semper autem gaudentes*; vbi D. Anselmus ita ait. Notandum, quia in his, quæ sunt aduersa, dictum est, quasi, vt, sicut, tanquam, quasi tristes, vt seductores, &c. In his verò quæ sunt prospera, non sic est dictum, ait enim quasi tristes, semper autem gaudentes, tristitia nostra habet quasi, gaudium autem nostrum non habet quasi, quando spes, qua gaudemus, certa est: tristitia verò nostra habet quasi, quia in somniis transit: qui somnium indicat, addit quasi, quasi sedebam, quasi loquebar, &c. nostrum quasi tristitia est, gaudium non est quasi. Vult itaque Anselmus propterea Paulum dixisse, *quasi tristes, vt castigati*, &c. quia ea omnia Paulo veluti in somnis, in figuráue, non realiter contigisse videbantur, quæ tristia, & acerba erant, præ gaudio; at gaudium & lætitiam in veritate, & non apparenter illi contigisse. Et in hoc sensu exponit Theophyl. illud ad Hebr. 12. *Omnis autem disciplina in præsenti quidem videtur non esse gaudij, sed mæroris.* Vbi nomine *disciplina* labores intelligit. Ait ergo Theophyl. Pulchrè ait, videtur non esse, non enim verè est mœroris, quomodo enim fuerit mœroris, cùm sit lætitiæ mater? sed nobis qui ægrè ferimus, videtur. Dictum est etiam Chrysost. hom. 5. ad pop. Calamitatum nomina, philosophantibus sunt nomina rebus carentia.

Isai. 63. Hoc ipsum gaudium in tentationibus prædixit vates Euãgelicus Isaias, dum de rege Messia ita vaticinatur respectu suorum subditorum, *cum omni tribula*

tribulatione eorũ non est tribulatus. Hebraicè verò habetur, *non fuit tribulatio sub eis.* Quod Vatablus sic exponit: cùm maximè videbantur affligi, tunc non verè affligebantur, leuante Deo afflictiones eorum, imò conuertente in gaudium, dum post prædictas persecutiones ait, gaudete, & exultate.

Hoc etiam ostendit Ambros. Sermone 45. in Latrone beato, qui priùs, inquit, gloriari cœpit in malis sentiendis, quam puniri: non enim patitur supplicium, dum paradisum promeretur. Petro dicitur à Christo: *Non potes me modo sequi, sequeris postea*; & huic dicitur, *mecum eris in paradiso*: tanquam Discipulus ille differtur, & hic tanquam socius inuitatur. Quid ergo potuit mœstus pati, qui passionis socium Deum habet, & dolorem leuantem, & in gaudium tormenta ipsa transmutantem? Gloriam etiam in passione Latronis infert Ambrosius, quia vtrinque in ea paradisus resonare videtur, & ex vtraque parte, veluti gloria clauditur, ipse postulat memoriam in Regno Christi, hic promittit eodem die cœlestem fruitionem. Mala ergo, quæ vndique comitantur bona, cur non lætus excipiet, qui in eis gloriatur, & iam veluti beatur? *Matth. 5.* *Ioan. 13.*

In quam sententiam videndus Tertull. lib. de fug. persecutionis, vbi interpretatur id quod Christus Dominus dixit Discipulis. *Cùm vos persecuti fuerint in ciuitate ista, fugite in aliam*; vbi Tertul. non censet Christum Dominum voluisse, vt fugerent Discipuli persecutiones, sed potiùs ad eas tolerandas confugerent, & post tormenta perpessa in vna ciuitate, ad aliam denuò persequendi confugerent, non quasi, inquit, tacitè in aliquam ciuitatem fugiendum erat, sed quasi vbique annuntiaturis, & ex hoc vbique persecutionem subituris. Videndus etiam Philo lib. *Quòd deterior*; &c. vbi ostendit Rebeccam significare patientiam, quæ promissa est in matrimonium Isaac, cuius nomen significat *gaudium*, siue *risum*, qui enim per patientiam tolerat, gaudium, & lætitiam velut coniugem, & sociam habet. *Mat. 10.*

Ideo Sancti, & labores irritant, & lacessunt, & inuentos se à laboribus gloriantur, ideo tentationes præmij loco excipiunt; quod prosequitur Chrysostomus hom. 5. de fide Ann. in tom. 1. nullámque consolationem admittunt, imò quasi mala, non mala sustinere videntur, quia iuxta Apostoli doctrinam, omne perfectum gaudium existimant, cùm in varias incidunt teutationes. Pro qua re videndus est Greg. hom. 35. in Euangelia, cùm ponderat id quod dixit Christus Dominus Luc. 21. *Capillus de capite vestro non peribit.* Caro incisa dolet, capillus incisus non dolet, cur timetis ne pereat, quod incisum dolet, quando & illud in vobis perire non potest, quod incisum non dolet?

Avget autem rationem gaudij in tẽtationibus, quæ pro fide ac Christo adueniunt, si velimus hac in re Christo Domino pro nobis summo gaudio patienti rependere; quod notauit Chrysost. Serm. 35. de patientia Iob. Si pro me seruus cùm gloriam existimasset, non tam in gloria esse, quàm cùm pro me crucifigeretur, putabat, quid me pati non deceat? audi enim dicentem ipsum; *Glorifica me Pater.* Quid ais? Ad crucem raperis cum prædonibus, & sacrilegis, vt execratorum hominum mortem luas sputis pollu- *Ioan. 17.*

tum iri, & alapis pulsatum iri, & hæc gloriam appellas? multo magis ego istam gloriam putare debeo. Notauit etiam hoc Augustinus tract. 65. in Ioannem, vbi de Christo Domino moriente cum lætitia, ait: Quàm mirandi generis mors est, cui parum fuit non esse in pœnis nisi esset insuper in deliciis: Et hæc fuit causa, sicut notauit Leo Papa Serm. 10. de Passione, c. 3. cur prohibuerit fletum super ipsum: quia non decebat luctus triumphum, lætitiam, & gaudium, quod in passionibus ad imitationem ipsius, & ex consilio Iacobi debemus existimare.

APPELLAT autem Iacobus *omne perfectum gaudium*, quia frustra aliud in vita quæritur, falsúmque, si forte inuentū fuerit, experiemur, nam si gemitus inenarrabiles sunt, & vt loquitur Tertul. de Trinit. vel apud eum Nouatus, ineloquaces, quibus postulat Spiritus pro nobis: meritò lætitia, cuius idem Spiritus author est, erit inenarrabilis, & gaudium perfectum, ac verum. Vnde Salomon profano gaudio dixit. *Quid frustra deciperis?* Quod Græci, ac vetus translatio reddunt: *Quid hæc facis?* & Olympiod. si exponit. Quid me allicis, vt huiusmodi rebus gaudeam? circunuagare à me longiùs, & absiste, deciperis enim, dum me fallaci gaudio decipere posse existimas: etenim, sicut dixit Tertullian. lib. de spectaculis c. 29. quæ maior voluptas, quàm fastidium ipsius voluptatis: Et Cyprianus lib. de pudicitia: Voluptatem vicisse, voluptas est.

VNDE August. Sermone 4. de verbis Apostoli, illud, quod nos legimus, *narrauerunt mihi iniqui fabulationes*, legit, *narrauerunt mihi delectationes suas:* felix anima, quæ huiusmodi delectationibus delectatur in tua suauitate. Doce me Domine, vt suauis sit veritas, dulcis contaminetur iniquitas; similiáque habet Serm. 37. & de verbis Domini. Sæculi lætitia, ait, est impunita nequitia, luxurientur homines, turpitudine fœdentur, nihil patiantur mali, & videte sæculi gaudium, longè aliter est omne gaudium.

ESTO tamen, magna sint, & honesta, ait Beruard. Serm. de conuersione ad clericos, quæ mundus interim amatoribus suis erogare videtur, sed infida esse quis nesciat? certa nimirum eorum breuitas, & ipsius quoque breuitatis finis incertus: quod notauit Hugo Victorinus in Psalm. 15. & Caiet. cùm ponderat Christum Dominum, cùm ingrederetur ciuitatem Hierusalem, fleuisse, Luc. 19. cæteris acclamantibus: Inter tot honores, inquit, sedens super asinam flet, non extollitur, non magni facit honores, qui doloribus, clauis, cruce, mortéque clauduntur, & tam citò intereunt: quod etiam videre est in primo homine, quem Deus posuit *in paradiso voluptatis*, Genes. 2. Hebraic. *in horto Eden*; terram autem Eden interpretatur D. Hieron. terram instabilem, & fluctuantem, sicuti solent gaudia, & voluptates vitæ instabiles esse. Vnde Philo lib. de victimis notauit, cur in legis oblationibus prohibitum fuerit mel. Illud quoque, ait legislator, iubet oblationem omnem fieri sine fermento, & melle, neutrum vt imponatur altari dignum existimans. Mel fortasis ideo, quòd hæc figura doceat profanam ducendam quamcumque voluptatem, dulcem

dulcem haustu, sed cruciatus afferentem difficiles, à quibus animam concussam labefactari necesse est. Quomodo ergo in his erit omne gaudium, si nec gaudium reperiri potest? Quod dixit Plat. in Mænone, siue de veritate, *nec gaudere impiis, seu, gaudium impiorum gaudium est.*

MELIVS proinde, ac certius gaudium, ac lætitiam in tentationibus debemus existimare, cùm per eas ingrediamur gaudium Domini, omne vtique, ac perfectum, cuius vel sola memoria dulces reddit tentationes, omnéque gaudium, & delectationem affert, sicut testatur Dauid Psalm. 76. *Memor fui Dei, & delectatus sum.* Quid faciet in præsentia, qui in sola memoria delectatur? ait Bern. de verbis Apost. *Non est regnum Dei, &c.* Ideóque Card. Baronius ait in Martyrologij præloquiis c. 10. Fauum mellis a Sanctis Martyribus in persecutorum rabie coagmentandum, fauus ille mellis ex ore leonis depromptus, typicè præmonstrauit.

VNDE iam licet deducere, cur luctator Iacob oblatum sibi à Labán gaudium reiecerit, quando scilicet, inscio socero, cum vxoribus ad patriá remeabat: ipsum insequutus Laban, ad eúmque perueniens, ait. *Cur ignorante me fugere voluisti nec indicare mihi, vt prosequerer te cum gaudio, & canticis, & tympanis, & citharis?* Gen. 31. super quæ verba Philo lib. 2. legis allegoriarum ita ait. Nunc ais quidem te liberam eam mittere, te autem ipsa fateris quòd detinueris eam (scilicet animam) in carcere; nam si eam cum instrumentis musicis, tympanis, citharis, aliisque singulorum sensuum voluptatibus prosequutus fuisses, non verè deduxisses. Supponens ea omnia, quæ voluptatem aliquam sensibilem ingerunt Iacobo, qui typum animæ gerit, potiùs captiuam detinere miseram animam, quam delectationibus fallacibus sic alliciunt. Ideóque Ambros. epist. 4. in persona Iacob sic respondet Labano talia proponenti. Quomodo nunc me dimisisses, an cum lætitia, quæ plena est mœstitudinis? cum tympanis, & organis immoderatè modulantibus? cum cymbalis animam ferientibus? sonis dissonis? his me delectari posse credidisti? his reuocari? hæc sunt quæ ego fugi: fugi, ne me talia sequerentur, non enim talibus deductoribus ad Ecclesiam Dei peruenitur, ad quam tendebat Iacob fugiēs vmbram inanium rerum, & plausibilibus præponens seria, &c. quæ prosequitur idem Philo lib. de migratione Abrahæ.

ADEOQVE verus cum tentationibus luctator Iacob verum gaudium in eisdem existimauit, vt nec mortuus requiem voluerit habere, sed etiam in eo statu agitationes perpeti, & experiri: id quod aduertit D. Ambros. oratione de fide Resurrectionis, ponderans, quod Iacob dixit filio Ioseph iam moribundus; *facies mihi misericordiam & veritatem, vt non sepelias me in Ægypto, sed dormiam cum patribus meis, & auferas me de terra hac.* Gene∫. 47. Ait ergo Ambros. Sanctus Patriarcha Israel profugus patria, fratre, parentibus, stuprum filiæ, generi necem fleuit, famem pertulit, sepulturā defunctus amisit, trāsferri enim ossa sua, ne vel mortuus requiesceret, obsecrauit: quasi tot labores præ gaudij magnitudine ei pauci

viderentur, eosdem & mortuus voluit dum pregrinatur, perpeti; vnde & noster etiam Iacobus omne, ac perfectum gaudium in tentationibus collocauit. De falsis verò gaudiis impiorum videndus August. 8. confess. c. 22. & 14. de Ciuit. & Ps. 86. prope finem, & Ser. 37. de verbis Domini. Chrysost. homil. 5. in 2. ad Corint. Seneca epistola 8. & epistola 60. & Plato in Philebo, vbi docet malos nulla vera lætitia affici, sed similes esse febri laborantibus, & qui interdum delectari videntur, cùm tamen febricitent.

§. IV.

Ostenditur gaudium in tentationibus, ex societate Dei in illis.

Psal. 90. ERIT fortassis ratio, & causa istius gaudij quam attingit Bernard. in Psalm. *Qui habitat*, Sermone 16. quòd scilicet sic tentati socium Deum habeant in tribulationibus, quod per Dauid promisit Deus, dum dixit: *Cum ipso sum in tribulatione*; super quæ verba ita ait Beruard. Vnde scimus quòd nobiscum sit in tribulatione? ex eo vtique, quòd in tribulatione nos sumus. Quis enim sustineret? quis subsisteret? quis persisteret sine

Psal 33. eo? Omne gaudium existimate, quoniam *iuxta est Dominus iis, qui tribulato sunt*

Sap 10. *corde*: ideóque Salomon dixit de Iacobo, *Profugum iræ fratris iustum deduxit per vias rectas, honestauit illum in laboribus.* Et de Ioseph. *Venditum non dereliquit; imò descendit cum illo in foueam.* Quod expendens Ambros. lib. de Ioseph. c. 5. ait: Nihil mirum si visitet Deus in carcere positos, qui se ipsum in suis inclu-

2. Reg. 7. sum esse memorauit. Hoc ipsum dixit Dauid apertissimè; *Redemisti tibi ex Ægypto gentem, & Deum eius*; vbi Vatablus sic ait: *Deum*, id est, te ipsum, quòd videaris affligi, cùm hi affliguntut. Ideóque visus est in camino ignis ardentis Nabuchodonosori Regi, dum dixit: *Ecce video quatuor viros solutos ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est; & species quarti similis filio Dei*; vbi multi veteres Authores; sicut indicat Hieronymus, Christum fuisse existimarunt, qui venerat soluere ligamenta, & ardorem ignis mitigare.

PROBAT hoc ipsum Hieron. libro. 2. in cap. 6. Ierem. ad ea verba, *Filia populi mei accingere cilicio, quia repentè veniet vastator super nos.* Licèt enim, ait Hieron. septuaginta interpretes legerint; *vastator veniet super vos*, multo tamen misericordiùs Deus dixit, *super nos*, vt quidquid super suum venturum est populum, super se quoque venire testetur. Sic Hieron. qui etiam in cap. 8. Ierem. ad ea verba, *Super contritione populi mei contritus sum, & contristatus sum, stupor obtinuit me.* Respondet Deus, quòd in afflictione Hierusalem ipse iudicatur afflictus. Videndúsque est in hanc sententiam Philo lib. de Ioseph. vbi respondet, cur oblitus fuerit pincerna Pharaonis Iosephi in carcere remanentis, asseritque non decere Iosephum liberari à pincerna, sed potiùs à Deo, quem comitem habebat in vinculis: per manum enim potentis Iacob, id est, Dei, soluta sunt vincula brachiorum eius.

Meri

Meritò proinde gaudium prædicat in tribulationibus Iacobus, quæ certum socium Deum habent, & liberantem, & subleuantem. Vnde de persequutione Christianorum dixit Nazianz. oratione 2. de Pace. Hoc ex omnibus, quæ patimur, clarissimum, & magnificentissimum est, quòd cum Deo periclitamur.

§. IV.

Ostenditur benignitas Prælatorum erga subditos.

OSTENDIMVS literalem rationẽ cur Iacobus discipulos nominauerit fratres. Illud nunc in memoriam reducimus, qua scilicet benegnitate, & modestia in sibi subditos, & inferiores vsus fuerit: Fratris enim nomen, totum patheticum, & affectuosum est. Quapropter & in Cantic. Sponsus, ac Sponsa sæpe eodem vtuntur; & Hesiod.

Sed nec germano quisquam est æquandus amori.

Et Latinus Poëta Æneid. 7. per hyperbolen dixit.

Tu potes vnanimes armare in prælia fratres.

VNDE, sicut refert Gellius lib. 13. noct. Artic. cap. 10. *Publius Nigid. arguto, subtilique veriloquio, fratris vocabulum interpretatur. Frater, inquit, est dictus, quasi ferè alter.* Ea igitur fuit etiam ratio cur Iacobus discipulos, subditos, exules, afflictos, & meritis suis longè inferiores appellat fratres, vt discant maiores non superbire, subditósque fratres, & non seruos existimare. Quod dixit Iesus Sirach: *Rectorem te posuerunt, noli extolli, esto quasi* Eccl. 32. *vnus ex eis*, quod præcipuè in verbis præstandum esse docet præsens locus.

NOTANDVS venit hîc locus ille in lib. Num. vbi Dominus ad Aaronem Pontificem Maximum sic ait: *Fratres tuos de tribu Leui, & sceptrum pa-* Num. 18. *tris tui sume tecum, præstoq; sint, & ministrent tibi.* Cur ergo diuinum Oraculum eos, quos ministros Aaroni assignat, fratres itidem nominat? Alias iam huius nominis causas attulimus, præterquàm quòd Scriptura, eiusdem tribus viros, fratres soleat nuncupare; modò vnus nobis adsit Oleaster: Superbiunt, inquit, nonnunquam superiores ministri, aliósque inferiores despiciunt, quasi suo Marte, & labore Sacerdotij dignitatem acquisiissent. Quare voluit Dominus hîc Sacerdotes, quasi fratres Leuitas habere: Sacerdotem proinde admonuit fraternitatis, & consanguinitatis Leuitarum ad eum. vt si aliquando prælatura eum super Leuitas extolleret, fraternitas memorata æquaret. Prosequitur hoc argumentum D. Gregor. 21. Moral. cap. 11. vbi ait: Omnes homines natura æquales genuit, sed pro variis meritis, aliis alios dispensatio iusta præponit: ne autem præpositi superbiant, premendus est tumor elationis: si enim apud semetipsam mens descẽderit de veritate culminis, inueniet planitiem naturalis æquitatis, &c.

FACIT etiam pro hac re id, quod aptè notauit Lorinus initio 2. epist. Ioan. 21. Petri ad ea verba, quæ Christus Dominus dixit Petro, *Simon Ioannis.* Data

opera, inquit ille, Simonem, non Petrum nominauit post resurrectionem, cùm oues ei committere voluit, vt Pastor Ecclesiæ constituendus intelligeret statum, & conditionem suam, ac vilitatem naturalem.

Et Ambros. lib. 2. Offic. c. 7. idem notauit in Moyse. Quàm miti sermone, inquit, appellabat populum, consectabatur in laboribus, &c. Meritò æstimatus est supra homines, vt & vultui eius non possent intendere, & sepulturam eius non repertam crederent, quia sic sibi totius plebis mentes deuinxerat, vt plus eum pro mansuetudine diligerent, quàm pro factis admirarentur. Quod idem prosequitur in Dauidis benignitate. Hinc est quod D. Greg. 5. Moral. c. 8. existimat Nabuchodonosorem ex homine in belluam diuinitùs conuersum, quia in sibi subiectos ferinà mente, & animo fuerat; vnde & acerba, ac aspera verba in eosdem proferre credendum est, cùm tamen Bern. Serm. 29. in Cant. hoc dicat: Neque sub specie quasi corripiendi verbo acuto, & vrenti transfigere audeas vllatenus animam, pro qua Christus affigi cruci dignatus est. Et Serm. 5. in vig. Natiuit. ait: Neque hominibus sine lenitate, plusquam Deo sine fide placere possibile est. Et Nazia. orat. 17. Multa benignitate, ac humanitate perfici scio, vt quæ ad debitam gratiā referēdā pudore ipso compellat.

Est optimus pro hac re ille locus lib. Num. c. 10. vbi *Moyses Hoab filio Raguel Madianita cognato suo dixit: Proficiscimur ad locum, quem Dominus daturus est nobis; veni nobiscum, vt benefaciamus tibi, quia Dominus bona promisit Israel. Cui ille respondit: Non vadam tecum, sed reuertar in terram meam, in qua natus sum. Et ille: Noli, inquit, nos relinquere: tu enim nostri in quibus locis per desertum castra ponere debeamus.* Super quæ verba sic ait Rupertus lib. 1. in Num. c. 28. Plerumque persuadere elatis vtilia meliùs possumus, si profectum eorum nobis potiùs, quàm illis profuturum dicamus: si eorum meliorationem nobis magis, quàm sibi impendi postulamus: facilè enim ad bonum elatio flectitur, si eius inflexio prodesse & aliis credatur. Neque enim Moysem ignorantia itineris angustabat, quem & ad prophetiæ scientiam cognitio diuinitatis expenderat, quem columna exteriùs præibat, quem de cunctis interiùs per conuersationem cum Deo sedulā locutio familiaris instruebat. Sed videlicet prouidius vir, elato auditori colloquens solatium petiit, vt daret: ducem requirebat in via, vt dux ei fieret ad vitā. Egit itaque, vt superbus auditor voci ad meliora suadenti, eo magis fieret deuotus, quò putaretur necessarius, & vnde se exhortatorem suum præcedere crederet, inde se sub verbis exhortationis inclinaret: vsque adeò enim prosunt lenia verba, vt lapideum animum emolliant, durum cor flectant, & ad viam veritatis reducant.

Qvis prophanam mulierem Samaritanam reducendam existi-
Ioan. 4. maret, cùm eam audiret dicentem: *Quomodo tu Iudæus cùm sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana?* Quibus verbis omnem aditum, & occasionem visa est intercludere diuinæ doctrinæ: institit tamen mitissimus Dominus, blandóque sermone iterum aggreditur, cui illa repercussa ait: *Domine, neque in quo haurias habes*, &c. Quid igitur tam citò

Dominum

Dominum vocat, quem immediatè, vt Iudæum execrabatur? Respondet Caietan.ibi.Priùs dixerat tu, modò dicit, Domine, incipit enim adorarè Iesum audita placida responsione eius, qua ferreum, & obduratum cor emollierat. Videndus item pro hac re est Hermanus Cruserius, ante vitam Philopœminis apud Plut. vbi refert Augustum Cæsarem Cinnam Pompeij nepotem, ex consilio vxoris Liuiæ, humanissimis verbis fuisse allocutum, vt sic tandem quod seueritate non poterat, lenitate perficeret. Videndus pro hac re Macrob. 1. Saturn. cap. 11. dicens: *Vnde putas arrogantissimum illud manasse prouerbium, quo iactatur, totidem nobis hostes esse, quot seruos? Non habemus illos hostes, sed facimus, cùm in illos superbissimi, contumeliosissimi, crudelissimi sumus, & non quantum licet, sed quantùm libet, exercere volumus in seruos.* Plura hac de re habet Seneca epist. 47. & 3. de Beneficiis cap. 22. & 28. Gentianus in Com. ad Clem. Alex. 3. Pædag. cap. 11. quibus addendus est, imò, & præponendus Aug. 19. de Ciuitate Dei cap. 15. Cyprian. ad Demetrianum, Chrysolog. Serm. 123. Plutar. lib. de cohibenda ira.

Vers. 3. *Scientes quòd probatio fidei vestræ patientiam operatur.*

EXPOSITIO LITERALIS.



IAM reddit rationem cur in laboribus lætandum esset, & tentationes quasi omne gaudium æstimandæ, quia scilicet aliquas secum afferunt vtilitates, plurimi ducendas. In primis enim probant, & examinant fidem; electos siquidem Dominus tanquam aurum in fornace probare solet, non quò ei innotescant, sed vt electi seipsos cognoscant, & imbecillitatem, ac inconstantiam propriam penitiùs contemplentur: quo pacto Christus Dominus Petri fidem probauit in mari, in lotione pedum, in Passione, & dum ter petiit ab illo, si plus aliis eum diligeret. Deinde, vt per talem probationem, electorum fides aliis ad exemplum prosit. Sic enim affirmat Paulus, persequutiones, vincula, carceres, & afflictiones, id est, tentationes suas multùm profuisse Euangelij promulgationi, quoniam fratres constantiam eius cernentes, audebant sine timore loqui verbum Dei. Vtrumque docuit Nazianz. orat. 19. Quid mirum, si Sancti quoque viri malis premantur, siue ad limi quantumuis exigui purgationem, siue ad veritatis explorationem, & philosophiæ documentum, siue denique ad imbecilliorum eruditionẽ, qui illis fortiter aduersa perferre cõdiscũt, rebúsque calamitosis minimè frangi, debilitarique? Ea tãdẽ vtilitas quã textus assignat, est, quòd scilicet huiusmodi probatio patientiam exerceat, acuat, atque producat. Vnde Vatablus legit, *exploratio fidei patientiam parit.* Sed posita sententia Iacobi, quòd probatio patientiam operetur, contrarius illi videtur alius locus Pauli, vbi dicitur. *Patientia operatur probationem.* Si enim patientia ope- Rom. 5.

ratur

ratur probationem, quomodo probatio operatur patientiam, sicut hîc ait Iacobus? daretur siquidem circulatio in causis. Nulla tamen implicatio, aut contrarietas est in his locis, vt aduertunt omnes interpretes.

ET pro explicatione aduertendum est ex diuo Thoma, super epistolam ad Romanos loco citato, probationem dupliciter posse accipi. Primo modo, secundùm quod est in probato, & sic probatio est ipsa tribulatio, per quam homo probatur. Altero modo sumitur pro probatum esse, & examinatum. Primo igitur modo accipitur à Iacobo, quando dixit. *Probatio fidei vestræ patientiam operatur:* sic enim probatio in homine parit, ac producit patientiam. Secundo verò modo sumitur à Paulo, quando dixit, *Patientia operatur probationem:* ex eo enim quòd quis patienter tribulationem sustinet, probatus redditur, eiúsque virtus spectata magis nitet. Et fortè nihil aliud voluit Iacobus quando dixit, *Patientia autem opus perfectum habet*, id est, ostendit perfectionem virtutis. In quam sententiam dixit Cyprian. de Idol. vanit. Dolor veritatis testis. Et lib. de immortalitate, in principio: Fides tentationibus non vincitur, sed probatur; idémque habet epist. 9. vnde Epictetus Philosophus in Arriano cap. 6. *Quidnam quæso esset Hercules, nisi taurus, leóque extitisset, & hydra, & ceruus, & vrsus,* &c.

ALIAM rationem conciliandi hæc loca affert Beda, vt scilicet intelligatur, quòd probatio fidei patientiam operatur, quia ea ratione facit fideles per patientiam exerceri, vt per hanc fides eorum quàm sit perfecta probetur. Sed cùm hoc sit in genere causæ finalis, ideo non placet quia verbum illud, *operatur*, efficientiam denotat.

NON est omittendus hoc loco Chrysolog. Serm. 110. vbi ad ea verba Pauli, *Scientes quòd tribulatio patientiam operatur*, &c. sic ait: Ecce quibus ætatibus iustus perfectum roboratur in virum, in tribulatione, patientia, probatione, & spe. Tribulatio, fratres, velut primam iusti viri concutit, & conturbat infantiam, sed cùm inuenerit ista patientem, ad maiora adolescentem iam bonæ indolis tunc erudit. Tribulatio patientiam operatur, patientia est, fratres, quæ Christi iuuenem aptum probat esse virtutibus.

§. I.

Tentationibus, & laboribus examinatur animi virtus.

PRÆSENS locus docet gaudendum nobis esse, cùm à Deo probamur, & tentamur, vt nos dignos se inueniat, quod dixit idem Deus apud
Isai. 54. Isai. cap. 54. *Ecce ego creaui fabrum sufflantem in igne prunas*; vbi per fabrum intelliguntur tyranni, & persecutores, qui Sanctis viris tribulationes infligunt, vt probentur apud Deum, sicut notauit Nazianzen. orat. de laudibus Athanasij, & Tertullian. lib. de fuga in persecutionibus, dicens: Cùm exurimur persecutionis ardore, tunc probamur de fidei tenore,
hæc

hæc erunt ignea iacula diaboli, per quæ vstio fidei, & conflatio administratur; etenim, sicut dixit Athanasius q. 7. vbi nullus est aduersarius, non manifestantur dextri regis milites. Et Cypr. lib. de laude Mart. Quoniam nos terrenis tentationibus probat Dominus, & his sæculi malis scrutator Christus expendit, gratulandum nobis est, atque lætandum, quòd non illis nos perennibus reseruat exitiis, sed gaudet ab omni contagione purgatos. Qua de re plura habet idem Cyprian. epistola 56. Etenim quod ignis est auro, hoc & animis tribulatio, sordem abstergens, faciens mundos, &c. quæ prosequitur Chrysostomus homil. 66. ad popul. In quam sententiam dixit Tertullianus lib. de fuga in perseq. In quantum iustitiæ iniquitas æmula est, in tantum materia est ad testimonia eius, cuius est æmula: dum enim iniquus iustum persequitur, probatam reddit iustitiam eius, quem iniustè persequitur, ideóque Eucherius in lib. 2. Regum cap. 10. ait: Sic electorum desideria, dum premuntur, aduersitate proficiunt, sicut ignis flatu premitur, vt crescat, & vnde quasi extingui cernitur, inde roboratur: in eo namque ostendimus quanta ad Deum cupiditate flagramus, si non solùm ad eum per tranquilla, & mollia, sed etiam per aspera, & dura transimus.

PHILO libro de migrat. Abrah. notauit illud, quod dicitur, *venerunt in Marà, nec poterant bibere aquas, eo quòd essent amaræ, ibi constituit ei præcepta, & ibi temauit eum.* Est certissimum, inquit, experimentum animæ in labore, atque amaritudine, alioqui non facilè quò vergat, discernitur. Nam multi nimis citò defessi sunt, non ferentes laborem, grauem aduersarium, manus præ languore dimittentes, sicut athletæ, qui desperant de victoria, alij autem progressi sunt, &c. Clariùs idem Philo lib. de sacrificio Abel, & Cain. Labor, inquit, inter præcipua bona. Hunc enim, si verum dicendum est, omnis felicitatis, omnísque virtutis principium hominibus Deus declarauit, sine quo nihil honestum. Nam sicut sine luce videre non possumus, quia nec colores, nec oculi ad videndum sufficiunt, eodem modo animæ oculus nullam virtutis actionem potest attrectare, nisi à labore, seu luce adiutus. Vbi vides, quòd sicut colores videri, aut discerni nequeunt absque luce, ita nec virtutes percipi, talésque probari absque labore. Vnde Gregor. 11. Moral. cap. 17. de reprobis intelligit illud: *Confitebitur tibi cùm benefeceris ei.* In hoc, inquit, mēs iusta ab iniusta discernitur, quòd omnipotentis Dei laudem inter aduersa confitetur, quòd non cum rebus frangitur, non cum casu gloriæ exterioris cadit, sed in hoc magis, qualis cum rebus fuerit demonstrat, quæ & sine rebus robustior stat. Et Nazianz. orat. 24. Ex ipsis periculis robur Sancti viri collegerunt: Philosophicus enim animus, ex eo quòd passus sit, generosior redditur. Augustinus verò in Psalm. 36. & in Psal. 118. Vires fidei tentatione discutiuntur, eadémque inexercitata languescit. Deus persequutionibus tyrannorum, & fraudibus hæreticorum illam examinat, explorátque vtrùm solida, constánsque permaneat, nec ab illa deficiamus, etiamsi de hac vita, propter eam exeundum fuerit, quibus habet similia Iren. lib. 4. cap. 14. Quibus ad-

Exod. 15.

dendus est Origenes homil. 23. in Num. cùm ait; Aurifex vas frequenter admouet igni, subdit malleis, rasoriis perstringit, vt purgatum fiat, & valeat ad speciem quam prospicit, peruenire. Additque, idem penitus accidere, vt quis fidelis in vas electionis euadat. Similia habet Ambrosius tract. de 42. mansionibus, & Hieron. in epist. ad Fabiolam.

VNDE Seneca libr. 1. de prouidentia ait. *Bonum virum Deus in deliciis non habet, experitur, indurat, sibi illum præparat.* Demetriúsque, teste Stobæo Serm. 18. dicere consueuerat nihil sibi videri infelicius eo, cui nihil vnquam euenit aduersi, quòd oporteat talem hominem, aut sibi ignotum esse, vt qui nunquam sui periculum fecerit, aut diis inuisum, quem præterierunt velut ignauum ad fortunæ conflictum. Ex quibus omnibus liquet tentationem esse probationem, qua vir sanctus examinatur, virtutes nitent, fidésque purior redditur. Solius autem fidei meminit hoc loco Iacobus, quia est substãtia, & fundamentum cæterarum virtutum, sicut probauit Ambrosius Psalm. 1.

§ II.

Tentationibus patientia acquiritur.

SECVNDA tentationum, afflictionúmque vtilitas est patientia; quæ inde tanquam habitus repetitis actibus acquiritur, quod eleganti similitudine exposuit Nazianzenus loco proximè citato. Ex eo enim quòd animus passus sit, inquit, vt candens ferrum frigidæ aquæ aspersione, ita periculis obdurescit. Impenetrabiles enim thoraces ferreæ, quæ ictibus hostium, ferreisque globulis debent obsistere, aqua frigida aspersa in fabricatione obdurantur. Cui addendus est Ambrosius lib. 1. de Pœnitentia, cap. 13. vbi de diabolo sanctum Iob persequente ita ait: Sic & Sanctum Iob magis armauit, postquam vulnerauit, qui diaboli morsum pertulit, sed venena non sensit. Iam verò patientia armatura est, sicut probat Cyprian. libro de lapsis. Hæc igitur est armatura fortium, qua hostium incursus debent excipi, non illis infligi: vnde mille clypei pen-
Cant. 4. dent ex Dauidica turri Ecclesiæ, non verò gladij, hástæ, aut alia instrumenta offensionis: Christiana siquidem fortitudo in perferendis, nõ infligendis malis consistit, in patiendo, non verò offendendo pensatur. Nam sicut dixit Isai. *Iusti mutarum fortitudinem*: quod exposuit Gregorius 7. Moral.
Cap. 4. cap. 8. Alia, inquit, iustorum alia reproborum fortitudo, iustorum in tolerandis malis, reproborum in inferendis. Patientiæ igitur clypeus quo labores debent excipi, eisdem fabricatur, & induratur, quasi calens ferrum aquæ frigidæ aspersione. Vnde Ambrosius de interpell. Dauid: Non scindatur ferro anima tua, sed vt anima Ioseph, ita anima tua ferrum per-
Ps. 104. transeat. Sic enim legit illud quod vulgata habet; *Ferrum pertransiit animam eius*, quasi anima Ioseph, laboribus indurata ipsum ferrum penetrauerit, non verò ferrum ipsam animam. Ita enim contingit animis tentationibus

diu

diu probatis, qui velut globos à se expellunt, & reiiciunt tentationes, eisdem minimè cedentes. Quod dixit Tertullianus lib. de Patientia cap. 8. Plus, ait, improbum cædis sustinendo; omnis iniuria, seu lingua, seu manu incussa cùm patientiam offenderit (id est, inuenerit) eodem ictu dispungetur, quo telum aliquod in petra duritiæ constantissimæ libratum, & obtusum. Concidit enim ibidem irrita opera, & nonnunquam repercussum in eum qui emisit, reciproco impetu sæuit. Nempe idcirco quis te lædit, vt doleas, quia fructus lædentis in dolore læsi est: ergo cùm fructum eius euerteris, ipse doleat necesse est amissione fructus sui. Vnde Ambrosius lib. 7. in Luc. cap. 10. notauit qua ratione voluerit Christus Dominus, vt iniurias acceptas offensoribus rependeremus, quando dixit; *Qui te percussit in maxilla, prabe illi & alteram.* Hoc pugno, inquit, repercussit Dominus verberantem, grauiora contumacibus mansuetudo vulnera refert; fit enim vt iudicio suo ipse se damnet, & quodam stimulo sui compungatur affectus, qui relatam sibi sedulitatem pro iniuria, quam fecit, aduertit. *Matth. 5.*

HÆC est ratio, quare postquam per patientiam fortes senserat Paulus Romanos, dixit eis, *Date locum iræ*, non quidem resistendo, aut fugiendo, sed percutienti in dexteram maxillam, vertendo, & offerendo aliam, sicut exposuit Basilius in reg. breuiorib. 244. Orig. & Ambros. ibi. Voluit enim Apostolus, vt qui Christianum offenderet, ipsum per patientiam probatum inueniret, quandoquidem vulneribus minimè cedebat, imò obduratus, & immobilis stabat. *Rom. 12.*

CVM ergo militia sit vita hominis super terram, & currendum nobis sit per patientiam ad propositum certamen, sicque reportandæ promissiones, necessaria vtique est patientiæ armatura, quando superanda omnis fortuna ferendo est, talique clypeo ignea nequissimi tela accipienda. Officina autẽ vbi construitur hæc armatura, est fidei probatio per afflictiones, quod testatur noster Apostolus, dum ait. *Probatio fidei vestra patientiam operatur.* Illud tamen notandum velim, non esse vsque adeò tribuendam patientiam loboribus, vt negemus esse etiam præclarissimum Dei donum, quod dixit Dauid: *Tu es patientia mea, Domine.* Et idem fatetur cùm ait. *Ab ipso patientia mea.* Quod etiam probat Augustinus Sermon. de Sancto Vincentio. Videat qui velit, viginti & sex vtilitates patientiæ, apud Tertullian. lib. de eadem. & Cyprian. lib. de bono patientiæ, quæ maximè conducunt ad toleranda omnia aduersa, mente imperterrita. *Iob 7. Heb. 12. Ibid. 11. Psal. 70. Psal. 60.*

Vers. 4. *Patientia autem opus perfectum habeat; vt sitis perfecti, & integri, in nullo deficientes.*

EXPOSITIO LITERALIS.



OMNES Græci interpretes, Beda, & emendati codices Latini legunt hunc locum per modum imperandi, *patientia opus perfectum habeat.* Quod notanter positum esse dicit Oecumenius. Animaduerte, inquit, quòd non dixerit per indicatiuum, *opus perfectum habet*, sed, *habeat.* Non enim prædicat eam, quæ præfuit, virtutem, sed quæ accedit, & quomodo fieri oporteat, statuit. Quasi velit his verbis Apostolus: Aduertite, vt patientia habeat perfectionem suam, hoc enim est proprium huius virtutis, idémque sensus est, si legatur in præsenti.

VEL etiam erit sensus: Nolo tolerantiam vestram esse momentaneam, & infructuosam, sed perfici, & consummari per multiplices tentationes, & afflictionum sustinentiam vsque ad nouissimum certamen, & vltimatam pugnam. Namque aliquando patientia perseuerantiam significat, vt
Luc. 21. quando dixit Christus Dominus: *In patientia vestra possidebitis animas vestras*; idem est atque in perseuerantia vestra, eandem namque sententiam refe-
Matt. 10. rens apud Matth. dixit: *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit:* Vt sitis perfecti, in fide scilicet, & integri in omni virtute, in nullo deficientes, ab exequutione scilicet operum bonorum, nec tentationibus succumbentes, vel sitis perfecti in interiori dispositione, & integri in omni affectione, non deficientes in virtutum operibus. Etsi enim in hoc miseriarum luto hæreamus, & admodùm imperfecti simus, continuisque certaminibus expositi, diuina tamen gratia perfecti, & integri erimus, & eisdem certaminibus probabimur, vt perfectiores, imò perfectissimi redditi, Deo in patria sistamur.

§. I.

Quàm perfectos reddat patientia Sanctos in laboribus.

Psal. 38. VT absconditam doctrinam sub labore, & patientia aperiamus; namque D. Aug. illud Psalmi, *Qui fingis laborem in præcepto*, legit, *Qui abscondis doctrinam sub labore*; aduertendum est hunc locum primò ostendere, patientiam perfectos, & elaboratos reddere Sanctos, quod dixit Dauid,
Psal. 16. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua*, vbi alij legunt; *Satiabor cùm afflictus fuero ad*
Rom. 8 *similitudinem tuam.* Eos enim, quos præsciuit, & prædestinauit Deus conformes fieri imagini Filij sui, ad ipsius etiam imaginem, & patientiæ exemplar torqueri, & affligi permittit: qui sicut ouis non coram tondente se, sed coram occidente obmutuit; sicut prosequitur Ber. hom.

1. in

1.in *missus est*, de quo etiam Tertullian. lib. de Patientia dixit: Hinc vel maximè ô Pharisæi Dominum cognoscere debuistis, patientiam huiusmodi nemo hominum perpetraret. Vnde cùm ei dicerent insultantes Iudæi, quòd si descenderet de Cruce, illi essent credituri, noluit, quia patientia docebat, potentia differebat. Id enim tanquam perfectissimum voluit docere, & inculcare potiùs quàm ipsam Dei potentiam. Proditur enim Deus iniuriarum acerbitate, sicut dixit Ambros. lib. 2. in Luc. c. 3. *Mat. 27.*

ACVTE equidem in hanc sententiam notauit Chrysol. Serm. 101. id quod Christus Dominus dixit: *Dico autem vobis amicis meis, ne terreamini ab his*, &c. Ad Dei amicitias, inquit, sublimatur, qui propter Deum humanas despicit mortes, nescit timores; si amicos morum facit imitatio, morum similitudo coniungit, conuenienter eos amicos vocat Christus, quos imitatione sua mundi iacula, & ipsam mortis formidinem conspicit, & præuidet calcaturos, vobis proinde hoc dico, non omnibus, sed amicis. *Luc. 12.*

HINC est quòd postquam Abraham vidit quo animo, qua patientia & taciturnitate filius Isaac se sacrificio aptauit, & gladio subiecit, à cœlo prohibitus ne eundem occideret, *accepit*, inquit Paulus, *cum in parabolam*; Vatablus explicat: Accepit eum in similitudinem, vt esset similitudo Christi; nihil enim in terris sic potuit similitudinem illius hominis Christi, in quem desiderant Angeli prospicere, ob oculos proponere, quàm adolescens ille, qui tantam exhibuit patientiam. Sic igitur deinde eum colebat pater, quasi in eo veluti in typo, & figura hominem Deũ coleret. *Hebr. 11.*

HOC ipsum mihi videtur adumbratum in eo, quod contigit Iacob cum Esau fratre, cuius iram ex consilio Rebeccæ, quæ sapientia dicitur, declinauerat, profectus Mesopotamiam Syriæ, vnde cùm iterum rediret memor benedictionis ablatæ, & primogenituræ præreptæ, quæ animum Esau contra ipsum admodùm concitauerant, quémque ipse sedare curauit, currens tamen Esau obuiam fratri suo, amplexatus est eum, stringénsque collum eius, & osculans fleuit, longè aliter euenit, quàm quisquam posset existimare; offensus amplectitur offensorem, spoliatus primogenitura, & benedictione osculatus eum, qui hæc præripuit, super collum eius flet. Audiamus quid dixerit Iacob: *Accipe munusculum, sic enim vidi vultum tuum, quasi viderim vultum Dei*; ac si diceret: Non mihi videris homo, quando tanta lenitate, & patientia ea, quæ aduersum te commisi superas, & omittis, & non solùm offensas dimittis, sed me quoque offensorem amplexaris, & maculas iniuriarum tuis etiam lacrymis diluis, vultus iste tuus similitudinem Dei refert; nihil enim sic reddit imaginem Dei in terris, quàm ea patientia, quæ in te relucet. Proinde accipe munus, & sacrificium, quod Deo in ipsius imagine offero. *Gen. 33.*

VIDENDVS Nazianz. orat. 1. contra Iulianum, vbi narrat de Antisthene Philosopho, qui cùm à petulanti quodam, & audaci homine toto ore contusus, atque comminutus fuisset; in fronte dumtaxat, quasi in statua percussoris nomen inscripsit; metaphora sumpta scilicet à pictoribus, qui in picturis suis subscribunt, faciebat Apelles, verbi gratiâ; quod

etiam refert Diogen. Laërt. in vita Cratetis, quem Nicodramus percussit in facie, Philosophus autem in sua fronte scripsit; *faciebat Nicodramus.*

In quam sententiam facit id quod Chrysost. dixit Serm. 35. de Patient. Iob tom. 5. cùm loquitur de eo bonis spoliato, vlcere percusso, patienter tamen ferente. Fingite, inquit, vobis illam auream effigiē gemmatam, non tam splendido Rex solio sedet, quàm tunc insignis ille, clarúsque in stercore sedebat, nisi corpus vulneribus perterebrasset, interiores radij non emicuissent, nisi in stercore cōstitisset, diuitias eius non noueramus. Posset verò quis imagini aureæ patientiæ subscribere, faciebat persequutio, perfecit patientia. Vel etiam possemus ex doctrina eiusdem Chrysostomi prædictorum Philosophorum mentem explicare, qui hom. 1. in Psal. 50. ait: Habent imagines superscriptiones præfixas, in quibus scriptum est, quod prælium vicerint, ideòque nomina offensorum in facie posuerunt, vt ostenderent se de illis per patientiam triumphasse.

Opus etiam perfectum habet patientia, quod Deus in laboribus incepit, per patientiamque construxit, & perfecit in cœlo. In quem sensum possumus adducere locum illum Hierem. *Cogitauit Dominus dissipare murum filiæ Sion, tetendit funiculum suum.* Extenditur quidem funiculus ad extruendos, & erigendos parietes, sed in opere patientiæ ædificatur, dum terrena habitatio deiicitur, bonáque temporalia amittuntur, & lapides qui inseruiunt huic ædificio, probati quidē sunt, tunsionibusque & pressuris expoliti, dúmque percutiuntur, simul perficiuntur, & eriguntur, quod fatetur Dauid, cùm dixit, *Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt*; vbi D. Hieronym. ex Hebr. Tribulationes cor meum sursum ferri fecerunt, creuerat vtique opus illud donec perfectum redderetur in cœlesti Ciuitate. Vnde D. Basil. in Psalm. 33. Illa cælestis Hierusalem non est bellatorum spolium, sed longanimiter, & mansuetè omnia tolerantium sperata hæreditas. Quibus habet similia Chrysost. hom. de patientia Iob. Vnde ad illam per patientiam currimus, sicut dixit Paulus, vel etiam volamus, sicut notauit Gregor. 6. Moral. cap. 7. ad ea verba: *Homo ad laborem nascitur, & auis ad volatum.* Quia, inquit, inde mens ad summa euolat, vnde caro infimis duriùs (id est, patiētiùs) laborat. Annon quasi auis Paulus ad volatum natus fuerat, qui tot aduersa sustinens dicebat; *Nostra autem conuersatio in cœlis est?* Velut auis ergo ima transcenderat, quem adhuc corpore in terra demorantem iamiam in sublimibus spei plena subleuabat penna.

Thren. 2.

Psal 24.

Iob. 5.

Est optimus pro hac re ille locus 2. Corinth. 11. vbi Paulus innumeros penè labores perpessos enumerat, cùm ait: *Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci,* &c. postea verò subdit, *Venio nunc ad reuelationem*; & præclara in se à Deo collata beneficia pergit recensere. Videtúrque ordinem prorsus inuertisse, cùm præ omnibus, sicut notauit Chrysost. Dei beneficia ob oculos proponere debuisset. Sed ad rem præsentem præclarè Orig. homil. 9. in Num. Enumerat, inquit, se super cæteros in tribulationibus fuisse; quò ostendat in his gloriam Domini consequi potuisse; quasi rectè probasset ex laboribus exantlatis gloriam adeptam. Nec minùs facit

facit id, quod notauit Chrysosto. Serm. 123. dixisse scilicet Abrahamum diuiti epuloni, Lazarum recepisse in vita mala, postmodùm verò consolari: id sufficiat, inquit ille, ad gloriam, si non fecit bona, sed recepit mala. Quasi rectè inferatur, bona cœlestia affutura illi, qui mala in præsenti patienter sustinuit. Opus ergo perfectum habet patientia, cùm ad gloriam vsque perficienda ascendat dum premitur, euolet dum violatur.

NISI forte patientia opus perfectum habeat, dum naturalem perfectionem longe superat. Hæc etenim in agendo perfectionem constituit, at verò patientia in patiendo, & tolerando opus perfectum habet, sicut etiam ex defectibus perficitur. Ea enim quæ amisimus (si patienter toleremus eorum amissionem) nobis ad profectum prosunt: quod notauit Chrysost. hom. 35. de patientia Iob. loquens de iis, quæ amittimus. Licet tibi, si talia pateris, tanto affici præmio, quanto si ea vltrò erogares: cuius rei rationem reddit idem Chrysost. hom. 68. ad pop. Quoniam quidem bene mereri dando, est animæ fructus, & voluntatis: pati verò, est infestatio, & violentia, quæ perfectum opus habet, si toleretur. Perfectionem verò, quæ in patiendo reperitur, prosequitur Gregor. lib. 5. Moral. cap. 13. vbi ponderat ea verba Eliphæ ad Iob. *Vbi est timor tuus, fortitudo tua, & patientia tua, & perfectio viarum tuarum?* Iob. 4. Quibus verbis ordinatè enumerat virtutes, perfectionémque apponit patientiæ. Ait ergo Gregor. Quia perfectio de patientia nascitur, statim post patientiam, viarum perfectio subinfertur. Ille enim verè perfectus est, qui impatiens non est.

FALLOR, nisi perfectio patientiæ satis comprobetur ex eo quòd cùm diabolus cæteras omnes virtutes aggredi audeat, hanc admiratus fugit, & iuxta hanc positus obmutescit; quod notauit Tertull. lib. de Patient. cap. 16. quod etiam prosequitur D. Chrysost. Serm. 35. de patient. Iob. Cùm esset Iob, inquit, in possessione bonorum, diabolus suspicionis aliquid habebat. Non gratis, inquit, Iob te colit; Iob. 1. postquam autem pecunias abstulit, cúmque omnibus nudum reliquit, tunc ostensum est deinde impudens os eius, nihilque quod præterea diceret habuit, &c. tunc victus cessit. Quid est diabole quòd ita fugis, &c. meritò proinde tanquam perfectissimæ virtuti tribuitur corona, ac palma cœlestis, ideóque viginti quatuor illi seniores ad Regni gloriã, & coronã euecti, dũ procidentes dicunt Apoc. 5. Agno, *fecisti nos Deo nostro Regnũ .i. Reges*, (vt habet Græca lectio) *& Sacerdotes, & regnabimus super terrã* explicant scholia Græcanica: per tolerantiam afflictionum, Regni victoriæ corona insigniti sumus, hoc enim perfectum opus reddit patientia. Vnde Paulus volens se perfectũ Apostolũ probare dixit. *Signa Apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia, in signis, prodigiis, & virtutibus*; 1. Cor. 12. vbi patientiã signis, & prodigiis vides anteposuisse: qui enim bonum certamen vsque ad finem seruando certat, se perfectum probat.

MERITO interrogabit quis, cur cùm Dominus omnia ablata bona duplicata reddiderit Iobo, filios non item restituit, nisi quo numero fuerant ablati: Iob. 48. rationem reddit Tertul. lib. de Patientia. Sustinuit, inquit, tam voluntariã orbitatẽ, ne sine aliquã patientia viueret. Quãtuncũque enim

certa

certamen patientiæ vicerat, quo tandem in fine meliùs triumpharet, voluit diu, per totámque vitam, filiorum mortes pati.

LICET autem diuus Thom. per opus perfectum intelligat opus priuilegiatum, scilicet opus Martyrij, in quo perfectissima charitas relucet, non indiget quidem patientia hoc opere ad perfectionem, cùm ipsa martyres faciat sine sanguine, sicut dixit Chrysost. hom. 33. in 1. ad Corinth. Relucétque etiam in patientia charitas, quatenus omnia suffert, sempérque credit, & spem infractam conseruat, & non solùm ea, quæ patitur, tolerare amat, & persequentem diligit: quod notauit Gregor. hom. 7. in Ezech. Patientia, inquit, vera est, quæ & ipsum amat, quem portat: nam tolerare, & odisse non est virtus mansuetudinis, sed velamen furoris. quibus habet similia Tertull. cap. 15. de Patient. ideóque patientiæ in nullo deficienti sola restat, ac debetur corona gloriæ: illa enim vera terra promissionis, non in gladio possidetur, sicut dixit Ambros. Psalm. 43. neque brachio capitur, sed patientia possidetur, & acquiritur. Nisi tandem illud sit opus perfectum, quod vult Apostolus vt habeat patientia, si omne gaudium quis existimans, & cum Apostolis gaudens patiatur. Nam, sicut notauit Bern. Serm. 3. de Circuncisione: Si molestè cœperis sustinere, etiamsi exteriùs impleas, non est hæc virtus patientiæ, sed velamen malitiæ.

§. II.

Perfectio patientiæ in perseuerantia patiendi probatur.

POTEST etiam esse sensus huius loci, vt non semel, ac iterum solùm aduersùs tentationes obluctemur, sed vsque ad finem decertantes
Heb. 12. perseueremus, sicut dixit Paulus; *In disciplina perseuerate*, hoc est, in flagellis, & laboribus, vnde patientia Græcè dicitur, sustinentia. Potéstque hæc expositio confirmari ex D. Hieronymo, ad Rom. cap. 2. vbi per patientiā, perseuerantiam intelligit, dicítque: Tunc erit perfectum opus, si vsque in finem perseuerauerit. Ea enim perfecta, & consummata est patientia, quæ ad vltimam vsque persequutionem immobilis perseuerat; quod docuit Orig. lib. 2. in Iob, quando in persona eiusdem Iob ait: Quandiu tu percutis, ego sustineo: quasi perfectæ patientiæ mensura sit permanentia in tolerando. Et Bernard. epist. 129. Perseuerantia, inquit, meretur viuis gloriam, coronam virtutibus: prorsus absque perseuerantia, nec qui pugnat victoriam, nec palmam victor consequitur. Tolle perseuerantiam, neque obsequium mercedem habet, nec beneficium gratia, nec laudem fortitudo. quibus habet similia D. Gregor. 2. Moral. cap. vlt. & eodem lib. cap. 4.
Exod. 29. ait: Per Moysem caudam hostiæ in altari offerre præcipimur, vt videlicet
& Leuit. omne bonum, quod incipimus, etiam perseuerante fine compleamus. Et
3. in Scriptura finis, & victoria idem sunt, vt patet ex titulis Psalm. *in finem*, id est, pro victoriam consequuto. Thren. 3. *Periit finis meus*, Arias vertit, *durationem*, Pagninus *fortitudinem*. LXX. *victoriam*. Ideo Aug. Serm. 86. de diuersis.
In cru

In cruce per totam istam vitam debet pendere Christianus: non enim est in hac vita tempus euellendi clauos. Quid enim proderit vno, vel altero certamine superato, tandem persequutori manus dare? Ea siquidem est patientia, quæ perfectum opus habet.

In hanc etiam sententiam videndus est Philo lib. *Quòd omnis probus sit liber*, vbi ait: Spectaui aliquando certantes, alterum obtundentem pugnis, totis viribus contendentem ad victoriam, tandem lassum, & incoronatum discedere: alterum tanquam saxeum, ferreúmue nihil plagis cedere, sóláque patientia superare aduersarium, & ad extremum adipisci victoriam; huic similem bonum virum censeo, qui validè confirmatus, certo animi proposito efficit, vt aduersarius priùs delassetur inferendo iniurias, quàm ipse quicquam agat præter animi sui sententiam. Cúmque per illatas iniurias, earúmque tolerantiam sanctitas veluti elaboretur, ea, quæ vsque ad finem confirmata non fuerit, perfecta nequit esse.

Pro qua re videndus est ille locus Plin. lib. 35. cap. 10. vbi de Parrhasio pictore ait. *Confessione artificum in lineis extremis palmam adeptus est, hæc in pictura summa sublimitas, corpora enim pingere, & media rerum, est quidem magni operis, sed in quo multi gloriam extulerint, extrema corporum facere, & desinentis picturæ modum includere, rarum in successu artis inuenitur: ambire enim debet se extremitas ipsa, & sic desinere, vt promittat alia posse, ostendátque etiam quæ occultat.* Vbi totam perfectionem in conclusione, & deductione ad perfectum finem collocat, quam in perseuerantia virtutum constituimus, & in deductione vsque ad finem vitæ, & terminum figuræ huius mundi quæ citò præterit. Namque, sicut dixit Bernard. epist. 78. cœpisse nihil proderit, nisi perseuerare contigerit. Quod videtur significatum in veste Sacerdotali, in cuius fimbria, & fine iussa sunt appendi malogranata, quæ sola inter cætera poma coronam à natura videntur meruisse, vt significatum intelligeremus, eam solam virtutem, quæ ad finem vsque peruenit, & ad vltimum perseuerat, esse coronandam gloria, & pro regia habendam. Cui doctrinæ consonat id quod Bern. dixit epist. 109. Studete perseuerantiæ, quæ sola virtutum coronatur. qua de re multa etiam habet idem Bernar. epist. 129. vbi perseuerantiam appellat sororem patientiæ. Videndus est hac de re Euseb. Emiss. hom. 5. ad Monachos. Orig. hom. 5. in Genes. Cypr. epist. 7. Hieron. tom. 9. in cap. 8. 2. ad Corinth. Ea itaque perfecta patientia est, quæ immobilis ad omnes conflictus perseuerat, & triumphatrix euadit.

Vers. 5. *Si quis autem vestrûm indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat.*

EXPOSITIO LITERALIS.



HÆc est secūda huius capitis exhortatio de vera, salubri, & Christiana sapientia à Deo summis precibus exquirenda. Sunt autem, qui hāc sapientiam restringunt ad doctrinam de patiētia. Ideóque

D. Thom. ait: *Si quis vestrûm indiget sapientia* .i. sapida scientia ad condiendam amaritudinem tribulationum, vel ad degustandum prædictæ patientiæ fructum, ostenditque perfectæ patientiæ radicem esse sapientiam, quia
2.Cor.11. patiens multa gubernatur sapientia, vnde Paulus ait: *Libenter suffertis insipientes, cùm sitis ipsi sapientes*, id est, ex eo quia vos reputatis sapientes, debetis patienter tolerare insipientium iniurias. Et Salomon Prouerb. 19. *Doctrina*
Eccle.34. & Iob.28. *viri per patientiam dignoscitur*; vbi vox Hebræa שכל *schechel*, intellectum significat. *Qui nō est tētatus quid scit? Sapiētia enim non inuenitur in terra suauiter viuētiū.*

Rom. 8. Psal.18. Alii verò intelligunt prudentiā supernaturalem, quæ *spiritus vitæ* vocatur à Paulo, de qua dictum est, *Testimonium Domini fidele sapientiam præstans paruulis*. Vnde & Oecumenius ait, probationem, ac tolerantiam in afflictionibus, non esse opus quorumuis hominum, sed eorum, qui secundùm Deum sunt sapientes, propterea ad sapientiæ postulationem impellit eos. Et Beda; Si quis vestrûm non potest intelligere vtilitatem tentationum, quæ fidelibus probandi causa eueniunt, postulet à Deo tribui sensum, quo dignoscere valeat quanta pietate pater castiget filios, quos æterna hæreditate dignos efficere curat.

Et ne quis diffideret se petentem sapientiam posse consequi: ad alliciendos animos, precesque sedulò pro sapientia fundendas, summam Dei liberalitatem proponit, qua omnibus affluenter tribuit: vbi Græcam vocem alij redunt *benignè*, alij *absolutè*, alij *candido animo*: sed meliùs, *vberrimè, largissimè*. At verò August. Hieron. & cæteri Patres Latini legunt cum vul-
Rom. 10. Ephes.3. gata, *affluenter*, quod significat effusam liberalitatem Dei; iuxta illud Pauli, *Diues in omnes qui inuocant illum*. & alibi: *Potens est omnia facere superabundanter, quàm petimus, aut intelligimus*. Est autem diuinæ liberalitatis conditio, quòd nulli deficiat, & omnibus præstò sit, sine personarum acceptione, sicut notauit hîc D. Thom. Secunda verò conditio est, quòd Deus sua beneficia non improperet, siue non exprobret, vt vertit Vatablus. Quæ omnia lucidiora fient ex apposita doctrina.

§. I.

Ostenditur connexio patientiæ cum sapientia.

Hic locus in primis iuxta ea, quæ notata sunt circa literam, ostendit veram patientiam simul cum sapientia reperiri, quod dixit Sapiens
Prou. 14. *Multa prudentia vir tolerans est, intolerans validus stultitia*. Quem locum notauit Chrysost. hom. 33. in 1. ad Cor. vbi ait: Patientia vniuersæ Philosophiæ radix, charitas omnia suffert; duce scilicet Sapientia. Et Prouerb. 19. dixit Salomon. *Doctrina viri per patientiam noscitur*; quorum verborum sensus est, quem habet Gregor. homi. 35. in Euang. à quo mutuatus est Beda in Commentario: ex patientia hominis cognoscitur, quòd doctus sit ac prudens. Vnde Cyprian. lib. de Patientia, post Tertull. loquens de Philosophis. Tam falsa, inquit, illis patientia, quam sapientia fuit; conuenit autem prædicta

dicta expositio cum Hebræo, vbi habetur; *Intelligentia hominis differre facit iram eius*, & vt quidam sapiens dixit, teste Oecumenio, *Ira perdet sapientes*. Facit etiam ille locus Sap. 10. cùm de sapientia sic ait: *Hæc in filij misericordia fortem custodiuit* .i. patientem, ne viscera eius nimis commouerentur, quominùs alacri animo filium immolaret, vt bene explicat ibi Brixianus. Quibus habet similia Augustinus lib. de Patient. quam dicit comitem sapientiæ.

In quam sententiam notauit Orig. hom. 10. in Genes. Rebeccam, quæ exponitur *patientia*, non habuisse ornamenta vsque dum ea recepit à seruo Abrahæ, qui venit quærere vxorem filio domini sui. Ait ergo Origenes: Putamus, quia pater Rebeccæ vir diues, non habebat brachialia, & inaures, quas imponeret filiæ suæ? Tanta eius aut neglīgētia erat, aut auaritia, vt filiæ ornamenta non daret? Sed Rebecca non vult de auro Batuëlis ornari, non sunt ei condigna ornamenta hominis barbari, & imperiti: de domo Abrahæ requirit monilia, quia patientia de domo sapientis ornatur: nō potuerunt ergo aures Rebeccæ recipere decorē suum, nisi veniret puer Abrahæ, & ipse eas ornaret: sed hæc priùs accipere non potuit, nec mereri, nisi venisset ad puteos haurire aquam. Vbi vides patientiam ad domum sapientis vocari, vt in ea commoretur, & coronetur, & in ipso labore, & exercitio hauriendi aquam, patiētiam insignibus sapientis exornari.

Hvic allegoriæ alteram annectere non erit iniucundum, quam habet Philo lib. de plantat. Noë, vbi notauit id quod dicitur: *Prospiciens Abimelech, Rex Palæstinorum per fenestram, vidit eum* (.i. Isaac) *iocantem cum Rebecca vxore sua*. Ait ergo Philo: Is Isaac, qui risus exponitur, ac lætitia, quam conuenit ludere cum tolerantia, Rebecca Hebræis nominata; quasi dicat: Gaudium in brachiis patientiæ reperitur, inuicem sese amplectuntur, alternísque ludūt vicibus, quod ipsum Iacobus noster dixerat, *Omne gaudium existimate, cùm in tentationes varias incideritis*: quod insuper notauit Clemens Alexand. 1. Pædag. c. 5. O prudentem, inquit, ludum, ac disciplinam, risus à tolerantia adiuuatur. Rex autem (scilicet qui hunc ludum videt) cui nomen erat Abimelech, mihi videtur esse quædam supramundana sapientia, quæ considerat mysterium, nisi enim sit sapiens, non potest hunc congressum, & complexum lætitiæ, & patientiæ considerare. Solus igitur sapiens hoc videt, & considerat. Quod enim aliud negotium sapiētem decet, quàm ludere, gaudere, hilarescere cum honesta tolerantia? Et hæc est ratio, quare in solis sapientibus tolerantia reperiatur, quia & illi soli hunc ludum spectant. Gen. 26.

Vnde non mirum si sapiens patientia prudens consilium præbeat, & difficillimis occurrat negotiis: quod notauit Ambros. lib. 2. de Iacob, & vita beata, cap. 4. quando scilicet Esau in corde suo dicebat. *Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob*: Rebecca verò hoc sciens, vocat filium, consiliúmque de fuga præbet. Veniat, inquit Ambros. Rebecca, hoc est, inducatur patientia, bona custos innocentiæ, suadeat vt iræ locum demus, offensioni subrepat obliuio, mater pia abesse sibi dilectissimum filium to- Gen. 27.

 lerat,

lerat, plus ei collatura, quàm læsit, vtrique tamen consulens, vt alterum immunem à periculo, alterum integrum præstaret à crimine. Quis sic potuit consulere, nisi prudens tolerantia? Quis vtrique vtile consilium apponere, nisi sapiens patientia?

Iob. 28. VNDE iam patet quare dicatur non posse comparari sapientiam vitro, quod non solùm referendum existimo ad pretium, in quo tunc temporis vitrum, vel gemmæ (si ita intelligas locum) habebantur, sed ad id, quod per vitrum potest significari, quasi sit sensus: Nullam proportionem ad sapientiam habet is, qui si vel in leuem incidat tentationem, velut vitreus frangitur, & comminuitur, talis nec sapientiæ comparabitur, neque eam comparabit. Nam, sicut dixit Seneca epist. 60. *Vir sapiens ad omnem incursum inuictus, non si paupertas, non si luctus, non si ignominia, non si dolor impetum faciat, pedem referet, vsque adeò patiens est vir sapiens, & perfecta patientia, cùm sapientia reperitur*; quam tamen à Deo postulandam docet Apostolus. Hæc enim sapientia, quæ in patientia delitescit, non cuique obuia est, neque opus quorumuis hominum, ait Oecumen. sed eorum, qui secundùm Deum sapientes sunt, & à Deo id consequuntur. Vnde Chrysost. lib. 2. de adorando Deo ait: Quemadmodum ciuitas, quæ muris cincta non est, facilè venit in potestatem hostium, propterea quòd absit id, quo fuerat hostis incursus arcendus, sic & animam non munitam precibus diabolus facilè in suam redigit ditionem, nec multo negotio omni scelerum genere implet. Postulanda proinde summis precibus à Deo est huiusmodi sapientia.

§. II.

Sapientia rerum cælestium à Deo postulanda est.

DIXIMVS secundùm aliquorum sententiam hunc locum significare, à Deo postulandam esse sapientiam, quæ requiritur ad cognitionem eorum, quæ conducunt ad salutem; quæ expositio est diui Cyrilli Alex. 1. Dialog. de Trinit. & August. lib. de sancta Virginitate cap. 42. & multorum ex recentioribus, quam sapientiam videtur definiuisse Aug. lib. 1. contra Academic. cap. 3. dum ait: Sapientia mihi videtur esse rerum humanarum, diuinarúmque, quæ ad beatam vitam pertineant. Et ante August. Lactan. lib. 3. cap. vlt. Qui vult sapiens esse, & beatus, audiat Dei vocem, discat iustitiam, se contrarium suæ natiuitatis norit, humana contemnat, diuina suscipiat, vt suum bonum, ad quod natus est, possit adipisci. Hac igitur sapientia indigemus ad ea omnia, quæ ad salutem pertinent: qua ratione dixit D. Amb. Ser. 14. in Psal. 118. Tu imitator esto Dei, quomodo imitator? vt omnia per verbum facias, nihil sine verbo, sicut per Verbum diuinum cõdita sunt omnia, quod est Sapiẽtia Patris, ita & tu sapientia comitatus ad quamcumque actionem eliciẽdam progredere: quod enim inde consequitur, illud est, vt quæcunque iuxta normam sapientiæ feceris, quantumuis exigua videantur, reuera magna sint. Namque, sicut dixit

dixit Philo, ſapientis nullum opus eſt exiguum, lib. de Abraham.

Ad poſtulandam verò hanc ſapientiam, dicit neceſſariam indigentiam, id eſt, cognitionem illius indigentiæ, *ſi quis indiget ſapientia*: quiſquis enim ſe reputat ſapientem, ad hanc ſapientiam ineptus eſt. Quod notauit D. Gregor. 15. Moral. cap. 14. ad illa verba Iob. cap. 17. quando amicos alloquebatur. *Igitur vos omnes conuertimini, & venite, & non inueniam in vobis vllum ſapientem.* Quid eſt, inquit, Gregor. quòd eos ad ſapientiam vocat, & tamen optat ne illos ſapientes inueniat, niſi quòd ad veram ſapientiam venire non poſſunt, qui falſæ ſuæ ſapientiæ fiducia decipiuntur? de quibus ſcriptum eſt: *Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobiſmetipſis prudentes*; & quibus rurſum dicitur Roman. 12. *Nolite prudentes eſſe apud voſmetipſos.* Vnde idem prædicator egregius hos, quos carnaliter ſapientes inuenerat, vt ſapientiam veram perciperent, priùs fieri ſtultos quærebat; indigus igitur poſtulet. Hæc enim ſcientia eſt, quam cognouit Bern. epiſt. 107. dum ait: Scientiam non lectio, ſed vnctio, non litera, ſed ſpiritus, non eruditio, ſed exercitatio in mandatis Domini, &c. Eſt enim hæc ſapientia contraria in omnibus mundanæ ſcientiæ, de qua dicitur, *Sapientes ſunt, vt faciant mala, bene autem facere neſciunt*; de quibus ſapientibus D. Thom. præfatione in epiſtolas Canonicas ait, quòd ſicut Vrias portant literas mortis ſuæ; Literas, inquit, mortis ſuæ portant viri literati, qui ſciunt, & docent, & non faciunt. Iſtæ ſunt literæ ſine ſigillo, id eſt, ſcientia ſine vita, & ideo non creditur eis. Vnde Auguſt. lib. medit. c. 5. Abs te ſapere, eſt deſipere, te verò noſſe, eſt perfectè ſcire.

Iob. 17.
Iſai. 4.
Rom. 12.
Rom. 1.
Sap. 2.
Hier. 4.
1. Cor. 1.

Vera ergo ſapientia eſt, qua & Deum, & eius præcepta, ac verba cognoſcimus, eundémque veneramur, ac diuinas perſonas colimus, ac cognoſcimus. Deus verò fidem noſtram variis tentationibus explorare ſolet, vt ſic probati, & patientia integri ab eodem coronemur: hæc, inquam, donum Dei eſt, ab eodémque poſtulanda, ſicut teſtatur Eccleſiaſt. cap. 1. *Omnis ſapientia à Domino Deo eſt*; à quo Salomon eam conſecutus eſt. Ipſe dat ſapientiam ſapientibus, & Philoſophis; ac Iſaias, & Paulus eam inter dona Spiritus ſancti enumerant. Ideóque Auguſt. lib. de natura & gratia c. 16. ait: Non ſolùm adimpletionem præceptorum Dei pendere ex gratia libero cooperante arbitrio, verùm eadem noſſe, & intelligere. Cur enim, inquit, oratur, vt accipiatur, ſi ab homine eſt, vt habeatur? Cui ſubſcribit Ambroſ. lib. de 42. manſionibus filiorum Iſraël manſ. 27. & Cyrill. Alexand. lib. de Adoratione in ſpiritu, & veritate. Si enim ad cognoſcendas omnes veritates naturales collectiuè ſumptas ſine admixtione erroris, neceſſaria eſt aliqua gratia, vt oſtendunt Theologi 1. 2. q. 109. quanto magis ad cognoſcenda præcepta Dei?

3. Reg. 2.
Dan. 2.
1. Cor. 12.
Iſai. 7.

Qvod autem verba Dei ſcripta non cognoſcamus ſine Dei adiutorio, oſtendit Bernar. lib. de vita ſolitar. dicens: Quo ſpiritu Scripturæ factæ ſũt, eo ſpiritu legi deſiderant, ipſo etiam intelligendæ ſunt, nunquam ingredieris in ſenſum Pauli, donec vſu bonæ intentionis in lectione eius, & ſtudio aſſiduæ meditationis ſpiritum eius imbiberis. Quibus habet ſimilia

Athanaf.lib. de Incarnat.Verbi. Cyrill.Alexand.1.contra Iul.Cyrill.Hieroso. Cathechesi 13.Cassian.collat. 14.c.14. Beda in cap.23. Prouerb. audiendúsque Ephrem lib. de armatura spirituali c.8. Cùm te,ait,ad legendum,siue etiam ad alium legentem audiendum paras, primùm ora Dominum. Domine Iesu Christe aperi aures, atque oculos cordis mei, vt audiam,& intelligam, & faciam voluntatem tuam. Pietati itaque in primis studendum, & precibus incumbendum est iis etiam, qui seriò literis operam nauare vtilem, & salutarem cupiunt.

Matt. 11. Matt. 16. COGNITIO etiam Dei ab eodem postulanda, & excipienda est. *Nemo enim nouit Patrem, nisi Filius, neque Filium, nisi Pater, & cui voluerit Filius reuelare.* Matth. 11. & Petro post confessionem dictum est: *Caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui est in cœlis.* Et Irenæ. lib. 4. cap. 14. Deum scire nemo potest, nisi Deo docente; & Gregor. 5. Moral. cap. 26. Deus nobis multùm proficientibus parum de se aliquid sensibus nostris aperit, si tamen dici in illo parum, vel aliquid potest. Facit & illud August. toties repetitum; Trinitas beatissima sibi sola nota est. Et Philo lib. de præmiis,& pœnis. Solem hunc visibilem num alia re, quàm Sole ipso adiuti cernimus? Lucis aspectum nónne luci debemus? Ad eundem sanè modum etiam Deus per seipsum illustrat sui notitiam, cooperante nemine, quòd ea res excedat vires omnium. Proinde August. Soliloqui. c.5. Semper cæcus fuissem, nisi me tu illuminasses. Et 4.Confess.c. 16. Scis tu Domine, quia & celeritas intelligendi, & discernendi acumen donum tuum est. Cùm igitur ex nostris tantam inopiam patiamur, & ad tam multa indigeamus sapientià, necessarium nobis est eam à Deo summis precibus postulare. Nam qui remedium non quærunt suæ egestati, digni sunt qui in ea tabescant, sicut dixit Augustinus lib. de Natura, & Gratia cap. 17.

§. III.

Proponitur affluentia diuinæ liberalitatis.

Genes. 33. COGNOSCENS diuinam liberalitatem Iacob dixit fratri suo: *Suscipe benedictionem, quam donauit mihi Deus, tribuens omnia*; vbi pro cognomine diuinitatis ponitur, quòd omnia tribuat; idque dixit Philo lib. de somniis. Secundùm naturam conuenit Deo dare, imò ipsa natura Dei est dare: quod prosequitur D. Thom. 1. contra gent. cap. 39. vbi ait, liberalitatem esse virtutem maximè propriam Dei, quia solus se cõmunicat, sicut fons bonitatis. Et Aug. tract. 19. in Ioan. Deus tibi totum est. Si esuris, panis tuus est, si sitis, aqua tibi est, si in tenebris es, lumen, si nudus, immortalitate tibi vestis est. Et Bern. Serm. 3. de Circuncis. Totus mihi datus, & totus in meos vsus expensus; & Ser. 57. in Cant. Non est, qui similis sit tibi, munerator copiosissime, remunerator æquissime, gratis respicis humiles, misericorditer saluas peccatores. Quibus habet similia Hieron. ad Tryphonem. Et Chrys. hom. 9. in epist. ad Roman. & Ambros. in Psal. 1.

EXPENDIT autem Chrysost. hom. 14. in Gen. summam Dei liberalitatem,

tem, qui prior nobis semper est in donis, nulla ex parte nostri expectata ratione. Quis pro dignitate, ait, admirabitur communis omnium nostri patris liberalitatem? Cùm nullum adhuc bonitatis specimẽ præ se ferret Adam, tanta à Deo beneficia accepit. Neque enim dimidiatam illi dedit rerum fruitionem, neque à pluribus abstinere iussit, & cæteris frui: sed participem omnium, quæ sunt in paradiso, esse voluit, ab vno solo ligno abstinere præcepit, monstrans re ipsa, nullius alterius gratiâ hoc ipsum se facere, quàm vt tantorum beneficiorum authorem cognoscere posset. Sicut autem in reconditis diuinæ prædestinationis mysteriis Paulus penitus cæcutiens ad diuinas sapientiæ Dei diuitias recurrit, sic & nos in diuinæ affluentiæ pelago omnes capiente, debemus recurrere ad diuitias diuinæ liberalitatis, non enim aliunde videtur emanare hæc in omnes affluentia, nisi ex summis diuitiis bonitatis diuinæ. *Rom. 11*

MVRMVRAVERAT ingratus populus contra Moysem & Aaron, qui allium potius, & cepe, quàm cœlum flagrare malebat, sicut eleganter loquitur Tertull. lib. contra Psychicos cap. 5. Volens verò diuina liberalitas ipsorum ora cibo aliunde allato replere, & obturare cœlesti, dixerunt Moyses, & Aaron ad omnes filios Israel: *Manè videbitis gloriam Domini.* Hebraicè habetur, *diuitias Domini*: quis enim alius pro gloria duceret, pessimæ genti, & populo nequissimo cibum, & optimum, & affluenter ministrare, nisi is, qui diues est in bonitate, & qui nec diminutionem in bonis patitur, nec retentionem? *Exo. 16.*

DIXIT Dominus ad Abrahã. *Tibi, & semini tuo post te dabo omnẽ terrã Chanaã in possessionem sempiternam, & ero eorum Deus.* Vbi D. Chrysost. homil. 39. meritò inquirit, quid hæc vltima verba significent. Quid est, inquit, *& ero eorum Deus?* & respondet. Multam me eorum curam habere ostendam, & meum subsidium illis præstabo; quod & diuinam bonitatem ostendit, & Dei liberalitatem in homines apertè probat. *Genes. 17.*

Homo erat in Synagoga habens dæmonium immundum, & exclamauit voce magna dicens: Sine, quid nobis, & tibi Iesu Nazarene: venisti perdere nos? & increpauit illum Iesus dicens. Obmutesce, & exi ab eo: exiit ab illo, nihilque illum nocuit. Difficultas hoc loco est, quidnam significet verbum illud *perdere.* Multi multa dicunt. Id nobis videtur congruentius, perditionem suam hoc loco vocare dæmonem, si non amplius permittatur nocere mortalibus (nec enim aliud discriminis inter pœnam eorum dæmonum, qui in abysso agunt, & eorum, qui in hoc aëre, omnes siquidem diuina carent visione, & dolore torquentur, & in hoc sensu perditi iam sunt) vsque adeò tamen oderunt homines, & salutis eorum torquentur inuidia, vt perditionem suam putent, & prædicent, si eis nocere prohibeantur. Licèt autem Dominus Iesus venisset perdere dæmones, & eorum in homines, præsertim prædestinatos, imperium abolere, non tamen statim, sed paulatim id effecturus erat, & completurus in die iudicij. Nec primaria ratio veniendi in mundum fuerat dæmonis perditio, vt falsò dæmon conquerebatur, sed hominum salus & redemptio. *Luc. 4.*

His

His ergo positis audiamus elegantem huius loci expositionem apud Tertul. lib. 4. contra Marcio. c. 7. Increpuit, inquit, illum Iesus, planè vt inuidiosum, & in ipsa confessione petulantem, & malè adulantem, quasi hæc esset summa gloria Christi, si ad perditionem dæmonum venisset, & non potiùs ad hominum salutem, qui nec discipulos de subactione spirituum, sed de candida salutis gloriari volebat: sic ille. Quæ verba ostendunt Dei naturam, & bonitatem ad bona potiùs largienda promptissimam, non ad pœnam aliquam infligendam; qui enim dat omnibus affluenter, non nisi prouocatus punit, & affligit. Quod ostendit apertè id, quod Christus Dominus dixit: *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, &c. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit, qui verò nō crediderit, condemnabitur*; vbi vides, & potestatem acceptam, in hominum salutem impendi, & ex se salutem promittere, condemnationem verò, non nisi prouocatum incredulitate minari.

Mat. vlt.

Qvod insuper in hac affluētia diuinæ liberalitatis adnotare libet, est, quòd Dei beneficia, quia magna, illā statim testātur, & diuinam largitatem ostendunt. Pro qua re est ille locus cùm dicitur: *nuntiatum est regi, quòd benedixisset Dominus Obededom, & omnia eius, propter Arcam Dei*. etenim illo modico tempore, quo fuit Arca in domo Obededom, credendum est prolem eius Deum multiplicasse, fructus insuper agrorum & iumentorum, & omnem substantiam eius, dedisseque illi hilaritatem, & salutem, ita vt in omnibus rebus ipsius apparuerit augmentum. Inquirit ergo iam Abul. ibi q. 13. quomodo sciebatur, quòd ista benedictio esset propter Arcam? & respondet, quòd cognoscebatur ex duobus. Primò, ex magnitudine sua, nam licet aliàs homines augeantur in bonis, sicut communiter accidit, illa augmenta sunt parua, vel non veniunt accumulata, in Obededom autem venerunt magna bona, qualia non solent accidere communiter: deinde, quia aliqua ei acciderunt bona, quæ in nullis hominibus, vel in raris visa sunt, ex quo apparebat non venire illud ex communi fortuna, sed ex speciali Dei munere. Vnde iam colligimus ea bona, quæ à Deo proueniunt, & in magnitudine, & in qualitate diuinam testari affluentiam, & liberalitatem.

Ponderavit autem Fulgentius in Prologo librorum ad Filom. hanc Dei in donando affluentiam. Ecce, inquit, qualis est Dominus noster, vt donando debeat, & quanto magis donat, tanto magis eum debitorem esse non pigeat. Pro qua re facit ille locus, quando postquam Deus sitientem populum percussione virgæ ad petram satiauit aqua, *venit Amalech, & pugnabat contra filios Israel, dixitque Moyses ad Iosue: Pugna contra Amalech; cras ego stabo in vertice collis, habens virgam Dei in manu mea*. vbi paraphrasis Chald. per explicationē addit, *virgam, qua facta sunt miracula*; quasi vellet Moyses sumēdo virgam in manu, ipsa propositione acceptorum beneficiorum, quæ per virgam diuinitùs facta fuerant, Deum obligare ad fugandos, debellandósque hostes Israël: qua itidem arte vsus est Iacob, dum timens fratrem Esau, & volens ab eo diuinitùs eripi, hoc ab eo postulat proponendo, & numeran

Exod. 17.

Gen. 32.

rando, quæ à Deo acceperat beneficia. *In baculo*, inquit, *meo transiui Iordanem, nunc cum duabus turmis regredior, erue me de manu fratris mei Esau.* Constituit Iacob Deum debitorem sibi in ea occasione subueniendi, ex beneficiis, quæ iam à Deo fatetur accepisse, donando enim debitor constituitur qui donat omnia affluenter.

OSTENDIT hanc Dei bonitatem id, quod optimè notauit Abulen. in eo quòd Dauid in expeditione, quā fecit contra inobedientem filium Absalō, *dum staret iuxta portam, populúsque per turmas suas egrederetur centeni, & milleni, præcepit Ioab, & Abisai, & Hethai, dicens: Seruate mihi puerum Absalō.* vbi in Hebræo est, *Mansuescite*, vel, *leniter ite super Absalonem.* Vbi Hebræi exponunt noluisse Dauidem, vt milites contra Absalonem cum magno impetu irent. Sed cur quæso lenitatem præcepit, cùm eum vt communem hostem aggredi vult, & in eum exercitum instruit, & expedit? vel cur parcendum præcepit ante congressum? Quæstioni satisfacit Abul. q. 7. Dauid, inquit, erat certus de victoria suorum. Sed dicet aliquis, vnde Dauid erat certus? respōdendum, quòd Dauid orauit Dominum, vt infatuaret cōsilium Achitophel, & sic factum est: dicitur enim in sacro textu, quòd nutu Dei dissipatum fuerat consilium Achitophel, quod erat vtile; & ideo sic confidebat Dauid, quòd iam in omnibus, quæ erāt contra Absalonem, Deus exaudiret eum, primum namque beneficium pignus cæterorum sequentiū erat. *2. Re. 15.*

HINC iam est quòd sibi vim videtur inferre Deus opt. max. quando sese in omnes summè liberaliter non diffundit. Quod notauit Guar. Serm. 3. de Annunt. his verbis: Omnium humanarum infirmitatum, vel iniuriarū, quas pro nobis pertulit diuina dignatio, sicut tempore primam, sic etiam humilitate ferè maximam existimo, quòd in vtero nouem mensium tempore Maiestas illa incircunscripta passa est contineri, quando ita penitus à semetipso defecisse visus est. Tanto tempore nihil illa sapientia loquitur? nihil illa virtus manifestum operatur? nullo signo Maiestas, quæ clausa latet, proditur? Non sic in cruce, &c. Vim enim sibi videbatur inferre, dum se non affluenter communicabat, nec pretiosum, imò infiniti valoris sanguinem largissimè effundebat pariter cum vita.

CONFIRMATVR insuper hæc diuina liberalitas ex eo quod notauit Plutarch. & Euseb. Cæs. lib. 2. de Præparat. imagines scilicet, quæ ab Ægyptiis decernebantur diis, ligneas fuisse, non lapideas: quia lapis durus, & infructuosus est, nec etiam fuisse aureas, aut argenteas, quia sunt colores terræ sterilis, & infœcundæ. Et de Cyro, qui adhuc viuens (vt habet Arrianus) à Persis, & Medis Deus habitus est, refert Xenophon, instante morte, iussisse ne in aureo, argenteóue loculo conderetur, sed terræ mandaretur, vt etiam mortuus simul cum terra fructificaret, ne id quod Deo naturale erat, nempe dare, & prodesse in morte amitteret. Cúmque hi vel in media caligine cognoscerent Dei affluentem liberalitatem, quid mirum si Iacobus dicat Deum dare omnia affluenter?

QVOD si intelligas idem esse dare affluenter, atque dare plusquam ab eo postuletur, videatur Chrysost. hom. 27. in Genes. & D. Hieron. in epist.

ad Rufinum tom. 1. vbi docet Deum plus tribuere, quàm rogetur: quo
Ephes. 3 sensu dixit Apost. ad Eph. cap. 3. *qui potens est omnia facere superabundanter, quàm poscimus, aut intelligimus.* Facit etiam Cassianus collat. 13. cap. 16. dum
Ioan. 4. ponderat regulum, de quo Ioan. cap. 4. qui dum faciliùs credit ægrotantem filium suum posse curari, quàm mortuũ suscitari, præsentiam Domini festinum implorasse, dicendo, *Domine descende priusquàm moriatur filius meus*; cuius infidelitatem licet Dominus arguerit, tamen non secundum infirmitatem fidei eius gratiam suæ diuinitatis exercuit, nec præsentia corporali, quemadmodum ille volebat, lethales febrium morbos, sed verbo suæ potestatis exclusit: quam superabundantiam gratiæ etiam in illius paralytici curatione Dominum legimus effudisse, cui langoris sui tantùm, quo corpus fuerat resolutum, remedia poscenti, animæ priùs ingerit sanitatem, deinde corporis. Videndus etiam Bernar qui hoc in patre filij perditissimi sic pro-
Luc. 15. bauit Ser. contra vitium ingratitudinis. Prodigus certè filius ad filiorum numerum aspirare timebat, beatum se reputans si fortè vel in mercenariorum numerum reciperetur, minimè tamen sufficere potuit paternæ pietati, nisi tam copiosam misericordiã ei exhiberet, cui posset & ipse, qui nun-
Matt. 18. quam à patre discesserat filius, inuidere; quod etiam notauit Chrysost. homil. 20. ex variis in Matt. cùm ponderat, Dominum absoluisse seruum multo debito obstrictum, qui solam dilationem ad solutionem postulabat. Ille, ait Chrysost. dilationem petiit, hic omnino remisit, plúsq; impetrauit ille,
Ephes. 3. quam petierat. Quapropter & Paulus ait: *qui potest omnia præstare superabundanter quàm petimus, aut cogitamus.* Nam ne cogitare quidem potes tantùm, quantùm ille paratus est tibi largiri. Ne te igitur pudeat, néve erubescas, imò erubesce quidem propter peccata, sed caue ne desperes, quin potiùs accede, vt Dominum tibi propitium reddas, occasionémque illi des per remissionem peccatorum clementiam suam erga te declarandi. Qui si timueris accedere, impediuisti ipsius bonitatem, largissimæque eius benignitati quantùm in te fuit, obstitisti.

SI verò causam istius affluentiæ requiras, nullam aliam eo modo quo in Deo assignari potest, inuenies, nisi diuinam bonitatem seu ipsius diuitias; namque liberalitas iuxta Basil. reg. breui. resp. 214. est quando quis etiam non requisitus, absque præcedẽtibus meritis, sua sponte, & voluntate etiam ingratis benefacit: ex partéque hoc assequutus Senec. lib. 4. de Benef. c. 3. dixit; *Nulla Deo dandi beneficij causa est.* Similia habet c. 4. & lib. 5. vbi docet Deum cùm sit natura beneficus, præstarẽ nobis non solùm ea, quæ pertinent ad necessitatem, sed quæ ad voluptatẽ, quod dixerat elegantiùs D. Paulus 1. ad Tim. 4. *qui præstat nobis abundè omnia ad fruendum.* Quod potest explicari ex Aug. lib. 1. de Doctrin. Christ. c. 4. quòd Deus nobis tribuat tẽporalia, & spiritualia; temporalia quidem ad vtendum, spiritualia verò & æterna ad fruẽdum. Videndus etiam Plut. lib. de discrimine adulat. & amici. *Officium*, inquit, *quod ab amico proficiscitur, nihil ostentationis aut plausibilitatis habet, hoc pacto etiam arbitror Deos plerumque bene mereri dè mortalibus, vt non censeantur bene mereri, & ob id ipsũ benefacere arbitror Deum, quòd suapte natura gaudeat benefacere.*

§. IV.

§. IV.

Imitatur Dei naturam beneficus homo.

PRÆDICTAM Dei in donando affluentiam imitatur beneficus homo. Nihil enim tam diuinum habet homo, quàm beneficentiam, ſicut docet Nazianzenus orat. 17. Licet, inquit, tibi nullo labore Deum fieri, noli diuinitatis conſequendæ occaſionem abiicere. Et orat. 16. Fac calamitoſo ſis Deus, Dei miſericordiam imitando. Et Clemẽs Alexandrin. 2. Stromat. reuerà imago Dei eſt benefaciẽs homo. Quod proſequitur Chryſoſt. hom. 7. de eleemoſyna: & probat Theodoret. quæſt. 20. in Geneſ. dum quærit; qua in re conſiſtat ratio imaginis Dei in homine, ad quam dicitur creatus. Quemadmodum, ait, Deus longanimis eſt, ita homo longanimis habet ſe ad imaginem Dei, eámque imitatur per beneficentiam, & liberalitatem. Qua de re multa habet Philo lib. de creat. Principis, & lib. de Iudice, lib. 1. legis allegor. docuítque D. Leo Serm. 6. de Collectis, vbi ait: In aliorum indigentia materia vobis data eſt diuinæ bonitatis imitandæ, vt per vos etiam in alios diuina beneficia tranſirent. Idémque habet Ser. 10. de Quadrag. & Hilar. in c. 10. Matt. ad ea verba. *Sicut gratis accepimus*: quod etiam agnouit Tullius, dum oratione pro Quinto Ligario ait: *Homines ad Deos nulla re propiùs accedunt, quàm dando, nihil habet fortuna melius, quàm vt poſſis, nec natura melius, quàm vt velis ſeruare quamplurimos.*

Is igitur homo qui aliis beneficus non fuerit, nec in eos contulerit beneficia, nec homo ferè cenſendus eſt, fruſtráque in mundo eſſe exiſtimandum de illo eſt. Ad cuius rei confirmationem facit elegans locus Ruperti lib. 1. in Gen. c. 8. vbi quærit cur cùm quatuor mundi ſint elementa, ignis, aër, aqua, & terra, hæc duo tantùm, ſc. terram, & aquam, ſcriptor ſacræ hiſtoriæ ſuis nominibus expreſſerit, & aërem nõ proprio, ſed tenebrarum nomine ſignificauerit, ignis verò nullatenus meminerit? Videtur ergo ſentire propterea aërem alieno nomine fuiſſe nuncupatum, quia vna tantùm lux ex eo prodiit: at verò aquam, & terram ſimpliciter nominatas, quia pluribus rebus producendis materiã ſubminiſtrarunt; ignem verò nuſquam nominatum, quia nihil ex eo productum memorat ſacer textus. Ait ergo Rupertus: Conſtat quia de tenebris iſtis, quæ erant ſuper faciem abyſſi, lux effulſit, teſtante Paulo, cùm dicit, *quia Deus, qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere, eluxit in cordibus noſtris.* 2. Cor. 4. Non ait, in tenebris; ſed de tenebris Deus lucem ſplendeſcere dixit. Porrò de terra, & aquis productæ ſunt omnium ſpecies rerum, quas nouimus. Solus ignis, licèt gignentibus terræ, & aquis cooperetur, nihil tamẽ ex ipſo gignitur, & proinde de hoc elemento non iniuria ſiletur, quaſi fruſtra in mundo eſſe cenſeatur. Si id ergo elementum, quod cæteris rebus non profuit, quaſi non ſit, à Deo præteritur ſilentio, nec illius aliqua fit mentio, quanto maiori ratione ille homo inutilis cenſebitur, & quaſi nõn ſit reputabitur, qui oblitus Dei ſimilitudinẽ, quã benefaciendo gerit, nulli ſubuenit, nemini prodeſt, adiumẽtóue eſt?

Sed eò deuentum est, vt iam homines non Deum velint imitari, sed eos, qui simul cum Abimelech ad Isaac venerunt, vt contraherent cum
Gen. 26. illo amicitiam, ad quam conciliandam hoc solùm proponunt: *Nihil tuorum attigimus, nec fecimus quod te læderet.* Vbi quidam ex recentioribus dixit, Latronum misericordia, cùm non quantùm valent, nocent. Pro beneficio eim ducunt, nullum malum intulisse: quæ etiam est misericordia, & beneficentia nostri temporis; satis namque beneficus censetur homo, qui nullum malum infert, nullúmue bonum aufert.

Cæterum, sicut dixit D. Leo Serm. 1. de Ieiunio sept. mens. parum est non auferre aliena, nisi largiaris & propria. Et Chrysostom. homil. 16. in epist. ad Ephes. Mihi nihil facere, hoc ipsum est malum facere. Ideóque in sacra Scriptura Sancti vocantur benefici, vt patet ex Psal. 4. *Scitote quia mirificauit Dominus Sanctum suum*; vbi vox Hebræa significat *beneficum, & misericordem.* Et Psal.m.144. *Sancti tui benedicant tibi*, vbi Hier. transtulit, *misericordes.* Soli enim ij, qui diuinam liberalitatem imitantur, Sanctorum numero adscribi possunt, & merentur. Videndus est pro hac re Chrys.homil. 21. in 1. ad Corinth. & Basil. hom.6. in ditescentes; & Strabo lib. 10. bene dictum & hoc, homines Deos imitari, quando benefecerint; & Virgil. Ecloga 1. Cæsarem Deum suũ appellat propter beneficium.

§. V.

Diuina liberalitas nulli omnino deest.

Non est omittenda ea conditio diuinæ liberalitatis: quòd scilicet om-
Mat. 25. nibus absque personarum acceptione sua bona largiatur, id quod ostendit Christus Dominus in parabola illius hominis peregrè proficiscentis, qui vocauit seruos suos, eisdémque tradidit bona sua, affluenter quidem omnibus donans, quando nec inutilem, & infructuosum seruum prætermisit: quod etiam ponderauit Hugo Victorinus lib. de opere trium dierum c. 9. dum quærit, cur Deus plura venenata, & inutilia homini condiderit, cùm tamen in eius vtilitatem vniuersam hanc rerum machinam extruxisse videatur: respondétque: Deus etiam illa creare voluit, quæ humanis vsibus necessaria non esse præuidit: si enim sola necessaria tribueret, bonitas quidem esset, sed diues non esset. Quod etiam elegãter prosequitur Philo lib. 1. legis allegor. Benignus, inquit, cùm sit Deus, largitur bona omnibus, etiam nõ perfectis, inuitans eos, vt æmulatores virtutis, atque participes fiant, ostentánsque immẽsas diuitias suas, quòd sufficiãt etiã his, quæ non magnã vtilitatem inde capiunt; quoties enim pluit in mare, fõtes producit in locis desertissimis, tenuẽ, & asperam, sterilémque terram rigat, inundans fluminibus, quid aliud exhibet quàm nimietatem diuitia-
Act. 14. rum benignitatis suæ? quod etiam dixit Paulus Act. 14. *Deus*, inquit, *dimisit omnes gentes ingredi vias suas, & quidem non sine testimonio semetipsum reliquit benefaciens de cœlo, dans pluuias*, &c.

Præscierat quidem Iudam peccaturum, & loculos habiturũ, pecuniam

niam tamen ei committit, cúmque ad Apostolatum vocat, ne ei defuisse in aliquo pro excusatione afferret. Notauit hoc Ambros. 1. Officiorum c. 16. dicens: Inter duodecim Apostolus est electus, & loculos pecuniarum, quas pauperibus erogaret, commissos habuit, ne videretur inhonorus, aut quasi egenus Dominum prodidisse, & ideo, vt iustificaretur in eo Dominus, hæc ei contulit. Etenim, sicut bene aduertit Senec. 2. de beneficiis, c. 32. *non est magni animi beneficium dare, & perdere, hoc est, magni animi, & perdere, & dare.* Videndus pro hac re Clemens Alex. 1. pædag. c. 9.

Hoc etiam probant Theologi, dum dicunt, Deum semper ita se gerere cum hominibus, vt neminem ita relinquat, quin iuxta suæ prouidentiæ dispositionem cor eius tangat, ita vt possit homo cooperari, & se disponere, vel ad remissionem peccati, vel saltem ad aliquam maiorem gratiam, qua paulatim perueniat ad vltimã dispositionẽ. Et Cõcilia definiũt sẽper in hac vita dari locũ pœnitentiæ agẽdæ, vt patet ex Cõcil. Lateran. c. firmiter. de summa Trinitate, & sumitur ex Concilio Tridentino, sess. 14. & sess. 6. cap. 14. & Orig. lib. 7. in epist. ad Roman. ait, Deum etiam Pharaoni non defuisse. Et August. epist. 49. quæst. 2. ait: Voluntas Dei nunquam in hac vita defuit iustitiæ, pietatíque mortalium. Quod etiam habet lib. de Pœnitentiæ medicina cap. 5. & habetur nomine eiusdem Augustini lib. de Prædestinat. & Gratia cap. 15. Chrysost. hom. 4. de Lazaro; Greg. 17. Moral. c. 4.

Ostendit tandem Deum omnibus velle bona affluenter tribuere, id quod pulchrè notauit Chrysol. Serm. 64. in eo quòd Christus Dominus Lazarum suscitaturus lacrymatus est. Habet hoc, inquit, natura corporis humani, vt producat lacrymas vis gaudij, vis mœroris. Hinc est, quòd Christus non dolore mortis, sed illius lætitiæ recordatione lacrymauit, qui voce sua, voce vna omnes est mortuos perpetuam suscitaturus ad vitam, fremuit spiritu, & tota se viscerum commotione conturbat, quia adhuc solum Lazarum, & non omnes mortuos suscitabat. Viden' igitur si alicui deerit, & qualiter omibus affluat, qui lacrymatur quando vnum, & non omnes (quod tamen faciet) ad vitam reuocat? *Ioan. 6.*

Nec mirum quòd det omnibus affluenter, quando mensura bonorum, quæ nobis communicat, est bonitas ipsius, sicut dixit Philo lib. de sacrificio Abelis & Cain. Meritò proinde Dauid dixit Psal. 102. *qui coronat te in miserationibus*, quia nullus si aduertat, se liberum aliqua ex parte, aut ratione inueniet à diuina liberalitate, quæ omnes circunquaque, & affluenter astringit, amplectitur, & perfundit. *Ps. 102.*

§. VI.

Vera liberalitas beneficia non commemorat, nec exprobrat.

SECVNDAM diuinæ liberalitatis proprietatem in eo positam docet Iacobus, quòd collata beneficia Deus non improperet, ne ipsum aut quòd det pœnitere videatur, aut lucrum quærere, aut accipientem pudore afficiat. Hinc est quòd Deus dixerit Isai. 55. *Sicut exaltãtur cœli à terra, sic*

exaltatæ sunt viæ meæ à viis vestris. Quibus verbis videtur significare, quòd sicut cœlum, seu corpora cœlestia in hæc inferiora influunt absque eo quòd à terra aliquid accipiant, è contrà verò terra, nisi vel semina, vel pluuias desuper accipiat, nihil omnino profert: sic etiã Deus omnia nobis donã elargitur, ductus propria bonitate, & liberalitate, cùm à nobis nihil accipiat, aut velit, cùm nullo indigeat, vnde nec improperat, nec pudefacit eum, cui bona elargitur.

Ruth c. 2. Hoc docuit Booz, quando messoribus dixit. *De vestris quoque manipulis proiicite de industria, & remanere permittite, vt absque rubore colligat, & colligentem nemo corripiat.* Vbi viduæ Ruth & necessitati; & honori consuluit; quod perfecta liberalitas ad instar diuinæ, debet maximè præ oculis habere. Verus quippe beneficus non improperat dona, quia dona sunt, sicut dixit Ber. Serm. 16. in Cant. vbi etiam fatetur, Deum ideo non improperare dum affluenter dat, quia non vendit, & sine pœnitentia sunt dona eius. Et Ambrosius lib. 1. Offic. cap. 30. Perfecta, inquit, liberalitas est, vbi silentio quis tegit opus suum, & necessitatibus singulorum occultè subuenit, quem laudat os pauperis, & non labia sua. Affectus tuus nomen imponit operi tuo, quomodo à te proficiscitur, sic æstimatur: beneficium enim quod honori viduæ, aut virgini periclitanti occurrit, non debet eius famæ, pudoriue obesse.

Et hæc videtur fuisse ratio, cur in sacra Scriptura beneficia, & eleemosynæ *honoris* nomine intelligantur, sicut notauit D. Hieronym. in cap. 15. Matth. ad illa verba: *Deus dixit, honora patrem tuum, & matrem.* Honor, inquit, in Scripturis non tantùm in salutationibus, quantùm in eleemosynis sentitur. *Honora*, inquit Apostolus, *viduas quæ verè viduæ sunt*; hîc

1. ad Ti. 5.

Ibid. 22. honor donum intelligitur. Et alio in loco, *presbyteri duplici honore honorandi, maximè qui laborant in verbo Dei.* Hinc est quòd Balac dicebat. *Paratus sum honorare te*; in beneficiis enim & honor cernitur dantis, & honori prospicitur recipiẽtis. *Stultus* verò *acriter improperabit*, exiguadãs, multa improperãs.

Eccl. 18.

Gen. 14. Ideóque Abrahã noluit oblata accipere, *ne dicas*, inquit, *ego ditaui Abraham.*

Præsensque probat institutum id quod notauit Chrysost. hom. 1.

1. Reg. 17. in Psal. 50. tom. 1. quando Saül induit vestimentis suis Dauid, & imposuit galeã, vestiuítque eum lorica: quod cùm fecisset Rex, progredi iuxta morem non valebat, quia, inquit Chrysost. non permittebat hoc fieri Deus, sed vt nudus vinceret, & non arma Saülis virtutem victoriæ partirentur, ne diceret Rex, quoniam arma vicêre mea; proiicit arma, & induit fiduciam. Vbi Saülis stultitiam ostendit Chrysost. cùm sibi victoriæ triumphum arrogaret, si de strenuitate adolescentis derogaret, quia eum propria armatura induisset. Odiosum sanè, & stultum hominum genus, beneficia exprobrantium contra præscriptam à Iacobo regulam, quam Seneca posuit lib. 2. de benef. c. 10. his verbis: *Beneficij lex inter duos est, alter statim obliuisci debet dati, alter accepti, nonnunquam lacerat animum, & premit frequens meritorum commemoratio.* Est c. 9. dixerat, *beneficia in acta non mitto.* Est autem in acta mittere, scripta seruare in perpetuã memoriã, quomodo apud Iuuenal.

Fient

Fient ista palàm, cupiente & in acta referri.

Ideóque Martialis.

Crede mihi, quamuis ingentia Posthume dones,
Authoris pereunt garrulitate sui.

QVIBVS habet similia Plut. lib. de profect. virtut. sent. Quapropter & verus liberalis Booz, cuius initio meminimus, dixit: *de vestris manipulis proiicite de industria.* vbi si vocem Hebræam consulamus, sicut ibi aduertit Rab. Salom. ambiguam inueniemus, quia etiam significat *obliuisci*, vnde possumus legere, *obliuiscendo obliuiscimini*; quasi diceret, ita hoc pauperi viduæ spicas colligenti relinquit, vt simul ibi relinquatis memoriam huius beneficij, ne fortè aliquando eius commemoratio subrepat, quæ simul exprobratio erit. Vnde & Comic. in Andr. dixit de quodam, qui vetustatem amicitiæ inculcabat; *Istæc commemoratio, exprobatio est.* Cùm ergo in diuina liberalitate, quæ nobis imitanda proponitur, nullus prorsus defectus possit reperiri, meritò Iacobus dicit, beneficia sua non improperat. Ruth. 2.

CÆTERVM huic cōditioni diuinæ liberalitatis, quòd scilicet non improperet, videtur obstare pleraque loca sacræ Scripturæ, in quibus Deus improperat Israëlitis: *Haccine reddis Domino populestulte*? Cùm Dauidi superiora dona exprobrat. Salomoni itidem cùm ad idola defecit. Esai. 1. *Filios enutriui, & exaltaui.* Et apud Oseam c. 2. enumerat beneficia collata in Iudæos, & abusum illorum. Et Hier. 16. exprobrat beneficia eidem populo collata. Et Christus Dominus tribus ciuitatibus, quas & verbis, & signis vocauerat, exprobare cœpit. Deut. 32. 2. Reg. 12. 3. Reg. 11. Matt. 11.

HVIC difficultati omnes respondēt, ex parte suæ bonitatis Deum non exprobare, sed id facere propter abusionem, ingratitudinem, & demerita illorum, qui diuina beneficia receperunt, quod ita intelligendū est, vt per talem exprobrationem vèlit Deus ostēdere, se iustè diuina beneficia ab impiis auferre; imò & supplicia inferre. Nisi fortè ea sit ratio quare Deus collata beneficia obiiciat, vt scilicet ingrati resipiscant, & maioribus beneficiis digni per cognitionem ingratitudinis, & eiusdem pœnitentiam reddātur.

OSTENDIT igitur in primis exprobratio ingratos indignos, qui beneficiis acceptis potiantur: quod significasse mihi videtur moriens Iacob, dum filio Ioseph dixit: *Si inueni gratiam in conspectu tuo, pone manum tuam sub femore meo, & facies mihi misericordiam, & veritatem, vt non sepelias me in Ægypto, sed dormiam cum patribus meis, & auferas me de terra hac, condásque in sepulchro maiorum meorum.*

SI autem velimus inquirere quare Patriarcha tantus, ciuis cœli, cui viuenti totus mundus exilium fuit, & adhuc in terra degenti cœli postes reserati sunt, tantopere de corpore suo curauit, & loco vbi puluis in puluerem reuerteretur; audiamus quid Rupertus dixerit li. 9. in Gen. c. 21. sic enim respondet: Quia terra repromissionis, terra erat Domini Dei dicentis, *Terrā in qua dormis, dabo tibi, & semini tuo.* Donum autem Dei, qualecumque sit, siue magnum, siue paruum, cœleste, siue terrenum, pro honore, vel charitate dantis pretiosum est, & debet esse in oculis sapientis: ideo Gen. 28.

Iacob

Iacob tantam curam gessit illius terræ saltem post mortem acquirendæ. Si ergo moriturus cōtinuò promissiones terræ, quas acceperat, tanta cum gratiarum actione veneratus est, vt saltem mortuo corpore illam tenere cuperet, quanto magis viui possessores curare debuerunt, sic in ea viuere, vt non iratus Deus donum suum ingratis rursus auferret? Ita Rupert. ex cuius discursu illud colligimus, Dei dona in oculis habenda, quò sic eisdem grati in possessione eorum securi maneamus, à qua meritò ingrati expelluntur.

QVOD idem Rupert. notauit lib. 2. in Genes. c. 39. in primo parente, qui tot beneficia diuina accepta, per ingratitudinem tam citò amisit. Animaduertendum est, inquit, quàm pertinaciter primus homo terrenus à Creatoris laude mutus perstitit, quàm obstinatis labiis ab omni gratiarum genere abstinuit, & ingratum Domino Deo silentium dedit, formante Deo, & inspirante spiraculum vitæ, non suspirauit eodem spiraculo vitæ acceptæ, in plastæ sui faciem, vt adoraret, & eum glorificaret. Qui ergo gratiam Dei non agnouit, non mirum quòd ad hoc, vt peccaret, & omnia bona amitteret, deuenisset. Aduertit autem D. Chrysost. hom. 18. in Genes. propterea Euam filium sanctissimum Abel peperisse Dei dono, quia
Gen. 4 pro primo gratias egerat, dicendo: *Accepi hominem per Deum.* Nec omittendus
Ioan. 4. Cyrill. in cap. 4. Ioan. vbi ponderat Christum Dominum secundò in Cana Galilææ venisse, quia libenter cum gratis hominibus conuersatur, maiora beneficia paratus largiri, si memores sint perceptorum. Videndus item Aug. lib. 1. de doctrina Christ. cap. 1.

Matt. 25. HINC est quòd gratus ille, & fidelis seruus, qui quinque talenta acceperat, & quinque alia lucratus fuerat, ad Dominum accedens, non primùm lucri talentorum memoriam fecit, sed primùm memorat, quæ accepit, postea quæ inuenit, sicut notauit Chrysost. homil. 15. de var. in Matt. loc. Ideóque dum per gratitudinem meminit eorum, quæ acceperat, eorum pariter cum iis, quæ fuerat lucratus possessor cōstituitur, è contrà verò ingratis & exprobat, & aufert Deus ea bona, quæ contulerat. Negat enim beneficium, qui beneficium non honorat, sicut dixit Tert. de Pœnit. c. 4. & c. 3. ait: Quantulùm dispendij, si ingrato benefeceris? Quod prosequitur etiam Ber. Serm. contra vitium ingratitudinis, dicens; Dum amissum reputat dator, quod ingratus accepit, cauet sibi de cætero, ne tanto plura amitteret, quanto plura conferret ingrato. Quod idem Bernard. dixit Serm. 2. de Cœna Domini: Nunquam non perit, quod datur ingrato.

NON vult igitur sua beneficia perire apud ingratos, proinde eisdem exprobrat, vt innotescat eosdem diuina bona non mereri, imò diuinam iustitiam prouocare: quod vtrumque dixit D. Irenæ. lib. 4. contra hæreses, cap. 24. Quemadmodum, inquit, Deus semper idem, sic & homo in Deum intentus semper proficiet, exceptorium enim diuinæ bonitatis, & organum clarificationis eius, homo gratus ei, qui se fecit; & iterum: Exceptorium iusti iudicij Dei homo ingratus.

Matt. 25. QVOD vitium ita vitandum docuit Christus Dominus, vt etiam ante

bene

beneficia accepta docuerit gratias Deo agendas. Ideo enim antequam turbas fame penè enectas saturaret, gratias egit, sicut & antequam Lazarum è sepulchro rediuiuum educeret; quod etiam fecisse videtur Dauid Psalm. 17. Nam vbi nos legimus, *laudans inuocabo Dominum*, D. Hieronymus transtulit, *Laudatum inuocabo Dominum*, quasi priùs gratias Deo ageret, quàm diuina beneficia postularet, imò ipsa gratiarum actione Deum sibi ad beneficia conferenda conciliaret. *Ioan. 6.* *Psal. 17.*

QVOD si Deus nos ante beneficia gratos videre vult, memores profectò optabit acceptorum beneficiorum, quò faciliùs ei gratias pro illis referamus. Hinc est, quòd post victoriam de Amalech concessam, Moysi dixit: *Scribe hoc in monumentum in libro, & trade auribus Iosue*; vbi beneficia, & opera à nobis commemorari inter præsentes solùm non patitur, sed scriptis ad posteros etiam, quò eorum perpetua memoria custodiatur, iubet. Hinc est, quòd de eadem historia semel, & iterum dicitur, *memento. Scribantur* denique *hæc in generatione altera, & populus, qui creabitur, laudabit nomen tuum.* *Exo. 17.* *Deut. 24.* *Iudith 4.* *Psal. 101.*

HINC etiam est, quòd quando ad ingressum promissæ terræ Deus aperuit Iordanem filiis Israël, iussit Iosue vt per electos duodecim viros extraherentur duodecim lapides è medio Iordanis alueo, ponerentúrque in loco castrorum, vbi figenda erant ea nocte tentoria. Si quæras, in qua castrorum parte fuerint lapides collocati; occurrit Tertull. lib. 4. aduersùs Marcio. c. 13. dicens: Deprehendo duodecim lapides ab Iesu de Iordane electos, & in Arcam Testamenti conditos. Nequis verò mendum in Tertulliano hoc loco suspicaretur, propriam eius opinionem fuisse asserit Pamelius, qnod ostendit num. 161. Cæterùm nullatenus admittenda, quia tanti lapides, non manibus, sed humeris robustorum hominum allati, quomodo Arca non magna, rebus iam aliis, mannæ videlicet vrceo, Deuteronomij libro, & fortasse aliis rebus, de quibus cum Paulo Hebr. 9. solet disputari, completa caperentur? cur deinde in Arcam conderentur, cùm neque ab æstu, neque à frigore, aliáue vlla tempestate, aërisue iniuria lædi possent? Mitto, quòd verbum, *posuit*, in Hebræo, ac Græcò, alium longè situm indicat, quàm vt in Arca iacere illos oportuerit. Vnde miror nostro sæculo Lorichium Hadamarium in c. 4. Iosue amplexum fuisse hanc opinionem. Huic accedit Rabbi Leui, qui Ralbag à Iudæis nominatur, dum hos lapides iuxta Arcam depositos fuisse vult: an verò intra ipsum sacrarium, ac sanctuarium, an extra, non apertè declarat, sed insinuat fuisse extra. Meliùs certè dicet, qui asseret, iuxta Tabernaculum fuisse positos; quo sensu ego intelligo Serarium, cùm enim loco illustri, & ad miraculi tanti, ac singularis beneficij renouandam memoriam ponerentur; quis locus aptior, quàm iuxta Tabernaculum, & sub dio, vt omniũ oculos ipsorum aspectus feriret, & accepti beneficij memoriam acueret? Quæ fuit ratio cur Tertull. eos intra Arcam positos putauerit, & Ralbag apud Arcam perpetuò asseruatos, & translatos; quod falsum probat Hieronymus in epitaphio Paulæ, vbi ait: Intuita est castra Galgala, & duodecim lapi- *Iosu. 4.*

des, qui de Iordanis illuc translati fuêre alueo.

Positi igitur sunt prædicti lapides in monumentum filiorum Israël, Leu. 26. vsque in æternum, & licèt titulus quilibet in lege prohibitus videatur, vel in hoc monimento, ac titulo admittenda est specialis dispensatio, cum Abulens. q. 12. vel præceptum intelligendum de titulis, qui veluti dij adorarentur, quod videntur ostendere sequentia verba Leuitici: *vt adores eum*. Ideóque non comprehendit nostrum titulum, qui de lapidibus constructus est, vt tanti beneficij memoria apud posteros remaneret, & pro eo gratias Deo redderent. Vnde Masius ibi sic ait: Lubet admirari hoc loco immensam Dei erga humanum genus benignitatem; qui cùm nostræ nos salutis, quæ in ipso agnoscendo, amando, colendo tota est posita; plurimis quotidie, maximísque beneficiis admonet, atque ad se animos nostros reuocat, adeò vt nisi essemus mente obstinatissima, atque in carnis nostræ voluptatibus affirmatissima, nunquam aliò cogitationes nostras auerteremus: insuper etiam adminicula commonstrat vltrò, quæ præclarissima quæque sua in nos beneficia in memoriam reducant, quò digni reddamur acceptis, & accipiendis disponamur. Sic pro memorabilissimo illo fœdere recordando, cogitandóque, quod post orbem submersum cum humani generis reliquiis inibat iam tunc placatior, arcum suum in nubibus obseruari iussit. Monimentum item sacrosanctæ pactionis, quam cum Abrahamo fecit, Circuncisionem esse voluit. Liberationis Ægyptiacæ nè quando Israëlitas caperet obliuio, sacrum Pascha instituit.
Genes. 9.
Genes. 17

Hæc etiam fuit ratio; sicut rectè notauit Oleaster, cur Manna in Arca iusserit asseruari; asseruatumque durauerit, velut testis diuini beneficij, & vt filij Israël ea recordatione, alia in posterum beneficia mererentur. Hinc etiam est, quòd sicut notauit Lippoman. in cap. 2. Exodi, sancti viri beneficiorum Dei memoriam perennem instituentes, filiis nomina, quæ beneficia diuina testarentur, imponebant, vt quandocunque liberos aspicerent, vel vocarent, diuinorum beneficiorum, vel ex nomine recordarentur, & excitarentur ad reddendas pro illis gratias.
Exod. 16.

Sed ne vetera prosequamur, sunt enim plurima; ab eadem causa profecta sunt, quæ sacrosancta mater Ecclesia nobis proposuit, siue in anniuersariis festis, siue in imaginibus, & statuis, atque simulachris Christi Seruatoris, reliquorúmue Sanctorũ monimentis, vt sc. quæ ille salutis nostræ gratia & fecit, & passus est, ea assiduò, & grato animo recolentes, ipsius amore inflammemur, vt diligenti cura gratias agendo recipiendorum beneficiorum capaces reddamur.

Luc. 17. Pro quo argumento facit, quod cùm Dominus Iesus decem leprosos curandos vellet, dixit: *Ite, ostendite vos Sacerdotibus, dum verò irent, mundati sunt. Vnus autem ex illis vt vidit, quia mundatus est, regressus est cum magna voce, magnificans Deum, & cecidit in faciem ante pedes eius gratias agens.* Cur igitur leprosus mundatus non curat præceptum Christi Domini de adeundo Sacerdote, nec præceptum aliud de offerenda oblatione à lege assignata? Rationem reddit Tertullianus libro 4. contra Marcionem capite 35.
Leuit. 14.

Sama

Samaritem, inquit, miratus non mandat offerre munus ex lege, quia satis id obtulerat, gloriam Deo reddens, ideò addit, *Fides tua te saluum fecit*; quia intellexerat veram se Deo omnipotenti oblationem, gratiarum sc. actionem, apud verũ templum, & verum Pontificem eius Christum facere debere. sic ille. Ex quibus verbis illud colligere possumus, nullum sacrificium adeò gratum omnipotenti Deo, quàm gratiarum actionem, qua & diuinæ bonitati satisfacimus, & eam denuò nobis promeremur.

TAMQVE necessaria est gratitudinis virtus, vt ad omnia eam Paulus voluerit coniungere, dum ait, *gratias agentes semper pro omnibus*. Vbi D. Hieron. ait. Dupliciter intuendum, vt in tempore, & pro omnibus, quæ nobis accidunt, Deo gratias referamus, vt non tantùm pro iis, quæ bona putamus, sed etiam quæ nos coarctant, & contra nostram veniunt voluntatem, in Dei præconium mẽs læta prorumpat. Si igitur pro aduersis gratias Deo debemus agere, quanto magis pro bonis liberaliter, & affluenter acceptis? Illud igitur constituendum est, Deum ideo aliquando improperare, vt ingratos ostendat indignos, qui iam deinceps diuina affluentia fruantur. Qua in re adhuc diuina bonitas clementissimè se gerit erga ingratos, dum & subtrahit affluentiam suæ liberalitatis, quæ eis materia districtioris iudicij esse poterat, & improperat, vt in melius corrigantur. Dixit illud Bernar. Serm. contra vitium ingratitudinis. Fortè clementia esse videtur, ingratis negare quod postulant, ne contingat nobis, vt tanto grauiùs de ingratitudine iudicemur, quantò magis accumulatis beneficiis ingrati probabimur extitisse. Et D. Ambrosius Serm. 42. Si taciti, & immemores fuerimus diuinorum beneficiorum, tanquam indigni eorum administratione fraudabimur, vt Deum quem beneficiis non cognouimus, malis ingruentibus requiramus, & aduersis stimulemur ad rogandum, qui pro prosperis gratias non egimus ad fruendum. Quibus habet similia Serm. 43. Ephes. 5.

QVÒD verò exprobratio ingratos corrigat, probat id quod notauit D. Gregorius Papa, obliuionem scilicet diuinorum beneficiorum, esse morbum; de quo intelligendum est illud. *Illuminare his qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent*. At verò, sicut dixit Clemens Alexand. 1. Pæd. c. 5. medicamentorum potioni, aut applicationi similis est exprobratio, quæ resoluit, &c. Ambo probrum obiiciũt amicus, & inimicus, sed inimicus quidem irridens, amicus autem beneuolens: amicabiliter enim exprobrauit Deus Dauidi, qui mox pœnituit, resipuit, & ad noua beneficia promerenda se aptauit. Hoc etiam prosequitur Chrys. hom. 3. de Dauide, & Saüle tom. 1. Quoties, inquit, nulla data occasione, iactat quis, ac prædicat sua in alium beneficia, nihilo potior est exprobrante. Cæterùm quoties id facit, vt correpto persuadeat, & malam de ipso opinionem habentem flectat in diuersum, is & curator est, & beneficus. Quod sanè fecit Dauid, haudquaquam à Saüle gloriam captans, sed iram in illo radicatam auellere studens. Atque hoc nomine Saül collaudauit eum, quòd & bene meritus esset; vbi Chrysost. alludit ad id quod Dauid postquam in 4. Mor. cap 17. Luc. 1.

1.Reg.24 Cap.26. spelunca pepercit Saüli, dixit ei: *Ecce hodie viderunt oculi tui quòd tradiderit te Dominus in manu mea*; vel quando dixit. *Tradidit te Dominus hodie in manu mea, & nolui extendere manum meam in Christum Domini.* Quando scilicet ingressus tentorium Saülis à nece abstinuit, tulit tamen hastam, & scyphum. Sic itaque intelligenda est diuina exprobratio erga ingratos, quæ singulare beneficium est, cùm in eorum emendationem vergat, capacioréſque reddat ad diuinam affluentiam promerendam. Et de hac exprobatione non est intelligendus præsens locus, sed de illa, qua superbè gloriatus quis exprobrat, quæ bona in alterum contulit. Vnde Bern. Serm. 16. in Cant. Erubesce anima mea, quoniã etsi illum nõ repetere, & non improperare decet, nos tamen omnino dedecet ingratos, immemoréſque extitisse.

Vers. 5. *Et dabitur ei.*

§. I.

Cur Deus peti velit, & de magna orationis efficacia, & potentia.



Ioan. 16. Marc. 11. Hac constanti promissione nos inuitat Apostolus ad perpetuum orationis studium, siquidem perpetuò indigemus in hac vita sapientia illa, de qua sermo est. Is enim qui promisit, *si quid petieritis Patrem in nomine meo*; & alibi. *Omnia quacunque orantes petitis, credite quia accipietis, & fiet vobis*, sapientiam postulatus, pro summa affluentia dabit. Et qui ad conuitia surdum se præbuit, ac mutum, & inter mortis dolores orationi, postulationíque latronis incunctanter respondit, &

Luc. 23. dum memoria poscitur, regnum concedit. Luc. 23. sicut ibi aduertit Ambros. dicens: Vberior est gratia, quàm precatio, semper enim plus Dominus tribuit, quàm rogatur, is procul dubio dabit sapientiam ei, qui in fide postulauerit.

SED statim hoc loco ea se offert quæstio quam affert D Aug. lib. 2. de serm. Domini cap. 9. Quid opus est, inquit, oratione, si quidem Deus quid nobis opus sit, iam nouit? Respondétque opus esse oratione, quia ipsa orationis intentio cor nostrum serenat, & purgat, capaciusque efficit ad excipienda diuina munera, quæ spiritualiter nobis infunduntur: non enim ambitione precum nos exaudit Deus, qui semper paratus est dare suam lucem nobis vitalem, sed nos nõ semper parati sumus accipere, cùm inclinamur in alia. Et Chrysost. hom. 19. in Matth. Orandum, inquit, non vt Deum doceas, sed vt inflectas, vt familiaris efficiaris, vt humilieris orando, &c. Hæc tamen simplex Iacobi promissio nos omnes ad orationem prouocat, proposita infallibilitate consequutionis, si pro indigentia postulemus. Quam promissionem in sacris literis repetitam D. Bernard. Serm. 16. in Psalm. *Qui habitat*, ad illa verba, *Clamauit ad me, & ego exaudiam eum*; dulcem

dulcem legem appellat, quæ meritum exauditionis in clamore postulationis constituit. Et Clemens Alexand. 1. Pædag. c. 9. asserens illud Isai. c. 58. *Vocabunt me, & dicam, ecce adsum.* Celeriùs, inquit, exaudisti quàm ego expectaui Domine. Et Chrysost. ad illa verba Christi. Matth. 7. *Omnis qui petit, accipit*; siue iustus sit, inquit, siue peccator, tantùm petere non dubitet, cùm constet neminem excludi, nisi qui petere recusauerit. Nazianz. oratione in sanctum Baptismum. O miram beneficentiæ celeritatem! ô facilem contrahendi rationem! cùm ab eo beneficium petitur, beneficio id ducit: prompta, munifica, atque prolixa natura est, iucundiùs dat, quàm alij accipiant. Et Orig. in epist. ad amicum ægrotum tom. 9. Peti se vult Deus qui quod est nouum inter nos, solus petentem se amat, cui etiam solus, quod mirabile est, irascitur nisi petatur. Isai. 58. Matt. 7.

HINC est, quòd ea omnia, quæ difficiliora possent videri, postulatus Deus facilè concessit, quò nos ad petendum inuitaret. A natura inditum est, vt ignis comburat, sursúmque vsque ad proprium centrum feratur: trium tamen puerorum petitio flammam ignis excussit, & Heliæ oratio ignem de cœlo descendere fecit, naturalémque leonum sæuitiam Danielis preces cicurarunt. Quòd si tempus edax est rerum, contra omnia sublunaria præualens, orationi cedit. Nihil aliud enim est tempus, quàm mensura motus, quo scilicet omnes actiones nostras metimur, si tardæ, vel veloces sint: vnde dicimus, consumere tantùm, vel tantùm temporis. Si quis verò primi mobilis motum cohiberet, hic procul dubio contra tempus præualeret. Postulauit Iosue ne Sol, ac Luna mouerentur; *& steterunt Sol, & Luna, donec vlcisceretur se gens de inimicis suis*; & ita cessit tempus orationi. Dan. 3. 4. Reg. 1. Dan. 6. Cap. 10.

SED adhuc video quid maius concessum orationi, dum ad Petri preces, super aquas eundem: Petrum videmus gradientē impossibile factu, pedes in aquæ quod intelligemus iuxta id quod veteres Ægyptij exposuêre, qui vt ostenderent aliquid superficie inambulantes pro hieroglyphico faciebant. Nemo siquidem est, qui nesciat nulla id humana ope, ingenióue fieri posse: nihil enim magis irritum cedit, quam si quis plantas super aquæ superficiem firmare sibi persuaserit. Ad quod respexit Cic. cùm 3. Offic. fluxas, labiles, & inconstantes Epicuri rationes esse dissereret, quippe quæ minùs in solido consistant, quòd aquæ hærent, vt aiunt. Id igitur quod impossibile, imò & pro impossibilitatis symbolo Veteres circūferebant, orationi possibile ostendit Dominus, quando ad petitionem Petri iussit, ac fecit eum venire super aquam. Sed quid mirum, quòd impossibile redigat ad actum oratio, quando & ipsum omnipotentem Deum detinet, ac ligat? Ideóque Moysi oranti dixit: *imitte me, vt irascatur furor meus.* Omnia igitur subiecta videmus orationi, cùm se illi ipsemet Deus veluti subiiciat. Omnia in oratione posuit, qui omnia concessurum se exposuit. Matt. 14. Mat. 14. Exod. 32.

POSTQVAM Salomom magnificum Templum illud extruxit, deprecatus est Deum, vt si populus Israël inimicos fugisset, & Deum in domo illa deprecaretur, Deus populum exaudiret. Si clausum fuerit cœlum, 3. Reg. 8.

fames si oborta fuerit, si peccauerint tibi, pleraque alia mala recensendo, orat Deum, vt his omnibus subueniat, dummodo pro his malis orauerit populus in domo illa. Et statim dixit Dominus ad Salomonem: *Exaudiui*
Cap. 9. *orationem tuam, sanctificaui domum hanc, quam ædificasti, vt ponerem nomen meum ibi*; id est, sicut exposuit Vatab. vocando ædem istam, ædem meam siue de
Isai. 56. nomine meo. Iam verò ipse Deus dixit: *Domus mea, domus orationis vocabitur.* Mirum quòd nolit eam vocari domum victoriæ, domum abundantiæ, domum propitiationis, domum curationis, quæ omnia in ea domo promisit inuenturos, qui oraturi accederent. Vocetur, inquit, domus orationis domus mea, vt intelligant homines se omnia in oratione inuenturos, nihilque oranti vnquam defuturum. Dúmque appellatur domus orationis, virtualiter, & implicitè appellatur domus, seu promptuarium omnium bonorum.

VNDE possumus intelligere eam expositionem D. Thomæ ad illa
Gen. 32. verba. *Dimitte me, aurora est*; vbi sequutus, vt videtur, Origenem lib. 3. de principiis, & quātùm ex eo possumus colligere, Hieron. in cap. 6. ad Ephes. ait: Non puto quòd eodem modo luctaretur cum eo, quo communiter luctantes, sed potiùs quòd Angelus, siue Deus in specie hominis apparens, precibus, & attrectiuis manibus, & amplexibus tenebatur à Iacob. Quæ expositio confirmari potest ex Bern. epist. 120. dum ait; Pugnabimus pro matre nostra armis, quibus licet, non scutis, & gladiis, sed precibus, fletibúsque ad Dominum. Subdit igitur D. Thom. explicans prædicta verba; *Dimitte me, iam ascendit aurora.* Nota quòd loquitur ad modum domini, seu viri maturi, & honesti, qui erubescit videri luctari, vel aliqua sibi non condigna agere. Ex mente igitur D. Thomæ hæc lucta precibus agebatur ex parte Iacob. Et licèt communis expositio eius loci sit, verè corpoream fuisse luctam, semper necessariò fatendum est, interuenisse ibi orationem, saltem in petenda benedictione, quam cum lacrymis postulasse ait
Osee 12. Oseas c. 12. Ait igitur ille Angelus, qui Dei personam agebat, *Dimitte me*; noluit enim videri sibi non condigna agere, quasi erubuerit Deus, si quis videret Iacob deprecantem, & eum illicò non exaudientem.

ABSIT autem erubescendi verbo inuidia. Eo enim vsus est Ambros. in simili, eleganti itidem expositione. Occurrēs enim obiectioni Arrianorum, qua probare conabantur dissimilitudinem, & inæqualitatem Patris, & Filij, ex responsione eiusdem Filij data ad id, quod mater filiorum Zebe-
Mat. 20. dæi postulabat de filiis, quando scilicet dixit, *Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo*; sic ait Ambrosius lib. 5. de fide cap. 3. Dominus cœli, atque terrarum verecundabatur (vt secundùm assumptionem carnis, & virtutes animæ loquar) verecundabatur, inquam, & vt ipsius verbo vtar, confundebatur matri pro filiis postulanti etiam suæ sedis consortium denegare. Quàm patiens, & clemens Dominus! quàm alta sapientia, & bona charitas! Volens enim ostendere, quòd non perfunctoriam rem aliquam Discipuli postularent, sed eam quam impetrare non possent, prærogatiuam ei paternæ honorificentiæ reseruauit, non metuēs ne quid iuri

pro

proprio derogaret, *qui non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*; noluit videri quod peterent denegasse sanctus, & bonus Dominus, qui mallet aliquid dissimulare de iure, quàm de charitate deponere. Ex qua expositione illud colligimus; erubuisse Christum Dominum negare id quod ab eo postulabat mater filiorum Zebedæi, & maluisse suum honorem periclitari apud hæreticos, quàm liberalitatem erga exorantem. Nam, sicut dixit Benard. Serm. 2. de Sancto Andrea, non potest iure negare petentibus, qui etiam non petentes prouocat, & hortatur vt petant, dum ait; *Si vos cùm sitis mali, nostis bona dare filiis vestris, quanto magis Pater vester cœlestis dabit?* Similiáque habet D. Aug. Serm. 36. de verbis Domini. Matt. 7.

QVOD si aliquando indigentes à Deo aliquid postulamus: & non accipimus, contra id quod Iacobus hoc loco docet, inde fortassis proueniet, quòd indigos ac necessitate oppressos fratres petentes etiam non audimus; quod dixit Basil. hom. 8. in diuites: Supplicantium ad Deum vox frustrà clamat, & in aëra euanescit, ac dissipatur. Nam & nos rogantes minimè audimus, ob hoc campi steriles, quoniam & charitas friguit. Similia prorsus habet Cyprian. lib. de opere, & eleemosyna, vbi inter alia affert illud: *Qui obturat aures ne audiat imbecillum, & ipse inuocabit Deum, & non erit qui exaudiat eum*: neque enim promereri misericordiam Domini poterit, qui ad precem pauperis non fuerit humanus. Et Chrys. hom. 79. ad pop. Cùm defeceris orans, & non acceperis, cogita quoties pauperem audisti te petentem, & non exaudisti, & tu quidem hoc ex crudelitate facis, Deus autem ex benignitate. Prou. 21.

Vers. 6. *Postulet autem in fide nihil hæsitans.*

EXPOSITIO LITERALIS.

NON minima est hoc loco difficultas, quidnam intelligẽdũ sit nomine *fidei*: lógè enim aliter hoc loco accipitur, atque c. 2. cũ dicitur; *Fides sine operibus mortua est.* Nam plerique Scholastici Theologi intelligunt fiduciam, quæ nihil aliud est, quàm modus quidam, & robur spei, vt ait D. Tom. 2. 2. q. 129. art. 6. Quod enim fides distinguatur à fiducia, planè colligi videtur ex illo, *in quo habemus fiduciam, & accessum in confidentia per fidem eius*; vbi causam fiduciæ dicit Paulus esse fidem. Et ideo ipse effectus aliquando nomine causæ appellatur, scilicet fiducia nomine fidei. Quo pacto intelligunt illud. *Modicæ fidei, quare dubitasti?* vbi videtur Christus Dominus nomine *fidei* intellexisse fiduciã: ad illã enim habendã paulo antè fuerat Discipulos exhortatus, dicens, *habete fiduciam.* In quaetiam significatione intelligunt illud: *Si habueritis fidem.* Pro qua sententia vidẽdus est Vega lib. 9. in Trid. c. 28. & Lynd. de quadrip. Iust. 1. p. lib. 2. c. 3. Ians. in Cõcord. c. 32. & 35. & recẽtiores Theologi ad initiũ 2. 2. D. Th. quibus Ephes. 3. Matt. 14. Luc. 17.

quibus addendus est locus præsenti similis 1. Ioan. 5. *Hac est fiducia, quam habemus ad eum, quia quodcumque petierimus secundùm voluntatem eius, audit nos.* Facit & pro hac sententia vsus Latinorum, qui fidem pro fiducia vsurpare solent, vt patet ex Cicer. pro Quinto Ligario, dicente: *Animaduerte, qua fide defendam eius causam, qui perdo meam.* Et Terent. in Heaut. *At mihi fides apud hunc est, nihil me istius facturum.*

Rom. 5. ALII verò existimant hoc loco *fidem* significare veram fidem Catholicam, quæ requiritur ad efficatiam orationis: nam vt dixit Paulus; *Quomodo inuocabunt eum in quem non crediderunt?* Vnde hoc, quod ait Iacobus, *in fide nihil hæsitans*; primò intelligi potest de hæsitatione repugnante veritati fidei diuinæ, quæ pertinet ad intellectum: non quia necessarium sit vnicuique credere suam orationem habituram effectum absolutè, sed solùm sub ea conditione, si habuerit omnes proprietates necessarias, sub quibus promissio orationis facta est, ita vt non hæsitet de illa promissione; *Quidquid orantes petitis, credite, quia accipietis*: quæ in prædicto sensu intelligenda est.

VEL secundò, si velimus Iacobum loqui de non hæsitatione in ipso affectu orandi, ideo dicit, vt postulans in fide nihil hæsitet, non quia fides illa sit fiducia, sed quia est radix fiduciæ, & quia ex perfecta consideratione fidei, diuinæque bonitatis, quam fides docet, prouenit, vt fidelis oret cum
1. Petr. 5. firmo affectu, & sine hæsitatione, sicut Petrus dixit. *Cui resistite fortes in fide*; non quia resistere tentationi formaliter fiat per fidem; fit enim per voluntatem gratia adiutam, sed quia fides est, quæ voluntatem mouet, & dirigit. Et ita Paulus monet habere fiduciam in fide, & ob eandem causam, quando Christus reprehendit Petrum quòd esset modicæ fidei, & similiter alios Apostolos, de vera fide loquitur, neque eos reprehendit, quia dubitarent de veritate fidei, aut reuelationis, sed quia haberent languidam fidem, & non rectè vterentur illa, ad considerandum ea quæ possent affectum, & fiduciam erigere. Fieri enim potest, vt quis non habeat defectum in assensu fidei, neque in certitudine, qua credit Deum esse fidelẽ in suis promissis, & tamen deficiat in applicanda practicè hac veritate, & cognitione voluntati, vt secundùm illam cum magna fiducia oret, si detur hæsitatio, vel tepiditas in voluntate.

ITAQVE secundùm hanc sententiam, *fides* hoc loco accipitur pro vera fide includente conditionem, quã includit promissio, & insuper ipsam promissionem, ita vt credat Deum fidelem in promissis, & si oratio habuerit omnes proprietates, & conditiones necessarias, eam futuram infallibilem, & ita talis fides neque habeat hæsitationem in intellectu, neque admittat in voluntate, imò potiùs magnam fiduciam, hoc est, magnum spei robur in voluntate excitet. Et hæc videtur germana huius loci expositio, quæ desumi potest ex Cyrill. Hierosoly. Catechef. 5. & videtur esse de mẽte Hieron. in Dialogo cõtra Luciferianos; Orig. & Chrysost. in cap. 8. Matt. cõsentaneáque est D. Tho. 2. 2. q. 129. art. 2. Et pro ea videri potest Tolet. Luc. 5. & Maldonat. Luc. 18. quã bene posuit Suar. lib. 1. de Oratione c. 24. Orandum

dum igitur est in fide, id est, cum fide, ita vt nulla hæsitatio, seu dubitatio de diuina largitate admittatur, quò animus firmiter Deo adhæreat postulanti, & ab eo nullo dubio occurrente diuellatur.

§. I.

Fides ad orandum necessaria ostenditur.

OSTENDIT hic locus fidem maximè esse necessariam, vt Deum deprecemur, quod etiam docuit Christus Dominus cùm dixit: *Si habueritis fidem, & non hæsitaueritis, omnia quæcunque petieritis in oratione credentes, accipietis.* Mat. 21. Vnde Theophylact. Luc. 8. notauit, quòd postquam Christus Dominus fidem docuit, dixit. *Filius hominis veniens, putas, inueniet fidem in terra?* Meritò, inquit, sermoni de Oratione sermonem de Fide contexuit, quoniam omnis orationis fundamentum, & basis est fides. Quod prosequitur August. Ser. 36. de verbis Domini. & Ambros. Serm. 3. in Psalm. 118. & Chrysol. Serm. Psal. 115. 90. loquens de Zacharia, cui non credenti diuino oraculo abstulit Deus Luc. 1. vocem, sic ait. Qui non credidit, tacuit, Propheta quia credidit, gloriatur. *Credidi, propter quod loquutus sum.* Fratres, dat verbum fides, negat infidelitas verbum; quasi velit, non posse quempiam aperire os, nisi ex imperio, & dictamine fidei. Quod testatur Dauid in allato testimonio.

FACIT ad præsens institutum id quod docet Chrysost. hom. 2. de fide 1. Reg. 1. Annæ, cùm ponderat eiusdem fidem, quæ postquam orauit Dominum pro filio obtinendo, addit sacer textus; *Abiit mulier in viam suam, & comedit, vultúsque illius nõ sunt amplius in diuersa mutati;* quæ verba cõtinent Hebraismum, quem rectè exposuit Vatablus, talísque est: *Neque vultus fuerunt ei amplius,* quod nos Lusitanè etiam dicimus habere, seu deponere vultum mœstum, ac tristem. Vnde & alij vertunt; *Neq; fuit amplius mœsta.* Vides, ait Chrysost. mulieris fidem, priusquàm acciperet, quod postulauerat, perinde confisa est, quasi iam accepisset. In causa erat, quòd oraret multo studio, citra omnem hæsitationem, aut diiudicationem: hanc ob rem abiit animo pacato.

PRO hac autem fide necessaria ad orationem, & quæ debet expellere quodlibet oblatum dubium, est optimus ille locus cùm Christus Dominus prophanæ mulieri dixit. *Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi, Da mihi aquam, tu forsitan petiisses ab eo, & daret tibi;* Ioan. 4. vbi notandum est, particulam dubitationis, non poni ex parte eius, qui concessurus esset, sed ex parte eius, qui rogaturus; tanta enim fide vult Deus, vt ab eo beneficia petamus, vt si dubitatio aliqua intercedat, tota sit antecedens orationem, si forsan, scilicet, quis petat, vbi primùm verò petierit, fideliter credat, indubitantérque sciat se consequuturum, quod postulat.

VEL tandem illud credere debemus, quod docuit Bern. lib. de Anima, c. 6. Quoniam aut dabit nobis, quod petimus, aut quod nouerit nobis esse vtilius. Quod etiam dixit Aug. tract. 6. super 1. Ioan. Deus si voluntati non dat, saluti dat. quod prosequitur idem Aug. Psal. 26. & epist. 150. Prosper. lib. sentent. sentent. 212.

§. II.

Maxima confidentia debet fidelis anima Deum orare.

VTCVMQVE intelligatur hoc loco fides, satis tamen docet vitandam esse hæsitationem, & Deum orandum summa confidentia, ac roborata spe assequendi id quod à Deo postulatur. Quod notauit Caiet. ad ea verba orationis Dominicæ, *Pater noster qui es in cœlis*. Magna, inquit, dignitas cuiuslibet orantis, habere Patrem in cœlo: recurrere enim iuberis ad Deum non vt seruus ad dominum, sed vt filius ad patrem filiali affectu, filiali fiducia, imò securitate. Et paulò inferiùs expendit cur à Deo quotidianum postulemus panem? vt quolibet, inquit, die soliciti simus ad recurrendum ad Patrem cœlestem.

Cant. 5. ORITVR autem hæc fiducia ex Dei bonitate, & eiusdem promissionibus, nam, sicut dixit Sponsa, labia diuini sponsi lilia quidem sunt, quia ipsius verba, quibus concessionem promisit orantibus, lilia quidem producunt, in nobisque spem & confidentiam excitant. Sunt enim lilia symbolum spei, & confidentiæ, sicut latè probat Pierius lib. 55. titulo de Lilio. Vnde Poëta cùm spem de Marcello conceptam significare vellet dixit 6. Æneid.

——— ——— —Si quá fata aspera rumpas,
Tu Marcellus eris, manibus date lilia plenis.

NOTANDA proindéque est Sanctorũ confidentia in petendo, cùm non deprecãdo, sed veluti imperando videantur Deum orare, sic dixit Dauid:
Psal. 71. *Deus iudiciũ tuum Regi da*. Et alibi: *Firmentur verba tua*: sic docuit Christus Do-
3. Reg 8. Matt 6. minus, *Panem quotidianum da nobis, adueniat regnum tuum*: vbi Orig. ait: In-
Psal. 36. gẽtis fiduciæ est, imperare cũ ores. Quod etiam docuit Theod. ad ea verba: *Spera in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui*. Et Ber. ad præsens institu-
Gen. 27. tũ exposuit illud, quod dixit Esau patri suo; *Num vnam tantum benedictionem habes pater?* in declamation. super. *Ecce nos*, &c. ante finem. Infelix, inquit, Ber. tu Esau, qui hoc dixisti: quanto enim melius erat dicere cum Pro-
Matt. 9. pheta, *Vnam petij à Domino, hanc requiram*. Indignus enim benedictione cælesti conuincitur, qui dubio quærit affectu, & in fide hæsitans postulat. Quod ostẽdit mulier illa, quæ sanguinis fluxũ patiebatur, præ magna tamen cõfidẽtia dicebat. *Si tetigero tantum fimbriã vestimẽti eius, salua ero*. Ideóque iuxta confidentiã, quã præbuerat, sanitatẽ adcõtactũ habuit, dixitque ei Christus; *Cõfide filia*, vbi nõ contentus, quòd in re cõfidẽtiæ correspõderit, verbo etiam eandem confirmauit, filiámque ratione istius fiduciæ appellauit, eam namque talis fides filiam Christi effecit, sicut notauit Chrys. hom. 32. in Matth.

Matt. 9. HOC insuper argumentum probat id quod Christus Dominus archisynagogi filiam suscitaturus fecit: tibicines, & turbam tumultuantem priùs eiiciens: cuius rei rationem reddit Chryso. loco citato, dicens; Considera flentes, atque plorantes, quasi tam magna videre miracula indignos, omnes eiectos fuisse. Indignitas autem istorum in eo mihi videtur extitisse, quòd veluti diffidentes de reditu ad vitam, eam iam emortuam lamen-

tarentur:

tarentur: rationéque istius diffidentiæ, indigni prorsus erant, qui reditum ad vitam puellæ cernerent, noluitque eam suscitare in præsentia eorum, qui desperati solam mortem lugebant, nihil de vita cogitantes. Nam, sicut dixit D. Thom. 2. 2. q. 83. art. 15. Oratio efficaciam merendi habet à charitate, at verò efficaciam impetrandi à fiducia. Vnde Cassian. Collat. 9. c. 32. dicit, signum futuræ impetrationis esse, quando Spiritus sanctus mouet ad petēdum cum magna fiducia, & quasi securitate impetrandi. Et Clemens Alexandrin. 7. Stromat. plus ait paratum esse debere hominem ad orandum, etiamsi non impetret, quàm ad impetrandum nō tamen petendo, vt tota fiducia in oratione collocetur. Et Bern. de diligendo Deo præsentem Iacobi sententiam optimè connectens cum superiori, ait. Quid enim nisi cum omni fiducia postules à Deo, qui dat omnibus affluenter, dubium siquidem non est quòd adsit libenter in necessariis, qui plerisque, & in superfluis non deest?

Plvra hac de re habet Chrysost. hom. 35. in Ioannem, cùm exēplo paralytici nos ad fiduciam & patientiam cohortatur dicēs: Pudeat nos, & incredibilem socordiam nostram deploremus, triginta & octo annos ille expectauerat continuos, nec eius impletum est desiderium, nec id culpa, aut negligentia eius factum est, nec propterea desperauit, nos autem, si vel decem dies orationibus inuigilātes non exaudimur, iam tepescimus, &c. Quibus habet similia orat. 3. contra Iudæos, & lib. 3. de Prouidentia. Videndus item est Philo lib. *Quòd deter. insidi. soleat.* vbi ait, Vero homini quid magis potest esse proprium, quàm spes bonorum accipiendorum à solo Deo? quod genus, si vera fateri volumus, propriè hominum est, tanquam hi, qui non sperant in Deum, extra naturam rationalem censeantur. Quibus habet similia libr. de Abrahamo, dicens: Principium parandorum bonorum, spes est; &c. quæ prosequitur in hanc sententiam. *Ioan. 5.*

Debet itaque summa fiducia, & spe fidelis anima Deum orare, & pro tentationibus quas patitur, & pro bonis, quæ exoptat, vt spe certissima tristitiam depellat, & Deo in postulando adhæreat. Nam si quæcumque spes, etiam falsa, sicut dixit Gregorius 8. Moral. cap. 8. solet mœstum animū refouere, spes quæ Deo, ipsiusque promissionibus innititur, omnia mala propulsabit. Hæc enim est accommodum in malis pharmacum, sicut dixit Nazianz. orat. 2. Apologet.

Illvd tamen ad calcem huius sententiæ duximus aduertendum, nos longè aliter hîc loqui de fide, & fiducia, ac hæretici loquuntur. Dicunt siquidem fidem accipi pro fiducia de diuina misericordia, quæ sola absque pœnitentia iustificat, & proinde nulla bona opera esse necessaria ad beatitudinem consequendam. Quo pacto explicant ea omnia testimonia sacræ Scripturæ, quæ asserunt nos per fidem iustificari, vt Abac. 2. *Iustus ex fide viuit. Fide purificans corda eorum.* Et alia similia. Contra quos Concil. Trid. sess. 6. Canon. 12. ait: Si quis dixerit fidem iustificantem esse fiduciam diuinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse, qua iustificamur, anathema sit. Quæ creditur ra- *Abac. 2. Rom. 1. Act. 15.*

tio cur Sot. lib. 2. de Nat.& Grat. c. 6. nullatenus admittendum censeat, quòd fides pro fiducia alicubi sumatur, præsertim hoc loco Iacobi, in odium scilicet Lutheranorum. Prædicta namque explicatio Catholica est, & non excludit ea omnia quæ ad iustificationem requiruntur, fiduciam scilicet diuinæ gratiæ consequendæ, & bona opera, in quibus maximè commendandis tam multus est noster Apostolus, vt videbimus.

EST insuper vlteriùs cauendum, ne fiducia in præsumptionem transeat, & ex parte intellectus, ne quis putet fiduciam impetrandi ponendam in propriis meritis, quia in hoc magnum est periculum superbiæ, & de-
Luc. 18. ceptionis, sicut patet in parabola de Pharisæo, & Publicano: ad examen tamen propriæ conscientiæ possunt examinari opera nostra, dum ad orationem accedimus, ne fortè ex parte nostri ponatur impedimentum. Vn-
1. Ioa. 10 de Ioannes dixit; *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum* Vel etiam possunt in mente repræsentari propria merita ad expellendam nimiam pusillanimitatem, & diffidentiam, recognoscendo tamen ea tanquam Dei beneficia, & concipiendo spem in Deo, quia si illa contulit, ma-
Esai. 38. iora dabit; sicque intelligendum est illud Ezechiæ: *Obsecro Domine memento quomodo ambulauerim coram te in corde perfecto.* Et illud: *In toto corde meo exquisiui*
Ps. 118. *te, ne repellas me à mandatis tuis;* & pleraque alia similia loca.

Vers. 6. *Qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento mouetur, & circumfertur.*

EXPOSITIO LITERALIS.

PRO *hæsitare*, alij legunt *disceptare*, sicut etiam Matt. 21. *Si habueritis fidem, & non hæsitaueritis.* Ex Græco, *non disceptaueritis*, vt solent, qui dubitant apud se in vtramque partem disputare. Vnde & Caietan. hic legit. *Non diiudicat*, propriúmque est diffidentis, & desperantis. Vnde Oecum. hoc loco ita explicat: Is qui hæsitat dubius circa suas petitiones, vbi paulisper sustinuit, statim recedit, & ideo similis est
Ps. 105 fluctui maris, de quo dicitur. *Ascendunt vsque ad cœlos, & descendunt vsque ad abyssos.* Videtur itaq; sensus huius loci esse, vt explicet hæsitationem prædictam præsenti similitudine; qui enim fiduciam non habet, neque in desiderando, neque in petendo habet stabilitatem. Vnde Anselmus in epist. ad Philipp. cap. 2. ibi, *sine hæsitationibus*; vt nõ hæsitetis in corde vestro, vtrùm faciatis, an non, sed firma definitione perficite, ne sitis animo fluctuantes. Et in hoc sensu explicauit Clemens Rom. lib. 7. c. 12. hunc locum, facit-
Rom. 4. que pro eo illud Pauli, vbi de Abraham dicit; *Contra spem in spem credidit:* quod exponens addit *In repromissione Dei non hæsitauit diffidentia, sed confortatus*
Dan. 3 *est in fide.* Et illud Azariæ: *Non est confusio confidentibus in te.* Stabilitatem igitur in deprecando Deo prædicat Iacobus hoc loco, quam sequenti doctrina enucleabimus.

§. I.

§. I.

Instar maris fluctuantis impiorum conscientia nullam quietem habet.

PER similitudinem, quam Iacobus hoc loco affert, intelligunt Beda, Carthus. D. Thom. Glossa, & alij, effectum peccati in conscientia eius, qui orat. latitatis, eodem namque mordente, peccatorem facit hæsitare de perceptione præmiorum cœlestium, proindéque ad libitum hostis inuisibilis, quasi ad flatum raptatur, vnde de impio ad literam dicitur. *Cor impij quasi mare feruens, quod quiescere non potest.* Et apud Iob. *Leuis est super faciem aquæ*; quod Nicetas sic explicat. Quemadmodum ea, quæ leuia sunt cùm aquæ insederint extimæ, facilè aquarū impetu hac, illácque iactantur, sic quiuis impius tentationibus rapitur. Est enim certa tempestas in animo peccato subdito. Isai 57. Iob. 24.

QVOD notauit Clemens Alexand. 2. Strom. ad ea verba: *Egressus est autem Caina facie Dei, & habitauit in terra Naid, contra Eden.* Interpretatur autem Naid, inquit, id est, fluctus. Postquam enim Adam in peccatum incidit, inde etiam fluctibus concuti, & agitari cœpit, modò ad scopulos timoris allisus, modò pudoris fluctibus obrutus. Sicut enim dixit Tertullian. Apolog. ad Gent. Omne malum aut timore, aut pudore natura perfudit. Quod clariùs dixit Ambrosius in Psalm. 35. loquens de tempestate iactato ac vago Cain: cùm adhuc percussor deesset, ipsa sese iniusti cura cruciabat, acceperat signum ne eum aliquis occideret, non vt vitæ suauitate frueretur, sed ne mors auferret ærumnam, vt percussorem suum quotidie timendo pateretur, ipse suus carnifex erat, ipse percussor. Et paulo pòst subdit: Delictum meum coram me est semper; offunditur vobis vltrix vestri imago peccati, nec quietum reum esse permittit. Idémque habet Nazianzen. orat. 28. Gen. 4.

QVÆ fuit ratio cur Philo de congressu quærendæ eruditionis gratiâ, licèt impiè deceptus, ausus fuerit asserere, nullum esse alium inferorum locum, quàm impiam animam, suis perturbationibus agitatam; quem sequutus est Origenes lib. 2. Periar. sicut refert, & impugnat D. Hieronym. in epistola ad Auitam; per hyperbolen tamen hanc agitationem animæ fluctuantis sic describit: Deus, inquit, iniustam, impiámque animam fugatam à se ipso longè dissipat in locum concupiscentiarum, ac facinorum, qui locus impiorum vocatur aptiùs, quàm ille fabulosus apud inferos.

HANC ergo hæsitationem, & inquietudinē in oratione vitandam, vnde tempestates excitantur, docuit Dauid, quando dixit. *Inuenit seruus tuus cor suum, vt oraret te oratione hac.* i. collegi sensus, eósque veluti ligatos habui, ne hæsitando disceptarem, & disputarem. Quæ verba explicans Aug. Psal. 85. ait. Inuenire se dixit cor suum, quasi soleret ab eo fugere, & ille sequi quasi fugitiuum. Et Pythagoras homines adoraturos sedere iubebat, significans animi quietem, & tranquillitatem. Cypr. de orat. Dominic. Quando stamus ad orationem, claudatur contra aduersarium pectus, & soli 2. Reg. 7.

Deo pateat. Obrepit enim frequenter, & penetrat subtiliter fallens diabolus, preces nostras à Deo auocat, vt aliud habeamus in corde, & aliud in voce. Quæ autem segnities est alienari, & rapi ineptis cogitationibus, quasi sit aliud quod debeas cogitare, quàm quod cum Deo loquaris? Vis esse Deum memorem tui cùm rogas, cùm te ipse non audias?

ET quia peccatum in conscientia huius tépestatis origo est, proinde priusquàm ad Deum aliquid petituri accedamus, debemus peccata per pœnitentiam expellere, vt iam reconciliati cum Deo, eidem grati loqui possimus. Namque, vt dixit Clemens Alex. 7. Strom. Precatio cum Deo conuersatio, & collocutio est; proindéque inter familiares, & amicos debet fieri, & supponere deletam offensam. Vnde Augustin. lib. de perfecta iust. ad Iulianum Comitem ait: Sicut est quoddam genus serpentum, quod quando accedit ad fontem ad bibendum, priùs deponit venenum, & illud euomit, sic qui ad fontem misericordiæ aliquid petiturus accedit, priùs peccati virus deponat necesse est. Et D. Laurentius Iustinianus in ligno vitæ c. 4. Sicut nullum medicamentum proficit, donec ferrum latet in vulnere, ita nihil prodest illius oratio, cuius voluntas versatur in scelere. Videmur enim dum adhuc sumus in peccatis, plenas sanguine manus extollere in sancta, & habentes arma nequitiæ, & offensionis Regem offensum deprecari. Similiáque habet Bern. Serm. de quatuor modis orandi, dicens: In cunctis actionibus nostris multa opus est animi vigilantia, sed præcipuè in oratione, licèt enim semper videamur, sed nunc etiam præsentamus nos quasi facie ad faciem cum Deo loquentes. Sic igitur oret qui orat, tanquam præsentatus ei, qui sedet super excelsum thronum in Angelis. Qua de re plura habet Chrys. hom. 9. ad pop.

§. I I.

Quomodo Deus peccatores audiat.

NON tamen ea ratione intelligendum est id quod diximus, quasi Deus orationes eorum, qui in peccato sunt, non audiat. Peccatores namque Deus multoties audit, non solùm cùm veniam peccatorum postulant, quam Deus semper paratus est concedere, sed etiam cùm alia petunt, quæ non ad corpus, sed ad animam pertinent. Quod probatur ex Luc. 11. & 18. & ex Matth. 18. & ostendit Basilius lib. de Constitutionibus Monast. c. 2. & Aug. lib. 2. contra epist. Parm. cap. 8. Namque illud, quod cæcus diuinitùs illuminatus dixit, *Scimus quia peccatores Deus non audit*, verbum adhuc cæci fuit, qui needum satis institutus à Christo fuerit, sicut docet Orig. hom. 5. in Isai. Augustin. tractat. 44. in Ioann. & lib. 50. hom. hom. 43. & lib. 2. contra epist. Parme. cap. 8. lib. 5. de Baptismo contra Donatist. c. 20. & lib. 1. Retractat. cap. 3. Beda, & alij plerique Interpretes ad dictum Ioan. locum. Si enim, sicut dixit Aug. tract. 44. in Ioann. cit. Deus peccatores non audiret, frustra ille Publicanus oculos in terram dimittens, & pectus suum

Ioan 9.

suum percutiens diceret; *Deus propitius esto mihi peccatori*; Quantos denique iustos triumphantes in cœlo non haberet, nisi eosdem peccatores audiret? sed ea ratione, quia iustorum preces & audit, & declaratur easdem audire; quemadmodum enim si quis bene canentem aliquem audiat, etsi quòd vocis modulationem, & suauem concentum non tam faciat, si decorum vultum habeat, gratior quidem erit si pulcher sit aspectu simul, & concinnè moduletur. Sic etiam, etsi Deus audiat pro sua bonitate peccatores orantes, si tamen gratiæ iam decorem habeant, simúlque preces effundant, libentiùs exaudiet, & facies, & vox Deo grata existit, facies propter puritatem, vox propter cõfessionem, etenim *confessio, & pulchritudo in conspectu eius*. Vnde & dicit illi, qui eiusmodi est: *Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora.* Delectatur igitur Deus ea voce orationis, quæ à pulchra, & decora anima procedit, sicut aliàs dixit Poëta Æneid. 5.

Luc. 18. *Psal. 69.* *Cant. 2.*

Gratior & pulchro veniens in corpore virtus.

GRATIOR itidem, & oratio quæ à pulchra, & sedata anima tranquillitate gratiæ procedit.

§. III.

Ad nostram vtilitatem non statim exaudit Deus petitiones nostras; propterea instandum orationi.

ILLVD deinde docet Iacobus in præsenti, non esse statim recedendum ab oratione, sed potiùs perseuerandum sine hæsitatione, aut dubietate. Quæ fuit ratio cur Christus Dominus tot modis docuerit orationi insistendum, *Petite, & accipietis, quærite, pulsate.* quod notauit Euseb. homil. 3. ad Monachos, rationémque affert, dicens: Non vult Deus noster bona sua nimia inueniendi facilitate vilescere. Pretiosa, & concupiscibilis merces cupidũm amatorem, & auidum negotiatorem requirit. Ergo ille tantorum munerum repromissor non vult in opere suo tepidum, fastidiosum recusat, coactum respuit. Et Anselm. lib. de mensuratione Crucis: Sæpe Domine differs, quod petitur, vt excites magis appetitum, non differs quòd nolis dare, sed vt aucto desiderio abundantiùs possis dare. Et lib. meditat. Abscondis thesaurum tuum, vt incites cupidum, recondis margaritam, vt augeas quærentis amorem, differs dare, vt doceas petere, dissimulas audire petentem, vt facias perseuerantem. Et Aug. Serm. 5. de verbis Domini. Cùm aliquando Deus tardiùs dat, commendat dona, non negat, diu desiderata dulciùs obtinentur, citò autem data vilescunt. Pete, quære, insta, petendo, & quærendo crescis, vt capias, seruat tibi Deus, quod non vult citò dare, vt tu discas magna magnè desiderare; inde oportet semper orare, & non deficere. Et in Psal. 83. hoc idem eleganti explicat similitudine. Oratio, inquit, Sanctorum dilatione tanti beneficij quasi repellitur, vt tanquam ignis, flatu repercussus inflammetur ardentiùs.

Luc. 11.

Quem

Quemadmodum enim ignis repercussus, in maiores flammas ascendit, ita ea anima, cui Deus statim non concedit ea quæ postulat, ardentiùs desiderat, deuotiúsque petitioni insistit. Et idem August. Serm. 3. de verbis Apostoli ait: Deus & cùm differt, adest, & differendo adest, ne præproperam cum implet voluntatem, perfectam non impleat sanitatem. Et in Psalm. 83. Desiderium differtur, vt crescat, & crescit, vt capiat, desiderãdo enim extendit Deus animum, & extentendo facit capaciorem. Quod dixit etiam D. Tom. 1. p. q. 12. art. 6. Pluráque habet hac de re idem August. in Psalm. 85. & optime in Psalm. 21. ad ea verba. *Deus meus clamabo per diem, & non exaudies.*

In hanc sententiam interpretatur Diuus Gregorius illud quod dixit Sponsa; *In lectulo meo per noctem quæsiui, quem diligit anima mea, quæsiui illum, & non inueni.* Abscondit se Sponsus, ait Gregor. 4. Moral. cap. 4. vt non inuentus ardentiùs quæratur, & differtur quærens Sponsa, ne inueniat, vt tarditate sua capacior reddita, multipliciùs quãdoque inueniat, quod quærebat. Vnde beatus Iob de iustis dicit c. 3. *Quasi effodientes thesaurũ.* Omnes nãque, ait Gregor. cap. 5. qui thesaurum quærunt, cùm altiùs effodiunt, ad laborem instantiùs inardescunt, quasi velit, vt eodem modo sese habeant, qui orantes Deum alloquuntur, vt scilicet, quo plus temporis in oratione consumpserint, eo feruentiori desiderio inardescant. Propterea Chrysost. hom. 30. in Genes. ait. Negat Deus, quæ ab illo petimus quandoque, non vt neget, sed vt ardentiùs petamus, quod facere solent patres filiis suis, quos charissimos habent.

Omnes igitur hi Sancti Patres docent dilationem exauditionis in maius commodum cedere deprecantis: quando maius meritum acquirens, capaciórque redditus ampliori censebitur dignus beneficio, duraturo quidem diuturniori tempore, quia diuturnis precibus fuit à Deo acquisitum. Vnde D. Basil. lib. de Constit. Monast. c. 2. vbi multa de oratione inter alia sic ait: Quid profuit Salomoni tam citò impetrata sapientia, quam citò erat amissurus? In quam sententiam facit id quod Gregor. dixit 15. Moral. c. 12. Arbusta, quæ tardiùs crescunt, annosa perdurant, & quæ in temporis breuitate proficiunt, celeriùs arescunt, & quasi cùm festinant esse, tendunt ad non esse.

§. IV.

Delectatur Deus petitionibus nostris.

Non est etiam recedendum statim ab oratione, licèt non exaudiamur, quia fortè Deus delectatur, dum nos orantes, & clamantes audit, quasi musicæ concentum audiat. Ideóque fortassis clamantem gentilem non exaudiuit, quantumuis intensa clamantis voce tædio afficerentur discipuli, dicentes: *Dimitte eam, quia clamat post nos*; quia scilicet volebat audire, & vocis inflexionem, & materiam illius concentus, dum dicebat,

Matt. 15.

dicebat, *Miserere mei fili Dauid.* Crediderim certè de diuina bonitate, ea voce maximè delectari, quæ in memoriam adducebat virum secundùm cor Dei, & misericordiam, quæ est super omnia eius opera, & illius repetitionem voluisse audire, quò magis delectaretur: proptereáque eius petitioni statim non annuisse. Si enim præparationem cordis audit auris Dei, cur non delectaretur ea voce ex sauciata, & afflicta anima procedente?

HINC non miror Stephanum vidisse cœlos apertos, & Iesum stantem. *Act. 7.* Eruperat enim ab eius ore illustris ea cantilena, quam moriens candidus, & rubicundus Cygnus extensis in cruce alis, composuit; *Ne statuas illis hoc peccatum*, prolata quidem ad sonum lapidum pulsantium caput ipsius, qui postulabat; & sicut auidissimi auditores musicæ, statim atque pulsationem instrumenti musici audiunt, fenestras aperiunt, & audituri apparent, sic Christus Dominus reserata cœlorum fenestra, quasi promptus auditor, simúlque adiutor apparet.

QVÆ fortè fuit ratio cur intempesta nocte, quando voces suauiùs, clariùs, & distinctiùs percipiuntur, surrexerit Dauid ad deprecandum, vel potiùs laudandum Deum: quasi enim laudes reputat suas quæ sunt petitiones nostræ, vt ostendit locus ille Isai. vbi pro eo quod nos habemus, *Non petam, & non tentabo Dominum*, plerique legunt, *Non petam, & non laudabo Dominum.* Hoc ipsum ostendit id quod contigit, quando exercitus trium Regum siti laborabat extrema: vocatus enim Elisæus, vt Deum deprecaretur, & aquam sitienti populo peteret, ipse verò dixit: *Adducite mihi psaltem* quasi vellet comitari vocem deprecationis musico illo concentu, & cum psalte canente simul canendo Deum deprecari. Quod etiam cognouit sancta mater Ecclesia, quæ non solùm diuinas laudes decantat, sed etiam petitiones canendo proponit. Et in Apocal. c. 5. dicitur. *Ceciderunt coram agno, habentes singuli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum, & cantabant canticum nouum*; vbi vides orationes simul cum instrumentis musicis coniungi. Vnde ad ea verba Psalmi 16. *Intende ad deprecationem meam, auribus percipe orationem meam*; Thomas, teste Lorino, refert aliam lectionem, quæ nostro inseruit instituto, *Intende ad cantica mea.* Aquila verò habet, *ad laudationem meam*; quasi diuinas laudes decantet, qui Deo preces offert, & musicam diuinis auribus excitet, qui diuinum implorat auxilium. Quid mirum igitur si diuina bonitas auditione nostrarum precum delectata nos diutiùs postulantes velit audire, & ideo non statim exaudiat? Meritò proinde debemus instare, & quamcumque hæsitationem obuiam longè proiicere, ne ea admissa fluctibus iactari incipiamus, & ab oratione desistamus.

Psal. 118. *Cap. 7.* *4. Reg. c. 3.*

§. V.

Beneficium Dei est aliquando ab eo postulantem non exaudiri.

INSVPER, & occurrit alia ratio, ob quam licèt initio nõ obtineamus, debemus tamen instanter petere, imò & Deo gratias pro eo, quod non

Paëz in Epist. B. Iacobi.

obtineamus, agere. Aliquando enim, sicut dixit Bern. Serm. contra vitium ingratitudinis, misericordiæ est subtrahere misericordiā, quemadmodum iræ, & indignationis misericordiam exhibere. Et Gregor. 15. Moral. c. 12. Maioris iracundiæ est cum hoc tribuitur, quod male desideratur, atque inde repentina vltio sequitur, quia hoc quoque obtinuit, quod Deo irascente concupiuit. Vnde Psalm. 77. *Adhuc esca eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos, & occidit plurimos eorum.* Solent namque tardiùs apparere diuina iudicia cùm præpediuntur, ne impleri debeant mala vota. Nam quanto citiùs malum votum impleri permittitur, plerumque tanto celeriùs punitur. Et D. Chrysostomus homil. 79. ad Pop. Frequenter, ait, damnosa petis, & periculosa, sed Deus magis tuæ curam gerens salutis, non tuam intuetur petitionem. Nam si patres carnales non omnino, quæ petunt filij, præbent, non quòd petentes aspernentur, sed quoniam eorum curam gerunt, maiorem multò magis Deus, qui plus, & diligit, & plus omnibus nouit, quod nobis expedit, affert. Similiáque habet homil. 30. in Genes. Siue consequamur, inquit, siue non quod petimus, perseueremus tamen in gratiarum actione. Nam cùm Deus aliquid nobis negat, non minùs est, quàm si concessisset, &c. quæ prosequitur in hanc sententiam; pro qua videndus est Augustinus in Psal. 85. dicens. Quid si male vis, non erit tibi non dando misericors? quod etiam prosequitur in Psalm. 21. & tract. 6. super 1. Canonic. Ioan. & Psalm. 26. ad illa verba, *Vnam petij à Domino*; & epist. 150. lib. 5. contra Iulian. cap. 3. Prosper. lib. sentent. sent. 212. Meritò proinde perseuerandum est in oratione, & minimè hæsitandum.

Vers. 7. *Non ergo existimet homo ille, quòd accipiat aliquid à Domino.*

EXPOSITIO LITERALIS.



CONCLVDIT Apostolus, quòd sicut fiducia perseuerans, à Deo impetrat, quæ postulat, sic inconstantia, & hæsitantia, seu diffidentia nihil prorsus obtinet, quod etiam dixit August. Ser. 36. de verb. Dom. Si fides deficit, oratio perit.

D. Thom. Carthus. Lyran. & plerique alij intelligunt illa verba, *quòd accipiat aliquid à Deo* de solis bonis spiritualibus, attamen particula Græca τί, emphasim habet, & significat ne minima quidem accipiet à Deo hìc, vel in futuro, vt addit Interlinearis.

SIC itaque iactatum tempestate, obrutum fluctibus, & ad littus eiectum nobis proponit hæsitantem animum, quem suprà dixerat similem fluctibus maris. Nec mirum si ita contingat cùm amiserit gubernaculum, spem scilicet, quam Plato lib. 1. de Rep. dixit maximè versatiles mortalium mentes gubernare; & anchoram, cui comparat spem D. Paulus ad Hebr. 6.

Ancho

Anchora autem non potest nauem retinere, nisi in solido iaciatur, & sic spes nisi in Deo figatur, non potest fixum animum reddere.

Et hæc diffidentia penè iam emortuam fidem arguit: est siquidem spes sanguis fidei: sicut enim sine sanguine vita corporalis non potest conseruari, sic sine spe fides diu nequit consistere. Similiáque habet Philo lib. *Quod deterior pot. insid.* dicens: Qui virtutem sectatur, deliciis huic conuenientibus fruitur: aut enim acquirit bonum, aut acquiret postea, & habere quidem affert gaudium, rem potissimam, expectatio verò habendi spem, quæ est alimentum animarum virtutem amantium. Quasi velit statim emori animam, quæ habendi, & consequendi fiduciam amiserit, & proinde optatis nunquam posse potiri.

Vnde Oecumen. hoc loco concludit, relegandā esse hæsitationem, & nullatenus vacillandum, sed confidenter ad Deum accedendum, qui præ misericordia, & bonitate obliuiscitur iniuriarum; & nostri solummodò miseretur. Vnde Christus Dominus rogantibus Apostolis quare non potuissent furiosum eiicere dæmonium, respondit: *propter incredulitatem vestram*; non sic verò Dauid, qui dixit: *Si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo*; vbi iuxta Hebraicum, & Græcum Codicem, sicut obseruauit Legionensis in hunc Psalmum, apparet Dauidem hic bellum, atque hostium castra dæmonstrare, & in eis ipsis hostium suorum armis spem columitatis suæ posuisse, quò demonstret fiduciam, quam in Deo habet. *Mat. 17.* *Psal. 26.*

§. I.

Nihili Deus facit bona temporalia.

PROPTEREA D. Thom. & cæteri expositores, quorum meminimus, dicunt hunc locum intelligendum esse de bonis gratiæ, quæ Deus hæsitanti postulationi non concedit, quia ea solūmodò sunt alicuius momenti, & ideo veluti margaritas porcis non exponit, nec diffidentibus largitur. Qua ratione neque verbo dignum censuit Herodem, & petentibus signum de cœlo, duriter respondit. Temporalia verò bona nihili faciens profusè concedit etiam malis, & tribuit non solùm petentibus, sed & peccantibus. Quod notauit D. Thom. 1. 2. q. 140. art. 10. cùm affert illa verba Ezech. 29. vbi dicitur: *Rex Babylonis seruire fecit exercitum suum seruitute magna aduersus Tyrum, & merces non est reddita ei.* Postea verò subdit: *Erit merces exercitui illius, & dedi illi terram Ægypti, pro eo quòd laborauerit mihi*; cùm tamen Rex Babylonis non impugnauerit Tyrum, quasi volens Deo seruire, sed potiùs, vt sibi dominium vsurparet. *Luc 23.* *Mat. 12.* *Ezec. 29.*

De obstetricibus etiam Ægypti dicitur: *Quia obstetrices timuerunt Deum* (in celandis scilicet infantibus Hebræorum) *ædificauit illis domos*: cùm tamen ea in re non fuerit recta earum voluntas, eo quòd mendacium confinxerunt. Quibus in locis videmus, & Regi Babylonis nequiter pugnanti aduersus Tyrum, & obstetricibus vitiosè mentientibus tribui à Deo, & Ægypti regnum & amplam familiam. *Exod. 1.*

Et licèt hoc intelligendum sit ex mente D. Thomæ hìc, quòd scilicet huiusmodi retributiones dicantur diuinitùs factæ secundùm comparationem ad diuinam motionem, non autem secundùm respectum ad malitiam voluntatis Regis, obstetricúmue: apertè tamen ostendit, sicut Theologi Scholastici eo loco solent aduertere, quàm parui Deus pendat temporalia bona, siquidem per actus etiam peccati labe vitiatos, licet ea aliquatenus consequi. Quod dixit Gregor. 13. Moral. c. 14. in hæc verba: Si principaliter temporalia magna essent, nequaquam hæc conditor aduersariis suis tribueret: vnde & iustus indignum se esse perpendit, vt illa bona appetat, quæ abundare conspicit & malis, sed ad percipienda cœlestia mentem suam dirigit, quæ sibi cum reprobis communia esse non possunt. Et Philo lib. de vita Moysis, ait; animæ pauperis indicium esse mirari materiales diuitias, de quibus dicitur. *Quoniã ante te orbis terrarum tanquam momentum statera, & tanquam gutta roris antelucani, qui descendit in terram.* Cui consonat D. Leo Serm. 1. de Resurrect. dum sic ait: Temporalia ista pro transactis habenda sunt, quoniam ex maiori sui parte iam non sunt: siquidem præterita iam fluxerunt, futurum nondùm aduenit; quod autem præsens est, vnius puncti momentum est. Et Plotinus Platonicus Enn. 1. lib. 6. de Pulchro, c. 8. & 9. *Si quis ad hæc* (scilicet temporalia bona) *irruat, quasi vera capessens, quæ tamen velut fumosæ imagines apparent in aqua, idem proculdubio patietur, quod (vt fabula tradit) ille perpessus est, qui vmbram captare contendens, in aquam sese immersit, atque disperiit.*

1. 2. q. 140. Sap. 11.

Genes. 49. Moribvndvs Iacob pedes suos collegit super lectulũ, & obiit; quasi pedes ipsos, quibus super terram incedebat, ab eadem vellet eleuare, ne quid terrenum secum in affectu videretur deferre: quod notasse videtur D. Ambros. lib. 2. de Iacob, & vita beata cap. 9. cùm ait: In lecto tanquam in sepulchro corpus relinquens, assurrexit in se, & longè ab aliis, atque intra semetipsum sese colligens, præsentibus se rebus subduxerat.

Ps. 121. Videtvr hoc etiam attigisse Dauid, dum dixit. *Stantes erant pedes nostri*, Ps. 121. quasi vltima pedum parte terram attingere profiteretur, & suspensis pedibus, è cœlo pendente animo, in terra versaretur. Quam mentem etiam habuit Clemens Alexand. dum è contrà non abducens pedes, sed iisdem terendo, & conculcando terram ipsam, dixit orat. ad Gent. Ego calcare terram didici, non adorare. Et 7. Strom. de viro probo, & sapiente dixit: Propterea omnia mundi bona, quæ sunt in promptu, & ad manum, non diligit, ne humi remaneat.

Facit pro hoc argumento id quod notauit Rupert. lib. 8 in Genes. c. 9. vbi de Iacob post luctam cum Angelo ita ait; Claudicat is qui vicit, quia tetigit, qui victus est neruum femoris eius, & emarcuit. Quomodo claudicat? videlicet vno pede terræ innitens, alterum à terra suspendens, id est, actiuam vitam pro cura subditorum non omnino relinquens, & contemplatiuæ pro eius dulcedine totis viribus inhærens. Iste claudus salit, vel ascendit sicut ceruus, terrámque vix tangere dignatur: nam *conuersatio eius in cœlis est*: verumtamen ex parte. Vno enim tantùm pede nunc interim

Philip. 3.

terim illuc suspensus est donec veniat, quod perfectum est.

Immvnda duxit Deus habenda reptilia, & quæ multos habent pedes, siue per humum trahuntur. Cuius rei rationem reddit Philo, dicens: Non est abominanda ea anima, quæ vna parte corporis sui repit, sed quæ omnibus, aut plurimis hærens vestigiis corporis, nec valens ad diuinos cœli cursus caput attollere: atqui sicut multipedes, ita pedibus carentes reptiles bestiolæ damnantur. Illæ propter causam iam dictam, hæ quia totæ humi iacent, & ne minimùm quidem attolluntur. Leuit. 11. Lib. de. migrat. Abrah.

Vnde possumus quidem inferre ineptos esse cælestibus bonis, quæ vera tantùm bona sunt, eos, qui terrenis adhærent, illorum quidem immemores; de quibus meritò Dauid dixit: *Transiui, & ecce non erat, quæsiui eum, & non est inuentus locus eius.* quod explicauit Bilius ad 2. oratio. Apolog. Nazianz. Qui non est particeps illius, qui semper est, neque esse meritò dicitur. Et ideo Dauid diuitem non inuenit, imò inuenit non esse, qui diuitiis fretus existimauit posse esse. Vnde Greg. 22. Moral. c. 2. ait: Quasi in aquis defluentibus fundamentum ponere est, in rebus labentibus spei fiduciam velle solidare: stante enim Deo, transeunt omnia; quid ergo est ab stante fugere, nisi transeuntibus rebus inhærere? Psal. 36.

Hoc ipsum expressit Sponsa, testatáque est se non velle vmbram inanium, & temporalium rerum, quæ nunquam in eodem statu permanent, & quando viciniores sunt occasui, maiores videntur, altísque cadunt de montibus vmbræ. Sic enim dixit Cantic. 2. *Sub vmbra illius, quem desiderauerâm, sedi.* Quæ verba sanctè, ac pulchrè exponens Bern. ait Serm. de Natiuit. B. Mariæ: Non ait, *sub vmbra illius, quam desiderauerâm*, sed, *quem desiderauerâm, sedi*, neque enim ipsius expetierat vmbram, sed ipsum profectò meridiem, lumen plenum de lumine pleno. Cant. 2.

Cvm ergo tam minimæ sint entitatis ea omnia, quæ in terra habẽtur, meritò Iacobus dixit, hæsitantem hominem non esse consequuturum à Deo aliquid, vel quid. Namque temporalia nullam omnino quidditatem habent, & pro nihilo ea Deus ducit, & à nobis æstimari vult. Qua in re audiendus Bern. epist. 103. Si sapis, si habes cor, si tecum est lumen oculorum tuorum, desine ea sequi, quæ & assequi miserum est. Beatus qui post illa non abiit, quæ possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant. Annon ea satiùs cum honore spernis, quàm cum dolore perdis? Annon ea prudentiùs Christi cedis amori, quàm morti? &c.

Vers. 8. *Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis.*

EXPOSITIO LITERALIS.



Svbinfert Iacobus aliud malum, quod hæsitatio, & diffidentia secum affert, facilè scilicet ab incepto desistere. Is enim cuius animus bifariam diuisus est, nunc Deum credens omnipotentem, & misericordem, mox ambigens, & diffidens, inæqualis,

æqualis, & infirmus in omnibus, quæ tentauerit, reperitur, & proinde nihil mirum, si à Deo talis non exaudiatur.

Ecclesi. 2. INTELLIGITVR autem hic locus ex illo Ecclesiast. 2. *Væ duplici animo.* Vbi Septuaginta habent, *cordibus timidis.* Vnde Interlinealis hîc ait. Duplex animo facilè aduersis terretur, & prosperis irritatur, vt è veritate diuertat. Et Syriacà lectio habet, *Vir dubius mente sua.*

VEL secundò, potest intelligi hæc duplicitas cum Beda, & Lyrano, de eo, qui vult gaudere modò cum sæculo, & modò gaudere cum Deo, qui de bonis, quæ agit, non Deum, sed fauorem quærit humanum. De talibus dicitur: *Væ ingredientibus terram duabus viis.*

Ecclesi. 2. Genes. 2. Psa. 5. PER viam intelligitur opus, aut ratio viuendi vniuscuiusque hominis, siue bona sit, siue mala; vt Gen. 2. *Omnis quippe caro corruperat viam suam,* & Psalm. 5. *Ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta.* Cùm verò in plurali ponitur, sicut hoc loco, licèt etiam rationem viuendi significet tamen propriè pro operibus accipitur, vt Iob. 40. *Ipse est principium viarum* Iob 40. Psal. 24. Psal 90. *Dei*; & Psal. 24. *Vniuersæ viæ Domini, misericordia, & veritas*: & Psal. 90. *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis.* Vnde & ambulare significat operari, ideóque dicitur, ambulare cum Deo, coram Deo, post Deum, in viis, præceptis, ac lege Dei.

EST igitur sensus huius loci: Is, qui hæsitat, & diffidit, ideóque duplicitatẽ in animo habet, nihil omnino consequetur à Deo, quia fiduciam non habet, confidentérque Deo non adhæret. Sunt enim huiuscemodi homines inconstantes in operibus suis, facilíque negotio ab incepto diuertunt, & aliò auocantur.

AFFERTVR autem hic locus ab Athanas. epist. *Quod Nice. Syn.* vbi sic ait: Hæretici Eusebiani mutato animo tanquam ad vomitum regressi sunt, & quomodo non odio digni sunt, qui nunc tandem contradicunt decretis Concilij Niceni de Consubstantialitate filij cum Patre, eósque quos prodiderunt duces suæ hæresis habere voluerunt: homines nimirum tales quales D. Iacobus duplices corde, & instabiles in omnibus viis appellat? Nunquam vnam eandémque sententiam, sed aliàs aliam fouentes, dictáque sua nunc laude nunc vituperio prosequuntur: vt quod iam probarint, è vestigio damnent.

§. I.

Soli Deo adhærent iusti, & in eo stabiles inueniuntur.

CVM duplicitas cordis hominum impiorum in eo sit, quòd & Deum orent, & fiduciam etiam in rebus humanis ponant, illud à nobis ostendendum est hoc loco; quomodo iusti totam fiduciam in Deo ponant, illíque simpliciter adhæreant. Ideóque Dauid Dixit: *Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem*, &c. vbi Legionensis ita habet: Libido, atque cupiditas

cupiditas plura appetit, neque ſatiatur vnquam; at rectè conſtituta ratio vnum bonum, quod & ipſum ſit ſummum bonum, deſiderat. Et D. Hier. in cap. 1. Malach. ibi, *ſi offeratis claudum, nonne malum eſt?* ait: Clauda eſt rogantis oratio, quæ duplici mente accedit ad precandum, & audit cum populo Iudæorum; *vſquequò claudicatis vtroque pede?*

OPTAVERAT Eſau paternam benedictionem, quam tamen illi præripuit Iacob, quod poſtquam agnouit Eſau, adhuc inſtitit deprecando patrem, vt aliam ipſi concederet benedictionem; dicebátque. *Num vnam tantum benedictionem habes pater? mihi quoque obſecro vt benedicas.* Super quæ verba ita ait D. Bernar. in declamat. ad *Ecce nos reliq. omnia.* Infelix tu Eſau, qui dixiſti, *Num vnam tantùm benedictionem habes pater?* quanto melius erat dicere cum Propheta; *Vnam petij à Domino, hanc requiram.* Indignus enim benedictione cœleſti conuincitur, qui dubio quærit affectu, duplici petit intentione, aliud ſibi refugium parans, ſi fortè etiam non obtinere cótingat. *Genſ. 27.*

Hoc ipſum notauit Greg. in altero fratre Iacob, qui cùm Meſopotamiam: profectus eſſet, dixit, *Si fuerit Dominus mecum, & cuſtodierit me in via per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad veſcendum, erit mihi Dominus in Deum.* Vbi vides, & velle Dei conſortium, & velle temporalia bona duplex videlicet habens cor, & adhuc inconſtans in itinere, & in viis ſuis, ſed poſtea vir factus, & Iſrael, id eſt, videns Deum appellatus, ait Gregor. 4. Moral. c. 30. Vno mox pede claudicauit, quia qui vero amore ſublimia reſpicit, iam in hoc mundo duplicibus incedere deſideriis neſcit. Vno enim pede nititur, qui ſolo Dei amore roboratur. *Geneſ. 28.*

PRO cuius explicatione notandum eſt ex eodem Greg. 6. Moral. cap. 11. deſideria eſſe tanquam pedes, quibus anima graditur. Qui ergo duplici deſiderio laborat, duplici pede graditur, & qui Deum deſiderat, inſimúlque bona terreſtria, duobus pedibus iter facit, dupléxque habet cor, quod etiam multiplicatur ſecundùm amorem & deſiderium. Verus proinde Iſraelita vno mox pede claudicat, & vno tantummodò pede nititur, vnámque petit cùm Dauid, & requirit à Domino, dum cum eo vſque manè luctatur, vnam aſſequitur à Patre benedictionem, ne duplex inueniatur animo, & ſibi non conſtet in viis.

IIS verò, qui res mundi exoptant, & inquirunt, meritò dixit Iſaias: *Ecce confidis ſuper baculum arundineum confractum iſtum, ſuper Ægyptum, cui ſi innixus fuerit homo, intrabit in manum eius, & perforabit eam.* Conſuetum.n. eſt apud ſacros Authores, Ægypti nomine, res huius ſæculi intelligere, quibus qui confidit, & cadit, & læditur. *Cap. 36.*

EST optimus pro hac re locus ille Gen. cùm Ioſeph in carcere poſitus, deprecatus eſt pincernam Pharaonis, vt innocentiam ipſius, Regi proponeret, quò citiùs ex illo carcere educeretur, qui tamen in priſtinam dignitatem reſtitutus, oblitus omnino eſt interpretis ſui Ioſeph integro biennio, donec pro ſomnio regis Pharaonis interpres quæreretur, quo tempore illi in memoriam venit Ioſeph, qui ſui recordationem enixè poſtulauerat à magiſtro pincernarum. Totam igitur rem ſic præclarè *Geneſ. 40.* *Geneſ. 41.*

illuſtrauit

illustrauit Aug. ser. 82. de tempore, dicens: Cùm, sicut dicit Scriptura, Dominus esset cum Ioseph, & gratiam ei apud principem carceris dedisset, præuentus tunc est, vt ab homine auxilium postularet, dicens magistro pincernarum. *Memento mei cùm bene tibi fuerit, & supplica Pharaoni vt educat me de isto carcere.* Et quia nondum scriptum erat, *bonum est sperare in Domino, quam sperare in homine*, cùm in omnibus Dei gratiam meruisset, surreptum est illi, vt ab homine auxilium peteret; pro qua re additi sunt duo anni, quibus adhuc detineretur in carcere; tãquam diceret ei Deus. Ego tibi ostendam, vt magis à me, quàm ab homine auxilium postules. Sine vlla autem dubitatione credendum est, quòd pro castigatione sancti Ioseph non permisit Deus magistrum pincernarum vt in mente haberet, quod ei sanctus Ioseph, quando de carcere demissus est, supplicauerat. Hæc August. cui addendus est Chrysost. homil. 6. in epist. ad Titum; vbi eundem locum sic prosequitur; *Memento mei apud Regem.* Meritò & ipse hoc passus existimatur, quoniam dixit, *memento*, vt disceret in hominibus non esse confidendum, sed spem omnem in Deum dirigendam. Qua de re videndus Hieron. lib. 5. in cap. 18. Isai. & Basil. in Psal. 7.

VNDE Philo lib. de Abrahá irridet eos; qui cuilibet rei præter Deum se credunt, atque fidunt. Cui præter Deum, inquit, credendum est? Principatibúsne, an gloriis, honoribus, opibus? &c. Qui credit Deo, illis non credit.

VITANDA proinde est duplicitas cordis, & soli Deo confidendum, & hac in re vnicum, & simplicem Deum, ad cuius imaginem conditi sumus, debemus imitari. Quod docuit Ambros. epist. 1. vbi põderat ea verba:
Deut. 6. *Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus vnus est.* Ad similitudinem, inquit, Domini, vnus esto, atque idem non hodie sobrius, cras ebriosus, hodie pacificus, crastina die litigiosus: mutatur enim vnusquisque morum varietate, & fit alter in quo non agnoscitur, quod fuit, & incipit esse quod non fuit, sui degener: graue est mutari in peius.

§. II.

Proponitur constantia Sanctorum, & inconstantia, ac varietas iniquorum.

EX varietate, & duplicitate cordis, quam hoc loco reprehendit Apostolus, possumus colligere quantùm conducat ad virtutem firmitas, & cõstantia in eadem. Quæ fortè fuit ratio, cur apud Græcos Sancti appellarentur ὅσιοι, authore Plutarc. de Oracul. defect. ὅσιοι autem idẽ significat, quod
Ps. 124. in Domino sperantes, & confidentes; de quibus dixit Dauid: *Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion*; stabiles scilicet, ac firmi, quasi mons Sion. Et ex stabilitate, quam prædicta dictio importat deductum est nomen, quod à Latinis dicitur *os*, quod significat solidamentum illud, quo corpus sustentatur,
&

& ideo Christo nullum os fuit comminutum,quia neque eius firmitas potuit concuti.Latina etiam vox,*Sanctum*,deriuatur à verbo *Sancio* , quod significat stabilire,& firmare. Vnde Tull.1.de Amicit. dixit. *Hæc prima lex in amicitia sanciatur.* Et Horat Satyr.3.

— — — — — — *Eheu*

Quàm temerè in nosmet legem sancimus iniquam!

FACIT etiam, quia *sancire*,quod est firmum reddere , aliquando significat sacrare,& sanctificare,adeò vt vbi nos legimus in sacra Scriptura *sanctificare*,legat sæpe Tertull. *sancire*;vt patet ex lib.4. contra Marcion. & lib. de Ieiun. quibus in locis afferens illud Ioelis, quod nostra Vulgata habet:*Sanctificate ieiunium,* ipse legit,*sancite ieiunium.*Tandémque id,quod in sacris literis firmum,& stabile,& inconcussum dicitur, appellatur sanctum. *Cap.1.* *Timor Domini sanctus permanet in sæculum sæculi.* Et iterum:*Fundamenta eius in montibus sanctis.* *Psal 15.* *Psal. 86.*

VNDE D.Chrysost.homil.2.ad Pop.ait; Sanctorum virorum constantiam à nemine lædi posse,ac si corpus adamantinum haberent.Quod idem prosequitur hom.8.super Ioan. Similiáque habet Greg. 14. Moral. cap. 4. cùm ponderat ea verba Iob.*Qui fecit ventis pondus.* Fecit,inquit, ventis pondus,quia dum superna sapientia replet animas, eas maturitate indita graues reddit , non illa grauitate qua dicitur , *filij hominum vsquequò graui corde?* Aliud namque est grauem esse per consilium,aliud per peccatum, aliud est grauem esse per constantiam,aliud per culpam. Ista enim grauitas pondus habet oneris,illa virtutis.Pondus ergo accipiunt animæ , vt ab intentione Dei,non iam leui motu dissiliant,sed in eum fixa constantiæ grauitate consistãt.Rectè ergo dicitur,*fecit ventis pondus*,quia cùm leues motus animi misericorditer dignatur aspicere, hunc protinus ad constantiæ maturitatem firmat.Et D. Aug. in Psal.136.ait,Flumina Babylonis sunt omnia, quæ hîc amantur,& transeunt. Graues autem viri,& considerati, Babylonis flumina,vel fugiunt penitus,vel super illa sedent. Noli sedere in flumine, noli sedere sub flumine. Debet enim iustus,& perfectus vir super omnia transeuntia firmus,& stabilis permanere,nullísque fluctibus agitari,aut decursibus deuolui.Et Bernard.4.de consider.Transitoria ista , quæ stare nullo pacto queunt,fac vt à te transeant,non per te.Vnde Nazianz.orat. 27. Eorum,ait,qui tentantur,alij mihi videntur velut leuissima quædam corpora à mari abripi,distrahique,ac ne tantillũ quidem aduersarum rerum impetum sustinere,alij petræ instar esse,quicũque nimirum philosophica ratione vtuntur,ac supra vulgi humilitatem euecti,humana omnia immoto,ac firmo animo ferunt, &c. *Iob. 28.* *Psal.4.*

HANC in virtute constantiam , & tenacitatem probat Rupert. explicans ea verba Exodi : vbi Deus,vt Paschalis agnus absque macula,& masculus esset,præcipit.Macula,inquit ille,peccatum est,erit ergo absque macula,id est,sanctus,innocens,impollutus. Sed parum habet gloriæ sola innocentia , si non adesset fortitudo quoque , ad agenda perfectæ iustitiæ opera.Erit ergo & masculus,hoc est,fortis, quia nihil fœmineum , hoc est, *Exo.c. 8.*

Apo 12. molle,& fluxum,admittit Deus;vnde in Apocalyp. dicitur de muliere magna, quia *peperit filium masculum qui recturus erat gentes.* Qui sensus ex eo adhuc roborari potest,quoniam sicut notauit Plin. lib. 11. cap.49. *Mares in omni genere fortiores,præterquàm in pantheris, & vrsis.*

3. Reg. 2. HINC etiam est,quòd moribundus Dauid ante omnia superstiti Salomoni constantiam,& fortitudinem commendat,dum ait, *Confortare, & esto vir*;vbi Abulens.q.3. Accipe constantiam,& fortitudinem, & non sis sicut pueri,qui propter impetum passionum habent maximam mobilitatem in opere,& proposito,sed esto vir,vt propositum tuum de bono constans sit, & non traharis ad diuersa per passiones, instar vagi, & inconstantis pueri.

QVOD etiam non latuit Senecam epistola 60.vbi ita ait:*Sapiens inconcussus,cum Diis ex pari viuit.* Pluráque habet in breui lib. de Prouident. Et Lyricus lib.3.Od. 3.

Iustum,& tenacem propositi virum
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non vultus instantis Tyranni
Mente quatit solida.
Si fractus illabatur orbis
Impauidum ferient ruinæ.

EX quibus omnibus constat,quantam habeat connexionem virtus cum constantia,& firma soliditate.

Genes. 4. Iob. 1. Psal. 11. E contrà verò impius,neque sibi constat,sed continuò agitatus cum Caino fluctuat,& cum impio Satan perpetuo circuitu perambulat, qui quietus in culmine stare contempsit;id quod notauit Greg.2.Moral.c.3.quia ab illo spiritualis potentiæ volatu corruens,ad gyrum laboris venit. Hinc est enim quod de eius membris per Psalmistam dicitur: *In circuitu impij ambulant.*

ADVERTIT autem 7. Moral.c. 3.4. & 13.propterea de iniquo dici in circuitu ambulare,quia non rectà tendit ad vitam æternam,cùm sese cõtineat intra circulum rerum temporalium,vt Remig.August.& alij obseruant,sempérque in peripheria incedere,neque ad centrum, qui Deus est, pertingere,vt ait Caietan.imò pueros sese gyrãtes imitari, sicut dicit Hugo Card.neque de virtute in virtutem ire, aut ad priora se extendere, sed in perpetua reuolutione,& inconstãtia versari. Quam instabilitatem ini-

Eccl.33. quorum dixit Ecclesiast.*Impius facit opus instabile*; Hebraicè, *Facit opus mendacij*; Græcè, *Facit opera iniusta*;idem enim videtur esse iniustum atque instabile;& Psal.1.vbi dicitur,*Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum*; Heb.habetur,*in cõsilio inquietorum.*Cùm enim iniqui homines velut nubes sine aqua

Ep Iude salienti in vitam æternam, à ventis tentationum circunferantur, nullatenus cõsistere possunt in via aliqua perfectionis,& rectà in Deum tende-

Mat. 17. re,sed potiùs agitantur aqua iniquitatis, instar illius rotæ,ac molæ, quæ collo impij appensa est,donec tandem in profundum inferni demergantur.

Psal. 72. QVOD etiam videtur significare Dauid cùm dixit: *Propter dolos posuisti*

eis;

eis, vbi Hebraicè habetur; *In lubricitatibus constitues pedes eorum*: sicut enim qui lubrico, & lutuoso graditur itinere, passim prolabitur, & vbique in faciem cadit, sic etiam iniusti homines, inconstantes in virtutis itinere reperiuntur, proindéque numquam ad terminum accedunt, imò antequam perueniant, vbique cadunt

§. III.

Duplices corde ostenduntur hypocritæ.

OECVMEN. hoc loco, D. Thom. Carthus. & Feuard. virum duplicis animi eum intelligunt, qui in bonis operibus non Dei retributionem, sed hominum fauorem quærit, qui proinde citò ab incepta virtute desistit. Quæ est doctrina Gregorij 8. Moral. c. 24. vbi de huiusmodi hominibus intelligit illud Psalmi: *Fiant sicut fœnum ædificiorum, quod priusquàm euellatur, exaruit.* Fœnum quippe ædificij in alto nascitur, sed nequaquam pingui radice solidatur. Et ideo dixit Baldath: *Spes hypocritæ peribit.* Quid enim in cunctis operibus sperat, nisi honoris reuerentiam, gloriam laudis, à melioribus metui, Sanctus ab omnibus vocari? sed permanere spes hypocritæ non valet, quia æternitatem non quærens, fugit quod tenet, nequaquam quippe mentis eius intentio in illa gloria figitur, quæ sine fine possidetur. Proindéque inconstans est in viis virtutis, qui popularem auram solùm venatur. Ps. 128. Iob. 7.

VOCATVR autem hypocrita duplex corde, quia exteriùs se alium ostendit, cùm longè aliter interiùs se habeat. Eíque proinde competit illud Oseæ 7. *Facti sunt quasi arcus dolosus*, qui vnam partem sagitta petere videtur, cùm tamen in aliam de facto sagittam mittat. Quod vno verbo dixit Tertul. Apolog. contra Gent. Mimicè veritatem tractas. Sicut enim histriones in theatro personam agunt alienam laruati, & inde exeuntes in propria apparent, ita hypocritæ induunt se ornamentis virtutis, cùm intrinsecùs nequissimi sint. Osea. 7.

HANC duplicitatem cordis expressit Bern. Ser. 42 in Cant. comprobátque ex illis verbis, *Pondus, & pondus, mensura, & mensura, vtrumque abominabile est apud Deum.* Quid enim, ait Ber. tu te depretiaris in secreto apud te ipsũ, veritatis trutina ponderatus; & foris alterius pretij mentiẽs, maiori te pondere vendis nobis, quàm ab ipsa accepisti. Time Deum, & noli hanc rem pessimam facere, vt quem humiliat veritas, extollat voluntas. Hoc enim est resistere veritati, hoc pugnare contra Deum. Prou. 20.

ET Gre. 7. Mor. c. 12. Bene contra peruersam mentem sub Iudaeæ specie per Isaiam dicitur: *Erit cubile draconum, & pascua struthionum.* Quid struthionum nomine in hypocritis designatur? Struthio quippe volandi speciem habet, sed vsum volandi non habet, quia & hypocrisis cunctis intuentibus imaginem de se sanctitatis insinuat, sed tenere viam sanctitatis ignorat: in peruersa mente struthio pascitur; quia & latens malitia callidè tegitur, & in mentium oculis simulatio bonatis antefertur. Et Bernard. Serm. de sancto Benedicto notauit ea verba Psalm. 1. *quod fructum* Isai. 34.

suum dabit in tempore suo; contra hypocritas: obseruat enim aliquos edere fructum non suum, sed alienum, vt hypocritas, similes Simoni Cyrenæo, qui crucem portabat non suam, nempe angariatos, & quæ non amant amore gloriæ, quam desiderant facere impulsi commodo, vel vana gloria.

QVÆ omnia apertè ostendunt duplicitatem cordis, quæ in hypocrita reperitur, cùm alium se simulet interiùs, alter reuera sit exteriùs. Proferunt hypocritæ exteriùs fructum virtutis, qui ab interiori non procedit, & ita ferunt fructum non suum: sicut dixit Ber. Serm. de sancto Benedicto: afferens dicta verba Psalm. 1. quòd fructum suum dabit in tempore suo. Arbores, ait, quæ fructum faciunt, sed non suum, hypocritæ sunt cum Si-
Matt.27. mone Cyrenæo crucem portantes non suam, qui religiosa intentione carentes angariantur, & quæ non amant, amore gloriæ quam desiderant, facere compelluntur. Cúmque istorum virtus in extima tantùm superficie appareat, & nullo nixa roboretur fundamento, facilè euanescit, & obli-
Ionæ 4. teratur, & velut hedera Ionæ vno die nascitur, & excinditur. Quod significauit Apostolus cùm dixit: *Inconstans est in omnibus viis suis.* quod inde oritur, quia in primis huiusmodi hominibus violenta est omnis virtutis perfectio, cùm sit fructus non proprius, nullum autem violentum durabile. Deinde, quia cùm aucupentur hominum laudationem, si nemo adsit, cessat virtus: quod de eleemosyna dixit Nazianz. & de cæteris virtutibus dici potest. orat. 19. vbi ita ait: Permulti ad sumptus prompto animo faciendos sola honoris cupiditate ducuntur, vbi autem largitio arbitris caret, illic quoque largitio languescit & obtunditur.

NECESSARIO itaque inconstans debet esse hypocrisis, quæ à populari aura dependet, & hominum beneplacitum, qui nunquam in eodem statu permanent, comitatur. Totus igitur hic locus clamat, vitandam esse hypocrisim quæ mater inconstantiæ est, & nullatenus obseruandas externas laudes. Quod eleganter dixit Epictet. in Enchir. cap. 28. *Satis*, ait, *tibi in omnibus sit Philosophum* (.i. probum & iustum) *te esse, si autem videri etiam vis, tibi ipsi videare, & satis erit.* Et Plutarc. lib. de profectib. virtut. sentiendis. *Proficientis ergo in virtutis studio est, non modò si quid amico donauit, secum id conseruare, & reticere, sic enim sibi ipsi placens, neque seipsum continens, sed gaudens, seipso atque contentus, vt satis idoneo teste, ac spectatore pulchrorum ostendit rationem iam intra sese conuersam radices agere, & quod iubet Democritus, ex seipso sui obiectandi materiam petere condocefactum esse.*

VNDE obseruauit Philo lib. de Abrahã id quod Patriarcha famulis eum comitantibus ad sacrificium dixit: *Expectate hic: ego autem, & puer illuc vsque*
Genes. 22. *properantes postquam adorauerimus, reuertemus ad vos.* Data opera, inquit, Philo, longè à tergo relictis etiã duobus famulis, ne se corã testibus ostentare videretur. Hoc ipsum docuit Greg. 19. Moral. cap. 13. allegoricè exponens il-
Genes. 2. lud quod de primo parẽte dictum est: *Posuit eũ* [illegible] *eus in paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret.* Operatur enim ex sẽtẽtia Gregorij ille qui agit bonũ virtutis, quod præcipitur, qui tamẽ eadẽ opera custodire, & cõseruare tenetur, ne sicut Eleazar, qui in prælio feriẽs elephãtẽ strauit, sed sub ipso, quẽ extinxit,

extincit, occubuit. Miserum namque est sub virtutis, & triumphi tegumento supplicium acquirere, dum externas venatur laudes, & in inferno torqueri ob fictas, & apparentes virtutes, quas in cœlo videbit hypocrita feliciter coronatas.

VNDE Hugo Cardinalis in lib. Prouerb. cap. 6. optimè dixit, quòd quẽadmodum formica grana ex quibus ali postea debet, detruncat, & arrodit, teste Plinio lib. 11. c. 30. ne priusquàm ad destinatum necessitatis tempus perueniant, in fruges exeant, & in nihilum abeant, ita prorsus cauendum, dum ne de bonis operibus, quæ in hac vita congregamus, aut efferamur, aut humanam gloriam expetamus. Est enim id quasi iam grana germinare, & euanescere.

SED illud ad calcem totius huius discursus notandum velim, ab Authoribus initio citatis duplicem corde appellari hypocritam, qui vecors, & sine corde apud Iob dicitur. Sic enim intelligit D. Gregor. 8. Moral. cap. 25. de hypocrita illud. *Non ei placebit vecordia sua.* Magna quippe, ait Gregor. vecordia est laboriosa agere, & auræ laudis inhiare, forti opere præceptis cœlestibus inseruire, sed terrenæ retributionis præmium quærere. Vt enim ita dixerim, qui pro virtute, quam agit, humanos fauores desiderat, rem magni momenti vili pretio venalem portat: vnde cœli regnum mereri potuit, inde nummum transitorij sermonis quærit: vili ergo pretio opus vendit, qui magna impendit, sed minima recipit. Vt vecors itaque hypocrita decipitur, & vt duplex corde, inconstans est in omnibus viis suis. *Iob. c. 8.*

§. IV.

Contra duplices, siue multiplices animo.

POTEST etiam hæc animi duplicitas simplicitati opponi. Sic enim D. Tho.. etiam exponit: Duplex animo, qui aliud interiùs, aliud exteriùs agit: iuxta illud. *Væ duplici corde, & homini ingredienti duabus viis.* Fundamentúmque habet in textu Græco, vbi habetur, *bianimus*, & qui duplicem habet animum seu cor, significatque animum fictum, dolosum, ac simulatũ, quod magna imperfectio est. Sicut è contrà simplicitas perfectio dicitur in sacris literis, à radice *Thaman*, quæ significat finire, vel consummare, aut consummari. Vnde Dauid dixit, *Lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum.* Siue vt ex Hebræo potest legi; *Vni*, seu, *congrega cor meum, vt timeat nomen tuum.* Siue cum D. Herony. ibi. *Vnicum fac cor meum.* Timebat enim aliquam duplicitatem, siue fallaciam, nobísque normam præbebat. Et D. Hieron. in reg. Monachorũ, titulo de Virtut. humil. &c. ait Nihil sic placet Deo, sicut simplicitas, & innocentia. Vnde Spiritus sanctus in volatilibus non apparuit, nisi in columba propter simplicitatem. *Eccles. 2.* *Psal. 58.*

ET hæc videtur fuisse ratio, cur diuinus Sponsus perfectæ Sponsæ oculos commendans dixerit Cant. 5. *Oculi eius sicut columbæ desuper riuos aquarum, quæ lacte sunt lota*; cuius laudationis rationem reddens Nyssenus oratio-

ne 13. in Cant. ait: Nihil erroneum, nihil vanum præter ipsam rerum veritatem, velut vmbratili quodam simulachro fraudulenter repræsentent, sed ipsissimam veritatem intueantur erroneis huius vitæ spectris, & imaginationibus nequaquam admissis.

Exod. 17. NON claré innotescit, cur tam acriter diuina iustitia contra Amalech sæuierit, cùm sempiternum bellum in illum prædicet, deletionem nominis illius præcipiat, & vltimam stragem iubeat. Tantæne animis cælestibus iræ? cur in ipsas fœminas sæuitum? cur in paruulos, & lactentes contra leges, quas de bellis ipsemet Deus præscripsit? quid meruêre boues animalia sine fraude & dolo? Alij alias reddunt rationes: hanc non difficilè colliges ex Abul. 1. Reg. 15. q. 2. 3. 6. 7. & 8. Amalechitas scilicet pacem, & amicitiam ostentasse Israëlitis, cùm ad hoc, qui de transitu agerent certos illi homines ablegassent, postea tamen ex inopinato, ex insidiis, à tergo postposita fide promissóque in agminis extremos, fessos, & debiles, viros, fœminas, paruulósque irruisse. Ideo sic Israëlem alloquitur: *Memento quæ fecerit tibi Amalech in via quando egrediebaris ex Ægypto, quomodo occurrerit tibi* (pacificè scilicet) *& extremos agminis tui* (per insidias, & à tergo, vt opponitur occursui) *qui lassi residebant ceciderit, quando tu eras fame, & labore confectus, & non timuerit Dominum.* In eos igitur qui dolosè, & fictè egerunt, diuinitùs iam sæuitum audiamus. *Cùm ergo Dominus Deus tuus dederit tibi requiem, & subiecerit cunctas per circuitum nationes in terra, quam tibi pollicitus est, delebis nomen eius de sub cælo. Caue ne obliuiscaris.* Nihil enim simplicissimus Deus omnis compositionis penitùs expers magis odit, quàm dolosam animi duplicitatem sibi omnino oppositam.

1. Reg. 15.

Deut. 20

Deut. 25

PROSEQVITVR hoc argumentum Lactant. Firmin. lib. 4. cap. 17. cùm ponderat, cur Deus populo suo circuncisionem præceperit. Illa, inquit, carnis circuncisio non caret vtique ratione, quia si Deus id vellet, sic à principio formasset hominem, vt præputium non haberet, sed huius secundæ circuncisionis figura erat significans nudandum esse pectus, id est, aperto, & simplici corde oportere nos viuere, quoniam pars illa corporis quæ circundicitur, habet quandam similitudinem cordis, & ob hanc causam Deus nudari eam iussit, vt hoc argumento nos admoneret, ne inuolutum pectus haberemus, sed quamcunque simulationem abiiceremus. Facit

Cant. 7. insuper pro hac re ea laus, & commendatio Sponsæ, quando ei diuinus Sponsus dixit, *Statura tua assimilata est palmæ*; quæ verba de animi simplicitate, & candore sic exposuit Ambros. lib. 3. Exameron cap. 7. Palma virens semper manet conseruatione, & diuturnitate, non immutatione foliorum, nam quæ primò germinauerit folia, ea sine vlla substitutionis successione conseruat. Imitare ergo eam, ô homo, vt dicatur tibi, statura tua similis facta est palmæ, serua viriditatem pueritiæ tuæ, & illius innocentiæ naturalis, quam à primordio recepisti, vt plātatus secus decursus aquarū, fructū tuū in tēpore tuo habeas præparatū, & foliū tuū nō defluat. sic ille. Vbi apertè carpit eos, qui alienum fructum oris proferunt, ab eo quem intus in corde habent, & qui modò habent vnū verborū opperimentum,

tum,

tum, deinde aliud, sibi neutiquam in verbis constantes. Longè aliter simplex Apostolorum animus, qui hanc prærogatiuam consecuti sunt, vt eorum vmbra ægrotos curaret, quando nullum eorum folium elabi, mutarive potuit, idem perpetuò manens, & apparens.

PROSEQVITVR hoc ipsum argumentum idem Ambros. in eo, quòd Isaac percepta flagrantia vestimentorum Iacobi, quem Scriptura simplicem prædicat, dixit: *Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Est sensus horum verborum, ait Ambrosius, vt Isaac naturalem prædicet odorem, quid enim pleno rore suauius? quid vitis odore iucundius? quid fabæ flore gratius? ego, & odorem ipsum terræ simplicem, atque syncerum pro gratia benedictionis accipiam, quam fraus nulla composuit, sed veritas indulgentiæ cœlestis infudit. Neque enim aliud sic laudari meretur, quàm quod fuco, & simulatione caret, non redolet simulata virtus, sed offendit, & verè sapientes homines, & simplicem omnino Deum, qui simplices suæ benedictionis rore perfundit, & supercœlestia paruulis, & simplicibus communicare solet. Vnde Salomon dixit: *Cum simplicibus erit sermocinatio eius* (scilicet Dei) Hebraicè habetur: *Cum rectis consilium, & secretum eius;* vbi vides idem prorsus esse simplicem hominem, ac rectum hominem, cui Deus consilia sua, & secreta aperit. Gen. 27. Gen. 15. Prouer. 3.

DVPLICITATEM etiam animi censet quidem prohibitam à Deo diuus Gregorius 8. Moral. c. 31. in eo quod dicitur; *Non induas vestem ex lana, linóque contextam.* Ait igitur: per lanam quippe simplicitas, per linum verò subtilitas designatur. Ea nimirum vestis, quæ ex lana, linóque conficitur, linum interiùs celat, lanam in superficie demonstrat. Vestem ergo ex lana, linóque contextam induit, qui in loquutione, vel actione qua vtitur, intus subtilitatem malitia operit, & simplicitatem foris innocentiæ ostendit. Quia enim sub puritatis imagine deprehendi calliditas non valet, quasi sub lanæ grossitudine linum latet. Deu. 22.

SIMILEM prohibitionem ostendit Oleast. in eo quòd noluerit Deus Israëliticum populum panem fermentatum comedere, neque arare terram in asino & boue, aut serere diuerso semine. Voluit, inquit, nos simplices esse, & simpliciter apud proximos conuersari. In quam sententiam notauit Philo lib. de Gigantib. Moysem laudatas, elegantésque artes, picturam, atque statuariam è sua Republica eiecisse, quòd veritatem, ait, mendaciis vitient, illudentes per oculos animabus facilibus, & credulis. Cùm enim hæ artes conentur obiicere oculis tanquam vera, viua, & solida ea, quæ ficta, inanimáque sunt, totæ falsitati incumbunt, ac duplicitati. Et proinde relegandæ sunt, & in exilium meritò mittendæ; namque, sicut dixit Ambros. 3. Offic. cap. vlt. Inimicus vitari potest, amicus non potest, si insidiari velit: illum cauemus, cui non committimus consilia nostra, hunc cauere non possumus, cui commisimus. Quòd verò Ambros. ad nostrum institutum faciat, ostendunt ea verba, quæ præmiserat, scilicet, qui est vnanimis, ipse amicus est, quòd vnitas animorum in amicis sit. Exo. 12.

HI igitur si falsi sint, nequeunt vitari, vtpote domestici latrunculi, qui omnes

omnes domus angulos scrutantur,& agnoscunt,latrunculos dixi, quia decipere,ac duplici animo fallerede,prædari vtique est. Vnde Cyprian. epist.
Ad Colos. 52.illud quod nos legimus,*Videte ne quis vos decipiat per inanem philosophiam*; sic ipse legit, *Videte ne quis vos deprædetur*; quod etiam habet Ambros. ibi. Et idem Cypr. lib.de Patient. Videndus etiam idem Ambros. lib. 6. Exa-
Matt. 8. mer.c.8. vbi expendens ea verba Christi Domini:*Vulpes foueas habent*;Fouea, inquit,alta pectus est hominis,vbi sunt noxia,& fraudulenta consilia. Ex huiuscemodi igitur foueis egrediuntur falsi latrunculi,de quibus conque-
Psal. 51. ritur Dauid,cum ait:*Sicut nouacula acuta fecisti dolum*. Nequitia, inquit Ambros. 3.Offic. cap. 11.arguit proditorem,eo quòd instrumentum huiusmodi ad hominis adhibetur ornatũ,& plerumque vlcerat. Si quis igitur prætendat gratiam,& dolum nectat, instrumenti huius comparatione censetur:quasi Dauid cõqueratur, quòd simulata amicitia fuerit eum aggressus inimicus,& iisdem significationibus amicitiæ,quæ animum solent leuare, ipsum hostiliter vulnerauerit.Súntque impij hac in re similes terræ,de qua sumpti sunt,& in quam reuertentur,quæ exteriùs,flores, fructúsque suauissimos profert,cùm in corde inferorum sedes contineat,dæmonésque,& damnatos habeat reconditos:sic & isti proferunt exteriùs verborum flores, sermonísque viridantia folia, cùm tamen in corde habeant reconditum venenum.Vel similes dixerim iis ægritudinẽ simulantibus, de quibus Sextus Iulius Sratagemat.lib,4.c.9. vbi refert quòd C. Pompeius cùm suspectos haberet Haucenses,vel Tucenses, & vereretur ne præsidium reciperent, petiit ab eis,vt ægrotos interim apud se refici paterentur,fortissimísque habitu languentium missis ciuitatem occupauit.

CVM verò hæc vafrities, & duplicitas tam directè simplici virtuti opponatur,inde est quòd candidiores animi faciliùs decipiantur,sicut notauit D.Ambros. 3.Offic. c.10.in ea fraude, qua Gabaonitæ vsi sunt ad Iosue, c. 9. Adeò sancta erat,inquit, illis temporibus fides, vt fallere aliquos posse non crederetur: quis hoc reprehendat in Sanctis,qui cæteros de suo affectu æstimant;& quia ipsis amica est veritas, mentiri neminem putant, fallere quid sit ignorant,libenter credunt,quod ipsi sunt, nec possunt suspe-
Pro. 14. ctum habere,quod non sũt? *Innocens credit omni verbo*; non vituperanda facilitas,sed laudanda bonitas. Oportet enim quemlibet hominem simplicem esse,maximè verò Christianum columbina simplicitate,simplicem in
Rom. 16. malo:azymum sine fermento malitiæ,& nequitiæ.

RECTE verò à Deo exigitur simplicitas,qui & actus purissimus dicitur, & opponitur prauitati.Inter alia autem diaboli nomina serpens est à vafritie,siquidem peccare hominis est,insidias tẽdere diaboli,sicut dixit Hieronym. 1.contra Ruffinum.Caret merito simplicitatis, inquit Ambros. 3. Offic. cap. 9. omne arte elicitum,& fraude compositum:sed & *filio doloso*,ait
Pro. 14. Salomon,*nihil erit boni*.

NON disputo quatenus in bello possit esse locus dolis, ac stratagematibus,& insidiis,hæc vt liceant,abesse mendacium necesse est,tamen oportet etiam hosti seruari fidem. Videndus D.Thom. 2.2. q. 40.& tota q. 111. & Ambro

Ambrosius 1.Offic.c.9.& 3.Offic.c.10.

CÆTERVM cùm fallere nequissimum sit, & falli itidem defectuosum; notauit D.Bernard.epist.327.quodnam remedium Christus Dominus vtrique rei prouiderit:sic enim ait; Nec nouum,nec mirum est humanum animum posse fallere,vel falli,cauendum & hoc,& illud,quia vtrobique periculum,ad vtrũque cautelam nobis apposuit magni consilij Angelus,quando dixit: *Estote prudentes sicut serpentes,& simplices sicut columbæ*;vt nec prudentia decipi,nec simplicitas decipere possit.Nobis iussit nos esse serpentes,ne deciperemur,aliis præcepit esse simplices, ne duplicitate noceremus eosdem fallentes. Attamen humana malitia inuertit sensum præcepti Christi Domini,qui dum iussit esse prudentes,ac sapientes,ne ab aliis deciperemur,sic ab hominibus nequam intelligitur,quòd sint sapientes in decipiẽdo alios; & in fallacia sitam volunt esse prudentiam , sicut dixit Ambrosius in Apolog.Dauid cap. 9.Nonnulli circunuenire, aut fallere arbitrantur esse sapientiam. Mat 10.

HANC igitur fallaciam comitatur inconstantia,& instabilitas,quia cùm illa à peccato deriuata sit,sicut dixit Ambros.lib.de Paradiso cap. 13.ad illud Genes. *Et cognouerunt,quòd nudi essent.* Antè quidem, ait, nudi erant propter morum simplicitatem,& quòd amictum fraudis natura nesciret,nunc autem multis simulationum inuolucris mens humana velatur.Meritò proinde peccati instabilitatem ab eodem participatam habet. Genes. 3.

ALIAM etiam rationem possumus assignare ex lib. Eccles. cap. 3. vbi dicitur. *Cor ingrediens duabus viis non habebit successus*, quia scilicet necesse illi est quantùm in vna processit, in altera retrocedere; & iugi vagatione huc, illúcque cursare:vel tandem, quia cùm seruile sit vitium,serui conditionem patitur,vt nulla quiete fruatur , nullam sedem habeat, etiam cùm maximè sedere videtur:qua ratione subnotauit, imò exprobrauit hoc vitiũ Ciceroni Laberius Eques Romanus;cui ille locũ denegauerat, dicens, quòd angustè sederet:*Demiror*, inquit Laberius,*quòd angustè sedeas,cùm soleas duabus sedere sellis,dúoque loca occupare*:insinuans eum duplicem corde,& obiiciens contrà ingenuitatem , fallaciam scilicet exprobrando. Nam sicut dixit Aug. Psalm.75.Fraudulenti mores sunt hominis illiberalis,& abiecti. Et Nazianz orat.3. contra Iulian. Priuato homini , inquit, astutè aliquid facere fortasse concedemus. Nam qui vim apertè adhibere nequit,hic si vafrè,& callidè aliquid faciat,veniam aliquam meretur. Imperatori autem vi,& potentia superari cùm admodùm turpe sit, tum verò turpius,& indignius est conatus suos,& intentiones arte occultare.Vbi vides Nazianz. Imperatori exprobrare vafritiem,& duplicitatem,quæ ingenuum,& regalẽ animum dedecet.qua de re vidẽdus Bern.Ser.82. in Cant. Eccles 3.

VIDENDVS item D.Paulinus epist.4.ad Seuerum,vbi ostendit multiplicitati Nabuchodonosori respondisse multiplicem pœnam.Coma enim tristi leonem,aduncis vnguibus vulturem,sensu, & pabulo bouem referebat.

VIDENDVS itẽ Philo lib. *Quòd prob.su liber*;vbi inter alia sic ait : Omnes

vafri,& ambiguæ fidei homines,vulgò nominantur illiberales, & parum ingenui.Idem habet lib.de Creat.Princip.cùm dicit. Est & aliud interdictum iustissimum,quo cauetur,ne Reipublicæ Princeps dolosè versetur inter suos subditos: nam fallaces mores ad seruile, non liberale ingenium pertinent,dum rebus simulatio prætexitur.

2 Reg.3. VENIT Abner ad Dauid in simplicitate cordis, & ad contrahendam cum illo amicitiam,eíque fecit Rex conuiuium,& ostendit omnia amoris signa:adueniens postea Ioab profectum iam Abner reuocauit, vt loqueretur ei in dolo,& occidit illũ seorsim ad medium portæ. Voluit se Rex purgare,& ostendere se nullam omnino ansam præbuisse fallaciæ,& ait:*Mundus ego sum,& Regnum meum apud Deum in sempiternum à sanguine Abner*; sepeliuit eũ maximo comitatu, & plurimis lacrymis. Quod expendens Ambros. in Apolog.Dauid,cap.7. sic ait:Dauid vt sanguinem innocentem à se tolleret, quem fuderat dux eius exercitus Ioab, quando Abner de ineunda societate tractaret, dux licèt aduersarij agminis insidiis appetitus occubuit,quem fleuit,& post luctum eius ambulans depositis infulis potestatis exequiarum iusta curauit.Quo facto docuit etiam aduersariis fidem promissam esse seruandam,idque non solum ea ratione fecisse existimo,sed insuper ne prædictam fallaciam à Rege processisse quis putaret, ideo se om-
Psalm.5. nibus purgare voluit à fœdo,& seruili vitio,qui etiam dixit: *Virum sanguinum,& dolosum abominatur Dominus*,& iterũ:*disperdet Dominus vniuersa labia dolosa*.Inquam sententiam notauit Plinius lib.8.cap.15. leonem animalium regem dolis carere,& suspicione,quasi hæc dedecerent irrationalem etiam Principem, & maiestatem regiam.Ideóque Senec. epist.121. *Magnam rem*, inquit,*puta vnum hominem agere,præter sapientẽ autem nemo vnum agit.Cæteri multiformes sumus,modò frugi tibi videbimur & graues,modò prodigi, & vani*; *mutamus deinde personam,& contrariam ei sumimus, quam exuimus*. Ideóque Horat. quem ibi refert Seneca,ait;

Nunquam eundem,nec similem sibi.

NEC mirum igitur quòd inconstans sit in omnibus viis suis vir duplex animo,si neque etiam sibi potest constare. Et qui pares vulpibus se fecerunt,partes vulpium erunt,nec aliquid à Deo consequentur.

Vers.9. *Glorietur autem frater humilis in exaltatione sua, diues autem in humilitate sua,quoniam sicut flos fœni transibit.*

EXPOSITIO LITERALIS.

HORTATVR iterum Apostolus fratres dispersos, & afflictos ad patientiam,& longanimitatem,in primísque abiectos,& afflictos ærumnis,exilio,& paupertate. Nam vox Græca ταπεινὸς *afflictum* sonat, & præcipuè *ad paupertatem redactum*,ideóque illi opponitur ὁ πλούσιος, id est,diues,cui omnia necessaria suppetunt.Vsitatissimum autem est in di-
Psal.9. uinis literis,vt humilitas sumatur pro afflictione.Sic enim Psal.9.dixit Dauid:

uid: *Respice humilitatem meam de inimiis meis*; & Psal. 24. *Vide humilitatem meam, & laborem meum*. quibus in locis humilitas afflictionem significat, vt ibi vertit Vatab. & Genebr. quo etiam sensu dixit Psal. 118. *Bonum mihi, quia humiliasti me*, id est, vexasti, & afflixisti, vel vtilissimũ mihi fuit, quòd in miseriam redactus sum, vt iidem Interpretes notarunt. *Psal. 24.* *Ps. 118.*

LICET ergo humilitas afflictionem significet, hoc loco tamen præcipuè videtur significare pauperiem, quam exules è patria eiecti perpessi sũt, vel ob Christianæ fidei confessionem patiebantur tunc temporis: ideo enim & coniungit per oppositionem diuites. Deinde etiam & proponitur præmium, exaltatio scilicet, cuius nomine omnes Interpretes intelligunt beatitudinem, quæ peculiari iure paupertati addicta est ex ore Christi Domini, qui dixit: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Ideóque Interlinearis hoc loco: Factus pauper, & depressus inter malos, hanc humiliationem intelligat apud eum exaltationem. *Matt. 5.*

HORTATVR deinde diuites, & quouis modo in hoc sæculo fortunatos, ne inani, & præpostera diuitiarum fiducia absorbeantur, imò vt se contineant in officio, consideratione calamitatis imminẽtis, imò animum erigant si contingat ea amittere. Quæ est expositio Oecum. Caiet. & Feuard.

AT verò D. Hieron. in Threnis ad fin. Beda, D. Thom. Carthus. Brixian. Glos. & alij, hoc intelligunt ironicè dictum, & per irrisionem; vt sit sensus: Quid est quòd glorientur diuites huius sæculi, nisi fortè glorientur in humilitate, qua omnes æquans cinis, diuites humilissimum in locum cum illo auaro deiiciet? Ideóque Apostolus reddens rationem, quare diues non debeat secunda fortuna niti, eam petit ab inconstantia, quandoquidem similis est floribus, quibus nihil speciosius dici potest. At huiusmodi decor fugacissimus est, sic etiam præpostera, & peruersa est fiducia in opibus, quæ tam subitò marcescunt, & decidunt.

CREBRA est autem in Scriptura hæc comparatio fœni cum homine, vt patet 4. Reg. 19. Ecclesiast. 14. Isai. 37. & 40. Iob. 40. Psalm. 36. 91. & 120. Vnde Psalm. 44. qui epithalamium seu nuptiale carmen habet pro titulo, *pro iis qui commutabuntur filiis Chore*. Symmachus, Aquila, & Theodotion, & D. Hieron. *pro floribus*, seu, *pro liliis*, vti breuitatem commutationis inculcarent. Et ideo Hieron. epist. ad Lætam: Citò flores pereunt, citò violas, & lilium pestilens aura corrumpit. Inseruit autem ad explicandam fragilem conditionem rerum humanarum, vitium scilicet, potentiæ, & diuitiarum, &c. Qua de re vidẽdus Ambros. 3. Examer. cap. 7. Aug. tract. 7. in Ioan. & Serm. 40. de verb. Domini. Greg. 16. Moral. c. 5. & 15. Chrysost. hom. 28. in Genes. Cypr. de Disciplina & habit. virg. Basil. hom. 5. Examer. & hom. *de non adhærendo reb. huius vitæ*, & Ephrem tom. 2. Parænes. 4. & 18. Facit illud Mantuani.

Mirabar celerem fugitiua ætate rapinam,
Et dum nascuntur, consenuisse rosas.

§. I.

Nihil tam diues, quàm vera paupertas.

DOCET in primis Iacobus persequutiones non solùm patienter sustinendas, præcipuéque paupertatem, de qua litera intelligitur; sed gaudenter etiam propter præmium futurum, quod paupertati respondet, sicut notauit Bernard. Serm. 4. de Aduentu, expendens ea verba, *Penna columbæ deargentata.* Magna, inquit, quædam penna est paupertatis, qua tam citò volatur in regnum cœlorum. Nam in aliis virtutibus quæ sequuntur (scilicet apud Matt. cap. 5.) promissio futuro tempore iudicatur, paupertati non tam promittitur, quàm datur, vnde & præsenti tempore enunciatum est, quoniam ipsorum est regnum cœlorum: cùm in cæteris dicatur, *hæreditabunt, consolabuntur,* & similia.

Ps. 67.

Matt. 5.

QVAPROPTER Caietan. hoc loco optimè exponit. Sic glorietur frater humilis propter paupertatem (humilitas non est hîc nomen virtutis, sed conditionis) in sublimitate promissa sibi in cœlesti regno.

LÆTANDVM igitur ait in paupertate humili, & in afflictionibus, quæ ipsam solent comitari, proposita exaltatione futura. Qua proposita dixit Nanzianz. orat. 1. Apolog. Paupertatem, & inopiam exprobrabunt: at istæ sunt diuitiæ meæ, hæc me non solùm gloriantem, sed arrogantem facit. Videntur enim mihi inimici, dum hoc obiiciunt, id obiicere, quòd vestigiis illius incedam, qui *propter nos inops factus est, cùm esset diues.* Atque vtinam exuere me possem panniculis istis, quibus circundari videor, vt nudus effugerem spinas sæculi, quæ retinent, & reuocant pergentes ad Deum. Simili itidem loquendi forma vtitur orat. 24. vbi magnas diuitias inopiam appellat. Et oratione de laudibus Basilij præferens eius paupertatem illi, quā habuit Crates Thebanus, & Diogenes Cynicus, ait: Hic procul ab omni arte, & quæstu abalienatum animum à rerum omnium possessione abduxit, & vt nautæ vitandi periculi, & leuandæ nauis gratiâ onera subtrahunt, sic & ipse sponte abiectis omnibus, securus hoc vitæ pelagus pertransiit. Ideóque D. Aug. 13. Confess. cap. 8. Omnis mihi copia, quæ Deus meus non est, egestas est. Quibus habet similia Ser. 205. de Temp. & Clemens Alexand. 2. Pædag. c. 3. Veræ diuitiæ sunt paupertas cupiditatum. Et Hieron. tom. 1. epist. ad Heliodor. de vita Solitaria: Affatim diues est, qui cum Christo pauper est: perfectus seruus Christi nihil præter Christum habet.

2. Cor. 8.

ET meritò diuitias hi sancti Patres appellant paupertatem: sicut enim dixit Ambros. epist. 10. Cùm regnum Dei pauperum sit, quid esse locupletius potest? Facit in hanc sententiam id quod notauit Aug. Serm. 205. de tempore, ad ea verba Pauli 1. Timoth. 6. *Præcipe diuitibus huius sæculi, non superbè sapere.* Præcipe, inquit, diuitibus huius sæculi, quia sunt diuites alterius sæculi pauperes. Et vt sciatur de quibus loquatur diuitibus, addidit, *huius sæculi.* Vnde iam exaltatio paupertatis ostenditur, quam Bernar. etiam in hoc mundo sic deducit epistol. 23. Nobilis, inquit, reuera titulus

pauper

paupertatis, quam ipse Deus ore commendans prophetico, Thren. 3. *Ego sum*, ait, *vir videns paupertatem meam*; super omnes regios thesauros, hic vos titulus nobilitat ampliùs. Exaltationem autem futuram meretur paupertas, quæ solo Deo contenta, nihil terrenum voluit, donec cælestes diuitiæ aduenirent, & quanto plus temporalia despexit propter Deum, tanto maius ius ad cœlestia videtur habere. Thren. 3.

VIDENDVS hac de re Hier. epist. 8. quæ est ad Demetriadem, & 11. quæ est ad Ageruchiam, & 27. quæ est ad Eustochium, & 50. de vita Hilarionis. Cyprianus Sermon. de lapsis, Ambrosius lib. de Viduis. & August. lib. 5. de Ciuita. capite 18. vbi paupertatem nobilissimorum Romanorum, qualis fuit Lucius Valerius, Cincinnatus, & Fabricius, eleganter laudat. Quorum primus in suo defunctus est Consulatu, vsque adeò pauper, vt nummis à populo collatis, eius sepultura curaretur. Secundus, cùm quatuor iugera possideret, & ea suis manibus coleret, ab aratro abductus, vt Dictator fieret, maior vtique honore quàm Consul, victis hostibus ingentem gloriam assequutus, in eadem paupertate remansit. Tertius amplissimis muneribus à Pyrrho Epirotarum Rege inuitatus, promissa itidem quarta parte Regni, à Romana ciuitate, & paupertate diuelli non potuit. Ex horum igitur paupertate argumẽtatur Aug. ad Christianam, cui magna exaltatio correspondet, sicut in præsenti testatur Iacobus. Vnde Ambros. Serm. 10. Nudi, inquit, in sæculo nascimur, nudi accedimus ad lauacrum, vt nudi quoque, & expediti ad cœli ianuam properemus. Incongrum autem, & absurdum est, vt quem nudum mater genuit, nudum suscepit Ecclesia, diues intrare velit in cœlum.

VNDE Christus dixit: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia.* Vsque adeò nuda virtus apta est cœlo, vt quamuis iustus, quamuis sanctus, aurum, vel diuitias possidens non possit esse perfectus; talem enim voluit adolescentem illum Dominus ad Paradisum redire, qualis Adam fuerat de sublimitate Paradisi deiectus. Nudus enim Adam incola Paradisi fuit. Matt. 8.

FACIT etiam ad præsens institutum id quod notauit D. Prosper lib. 2. de Vita Contemplat. c. 16. dixisse scilicet Deum Leuitis: *Nihil possidebitis, nec habebitis partem inter fratres vestros, ego enim pars, & hæreditas tua.* Deus, ait Prosper, cùm dicit filijs Leui: *Non habebitis partem inter fratres vestros, ego Dominus pars tua*; satis ostendit, quòd ij, qui terrenæ hæreditatis contempserint portionem, Deum spiritualiter mereantur possidere, vel ab ipso possideri, & eo solo perfrui. Quid vltrà quærit, cui omnia suus Conditor fit? quid potest eo esse felicius, cui efficitur suus Conditor census, & hæreditas eius dignatur esse ipsa Diuinitas? Vnde Philo lib. de Plantat. Noë ait. Quis potest dicere, ipse mihi solus est Deus, nisi qui nullam istarum inferiorum rerum amplectitur? quibus habet similia Seneca epist. 18. dicens: *Nemo alius est Deo dignus, quàm qui opes contempsit*, &c. Num. 18.

EO vsque autem hanc humilium pauperum exaltationem euexit D. Bern. vt pauperes Reges soleat appellare. Sic enim habet epist. 103. Volo te esse amicum pauperum, magis autem imitatorem, ille gradus pro-

Luc. 16. ficentiū est, hic perfectorū. Amicitia pauperū, Regū amicos constituit, amor paupertatis Reges, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula.* Vides quàm magnam dignitatem sancta paupertas sit consecuta, vt non modò patrocinium ipsa non quærat, sed & ferat indigentibus, quale est absque interuentu cuiuspiam Angelorum, vel hominum sola diuinæ gratiæ confidentia accedere per temetipsum ad vultum gratiæ, capessere summa rerum, attingere totius magnificentiæ culmen. Simila habet idem Bern. Serm. 4. de Aduentu, vbi pauperes appellat Reges cœli, & proinde veros pauperes nulli cedere humilitati, & afflictioni. Videmus, inquit ille, pauperes aliquos, qui si veram haberent paupertatem, non adeò pusillanimes inuenirentur & tristes, vt pote Reges, & Reges cœli. Sed hi sunt, qui pauperes esse volunt, eo tamen pacto, vt nihil eis desit, & sic diligunt paupertatem, vt nullam inopiam patiantur. Et epist. 208. ait idem Berna. Suscipe pauperes ciues Sanctorum, & domesticos Dei, parum dixi, ciues, Reges sunt ipsorum est enim Regnum cœlorum, iure & merito paupertatis. Hanc ergo exaltationem menti obiiciendam pauperibus præcipit Apostolus, ad hoc vt afflictus pauper gaudeat in ipsa humiliatione: qui enim se mox contemplatur futurum Regem, facilè lætatur de paupertate, qua Regnum acquiritur.

§. II.

Proponitur dignitas, & exaltatio paupertatis.

NISI fortè præcipiat Iacobus lætari fratres humiles, & pauperes in exaltatione ipsius paupertatis, quæ magnanima, supereminens est, cùm terrena omnia, quibus plerique inhiant, despiciat, & conculcanda iudicet, quod videtur placuisse diuino Spōso in ea anima iusta quā sibi Sponsā elegerat, cùm dixit; *Quàm pulchri gressus tui in calceamētis filia Principis?* Aduertit autē Amb. Ser. 17. in Ps. 118. animæ profectū his verbis significari, Enimuerò si calceamēti nomine terrena omnia intelligātur, tota Spōsæ pulchritudo in eo cōsistet, quòd ea calcādo, & pedibus veluti calceamēta supponendo, superior, & eminentior euadit. Quod videtur attigisse Amb. de obitu Valentiniani. Plerumque enim fœminarum calceamenta eas eminentiores reddunt, & è terra aliquātulùm euehunt. Ea igitur anima meritò pulchra in calceamentis diuino Sponso occurrit, quæ terrena omnia conculcando superior, eminentior, cœlóque vicinior, & Deo propinquior redditur. Qui verò sic inferioribus rebus eminet, nónne in tali exaltatione meritò gloriari debet? Vnde Clem. Alex. 2. Pædag. c. 3. Vera animi magnitudo est, diuitias despicere. Et D. Thom. 3. p. q. 7. art. 2. In hoc ipso, inquit, quòd Christus omnes diuitias contempsit, in se summum gradum magnificentiæ ostendit. Quin imò & Tull. 1. Offic. dixit: *Nihil tam angusti animi, támque parui, quàm amare diuitias, nihil honestius, magnificentiúsque, quàm pecuniam contemnere.*

Canti. 7.

PROINDE

PROINDE verus pauper lætari poteſt, & debet in magnificentia, & exaltatione paupertatis. Imò etiam in iis, qui diuitias poſſident, vt ſe earum dominos indicent, neceſſaria eſt prædicta eminentia, vt ſcilicet eo animo eas poſſideant, vt ſi caſu iis ſpolientur, triſtitia minimè afficiantur. Quo ſenſu expoſuit Anſelm. eâ verba Pauli, *tanquam nihil habentes, & omnia poſſidentes*. Eſtote, ait Anſelm. tanquam nihil habentes, id eſt, mentis deſpectu cuncta, quæ habetis pro nihilo ducentes, vt tali cogitatione ſitis omnia veſtra poſſidentes, quia tunc mens veſtra per hæc non tenebitur in imis. Vbi videmus neceſſariã eſſe exaltationem paupertatis, vt quis ab infimis rebus eleuatus, tanquam Dominus ſupereminea t, alioqui potiùs erit vir, vel potiùs ſeruuus diuitiarum, ſicut dixit Dauid: quæ verba expendens Ambroſ. lib. de Nabuthe Iezraëlita c. 14. ait. Bene viros diuitiarum appellat, vt oſtenderet eos non poſſeſſores diuitiarum, ſed à ſuis diuitiis poſſideri. Et Cypr. lib. de lapſis. Poſſidere ſe credunt, qui potiùs poſſidentur, cenſus ſui ſerui, nec ad pecuniam ſuam domini, ſed magis pecuniæ mancipati. Similiáque habet epiſt. 2. ad Donat. & Greg. 14. Moral. cap. 28. & Senec. epiſt. 120. *Diuitias*, inquit, *habent diuites quemadmodum febrim, cùm eos potiùs febris habeat, imò & torqueat.*

1 Cor. 6. Pſal. 75.

LÆTARI inſuper poteſt humilis bonis omnibus ſpoliatus, quia pulchrior redditur ſuperfluis ablatis. Vnde & auferenti poteſt dicere. *Sicut nouacula acuta feciſti dolum.* Vbi Aug. Ecce quid faciunt Sanctis mali, capillos radũt. qui quidẽ capilli ſuperflua rerũ tẽporalium ſignificãt, quibus ablatis pulchrior redditur animæ vultus, & diuinæ pulchritudini vicinior, ac ſimilior. Vnde in hũc ſensũ intelligit Greg. l. 31. Moral. c. 19. illud Iſai. *Suſtollam te ſuper altitudines terræ.* Altitudines, inquit, terræ ſunt diuitiæ, lucra, rerum abundantia, quæ, quiſquis per ima adhuc deſideria incedit, eo ipſo alta exiſtimat: at ſi ſemel cor in cœleſtibus figitur, mox quàm abiecta ſint cernitur, quæ alta videbantur. Cùm igitur ſic humilis pauper diuinitùs fuerit eleuatus, meritò in tali exaltatione lætari debet.

Pſal. 51. Iſai. 58.

§. III.

Quanti Deo placeat animus non adhærens terrenis.

DOCET etiam præſens hic locus quanti Deus faciat eos, qui bonorum ſpoliationem æquanimiter ferunt, & hoc eſt humiliari ſub potenti manu Dei, vt nos exaltet in die viſitationis; quo ſenſu Origen. hom. 22. in Num. interpretatur id, quod dicitur de feſto Tabernaculorum: *Lætabimini coram Domino Deo veſtro.* Lætatur, inquit, ſuper te Deus, cùm te viderit in hoc mundo in tabernaculis habitantem, cùm te viderit non habentem fixum, ac fundatum animum, ac propoſitum ſuper terram, nec vmbram vitæ huius quaſi poſſeſſionem propriam, ſed veluti in tranſitu poſitum ad veram illam patriam feſtinantem, ac dicentem: *Incola ego ſum, ac peregrinus.* Sunt enim æterna ſola bona bonorum, ſicut appellat Auguſt. Libro de Spiritu, & litera cap. 2.

Leui. 23. Pſ. 118.

CON

CONGRVIT etiam id quod Nazianz. dixit orat. 18. Negotiatio omnium præstantissima, qua breuia, & fragilia bona cum sempiterna gloria
Iob 22. cõmutantur, quibus iure possumus dicere; *erit omnipotens; contra hostes tuos*, vbi Vatablus legit; *Aurum tuum erit omnipotens*; & Caietanus, *Erit Sadai in thesauros tuos.* Proindéque non ægrè tolerandum est, si quæcunque terrena, & temporalia sunt, amiserimus, solis cœlestibus intenti, & lætabundi. qua de re videndus est Tertull. lib. de Patientia, cùm ita habet: Cupiditatem om-
1. Tim. 6. nium malorum radicem Spiritus Domini per Apostolum pronuntiauit, eam non in concupiscentia alicui tantùm constitutam interpretemur: nam & quod nostrum videtur, alienum est; nam nihil nostrum, quoniam Dei omnia, cuius ipsi quoque sumus. Itaque si damno affecti impatienter senserimus, non de nostro amissum dolentes, affines cupiditatis deprehendemur; alienum quærimus, cùm alienum amissum ægrè sustinemus. Qui damni impatientia concitatur, terrena cœlestibus anteponendo, de proximo in Deum peccat; patientia in detrimentis, excercitatio est largiendi, & communicandi, non piget donare eum, qui non timet perdere.

QVI ergo Deo placere voluerit, & donare pro Deo debet quæ bona habuerit, & si iisdem per vim spolietur, lætari debet in humilitate, & spoliatione sua: quod faciet si aduertat non sua fuisse ea, quibus caret. Plura hac de re habes apud Chrysost. homil. 54. in Genes. & hom. 57. ad Popul. August. lib. 2. de Serm. Domini in monte, c. 12. & 27. & tract. 122. in Ioan. & Comment. in Psal. 145.

§. IV.

Non licet diuitibus in diuitiis gloriari.

DIXIMVS ea verba; *Glorietur diues in humilitate sua*; secundùm plerosque esse intelligenda per ironiam, quasi nihil habeant quo glorientur, nisi in humilitate, qua omnes æquat cinis. Impossibile enim est, vt hoc quis considerans glorietur in diuitiis. Et inde est quòd Apostolus eas non
Psal. 38. appellet suas, cùm humilitatem dicat suam. Quod dixit Dauid: *In imagine pertransit homo.* Vbi Genebr. Imaginem, inquit, opponit veritati, & rei solidæ: Imò videtur esse allusio ad scenam, & repræsentationem, qua interdum pauper personam, & imaginem induit Regis, ac diuitis: dimissa autem larua, pauper sicut antea remanet. quod prosequitur Chrysost. hom. 2. de Lazaro & Diuite, dicens: In præsenti vita paupertas, & diuitiæ nihil aliud sunt, quàm personæ. Quemadmodum instante vespera vbi fuerint ex theatro egressi, habitúmque fabulæ deposuerint, qui priùs Reges, ac Duces esse videbantur, pòst apparent hoc quod sunt: Ita postquam mors aduenerit, cùm diuitiarũ, paupertatísque personas deposuerint, omnes illuc profecti, atque ex operibus iudicati, declarant qui verè sint diuites, qui verè pauperes. Sic Chrys.

Luc. 16. MORS Lazaro pauperis personam detraxit ipsúmque verè diuitem, & in

in ſinum diuitiarum Abrahæ translatum oſtendit. E contrà verò epulo diues exuit perſonam diuitis, & oſtendit vſque adeò extremè indigentem, vt vel guttam aquæ clamans poſtularet. Nónne igitur delirium eſſet, ſi qui perſonam Regis in theatro agit, inde gloriaretur, ſciens paulò poſt ſe illa exutum pauperem, & humilem remanſurum? Sic ludibrio dignus cenſendus eſt, qui in diuitiis gloriatur, & non potiùs in humilitate ſua. Vnde Ambroſ. Serm. 13. in Pſal. 118. ſic ait. Qualis dementia eſt diuitum, qui opibus ſolent ſuperbire, cùm de alieno non liceat gloriari? Inflat plerunque homines, & tumido ore ſupinat rerum affluentia ſæcularium, niſi pudeat in te aliena magis, quàm propria laudati. Et Bern. Ser. 4. de Aduentu. Quid vobis cum terrenis diuitiis, & gloria temporali, quæ nec veræ, nec veſtræ ſunt; ſi veſtræ ſunt, tollite eas vobiſcum, ſed homo cùm interierit non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria eius. Veræ ergo diuitiæ, non opes, ſed virtutes quas ſecura conſcientia portat. Et Baſil. hom. 7. in diuit. auar. Poſt mortem ille, quem nolis accipiet facultatem tuam, ob rem relictam nihilo plus te ſerui honorabunt, ſed ſepulchrum fortaſſe, funeríſque ſumptus negligent, hæredi tuo placere ſtudentes. *Pſal. 48.*

Hoc ipſum proſequitur Tertull. lib. de Patient. c. 7. Nihil noſtrum, inquit, Dei omnia, cuius ipſi quoque nos: itaque ſi damno affecti impatienter ſenſerimus non de noſtro amiſſum dolentes, affines cupiditatis deprehendemur, alienum quærimus, cùm alienum amiſſum dolentes ægrè ſuſtinemus. Et Clemens Alexand. orat. ad Gent. Præter futuram vitam, cætera omnia fluxa, & fragilia ſunt, ac veluti in calculorum ludo aliàs ad alios iactantur, & transferuntur, neque quidquam eſt ita poſſidentis proprium, quod non vel temporis tractu finem capiat, vel liuore ad alios traducatur. Conſonat his quæ diximus D. Aug. Pſ. 83. cùm ponderat ea verba Pauli: *Præcipe diuitibus huius mundi, non ſuperbè ſapere, neque ſperare in incerto diuitiarum.* *1. Tim. 6.* Quid enim tam incertum, quàm res volubilis? Nec immeritò ipſa pecunia rotunda ſignatur, quia non ſtat.

Qvi igitur fieri poteſt, vt ſuperbè glorietur, qui naturam diuitiarum conſiderauit, & earum inconſtantiam? Imò eam præuidens vtiliter gloriabitur in humilitate, & obſequio exhibendo pauperibus, fructuosè largiendo ipſas diuitias: quo ſenſu dixit Senec. epiſt. 4. *Nullum bonum iuuat habentem, niſi ad cuius amiſſionem preparatus eſt animus, quia amiſſio præuiſa non torquet, & ſic paratus liberè, & fructuosè poteſt ſeminare, vt in exultatione colligat.*

§. V.

Sicut flos fœni tranſit terrena proſperitas.

Qvia diximus vſitatiſſimam eſſe in Scripturis comparationem fœni cum potentia, diuitiis, & cæteris ſæculi bonis, ideo eam in præſenti cũ ſanctis Patribus proſequemur. Primo igitur aſpectu ſeſe offert cæcus ille, cui Dominus manus impoſuit, eúmque interrogauit ſi aliquid videret?

Marc. 8. Ipse verò respondit. *Video homines vt arbores ambulantes*; vbi Chrysol. Ser. 176. ait. Quare sicut arbores, & non vt columnæ: neque stantes, sed ambulátes? quia post curam Christi viderat, quòd homines velut arbores transirent in hoc sæculo, non manerent: temporalem plantationem germinis humani esse in hac vita mox videt, quem curauerit Christus. Huius igitur arboris flores mane exoriuntur; vespere decidunt, & arescunt.

QVIS vidit præcisos ramos floribus opertos, quibus in ingressu Christi Hierosolymæ ciuitatis viam sternebant turbæ, qui putaret eos iam breui in spinas conuertendos, in verbera, in clauos? Quod eleganter prosequitur Bernar. Serm. 2. de Ramis palmarum, his verbis: Celebramus hodie processionem, & paulò post passionem. Quid sibi vult mirabilis ista coniunctio? aut cogitauerunt Patres nostri passionem addentes processioni? Nam processio quidem meritò repræsentatur hodie, quæ facta est hodie; passio verò cur addita est, quam sexta feria constat esse sequutam? Opportune vtique processioni passio coniuncta est, vt discamus in nulla lætitia huius sæculi habere fiduciam, scientes quoniam extrema gaudij luctus occupat, propterea non simus stulti, vt occidat nos prosperitas nostra. Similia habet Serm. præceden. Optimè etiam breuitatem floris expressit Sponsus cùm dicit, *flores apparuerunt in terra nostra*. Est enim sensus: Cùm iam apparuerint, egresśique sint flores, nihil amplius immorandũ. Est enim tẽpus putationis, quo scilicet amputẽtur antequã marcescant; sic enim exposuit hunc locum Greg. Nyssen. qui etiã videndus est lib. de hominis opifi. ad ea verba; *Faciamus hominem*. Vndarum, inquit, instar res nostræ nos fugiunt.

Cant. 2.

Genes. 1.

Eccles. 2. NON est omittendus hoc loco Ambros. lib. de Isaac, & anima c. 4. cùm expendit ea verba Salomonis; *Extruxi mihi piscinas aquarum, vt irrigarem syluam lignorum germinantium*. Quibus verbis ex mente D. Ambrosij rerum humanarum conditio acutè exprimitur. Nã sicut piscinæ nõ nisi assiduo labore, multóque sudore implentur, & eadem qua implentur die ad hortos irrigandos exhauriũtur, ita profectò mortaliũ spes & desideria non nisi multis exantlatis laboribus quandoque implentur, sed vix dum impleta sunt, protinus exhauriuntur, & omnino intereunt. Concludit proinde Ambros. dicens: Non immeritò ergo piscinas habet Ecclesiastes, qui vidit nullam abundantiam esse sub Sole, sed si quis abundare velit, in Christo abundet, cum quo etiam qui egenus est, satis diues est.

VIDENDVS etiam Hieron. Isai. 40. vbi inter alia sic ait: Reuerà si quis fragilitatem carnis aspiciat, ipsúmque quod loquimur, dictamus, & scribimus, de vitæ nostræ parte præteruolat. Quibus habet similia Greg. 11. Moral. c. 16. Videndus etiam Aug. in Psalm. 53. & Chrysost. hom. 34. in Matt. Multáque habet de breuitate florum Clem. Alexand. 2. Pædag. c. 8. vbi docet, ideo rosam citò marcescere, quòd odoris plurimum fluxum emittat, symbolúmque & signum esse marcidarum voluptatum, quæ breui decorem, & odorem perdunt. Idem prosequitur Chrysost. ad ea verba Psal. 128. *Fiant sicut fœnum tectorum*. Talis, inquit, est iucũditas rerum, quæ ad hanc vitam pertinent: simul enim & cernitur, & interit. Videndus item Plut. de ser. Num. vindict.

Hæc

HÆC igitur similitudo ostendit breuitatem sæcularium rerum, quibus nullus omnino gloriari debet. Vnde Clem. Alexandrin. 4. Strom. ex Antiphane Comico dicit, quòd Plutus diuitiæ appellarentur. Is enim dicebatur Deus diuitiarum. Iam verò fabulæ eum in aduentu claudum esse fingunt, in recessu verò alatum, quia diuitiæ claudis veluti pedibus, & lento gradu accedunt, at verò aquilinis euolant alis, & quàm ocyssimè præterlabuntur. Quod dixit Seneca epist. 92. *Incrementa lentè exeunt, festinantur in damnum.*

PROSEQVITVR hoc argumentum Philo lib. *Quòd Deus sit immutabilis*, dicens: An putas rem vllam mortalem veram esse, & non tanquam in suggestu quodam ab inani, & incerta opinione sustineri? Non aliter quàm somniorum ludum. Quòd si non libet singulorum fortunas perquirere, vide regionum integrarum, & gentium mutationes. Floruit quondam Græcia, sed Macedones potentiam ei abstulerunt, sicque regnorum felicitates quæ ad modum florum defecerunt, percurrit. Quapropter Chrysost. hom. 60. in Matt. dixit, diuites potiùs diuitiarum transmissores, non dominos esse appellãdos. Quibus habet similia hom. 45. & Aug. 4. Confess. c. 10. Omnia oriuntur, & occidunt, & oriendo quasi esse incipiunt, & quo magis celeriter crescunt vt sint, eo magis festinant, vt non sint. Quod etiam attigit Senec. epist. 92. *Longam moram*, ait, *dedit malis properantibus, qui diem dixit, horam, momentumque temporis euertendis imperiis sufficere. Esset aliquod imbecillitatis nostræ solatium, rerúmque nostrarum, si tam celeritate repararentur cuncta, quam finiuntur. Quidquid longa series multis laboribus, multa Dei indulgentia struxit, id vnus dies spargit, ac dissipat; nihil priuatim, nihil publicè stabile est, tam hominum, quàm vrbium fata voluuntur.* Similia habet epist. 89.

VNDE Basilius hom. 15. in Psal. 61. explicans ea verba, *Verumtamen vani filij hominum, mendaces in stateris*: sic ait. Cur vani? quia mendaces. Quid igitur est quod dicit, quòd vnicuique nostrûm in occulto statera quædam à Conditore nostro constructa est, in qua rerum naturas discernere ac diiudicare potest? Pondera diligenter, quid tibi conducibilius? Malè ponderas, praua bonis præferens, vana veris potiora ducens, temporalia æternis præponens; prætereuntem voluptatem pro indesinente lætitia eligens. Psal. 61.

FACIT etiam pro breuitate huius fœni transeuntis id quod notauit Ambros. lib. 4. in Luc. ad ea verba. *Ostendit illi omnia regna mundi in momento temporis.* Bene, inquit, in momento temporis, & sæcularia, & terrena demonstrãtur. Non enim tam conspectus celeritas indicatur, quàm caducæ fragilitas potestatis exprimitur. In momento enim cuncta illa prætereunt, & sæpe honor sæculi abiit antequam venerit. Quid enim sæculi potest esse diuturnum, cùm ipsa diuturna non sint sæcula? Cur ea quæ ad vsum tibi diuturna esse non possunt, ad supplicium diuturna deposcas? Luc. 4.


ILLVD tandem in hac similitudine fœni ad res temporales aduertendum censeo, quod dixit Dauid Psal. 91. *Cùm exorti fuerint peccatores sicut fœnum; & apparuerint omnes, qui operantur iniquitatem, vt intereant in sæculum sæculi.*

Vbi videtur innuere conuenientiam, & vicinitatem, quam fœnum habet ad ignem: disconuenientiam itidem, quæ reperitur inter breuitatem, qua fœnum floret, & transit, & æternitatem pœnarum. quod dixit August. in Psalm. 53. Tu, inquit, noli esse vir imprudens, & stultus, vt hæc attendendo intereas in sæculum sæculi. Isti florent in felicitate sæculi, pereunt virtute Dei: non enim quomodo florent, sic pereunt, florent enim ad tempus, pereunt in æternum, florent falsis bonis, pereunt veris tormentis.

Et D. Greg. 31. Moral. c. 18. Arentia corda sunt hominum, qui in huius sæculi spe peritura plantata, æternitatis fiduciam non habent: virent autem quæ illi hæreditati inhærent. Quisquis itaque intrinsecus arere formidat, arentia extrinsecus huius mundi desideria fugiat, & æternam patriam appetens, in æterna cordis plantatione virescat. Plura hac de re habet idem Gregor. hom. 14. in Ezech. Meminisse igitur debemus quàm breui transeat huius sæculi fœnum, ne cum eo florere potiùs eligamus, sed æterna inquirentes, quæcunque in mundo sunt, pedibus conculcemus.

Vers. 11. *Exortus est enim Sol cum ardore, & flos eius decidit, & decor eius deperiit, ita & diues in itineribus suis marcescet.*

EXPOSITIO LITERALIS.



Explicat, ac prosequitur similitudinem floris. Sicut enim Solis ardore flores euanescunt, & emoriuntur, adeò vt flosculum, qui natus ad Solis exortum gratissimo colore, atque suauissimo odore blandiebatur sensibus hominum, Sol occidens videat morientem. Coloris itaque, & odoris gratia ad Austri flatum, ad Solis æstum languet, senescit, interit, & cadit. Ad eundem modum diuitum felicitas, si reflauerit fortuna, purpura nigrescit, gemmæ hebetantur, &c. Quam eandem similitudinem prosequitur Ambros. lib. 1. Examer. c. 7. Hodie videas adolescentem validum, pubescentis ætatis virtute florentem, gratia, specie, suaui colore, crastina die tibi facie, & ore mutatus occurret: plerosque. n. aut labor frangit, aut inopia macerat, &c. Sic & Isaias dixit, *Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos*, &c. Et Dauid. *Quoniam tanquam fœnum velociter arescent, & quemadmodũ olera herbarum citò decidẽt.* (Cap. 40. / Ps. 36.)

Dvbivm tamen est hoc loco quidnam intelligatur per exortum Solis cum ardore. Communísque expositio habet intelligi Christum Dominũ, aduentúmque eius ad puniendum vanum, & superbum diuitem. Neque mirum quòd in Scriptura aduentus Domini etiam intelligatur de peculiari iudicio, & supplicio. Sic enim intelligendus est Isaias cap. 2. *Dies Domini exercituum super omnem superbum, & excelsum.* Sic intelligitur illud Amos cap. 5. *Væ desiderantibus diem Domini*, quia scilicet per contemptum dicebat populus, vtinam veniret dies Domini. Sic Sophonias (Isai. 2. / Amos 5.)

cap.

cap. 1. *Iuxtà est dies Domini*; vbi D. Heron. ait: Diem Domini intelligamus captiuitatis, & vltionis in populum peccatorem. Soph. 1.

Sicvt igitur tempus diuinæ vltionis appellatur dies Domini: ita hoc loco potest intelligi per exortum Solis. Tunc enim dies perfectus incipit, dies, inquam, Domini, cuius sententiæ rigor arefacit fœnum, quoniam iniquorum prosperitatem dissipat, & condemnat, sicut perdit Solis ardor decorem vultus fœni, id est, pulchritudinem, ac virorem superficiei fœni. Vnde Iob. *Vidi iniquos Domino flante periisse*, in actibus scilicet suis vitiosis, iuxta illud, *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in iniquitatibus suis.* Iam enim superiùs monuimus per vias, & itinera intelligi cuiusque opera. Iob. 4. Ps. 52.

§. I.

Breuitas bonorum temporalium.

Non mirarer quidem si ad exortum Solis quæcumque vana, & caduca sunt, occultarentur, & nitorem, quem in nostræ ignorantiæ tenebris habent, amitterent. Nam etiam gloriam Moysis in quam filij Israël intendere non poterant, Paulus non gloriam, ad comparationem Euangelicæ gloriæ dixit, sicut notauit Hier. in c. 1. Ecclesiast. Mirum tamen est, quòd ad exortum Solis flores diuitiarum, honoris, ac dignitatis humanæ marcescant, & decidant. Pharao manè florens, vespere factus est esca piscium. Balthassar vino, & dapibus sese ingurgitans, mox totus horrore trepidans noctu ab hostibus occiditur. Nabuchodonozor nunc exultat in aula, illicò cum lupis vlulat. Aman felici aura nauigans, & Israëlitarum diuitiis iam iam florens, continuò de felicitate cadens infelici arbore pependit. Herodes velut Deus colitur, & in momento à vermibus absumitur. Quod argumentum prosequitur Chrysost. in epist. ad Eutrop. tom. 5. Vbi nunc, ait, est refulgens consulatus ambitio? vbi resplendentes ad inuicem syderum toto orbe lampades? vbi diuersorum munerum pompa? vbi coronæ, & varius totius orbis ornatus? vbi tubæ, & theatralis illa populi adulantis acclamatio? Repentini spiritus flatu, tamquam folia cuncta decussa sunt, & arbor nuda derelicta est. Et nõ solùm nuda; sed & ab ipsis conuulsa radicibus; vbi variæ adulantium facies? vbi conuiuæ? vbi paropsides? vbi denique omnis illa potentia, & clientium greges ad gratiam cuncta loquentium? Nox erant omnia illa, & somnium, & die exorto nusquam comparuerunt. Et homil. in Ps. 9. tom. 1. appellat sæculũ caducũ, & fœneũ. Exod. 34. 2. Cor. 3. Dan. 5. Dan. 4. Act. 12.

Facit etiam pro hac re id quod dixit Origen. lib. 2. in Iob loquens de vili statu illius quando in sterquilinio sedebat. Idcirco, inquit, tanquam putredo, & stercus effectus dignè sedeo super stercus, omnes homines instruens, quia omnis terrena gloria in putredinem, & stercus, atque vermes conuertitur. Ideóque Iob etiam dixit: *Vidi stultum firma radice, & maledixi pulchritudini eius statim.* Vbi notanda venit particula (*statim*) quasi voluerit quãprimùm maledicere pulchritudini, antequam omnino desineret esse: ti- Iob. 5.

muit enim, si statim non malediceret, ne statim non inueniret cui malediceret. Gregor. verò lib. 6. Moral. cap. 4. super eadem verba ita habet: Bene ergo maledixit pulchritudini eius statim, quia qui honoratur in via, in peruentione damnabitur, & quasi per amœna prata ad carcerē peruenit, qui per præsentis vitæ prospera ad interitum tendit.

VNDE iam libet cum Tertull. lib. de corona milit. hoc loco dicere. Quid tibi cum flore morituro? habes florem ex virga Iesse, super quem tota diuini Spiritus gratia requieuit, florem incorruptum, immarcessibilem, sempiternum. Et cum Ambros. lib. de Isaac, & anima cap. 4. Exultabimus Domine, & lætabimur in te, non in diuitiis, auri, argentíque thesauris, non in possessionum fructibus, non in potestatibus, non in conuiuiis; sed in solo Deo. Prosequitur hoc argumentum D. August. tract. 2. in 1. epist. Ioan. vbi sic ait: Rerum temporalium fluuius trahit, sed tanquam circa fluuium arbor nata est Dominus noster Iesus Christus. Tene lignum, tene Christum, &c. & Serm. 205. de Temp. Audiant diuites, si tamen sunt, audiant Apostolum. *Præcipe diuitibus huius mundi non sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo*, inquit, *viuo*. Fur tibi tollit aurum, quis tollit Deum? Quid habet diues, si Deum non habet? quid non habet pauper, si Deum habet? &c. Similiáque habet in Psalm. 83. & Greg. 22. Moral. cap. 2.

1. ad Tim.

OSTENDITVR insuper breuitas diuitiarum in eo, quòd Deus peculiari ratione animaduertit in eos, qui diuitiis abundant, & floribus potestatis elati superbiunt, quo titulo veluti insignitur. *Qui aufert spiritum Principum*; vbi Augustinus ita exposuit: Audaciam scilicet superborum. Et sicut non solùm ardor Solis, sed vehemens etiam ventus flores exsiccat, & absumit, sic Dei Spiritus, ac flatus diuitias conterit. Id enim sonat illud. *In spiritu vehementi conteres naues Tharsis*. Nam, vt ibi habet Hieronymus: Nauigio Tharsis comparantur qui in huius sæculi fluctibus circunferuntur omni vento luxuriæ, & vanitatis. Cui accinit Nyssen. orat. 14. in Cant. Nauis Tharsis, inquit, innatans vitiositas. Cuius rei ratio ea esse videtur, quia licèt Tharsis quoduis pelagus altum significet, teste Hieronym. epist. ad Marcellam, & in cap. 1. Ionæ. Quod etiam Rabbi Salomon, quem refert Genebrar. Psalm. 47. Vnde Symmachus, Aquila, & Theodotion illum locum Isai. cap. 23. *Vlulate naues Tharsis*, vertunt, *vlulate naues maris*; & Paraphrasis Chaldæa eodē in loco *Iamah* posuit, quod mare significat. Nihilominùs tamen certam orbis partem significat, de qua videndus Iosephus 8. Antiq. cap. 7. & recentiores, qui multa hac de re congerunt: vt Pineda de rebus Salomonis lib. 4. c. 14. & c. 16. & Barrad. 1. tom. Vnde quotannis infinita propemodùm auri, & argenti copia Hierosolymam asportabatur, vt patet ex. 3. Reg. 1. & 2. Paralipom. 9. Vnde iam constat, cur Dominus in naues Tharsis veluti sæuiens introducatur, quia aurum, & argentum afferebant. Vnde Hieronym. ad ea verba Isai. *Super omnes naues Tharsis*; ita habet. Arguuntur itaque hi, qui volentes iuxta Apostolum diuites fieri, incidunt in tentationes, & in laqueum diaboli, & dicitur eis quòd vlulare debeant scientes omnes negotiationes huius mundi esse perituras, & contempla

Psal. 75.

Psal. 47.

templationẽ gaudij, atque lætitiæ in luctũ, lacrymásque vertendã, & statim subdit: Omnes negotiatores segetibus cõparantur, quæ citò arescũt. Quod etiã probat locus ille Sophoniæ. *Disperierunt omnes inuoluti argẽto*; vbi Septuaginta, teste Hiero. habent, *qui erecti erant in suꝗ orbiã, & pauperes despiciebant, ira veniente vastati sunt*; vbi Hiero. ait: Cõsidera quòd nõ dixerit: Peribũt qui erecti sũt argẽto, sed iã nũc antequã eis veniat supplicij dies, in eo ipso quòd superbiãt, & sẽper de thesauris suis cogitẽt, & seruiãt eis, perierint, atque corruerint: quod qui intellexerit, puto eum nõ satis cupere diuitias, in quibus non peribunt, sed periefũt, qui erecti sunt. Ex quibus possumus breuitatẽ horum florum fœni, qui vel vermibus corrodentibus decidũt intelligere: vermem enim diuitiarum superbiã appellauit Aug. Serm. 5. de verb. Domini: Omne pomũ, inquit, omneq; granũ, omne lignum habet vermẽ suum, & alius est vermis mali, alius pyri, alius fabæ, vermis diuitiarum superbia, vel etiam Sole exurente decidunt, & arescunt. Cap. 1.

VENIT tandem hoc loco illud aduertendum, quod prosequitur Abulen. 2. Reg. c. 13. q. 20. Deum scilicet repleuisse omnia huius sæculi bona magnis amaritudinibus, ne mortales eorum apparenti felicitate deciperentur, quinimò facile cognoscerent nullam stabilem felicitatem in eis posse reperi, proindéque bonum singulare, & immutabile inquirerent, in quo tantummodò animus noster satiatus conquiescit; sic enim dixit D. Aug. lib. 22. de Ciuit. Dei. Ideo huius vitæ dulcedo amaritudinibus, & ærumnis respersa est, vt alia vita quæratur, quæ nulla amaritudine perturbetur. Hæc igitur fuit ratio cur mirabiliter Deus eos quos præcipuos in aliqua re audiuimus, miseros itidem reddidit, ne felices omnimodè putarentur, ex eo quòd aliqua ratione omnes alios præcessissent. Nullus inter mortales maius robur, maiorésque vires sortitus legitur, quàm Samson, qui mille viros contra se pugnantes asini mandibula occidit, portas vrbis cum vectibus simul eruens super humeros detulit, tandémque sibi illata morte expleuit vitã: nam priùs à fœmina deceptus, manibus hostium tradibus, miserabiliter deturpatus, ad molam asinariam turpiter molere coactus est; amaram denique vitam dura morte compleuit. Nullus cursu agilior quàm Asaël, qui cursu syluarum capreas superabat, ipsa tamen velocitas ei mortem peperit. Nullus fortassis pulchrior Absalone, ipsa tamen cæsaries, quæ ei pulchritudinis non minimum erat ornamentum, laqueum præbuit, quo faciliùs transfigeretur suspensus. Nullus Salomone aut sapientior, aut ditior, vide tamen quem exitum & sapientia, & diuitiæ habuêre. Nullus Alexandro maior, ipse tamen expleto regnandi desiderio, veneno extinctus, minutúsque periit. Concludit proinde Abul. Sic narrat Scriptura horum excellentias, vt postea eorum concludat excidia, vt sic in nullo eorum bonorum, quæ à nobis potissima iudicantur, felicitatem esse liqueat, aut stabilitatẽ reperiendam existimemus. Iudic. 15. & 16. 2. Reg. 2. 3. Reg. 3. & 11.

VNDE iure optimo stultus appellatur ille, qui diuitias sibi in multos promittebat dies, nocteque, & in tenebris perimitur, sicut optimè adnotauit Orig. hom. 27. in Nu. Sicut noctu, & in tenebris primogenita Ægypti fuêre Luc. 12.

fuêre occisa, quandoquidem mundum,& tenebras eius diligens non conspiciebat orientem Solem,qui huius mundi flores exsiccat,& eorum decorem marcescere facit, sicut & diuites in omnibus itineribus suis. Et hæc
Matt.13. fuit ratio cur Christus diuitias fallaces appellauerit, quia cùm manè exoriantur, vespere decidunt,& arescunt, & mendaces filios hominum in
Ps. 61. stateris aliter iudicantes Dauid dixit, vt ibi Asterius interpretatur. Videndus denique pro hoc argumento Aug. Serm. 141. de tempore.

Vers. 12. *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.*

EXPOSITIO LITERALIS.



HVCVSQVE ostendit Apostolus, quo pacto diuitiarum flores exeant, quàm cito euanescant & exurantur: modò ostendit, quo pacto iustus floreat sicut palma, quæ aduersùs ipsum pōdus insurgit, sursúmq; innititur, quæque tenuis è terra prodiens, & quasi radix de terra sitienti,quanto vicinior cœlo, tanto grossior, & crassior adolescit: sic enim hoc loco interpretatur D. Thomas illud. *Suffert tentationem*, id est,sursum fert, pro eis quæ sursum sunt

OCCVRRITQVE hoc loco notanda ea lectio, quam sequitur Tertul.
Ps.91. lib. de Resurrectione carnis. Nam pro eo quod nos legimus; *Iustus vt palma florebit:* ipse habet; *iustus vt Phœnix florebit.* Nāque, teste Plinio lib. 10. c.2. *Phœnix senescens, casia, thurisq; surculis construit nidum, replet odoribus, flammisque absumitur, & emoritur, ab ipsisque cineribus, vbi combusta vitam finiuit, rediuiua prodit, & vnde occubuit, resurgit.* Huius igitur instar, iustus floret: is enim ardor, quo flores diuitiarū decidunt,& eorum decor perit, est initium vitæ, ac beatitudinis iustorū, imò in hac vita finis. Sicut enim beatitudo patriæ est finis noster vltimus: sic & beatitudo, quā Iacobus hoc loco assignat, est finis tentationum, & laborum, sicut notauit Hisychius lib. 7. in Leuit. c. 7. Beatitudo igitur de qua hîc est sermo, intelligitur de beatitudine viæ, & in spe.

VEL potiùs idem est, *beatus vir*, atque *felix vir*. Tentatio verò ita sumenda est, vt afflictiones quascunque comprehendat, de quibus initio huius
Cap. 12. capitis egimus. Et Angelus dixit Tobiæ, *quia acceptus eras Deo necesse fuit, vt*
Sap. c. 3. *tentatio probaret te.* Et Sapiens. *Deus tentauit eos, & inuenit eos dignos se.* Sic enim probatur iustus, tanquam aurum in fornace, ac per ignem, sicut Iob.

QVOD dixerim propter aliam probationem, qua Deus etiā iustos pro-
Ps.136. bat,& de qua Dauid dixit: *Domine probasti me, & cognouisti me*, scilicet, cùm illum ad Regnum,& felicitatem euexit: qua quidem promotione Dauidem probauit. Namque, vt ibi Theodoret ait, sicut in rebus tristibus probamur, eodem quoque pacto in secundis rebus exercemur.


SED

Sed probatio per labores, & ærumnas multo verior, & solidior. Tunc enim se Paulus verum Dei ministrum ostendit in multa patientia, in tribulationibus, & necessitatibus. 2. Corinth. 6. Et hæc probatio Sanctorum vsitata est in Scriptura. Prouerb. 17. Ecclesiast. 2. Zach. 13. & passim alibi. Accipiet igitur sic probatus coronam vitæ, quam fideli, & probato promisit Dominus, Apocalyp. 2. Et quam repositam sibi gloriabatur Paulus 2. Tim. vlt. *2. Cor. 6. Prou. 17. Eccle. 2. Zach. 13. Apoc. 2. 2. Timot. Vltim.*

Repromissio autem in præsenti idem est, ac promissio, & ideo plerique vertunt, *quam promisit Deus.* D. Thom. verò verbum, *Repromisit*, sic explicat, vt significet iterum, & iterum promisit, in veteri promisit, sed repromisit in Nouo Testamento; promisit per Prophetas, repromisit per Apostolos, imò ipse Filius Dei proprio ore palàm, ac sæpe eã promisit in Euãgelio.

Corona autem vitæ dicitur præmium essentiale gloriæ dandum à Christo Domino, qui dixit per Prophetam, *Spiritus Domini super me*, &c. *vt darem eis coronam pro cinere*, quod confessus est Dauid, dum ait: *Qui coronat te in misericordia, & miserationibus*; vbi Aug. Coronat in nobis Deus misericordias suas. De qua corona loquitur Paulus 1. Cor. 9. ad Timoth. 2. & Petrus epist. 1. c. 5. & Ioan. Apocalyp. 2. *Isai. 61. Ps. 102. 1. Cor. 9. 2. Tim. 2. 1. Pet. 5. Apoc. 2.*

Porro per hoc quod ait, *quam repromisit Deus diligentibus se*, innuitur nullam actionem, passionémue esse meritoriam æternæ vitæ sine charitate, iuxta illud Pauli: *Si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Vel etiam potest innuere hic locus, Deum iis, quos plus diligit, grauiores, ac plures immittere tribulationes, quò eos dignos se inueniat, vel ad se tandem adducat, reducens eos à via iniquitatis. *1. Cor. 13.*



§. I.

Expenditur beatitudo, quæ in tentationibus, & laboribus reperitur.

Beatum prædicat hoc loco Apostolus eum, qui per varias afflictiones in hac vita probatur. Quia si beatitudo Sanctorum prædestinatorum in patria consistit, in eo quòd similes Christo Domino sint, & corpore glorioso, & anima beata; *Quos enim præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imagini Filij sui.* Beatitudo viæ consistit etiam in eo quòd similes eidem simus in laboribus perferendis, & aduersis patiendis: qua ratione dum Paulus recenset labores, quos patiebatur, ait: *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur, persequutionem patimur, sed non derelinquimur, deiicimur, sed non perimus, semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, vt & vita Iesu manifesteiur in corporibus nostris.* Vita Iesu, scilicet patientis appareat, & reluceat in nobis etiam patientibus, ferentes crucem, quam tollendam iussit, iugiter eam in corpore portantes. Calicem namque, quo in Scriptura toties mors, & labores significantur, verus Ioseph Beniaminitis, id est, filiis dextræ, quos ad dexteram vocabit in iudicio, priùs immittit: deinde *Rom. 8. 2. Cor. 4. Mat. 16. Matt. 25. Gen. 43. Eccle. 45.*

verò eos vocat ad conuiuium,& tanquam pignus hæreditatis, calicem laboris priùs tradit. Vnde Nazianz. orat. 1. cont. Iulian. de fidelibus afflictis loquens, appellauit persequutiones thronos gloriæ, & beatitudinis, de qua Iacobus in præsenti. Quorum, inquit, abiici, & consternari, & quorum throni, quorum nuditas, & quorum corruptibilitas, indumentum. Quod etiam confirmat Bern. Serm. ad milites Templi cap. 1. *Si beati qui in Domino moriuntur.* Sed age huius beatitudinis cōditiones perlustremus, quarum prima erit securitas in suppliciis, ac laboribus, dum nihil verentur, nulli omnino cedunt. Ideóque Bernar. loco cit. O vita secura, vbi absque formidine mors expectatur, imò & exoptatur cum dulcedine, & excipitur cum deuotione! Multis prosequitur hoc argumentum Chrysostom. hom. 18. ad Popul.

Habet etiam & suo modo impossibilitatis donum hæc beatitudo laborum, sicut latè ostendit Cypr. epist. 9. vbi inter alia ait: Congressi estis in acie, donec acies succumberet victa, nec cessistis suppliciis, sed vobis potiùs supplicia cesserunt, finem dolorum, quem tormenta non dabant, coronæ dederunt: lanienа grauior ad hoc diu perseuerauit, non vt stantem fidem deiiceret, sed vt homines Dei, ad Dominum velociùs mitteret. Quibus etiā habet similia lib. 9. de laude Martyrij. Ex multis verò hoc desumimus. Quantæ, inquit, sit gloriæ ponderatæ: huius vitæ cupiditatibus, atque ab omni animum natura, mundique commercio segregatum contra aduersantis discrimen opponere, nec sæuitiam torquentis horrere, animari hominem dolore, quo credatur extingui, & id sibi in argumentum virtutis assumere, quod cruciatui putat prodesse, qui punit, stat immobilis pœnis suis fortior, &c. Cui addendus Nazianz. loco cit. vbi de Martyribus sic ait: Cum igni & ferro, & belluis, & tyrannis, & præsentibus malis, & denunciatis alacri animo, velut in alienis corporibus, imò quasi corporum expertes dimicarunt.

Facit etiam in hanc sententiam id quod notauit Orig. hom. 16. in Genes. Vendidisse scilicet Ægyptios possessiones suas præ magnitudine famis. vbi ipse legit: *Obtinuit enim eos fames.* Vituperatio, inquit, mihi videtur in hoc Ægyptiorum contineri, non enim facilè de Hebræis scriptum inuenies, quia obtinuit eos fames, licèt enim scriptum sit, quia inualuit fames super terram, non tamen scriptum est, quia obtinuit Iacob fames, aut filios eius, sicut de Ægyptiis dicitur, obtinuit eos fames. Quamuis enim veniat etiam ad iustos fames, non tamen obtinet eos. Propter quod & gloriantur in ea, sicut Paulus inuenitur libenter gloriari huiusce modi passionibus, cùm dicit: *In fame, & siti, & frigore, & nuditate.* Denique de Abrahæ temporibus scriptum est: *Quia fames facta est super terram, descendit Abraham in Ægyptum habitare ibi, quoniam inualuerat fames super terram*; non dicitur, quia inualuerat fames super eum.

Gen. 47. — 2. Cor. 11. — Genes. 12.

Neque etiam gaudium deest huic beatitudini, imò illud initio capitis prædicauit Apostolus dicens: *Omne gaudium existimate.* vbi cum eo superabūdantem lætitiam tribulationum ostendimus. Probátque Paul. Rom. 8. *Gloriamur*

riamur in tribulationibus; vbi Chrysost. ait: Aliis quidem in rebus certamina laboriosa esse solent, pariúntque tum dolorem, tum afflictionem, corollæ autem ac præmia voluptatem afferunt. At hîc non ad eandem rationem se res habet, quin potiùs luctæ, atque certamina iucunditatis, haud paulo plusquàm vel ipsa præmia. Similiáque habet hom. 9. in eandem epistol. & D. Greg. 4. Moral.c. 1. dum explicat ea verba Psalm. 138. *Sicut tenebræ eius, ita & lumen eius.* Rom. 8. Psal. 138

Et sicut beatitudo solis electis, & prædestinatis competit, & conceditur: ita & hæc sufferentia laborum. Qua ratione D.Greg. 12. Moral.c. 5. ait: Reproborum vita tanto sine flagello dimittitur, quanto ad nulla præmia seruatur. Et 6. Moral. c. 7. Quasi per amœna prata ad carcerem peruenit, qui per præsentis vitæ prospera ad interitum tendit. Confirmat etiam & hanc beatitudinem quam prosequimur nomenclatura Sanctorum Dei, qua Martyres appellantur, veluti qua proprio titulo decorantur. Sic enim Ecclesia dicit: *Sancti mei qui in carne positi certamen habuistis*: *Sancti tui Domine mirabile consequuti sunt iter.* Et Dauid de iisdem dixit: *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius.* Cúmque ante mortem prohibuerit quemquam laudari, eos, qui persequutionem patiuntur, aperiens os suum, Beatos dixit, & magnam dilectionem ipsorum commendauit, eósque tandem sic alloquitur. *Meus es tu, cùm transieris per aquam, tecum ero, & flumina non operient te, cùm ambulaueris in igne, non combureris, quia ego Dominus Deus tuus.* Vbi laborantibus, & patientibus se totum addicit, & eosdem sibi veluti peculiares vendicat, & appropriat. Eccle 11. Matt. 5. Esai. 41.

In hoc tamen differt hæc beatitudo Sanctorum patientium in via, ab ea, qua in patria Sancti comprehensores dicuntur beati. Namque illic beatificum obiectum est ipse Deus, quem intuentur, ac diligunt beati: beatitudo verò de qua loquimur, Deum habet spectatorem. Quod notauit Tertull. lib. de Patient. c. 14. dum de beato Iob sic ait: Quale in illo viro pherettrum Deus de diabolo extruxit? quale vexillum de inimico gloriæ suæ extulit? ridebat Deus, dissecabatur malus. Itaque operarius ille victoriæ Deus. Clariúsque hoc habet lib. ad Martyres c. 3. Stat, inquit, conflictus, & victoriæ suorum Agonothetes Deus viuus, Xystarches Spiritus Sanctus, Epistastes Christus Iesus. Corona æternitatis brauium, Angelicæ in cœlis substantiæ politia, gloria in sæcula sæculorum. Vnde & Senec. lib. de Prouidentia, dignum duxit solo Deo spectaculum, quo probandus laboribus perfectus vir obiicitur. *Non video*, inquit, *quid habeat in terris Iupiter pulchrius, si conuertere animum velit, quàm vt spectet Catonem iam partibus non semel fractis stantem, nihilominùs inter publicas ruinas erectum. Ecce spectaculum dignum ad quod respiciat intentus operi suo Deus, ecce par Deo dignum. Vir fortis cum mala fortuna compositus.* Sic ille. Sic & nos cum Iacobo possumus dicere, Beatus vir qui suffert tentationem, quia & Deum habet spectatorem, & tam multas beatitudinis conditiones in se experitur, dum ad supernam beatitudinis coronam per tentationes probatur. Cap. 2.

§. I.

Probantur fideles, sicut aurum in fornace, ad auream gloriæ coronam.

PROXIME ad beatitudinem accedit ea consideratio, qua sicut homo à Deo conditus agnoscitur ad supernam beatitudinem, sic ad tẽtationum
Cap. 5. probationem, & prædictam viæ beatitudinem à Deo ordinatus videtur, imò & affirmauit Iob, dum dixit, *Homo nascitur ad laborem.* Quod etiam dedu-
Genes. 1. cit Ambros. Serm. 10. in Psalm. 118. ex illis verbis Dei. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Cætera, inquit, dixit, & facta sunt, vt homo fiat, specialis quidam Dei accedit hortatus, vt tanquam laborantis Dei in huius munere creaturæ significetur operatio; Deus quidem expers laboris est, sed tamen Scripturæ verba quid aliud nisi studiosam tui ob gratiam operationem eius ostendunt? Si Deus in te laborauit, qui laborare non nouit, cur ipse fugitans sis laboris? Quibus verbis videtur nobis inculcare necessitatem laborandi, & patiendi. Si enim Deus in nostri structura veluti laborauit, & nos in nostra salute nunquam debemus cessare, aut quiescere.

Ps. 43 QVOD etiam videtur dixisse Dauid, cùm ait, *Quoniam propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis.* Quæ verba sic exponit Chrysost. Ser. 15. in epist. ad Rom. Quoniam, inquit, homines sumus, atque ideo non datur innumeras subire mortes, ostendit (Dauid scilicet) præmia nostra ob id nihilo magis imminui. Nam tametsi nostræ naturæ, velut hæreditario iure datum sit semel tantùm mori, præstitit tamen hoc Deus, vt voluntate si placuerit quotidie mortem pati liceat, sustinendo scilicet quæcumque nobis illata fuerint mala, etiam vsque ad mortem. Ideo enim & Chrysost. legit, *quoniam propter te morti tradimur tota die.* Neque enim vno, vel altero die fit hæc probatio, quæ sola morte finitur. Qua etiam ratione beatitudinem imitatur, dum iugis, & veluti sine interruptione ad propositam vsque metã decurrit. Quod notauit Ambros. in Ps. 38. vbi pro eo quod nos legimus:
Psal. 38. *Ecce mensurabiles posuisti dies meos.* Alius, inquit, habet, *Ecce palæstras posuisti dies meos.* Quòd si palæstras accipimus dies, ex nomine intelligimus plenos certaminis, & laboris. Quoniam palæstræ, luctatores in agone dicuntur, qui luctantur ad coronam. Ergo quia nobis lucta non solùm aduersùs carnem, sed aduersùs spiritualia, dies nostri, hoc est, vitæ istius, in labore sunt,
Iob. 3. & dolore. Quod etiam notauit D. Gregor. 8. Moral. c. 3. ad ea verba. *Militia est vita hominis super terram,* dicens: Hoc in loco trãslatione veteri nequaquam militia hominis nuncupatur, sed tentatio.

NOTANDVM verò est quòd hæc eadem vita hominis non tentationem habere dicitur, sed ipsa tota tentatio esse perhibetur. Vnde meritò D. Hieron. epist. ad Heliodorum: Erras, inquit, frater, erras si putas vnquam Christianum persequutionem non pati, tunc maximè oppugnaris, si te oppugnari nescis. Aduersarius noster sedet in insidiis cum diuitibus in occultis. Est itaque iugis hæc beatitudo tentationis, habens pro termino initium

beati

beatitudinis patriæ: quod notauit Chrysost. suprà. Illic, inquit, erit corona vitæ, sicut ait Iacobus: hîc erit via, qua itur ad vitam. Quod idem prosequitur Ber. Serm. 1. in Ramis palmarum. Disce, inquit, in passione, quà sit eundum: hæc est enim via vitæ, tribulatio præsens via gloriæ, via ciuitatis habitaculi, via regni, secundùm quod latro clamat de cruce, *Memento mei Domine, dum veneris in Regnum tuum.* Euntem eum vidit (scilicet per crucem & passionem) quò cùm peruenisset, sui memorem esse rogauit. Peruenit ergo & ipse. Sed si vis nosse quàm compendiosa via? eadem die meruit cum Domino esse in Paradiso: ideóq; ei dicitur, *Hodie mecũ eris.* Tam citò enim peruenit per crucem, ac tormenta, quæ sunt via compendiosa, & initium beatitudinis patriæ. Proindéque meritò beatus vir qui suffert tentationem: disponitur enim, expenditur, & probatur ad veram, & formalem beatitudinem patriæ. Ideóque Cyprian. iuxta hanc Iacobi sententiam sic ait lib. de laude Martyrij. Quoniam nos terrenis tentationibus probat Dominus, & his sæculi malis scrutator Christus expendit, gratulandum nobis est, atque lætandum quòd non illis nos perennibus reseruet exitiis, sed gaudeat ab omni contagione purgatos. Quibus habet similia Chrysost. Serm. 10. in epist. ad Rom. Cum securitate ac libertate, inquit, futuris bonis potiemur, tanquam in schola aliqua vitæ præsentis per morbum, per afflictionem, per tentationes, per paupertatem, per cætera item quæ mala esse videntur, eruditi, vt apti efficiamur ad futurorum bonorum perceptionem; vbi vides quæcumque laboris sunt, in hac vita consideranda esse veluti scholam, & præparationem ad aliam. Pro qua re illud est aduertendum, quod notauit Maldonatus ad cap. 2. Matthæi, inquirens causam, cur Angelus dixerit Ioseph. *Accipe puerum, & fuge in Ægyptum.* Videtur, inquit ille, Ægyptus esse schola filiorum Dei, quia adolere non possunt, nisi vexentur.

Luc. 23. — Matt. 2.

ETIAM pro nostro instituto facit ille locus Isaiæ. *Ecce ego creaui fabrum sufflantem in igne prunas;* vbi nomine *fabri* intelligitur persequutor, qui dum plus sæuit in Sanctos, magísque persequutionum ignem accendit, eos magis probatos, ac purgatos reddit, tanquam aurum in fornace. Ideóque Tertull. lib. de fuga in persequutione c. 3. ait: Cùm exurimur persequutionis ardore, tunc probamur de fidei tenore. Hæc erunt ignea iacula diaboli, per quæ vstio fidei, & conflatio administratur. Ideóque Dauid de suis laboribus dixit. *Qui exaltas me de portis mortis;* vbi D. Chrysost. Non dixit, liberas, sed exaltas, non enim in eorum malis tantùm soluendis subsistit Dei beneficium, sed facit eos etiam admirabiles, insignes, & clariores. Et Nazianz. orat. de laudibus Athanasij: Persæpe, inquit, in impiorum manus ac potestatem iusti veniunt, non vt illis honor habeatur, sed vt horum virtus exploretur. Similiáque habet August. 4. de Ciuit. Dei cap. 3. Tertull. in Apologet. plura de hac re habet.

Cap. 54. — Ps. 9.

TANDEMQVE Seneca lib. de Prouident. cap. 4. *Magnus es vir: sed vnde scio si tibi fortuna non dat facultatem exhibendæ virtutis? Descendisti ad Olympia? si nemo præter te, coronam habes, victoriam non habes, non gratulor tanquam viro forti, sed tanquam consulatum Præturámue adepto. Honore auctus es? Idem dicere & bono*

[illegible] possim, si illi nullam occasionem difficilior casus dedit; in qua vna vim sui animi ostenderet. Miserum te iudico, quod non fuisti miser, transisti sine aduersario vitam. Nemo sciet quid poteris, nec tu quidem ipse; calamitas virtutis occasio, &c. Similiáque habet cap. sequenti. Ideo ergo beatus vir qui suffert tentationem, quoniam probatur; & expenditur ad coronam gloriæ, quam repromisit Deus diligentibus se.

§. II.

Tentationes vitæ pignora sunt æternæ coronæ.

ILLVD etiam hoc loco aduertendum est, Iacobum, quò firmiores redderet fideles ad tolerandos labores, ipsis præmium proposuisse, vt si labor terreret, merces etiam inuitaret, sicut latè prosequitur Bern. 2. de Cōsideratione, circa medium. Byssin etenim, alba, & munda stola gloriæ priusquàm induatur, multos præcedentes habet labores: byssus enim hoc habet, quòd cùm fragilis, & vilis herba sit, arte tamen, & multo labore contusa, & concocta in candidissimum byssum conuertitur. Sic etiam & nullus Sanctorum sine præuio certamine coronatus est, aut sine pressuris candidam stolam induit. Pro qua re notauit Gregor. 8. Moral. c. 5. id quod dixit Paulus. *Non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* Quomodo, ait, remunerationis linteo sudores tanti laboris tergat; denunciat Paulus. Cuius clariorem rationem reddit c. 3. eiusdem lib. ponderans ea verba Iob. cap. 7. *Sicut mercenarij dies eius.* Electus quisque, inquit, vitam suam quasi mercenarij dies pensans, tanto fidentiùs spe tendit ad præmium, quanto nunc robustiùs perdurat ad laboris incrementum. Qui sic decursus præsentis temporis pensat, dies cum operibus numerat, ne à labore transeant vacua vitæ momenta formidat, aduersis gaudet, passione reficitur, mœrore refouetur: quia subsequentis vitæ præmiis tanto se remunerari largiùs conspicit, quanto pro amore illius quotidianis se mortibus veriùs impendit. Et Cyprian. lib. 3. contra Demetrian. inter alia: Nullus dolor est de incursatione malorum præsentium, quibus fiducia est futurorum bonorum.

Apoc. 6. | Rom. 8. | Iob. 7.

QVIBVS omnibus rectè pensatis, sicut hoc loco dicit Iacobus; Beatus vir qui suffert tentationem, possumus & nos dicere; Infelix vir, qui hìc habet consolationem, & felicitatem. Sic enim Christus Dominus postquam dixit; *Beati qui persecutionem patiuntur, beati qui lugent*; subdit: *Væ vobis diuitibus, quia habetis consolationem vestram. Væ vobis, quia ridetis nunc, quia lugebitis, & flebitis.* Vni risui duplex respondet luctus. Vnde August. lib. Soliloquior. c. 21. Qui hìc consolantur Domine Iesu, indigni tua consolatione habentur, sed qui hìc cruciantur, à te consolantur. Nemo potest in vtroque sæculo consolari, nec potest hìc quisque, & in futuro gaudere. Et Ambrosius ad ea verba. *Consummata omni tentatione.* Tolle, inquit, Martyrum

Matt. 5. | Luc. 6. | Luc. 4.

Martyrum certamina, tulisti coronas, tolle cruciatus, tulisti beatitudines, &c.

SED illud mirum hac in re, quod notauit Aug. lib. 83. quæst. 82. iustos scilicet, lætos, & beatos in tentationibus, etiam separata spe futuræ beatitudinis, sic enim ait: Iusti etiam sequestrata spe futuræ vitæ iucundius, & lætius præ amore veritatis torquentur, quam luxuriosi præ cupiditate ebrietatis epulentur. Vsque adeò beatus est qui suffert tentationem.

QVOD tandem ostendit Iob dicens: *Si iustus fuero, non leuabo caput saturatus afflictione, & miseria.* Vbi Ambros. lib. 2. de bono mortis c. 3. legit, *Non potero reclinare caput.* Quo in loco videtur esse allusio ad id quod Christus Dominus dixit: *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos; filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet.* Quod contingit plerumque adoptiuis filiis ad beatitudinem electis, qui præ labore nullibi quiescunt, nec vnquam caput reclinant, sicut nostrum omnium exemplar Filius Dei naturalis, si quando caput inclinauit, id fuit in Cruce, dum inclinato capite emisit spiritum. Beatus igitur qui præ tentationibus quantumuis lassus, caput nunquam reclinat, sic enim aptius erit tale caput ad coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Iob. 10. Matt. 8. Ioan. 19.

§. III.

Quomodo gloria sit corona vitæ.

DIXIMVS beatitudinem supernaturalem patriæ appellari in Scriptura coronam; hoc verò loco appellatur corona vitæ. Quia sicut notauit Bernar. Serm. 17. in Ps. *Qui habitat*, ibi verè viuitur, vbi viuida vita est, & vitalis, ibi dies boni, vbi interminabilis longitudo dierum, quod quidem in sola patria contingit, proindéque iure dicitur corona vitæ, imò potius vitarum, vt plurali numero perfectionem huius vitæ exprimat sacra Scriptura. Nam vbi nos habemus, *Credo videre bona Domini in terra viuentium*; in Hebræo est: *in terra vitarum*, quia multipliciter in beatitudine vita possidetur. Et D. Thom. hic dicit. Accipiet coronam vitæ, id est, vitam perpetuam, quæ non finitur, sicut nec corona habet finem, & dicit, vitæ, ad differentiam coronæ mortis, qua coronantur mali, quorum supplicium in circulum ambulat, nunquámque ad finem peruenturum est. Et de quo dicit Isaias: *Coronans coronaui te in tribulatione.* Psal. 26. Isai. 22.

DICITVR autem hæc corona repromissa, vt censeatur debita, quod notauit August. in Psalm. 83. Deus donator est indulgentiæ, debitor coronæ, vnde debitor est? Debitorem ipse se fecit, non accipiendo, sed promittendo, non enim dicitur, redde quod accepisti, sed, redde quod promisisti.

HVIC tamen doctrinæ, quæ dicit gloriam esse præmium, ac coronam laborum, & meritorum, contradicunt Hæretici, qui ex eo loco Pauli ad Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna*, deducunt beatitudinem gratis donari, & ex gratia, ac proinde nō veluti coronā, & ex meritis. Cæterùm vt breuiter rem Rom. 6.

con

concludamus, ne in alienam messem falcem mittere videamur. Concilium Trid. sess. 6. c. 16. definit essentialẽ gloriã, seu vitam æternã cadere sub merito etiam de condigno. Quam veritatem omnes Catholici amplectuntur. Patetque ex sacra Scriptura. Namque ad Galat. 6. dicitur. *Qui seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam.* Et Rom. 2. dicitur, patientiæ boni operis respondere vitam æternam. Estque denarius diurnus, qui redditur operariis, vt merces, Matt. 20. ex doctrina omnium Sanctorum Patrum.

Galat. 6. Rom. 2. Mat. 20.

LOCVS verò Pauli, qui affertur, potest intelligi. Primò, quòd vocet gratiam, ipsam vitam æternam in semine, scilicet, quia est semen vitæ æternæ, & fons aquæ salientis in eam. Sed quia hæc expositio licèt contineat veram doctrinam, repugnare videtur contextui, & Patrum expositioni, potest secundò dici, quòd vita æterna appellatur gratia, quia fundatur in gratia, & est gratia pro gratia. Etenim Paulus præmiserat; *stipendium peccati mors,* quam potest homo suo arbitrio mereri, imò vix aliud de se potest. Ne quis verò putaret hominem eodem modo posse vitam æternam promereri, conuertit sermonem, & asseruit vitam æternam esse donum gratiæ, non quasi non sit etiam stipendium meritorum, sed quia est donum supra naturam, & merita eius fũdari debẽt in gratia. Ita Augustinus lib. de Gratia, & lib. Arb. c. 8. q. 15. 16. 20. & 22. & in Enchirid. c. 17. & epist. 105. & in Psal. 102. ibi *Qui coronat te in misericordia, & miserationibus.* Coronat, inquit, Deus in nobis misericordias suas. Et plerique Patres, quos recentiores afferunt ad locum Pauli cit.

NEQVE verò semper hæc gloria datur ex merito actuali, & condigno homini, cui confertur, licèt omnibus detur ex merito Christi. Namque interdum contingit dari absque merito recipientis, tum in paruulis, qui nullum habent meritum, tum in adultis, qui in eo instanti, quo iustificantur, nullum prorsus habent actum liberum, quia contingit non actu attendere, vel etiam non sentire. Vt si quis dormiens, vel ægrotus extra sensum baptizetur, vel absoluatur ex præcedenti dispositione, qui in iustificationis instanti nihil omnino meretur: & si statim decedat, consequetur gratiam sine actuali merito.

VT QVI tandem rem pro nostro instituto absoluamus; corona vitæ, seu prima gloria, de qua nobis est sermo, & in qua est cardo difficultatis inter Scholasticos Theologos, datur homini, qui iustificatur per virtualem dispositionem, per eandem dispositionem ex merito de condigno. Quæ est sententia D. Thomæ 1. 2. q. 112. art. 3. ad 3. & sumitur ex D. Thom. 1. p. q. 62. & 63. Quibus in locis consulendi sunt recentiores Scholastici, in illo enim actu concurrunt in eo instanti omnes conditiones necessariæ ad meritum de condigno: namque est supernaturalis, & homini iusti. Licèt enim ea dispositio quoad substantiam suam, non sit à gratia habituali, informatur tamen per illam eo ipso quòd in eodem instanti coassistit illi Deus: habet deinde talis actus promissionem, & nihil insuper desideratur iuxta Concilij doctrinam. De augmento verò gloriæ nulla omnino est dubitatio, quòd possit mereri de condigno.

Vers. 13.

Verſ. 13. *Nemo cùm tentatur, dicat quòd à Deo tentatur: Deus enim intentator malorum eſt. Ipſe autem neminem tentat.*

EXPOSITIO LITERALIS.

TENTATIONIS etymon Hebraicum eſt à *Niſah*, quod eſt *ſignum*, ſiue *indicium*: *Naſa* enim quod eſt *tentare*, tunc planè fit, quando ſigno, aut indicio aliquo volumus quippiam agnoſcere. Eſt autem tentatio, vt quidam definiunt, experimenti ſumptio de eo quod tentatur, an ſciat, an poſſit, an velit quod tentatione ab eo exquiritur.

ALII dicunt: Eſt exploratio ad eliciendam ignotæ rei notitiam, quo ſenſu Tertull. de Orat. c. 9. dixit: Abſit vt Dominus tentare videatur, quaſi aut ignoret fidem cuiuſque, aut deiicere ſit conſentiens. Illud verò quod hic habet noſter textus, *quòd à Deo tentatur*, Græcè habetur, *quòd à Deo tentor*, & aliquis Codex Latinus antiquus ita habet. Et Hieron. lib. 2. contra Iouinian. ita legit: eundémque ſenſum habet, atque noſtra Vulgata.

POSTQVAM igitur Iacobus loquutus eſt de tentationibus, quæ probationis causâ à Deo veniunt electis, quales ſunt morbi, deprædationes, iniuriæ, & cæteræ ærumnæ, ac miſeriæ, nunc agit de tentationibus quas intus, infectione naturæ mouente, toleramus, quæque nos ad peccatum incitant. Et ſenſus eſt. Si quem aut ſpoliatio proprietatum, aut mundi illecebræ, aut afflictionum moles dimouent à rectæ mentis ſtatu, non eſt quòd imputet Deo, ſed ſibi. Nam vt ille nullis malis ſolicitari poteſt; ſic enim Græca vox paſſiuè accipi poteſt, vt ſit ſenſus, non eſt tentabilis, ſiue non poteſt tentari; ita neminem prorſus ad mala ſolicitat, & pertrahit.

SCIO quidem non deeſſe, qui dicant genitiuum illum *intentator malorum*, ad malos homines referendum, nam probos, & iuſtos ſolet ipſe tentare; ſic enim tentauit Deus Abraham, Dauidem, Iobum, Tobiam, & alios, impios verò non tentat: indéque intentator malorum dicitur. Quam expoſitionem videtur probare Clemens Romanus lib. 2. Conſtitut. Apoſtolic. c. 8. dicens. Vbi igitur conuitium propter mendacium ſit, beatus erit: ait enim Scriptura. *Vir reprobus non tentatur à Deo.* Quaſi velit Deum reproborum hominum nequaquam eſſe tentatorem.

LICET verò ille genitiuus pluralis ad maſculinum etiam poſſit referri, maximè quando præcedit ad quod referatur in maſculino, hic nihil omnino præceſſit, imò ait Apoſtolus: *Nemo cùm tentatur*: quæ verba oſtendunt hanc doctrinam vniuerſalem eſſe, pertinereque ad omnes in vniuerſum homines, ſiue probi, ſiue reprobi ſint, qui pro comperto habere debent ſe nunquam ad mala, & peccata à Deo induci. Inſupérque vulgare in ſacris literis eſt, vt ille genitiuus neutraliter pro malis rebus, non pro malis viris accipiatur, vt patet ex 1. Cor. 10. *Non ſimus concupiſcentes malorũ*; & Rom. 2. *malorum inuentores*; & Sapien. 15. *malorum inuentores digni ſunt morte*. Patet 1. Cor. 10. Rom. 2. Sap. 15.

denique ex subsequentibus Iacobum loqui de malis culpæ, quæ à Deo non proueniunt, sed à nobis; quæque propriè appellantur m la, sicut dixit Basil. hom. *Quòd Deus non est author malorum.* Malum, inquit, propriè peccatum, hac verè dignum appellatione. Locus verò ex Clemente allatus. *Vir reprobus non tentatur à Deo,* potest exponi de tentatione impellente ad peccatum, vel non tentari reprobum, quia non indiget tentatore, secundùm illam celebrem sententiam Ioannis Clymaci, qui ait; quosdam homines esse adeò excæcatos, & datos in reprobum sensum, vt non egeat aliquo tentatore, cùm ipsi sibi sint Satanæ. Et eò tendit vniuersa hæc doctrina, vt amputet excusationem iis, qui vt liberiùs peccent, Deo imputant peccata sua.

Cvm verò tentare aliquem, propriè loquendo, nihil aliud sit quàm periculum facere virtutis, alteriúsue rei, quæ in alio latet, hæc aliquando tentatio fit, aut propter eum, qui tentat, vt scilicet notitiam inde habeat illius rei, quam ignorabat in eo qui tẽtatur, & hoc modo Deus neminem tentat.

Deut. 13. Qvod si Deuteron. 13. dicitur; *Tentat vos Deus, vt sciat si diligitis eum,* sensus
Genes. 22. est, vt scire faciat, quòd diligitis eum: sicut illud Gen. 22. *Nunc cognoui quòd times Deum,* exponit Diodorus: Omnibus notum feci. Et August. q. 57. in Genes. ac Gregor. 28. Moral. cap. 7. Nosse te feci.

Hæc insuper tentatio ad acquirendam notitiam dupliciter fieri solet. Vno modo, vt is qui tẽtatur, in aliquod malum inducatur, qua ratione dæmon homines tentat, non vt ipse experientiam sumat, parum siquidem hoc ipse curat, sed vt in peccatũ impellat. Et hoc modo dicit Iacobus Deum neminem tentare.

Alio verò modo fit tentatio in ordine ad eum qui tentatur, vt scilicet ad bonum aliquod promoueatur, quo pacto Deus tentat, vt vel homo suam imbecillitatem agnoscat, & diuinam virtutem inquirat, & imploret, vel vt ipsius virtus exerceatur, aut vt alij etiam ipsius exemplo instruantur, de quibus dixit Iacobus: *Beatus vir qui suffert tentationem.* Sicque Deus tentauit Iob, Abraham, & Tobiam, vt exerceret, aliísque notam faceret ipsorum virtutem, tantóque exemplo proficerent. Et de hac tentatione dicebat Da-
Psal. 25. uid. *Proba me Domine, & tenta me, vre renes meos, & cor meum.* Et de sanctis viris
Hebr. 11. ait Paulus: *Lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt,* & quæ sequuntur.

Et hæc est communis doctrina, quam sæpissime docet August. vt videre est lib. 2. de consensu Euangelistarum c. 30. vbi ait: Sub alia significatione intelligitur tentatio, de qua dictum est; *Deus neminem tentat,* & sub alia, de qua dictum est; *Tentat vos Deus vester.* Similiáque habet lib. de verb. Domini Serm. 11. & 72. & q. 57. in Genes. & epist. 146. & 16. de Ciuit. cap. 32. & sic intelligit hunc locum Anselmus 1. ad Tessal. c. 3. Ipse, inquit, neminem tentat, secundùm eam tentationem, quæ deceptionis, vel seductionis est, secundùm verò eam, quæ probationis est, tentauit Deus Abraham. Idémque habet Beda hoc loco. qua de re videndus Ambros. lib. 1. de Abrahã c. 8. & Aug. tract. 43. in Io. & lib. 2. de serm. Domini in mõte c. 14. & seq. Gregor. 28. Moral. c. 5. Cyrill. Alex. lib. de Adorat. in spiritu & verit. & Pag. lib.

lib. 1. cap. vltimo, vbi pleraque loca ex Scriptura affert. Videndus item Rabbi Moyses lib. 3. æquiuoc. cap. 18. & 24.

Ex hoc loco possumus colligere id quod docet D. Irenæus lib. 3. cap. 12. & lib. 4. cap. 77. eam scilicet hæresim, quæ Deum malorum, peccatorúmque authorem constituit, ortam fuisse iam temporibus Apostolorum, Simone Mago authore, quem omnium hæreticorum parentem vocat idem Irenæus, cui se opposuit B. Iacobus, eandémque præsenti sæculo ab inferis reuocarunt Melanchton, & Bucerus, quos sequuti sunt Oecolampadius, Petrus Vermilius, Caluinus, Beza, & quotquot Hugnosticorum infausto nomine comprehenduntur. Cæterùm de fide est, Deum non esse authorem peccati, quod ostendit Scriptura cùm ait, Deum odisse peccatum, & Ecclesiast. 15. *Non dicas, ille me implanauit, non enim necessarij sunt ei homines impij, nemini mandauit impiè agere, & nemini dedit spatium peccandi*; Græcè verò habetur, *licentiam peccandi*, id est, nulli data est vitæ dilatio vt peccet, sed vt cum alio conuertatur. Et hoc definit Concilium Triden. sess. 6. c. 19. quod latè probant Theologi Scholastici hoc tempore ad 1. p. D. Thomæ q. 14. & q. 19. Qua de re latè egit Suar. lib. 2. de Auxiliis. Probátque Nazianz. Orat 3. cont. Iulian. ante medium, dum de Iuliano ita ait: Quibus rationibus non ille ad malum excitatus est. Deus enim nullo modo causa mali est, quippe natura bonus, vitiúmque eius est, qui elegit, haud tamen ab impetu suo repressus est. Et Ambros. lib. 2. Examer. cap. 8. Eradicari malitiam Deus vult ab animis singulorum, quomodo eam ipse generaret cùm clamet Propheta: *Desinite à malitiis vestris, desine à malo, & fac bonum*? Quomodo ergo ei initium à Domino damus? Sed hæc opinio feralis eorum qui perturbandam Ecclesiam putauerunt. Et Aug. 5. de Ciu. Dei c. 9. Malæ voluntates ab illo non sunt, quia contra naturam sunt, quæ ab illo est. Et in manuali c. 2. Qui Deum bonum, & sanctum negat, authorem malorum eum comminiscens, Deum omnino esse negat.

Eccl. 15

Psal. 3.

§. I.

Quàm proprium hominum sit excusatio in peccatis.

EX eo hæretici Deum peccatorum auctorem constituerunt, vt sic propria peccata possent excusare, quod à primis parentibus veluti hæreditario iure accepimus, vt notauit D. Greg. 22. Moral. c. 9. in Adamo, qui cùm argueretur à Deo quòd de ligno vetito comedisset, illicò respondit, *Mulier quam dedisti mihi sociam, ipsa mihi dedit de ligno, & comedi.* Ad hoc requisiti fuerant vt peccatum, quod transgrediendo commiserant, confitendo delerēt, sed alij bene, sibimet vtrique defensionis solatia, quā confessionis elegerunt: cúmque excusare peccatum voluit vir per mulierē, mulier per serpentem, auxerunt culpā, quā tueri conati sunt, obliquè Adam Dominum tangens, quòd ipse peccati eorum auctor extiterit, qui mulierem fecit: & Eua culpā ad Dominū referens, qui serpentē in paradiso posuisset. Sic ergo

Genes. 3.

reatum suum dum defendere moliuntur, addiderunt, vt culpa eorum atrocior discussa fieret, quàm fuerat perpetrata. Vnde nunc quoque humani generis rami ex hac radice amaritudinem trahunt: vt cùm de vitio suo quisque arguitur, sub defensionum verba, quasi sub quædam se arborum folia abscondat, & velut ad quædam excusationis suæ opaca secreta faciem Conditoris fugiat, cum qua occultatione non se Domino, sed Dominum abscondit sibi. Quod etiam dixit idem Greg. eodem lib. c. 13. & lib. 4. Moral. c. 19. & August. 14. de Ciuit. Dei c. 14. & Ambros. lib. de Paradiso c. 13.

Psal. 58. Et de iis qui Deum accusant, suum excusantes peccatum, putat Augusti. intelligendum esse illud Ps. 58. *Non miserearis omnium, qui operantur iniquitatem*; indigni enim sunt quibus tu miserearis illi, qui cùm implorare debeant Dei auxiliantis opem, eius innocentiam accusant.

His verò obiiciendum esse hunc locum Iacobi, *Deus intentator malorum est*, docet Aug. lib. de Gratia, & lib. Arb. c. 2. & Serm. 3. de Annunciatione, de Adamo se excusante, imò & Deum accusante sic ait: Qui si humiliter se accusasset, & in auctorem suum culpam non retorsisset, à Paradiso

Genes. 3. non exulasset; quod etiam prosequitur Abulens. super ea verba Genes. 3. *Mulier quam dedisti mihi.* Hoc dixit Adam ad excusationem suam. O prauum cor, excusando se accusat Deum, quòd si se accusasset, omnes nos ab accusatione, & iudicio liberasset. Videndus hac de re Bernardus libro de

Psal. 37. præcepto & dispensat. Basil. in Psal. 37. ad ea verba: *Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum.* Et Chrysost. hom. 7. ad Pop. & hom. 17. super 1. ad Cor. vbi docet non esse Deum accusandum, quòd homines fecerit corporeos: non est enim causa malorum corpus, neque enim iniustum Abelem fecit corpus, neque Angelos sanctos non habere corpus, & ideo grauiùs

Genes. 3. peccauit Adam, quàm Eua: namque Eua culpam retulit in serpentem, Adam verò in Deum dum dixit, *mulier quam dedisti mihi.*

QVANTVM autem displiceat Deo huiusmodi excusatio, ostendit Rupertus lib. 1. in lib. 1. Reg. c. 26. vbi loquens de Saüle se excusante de violatione præcepti, quod illi impositum erat, vt nulli omnino rei de Ama-

1. Reg. 15. lec parceret, quando ei dixit Samuel; *Quare non audisti vocem Domini, sed versus ad prædam es, & fecisti malum in oculis Domini? & ait Saül ad Samuëlem. Imo audiui vocem Domini, & ambulaui in via per quam misit me Dominus, & adduxi Agag, & Amalech interfeci. Tulit autem de præda populus oues & boues, primitias eorum quæ cæsa sunt, vt immolet Domino Deo suo.* Ait ergo Rupertus. Hoc nequissimum est cùm post voluntatem peccati quod primum est, & post effectum operis, quod secundum est, atque post vsum peruersum, quod tertium est, additur defensio peccati, quod quartum est, & hic nullus veniæ locus est. Nam, & per Prophetam Deus dicit, *super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor non conuertam eum.* Igitur tantis exacerbatus iniuriis Spiritus Domini recessit à Saüle, & exagitabat eum spiritus nequam à Domino, grandis pœna Regis, grandis confusio populi. Similia habet Origenes

Leuit. 13. homilia 8. in Leuit. vbi ponderat præceptum illud Leuitici. *Quicumque maculatus fuerit lepra, & separatus est ad arbitrium Sacerdotis, habebit*

bit vestimenta dissuta, caput nudum, os veste contectum, contaminatum, ac sordidum se clamabit. Per quæ, inquit Orig. designat lex eum, qui in anima leprosus est, id est, qui peccatis confixus est, non oportere adsuere sibi tegumenta, & turpitudines operire peccati. Sicut enim is, cuius vestimenta dissuta sunt, nudam atque intectam gerit turpitudinem corporis, ita oportet eum, qui peccatis aliquibus obseptus est, mala sua, & flagitia nullis verborum assumentis, nullis excusationum velaminibus operire, vti ne fiat sepulchrum dealbatum. Verumtamen leprosus iste os tantummodo iubetur obtegere. Quid est hoc quòd omnes corporis partes nudas habere præcipitur, os solùm operire iubetur? Nónne palam est quòd ei, qui in lepra peccati est, clauditur sermo, clauditur ei os? quasi velit peccatorem ad excusandos defectus, & peccati inquinamenta opertum, clausúmque habere os, ipsúmque tantummodò aperire ad confessionem peccati, vt iustificetur. Quod notauit Chrysost. hom. 20. in Gen. vbi affert illum locum Isai. secundùm versionem Septuaginta; *Dic tu iniquitates tuas primus, vt iustificeris.* Audi, inquit, Prophetam dicentem. *Dic tu prior iniquitates tuas, vt iustificeris.* Non simpliciter ait, *Dic tu iniquitates tuas,* sed adiecit, *prior*, hoc est, ne expectes Deum te arguentem, ne præstoleris authorem, ipse præueni, & rape sermonis principium, vt accusatoris linguam obmutescere facias. Scholastica, quæ habet, & explicat eundem librum hom. 3. de Pœnitentia, vbi eleganter ponderat peccatum confusionem importare, & pœnitentiam confidentiam. Sciens igitur Satanas peccatum quidem confusionem habere, mutauit ordinem, deditque confusionem quidem pœnitentiæ, confidentiam verò peccato, impudens quis peccatum exequitur, nusquam ipsi pudor egreditur inde, cùm peccatum consummauerit, atque vt pœniteat pudore tenetur. Miser & infelix, rem cùm facis non erubescis, erubescis cùm pœnitere, & confiteri debes peccata. Diaboli hæc est astutia, quòd te in peccato erubescere vetat, & peccatum dicere impedit pudore: nouit enim, si homo erubuerit peccatum, fugiet illud, inuerecundus autem vel difficilè pœnitere potest. Meritò autem Tertullianus lib. de Penitent. Tantùm confessio releuat delictorum, quantùm dissimulatio aggrauat. Confessio enim satisfactionis consiliũ est, dissimulatio cõtumaciæ. Enimuerò qui dissimulat, & excusat, libertatẽ peccãdi nititur assequi, & se in dies iniquitatis volutabro ingurgitat.

De qua re videndus Plutarch. libro de profect. virtut. sentiend. vbi ait: *Scitum est Diogenis illud dictum ad quendam adolescentem, qui visus in caupona, intrò in eam fugiebat. Quanto, dicebat Diog. magis intrò fugies, tanto magis in caupona eris.* Ita quis vitiosus quanto magis inficiatur suum vitium, tanto magis ipsum penetrat, ac sese includit in morbum. Quomodo nimirum pauperes quanto magis sese diuites esse simulant, ob ipsam arrogantiam sunt pauperiores.

Sed hoc originarium, & hæreditarium malum vsque adeò inoleuit, vt vel etiam in schola Christi Domini repertum fuerit; quod notauit Chrysolog. Serm. 78. in eo, quod de Petro dicitur: *Vt audiuit quia Dominus est, tunica se præcinxit, erat enim nudus.* Mirum, inquit, fratres, & verè mirum, quia qui Ioan. 21.

in naui nudatus est, in mare se demersit indutus, reatus semper refugit ad velamē: denique sicut Adam, ita & nunc Petrus post culpam suam gestit tegere nuditatem, qui fuerat sancta nuditate vestitus. Negauerat Petrus Magistrum cum iuramento, cui promiserat etiam se permansurum vsque ad mortem, audiuit Dominum interrogantem is, qui nudus in naui erat, induitur, & se in mare immisit, vt veste culpam operiret. Infert autem recte Ber. de gradibus humilitatis in hunc modum: Qui procaciter etiam aperta defendit, quando occultas, & malas suas cogitationes cordi suo aduenientes humiliter reuelabit? Reuelanda itaque sunt Deo quæcumque mala committimus, nulláque quærenda excusatio in peccatis, multóque minùs ea, qua culpa in Deum refundatur authorem, cùm ipse intentator malorum sit, & nemo nisi impudenter possit dicere, quòd à Deo ad malum tentatur.

Vers. 14. *Unusquisque verò tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus.*

EXPOSITIO LITERALIS.



POSTQVAM Apostolus negauit Deum peccatorum authorem, aut causam esse, quem statim dicet fontem esse vnde omne datum optimum procedit, ostendit iam principium, & originem peccatorum, sicut optime hunc locum explicat D. Hieronym. contra Iouinianum. Sicut in bonis, inquit, operibus perfector est Deus,
Rom. 9. non enim *volentis, neque currentis, sed Dei miserentis*, & adiuuantis est, vt peruenire ad calcem valeamus: sic in malis, atque peccatis semina nostra sunt incentiua, perfectio autem Diaboli. Appetitus enim sensitiuus iustitia originali destitutus, qui à Theologis dicitur fomes peccati, & hîc appellatur concupiscentia, tendit in bonum sensibile contra rectam rationem, & voluntatem abstrahit à bono, & allicit ad malum; quæ duæ voces ostendunt duo, quæ in peccato inueniuntur, nempe auersionem ab incommutabili bono, quod significat vox illa (*abstractus*) & conuersionem ad bonum commutabile, quod est voluptate inescari ad ruinam, & relicto Creatore ferri in creaturam, & hoc significat vox (*illectus.*)

EST autem hæc concupiscentia veluti pellex quædam rationem stimulans ad ea, quæ carnis sunt, & sensum oblectant, quam idcirco Deus in baptizatis reliquit, tum vt memores simus antiqui peccati, tum vt pugnemus cum illa ad victoriam, & maius meritum, eámque appellat Paulus legem carnis, & membrorum repugnantem legi mentis, captiuantem
Rom. 7. Galat. 5. hominem; & de hac etiam dicit idem Paulus, *Concupiscit aduersus spiritum.*

VNDE patet præcipuam peccatorum causam, & originem intra nos esse, ac degere, quam naturæ corruptionem cognoscens August. lib. Soliloq. c. 15. Quòd cecidi, ait, fuit ex me, quòd surrexi, ex te; quoniam sicut boni est,

est, parui, vel magni, donum tuum est, & nostrum non nisi malum est. Ex hoc etiam loco colligunt Theologi cum D. Thoma 1. 2. q. 80. non omnium peccatorum causam esse Diabolum: quod etiam probat August. lib. de Ecclesiast. dogmatib. c. 82. Et Nazianz. lib. sentent. sentent. 82.

ILLVD tamen semper præ oculis habendum in hac materia, quod notauit Ber. lib. de Gratia, & lib. Arbit. hanc scilicet concupiscentiam, quantumuis abstrahat, & alliciat, non tamen cogere voluntatem, aut violentiam nostræ inferre libertati, semper namque manet verum, quod dixit Dominus ad Cain; *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Et quod Ecclesiast. dixit: *Deus reliquit hominem in manu consilij sui, adiecit illi mandata, & præcepta, bonum, & malum, vitam, & mortem, ad quodcumque voluerit, apponat manum suam.* Ideóque August. libro 50. homiliarum hom. 40. Noli consentire concupiscentiæ tuæ, non est vnde concipiat nisi de te. Gen. 4. c. 15.

DOCET tandem hic locus ipsam concupiscentiam non esse peccatum, sed ad peccatum inclinare, & allicere, quod dixit Trid. sess. 5. in hæc verba. *Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta Synodus declarat Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod verè & propriè in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat.* Et D. Aug. lib. de Nuptiis, & concupiscentia c. 23. Sicut vocatur frigus pigrum, quòd pigros faciat, sic & concupiscentia peccatum, quòd in peccatum inducat. Neque verò excludit noster textus, quòd Diabolus aliquando per concupiscentiam tentet, cùm id plerumque faciat. Rom. 6. 7. & 8.

NON erit autem abs re hoc loco referre, quibus modis vincantur huiusmodi tentationes. Fit enim id primo non solùm non peccando, sed etiam proficiendo aliquo modo in ordine ad salutem, qui est proprius victoriæ modus, vt notauit D. Th. in 2. d. 28. q. 1. art. 2. ad 6. ex August. 21. de Ciuit. c. 16. dicente: Tunc vitia victa deputanda sunt, cùm Dei amore vincuntur. Secundo, contingit superari tentationem non consentiendo peccato, ad quod inclinat, aliud tamen, licèt fortasse minus, committendo, vt cùm aliquis vincit tentationem furti ex solo affectu honoris, vel simili; & hæc non est victoria, nisi secundùm quid. Tertio, contingit superari tentationem nihil omnino peccando, neque etiam in ordine ad salutem proficiendo, siue quia homo negatiuè se habet suspendendo actum, vt quidam Scholastici volunt, siue (quod magis morale est) eliciendo actum ordinis naturalis propter aliquam honestatem moralem. Prior tamen vincendi modus nobilior omnino est, & ad illum necessaria gratia est. Quartus deinde sequitur modus, qui tunc gratiam postulat, cùm gratis tentatio vincenda est, quæ modò in scholis communior sententia, est vt nunc supponimus, & latiùs probatur in materia de gratia.

***

§. I.

§. I.

Ostenditur tetatio, & pugna concupiscentiæ aduersùs spiritum.

EX hoc loco deducit Cyrillus Alex. valde lubricam, & periculosam esse vitam humanam, quando nobis incedẽdum sit inter voluptates, & appetitus, qui nos ad varia peccatorum genera alliciunt, lubricam dixi, quia, sicut dixit Ambr. de bono mortis c. 3. *Memento quòd lutum me fecisti.* Nota, si ergo lutum est corpus, oblinit nos vtique, non diluit, & coinquinat animam inquinamento intemperantiæ. Vbi illud aduertendum censeo, quòd lutum, & lubricum est, & inquinando accommodatissimum; quia lubricum, toties prolabimur, quia lutum, toties inficimur. Estque tandem maledictum hoc lutum, seu terra qua constamus, quæ ideo spinas, & tribulos ex sese profert, sicut dixit Ber. de vita solitaria ad fratres de monte Dei, his verbis: Hæc maledictio est Adæ, vt in terra laboris nostri, & in agro cordis, vel corporis nostri noxia, vel inutilia gratuitò passim vbique proueniant: vtilia verò, vel necessaria, & salutaria cum labore. Similia habet Ambros. Psal. 43.

Est etiam periculosa vita, quia, sicut dixit Nazianz. orat. 1. cum eo hoste dimicandum habemus, qui nos internè oppugnat, ac nobismetipsis (quo nihil miserius est) tãquam armis in perniciem nostram vtẽs, peccati morte nos afficit. Quod etiam expressit Chryso. Ser. 171. ibi. *Ab intus exeunt de*
Matth. 7. *corde.* Matt. 7. Tolerabilis est hostis cùm muros arietat extrinsecùs, cùm foris positus cedit aliquando conflictui, cui verò est intus inimicus, cuius aduersarius in ipsis penetrabilibus iam desæuit, iste se intelligit, & sentit oppressum, & cætera, quæ vide. Ideo optimè ait Philo lib. *Quòd deterior insidiari soleat.* Virtutis amatores baiulant sarcinas maximas, affectum erga corpus, & voluptatem corporis, præterea certamen aduersùs externa bona, delectationésque, quæ inde proueniunt. Et bene quidam dixit: nos circumferre
Galat. 5. re certamen iuge quidem, & cruentum, de quo Paulus, *Caro concupiscit aduersùs spiritum.* Hoc enim internum bellum armis desideriorum fit, vt eius atrocitatem, & periculũ consideremus. Quis enim non pertimesceret hostem, cuius vel saltem desideria possunt occidere? Quis non tandem succumberet humanis armorum ictibus, cùm hostem secum circumferret?

Qva in re illud notandum occurrit, nihil in rerum natura tam efficax, ac potens posse reperiri, vt voluntate, & desiderio possit alium occidere. So-
Psal. 113. lus *Deus omnia quæcumque voluit, fecit.* Appetitus item, & caro dum concupiscit aduersùs spiritum immortalem quidem, peccati vulnere occidit. Ideóque
Rom. 7. que ex præcordiis conqueritur Paulus. *Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* id est, quis me liberabit à vi, & potentia huius appetitus inordinati, qui verè est hostis? Corpus etenim in sacra Scriptura significat veritatem rei. Quo sensu ad Colossen. 2. veritas legis gratiæ opponitur vmbræ,
Coloss. 2. & figuræ veteris legis. *Nemo vos diiudicet in cibo, aut potu, aut in parte diei festi, quæ sunt vmbra futurorum, corpus autem Christi.* vbi D. Thomas. Legalia, inquit,

vm

vmbræ ſunt, veritas autem rei pertinet ad Chriſtum. Et iuxta hanc phraſim explicat Auguſt. epiſt. 57. illud ad Coloſſen. 2. *in quo* (ſcilicet Chriſto) *habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*, id eſt, non in vmbra, vel figura, ſed re ipſa, & in veritate. Secundùm iſtum ergo modum loquendi, cenſet Paulus quoſcumque alios hoſtes fictos, ſeu figuratos, & quamlibet pugnam apparentem, ſolam verò eam, qua caro concupiſcit aduersùs ſpiritum, eſſe veram, & realem pugnam. Ideóque Fulgentius epiſt. 4. ait, in vincendis propriis cupiditatibus magnam eſſe certaminis difficultatem, quia non extrinſecùs ex altero, ſed intrinſecùs ex ſeipſo certanti homini concupiſcentiæ carnalis generetur aduerſitas. Ideóque meritò Tertull. lib. de Monogam. cap. 15. Rideo, inquit, cùm infirmitas carnis opponitur, quæ ſumma fortitudo dicenda eſt. Vnde & Nazianz. Orat. de pauperum amore, appellat corpus infidum, quia ſcilicet nullam fidem ſeruat animæ, ſed iugiter illi aduerſatur. Et Orat. 16. ait: Corpus vt inimicum odi, atque auerſor, vt vinculum fugio, hoſtis eſt blandus, inſidioſus amicus, ſemper namque eſt in inſidiis, vt aggrediatur, incendat, & eripiat animam. Vnde Bern. Serm. 6. de aduentu ait: Nobilem hoſpitem habes, ô caro, nobilem valde, & tota ſalus tua pendet de eius ſalute. Quis quæſo ruſticus, ſi fortè nobilis apud eum voluerit hoſpitari, non libenter in angulo domus, vel in ipſis cineribus accubabit cedens hoſpiti? Vt quid ergo pro temporali qualibet delectatione contriſtas, & lædis hoſpitem iſtum, quando nec ſentire vllo modo poteras niſi per ipſum? Si tibi tantùm confert exul, quantùm præſtabit reconciliatus? Sed proh dolor! inſurgit concupiſcentia aduersùs ſpiritum, & noſtri corporis armis in noſtram perniciem diabolus vtitur, quod deplorat idem Ber. lib. de Anima c. 15. Diabolus, inquit, plus confidit in adiutorio carnis, quoniam magis nocet domeſticus hoſtis, illa verò ad ſubuerſionem meam cum illo fœdus iniit, vtpote de peccato nata, & in peccato nutrita, vitiis corrupta ab ipſa origine, ſed multo amplius vitiata praua conſuetudine. Hinc eſt quòd tam acriter concupiſcit aduersùs ſpiritum; hinc eſt quòd diabolus baculo noſtro nos cædit, & manus noſtras proprio cingulo ligat, & caro quæ data eſt nobis in adiutorium, fit nobis in ruinam, & ſcandalum. Grauis lucta, & graue periculum eſt aduersùs domeſticum hoſtem pugnare, maximè cùm nos aduenæ ſimus, & ille ciuis. Ille ſuam habitat regionem, nos exules ſumus, & peregrini.

Coloſſ. 2.

Et quod difficiliorem, perículoſiorémque reddit hanc pugnam, eſt quòd non aperto Marte cũ hoſte decertamus, imò ſemper nobis eſt in inſidiis, & ſub amici habitu latenter oppugnat; quod meritò deplorat Dauid, poſtquã ſe deuictum, & expugnatum ſenſit dicens: *Humiliaſti nos in loco afflictionis*; vbi D. Ambroſ. Pulchrè autem, inquit, Aquilæ interpretatio quemadmodum intelligere debeamus locum afflictionis expreſſit, dicendo: Quoniam humiliaſti nos in loco Sirenum. Sirenes verò quaſdam fuiſſe puellas Gentilis tradit hiſtoria, quæ vocis ſuauitate, canendi illecebris, audiendíque ſtudio illectos nauigantes ad littus admouere nauigiã prouocabant, eóſque cùm gratiam vocis ſequerentur, ſcopuloſò in loco naufragium facere ſolitos,

Pſal. 43.

tos Vetustas posteris tradidit. Ita ergo sæculi voluptas nos quadam carnali adulatione delectat, vt decipiat. Humilitas autem, inquit Ambros. operis est, per quod caro ista peccati corpus effecta est, & locus afflictionis. Hæc Ambros. Ex cuius explicatione constat conqueri Dauidem se abstractum, & illectum, humiliatúmque ac victum Sirenum, & voluptatum vocibus, permittente Deo, quæ ipsum delectando deceperunt. Namque, sicut dixit Nazianz. Orat. 4. contra Iulianum, facilè imposturam facit quicquid delectat. Quod probat illud Gen. 3. *Vidit mulier quòd esset bonum ad vescendum*, &c. vbi Oleaster ait: Cùm fœmina cœpit affici sciétiæ desiderio, statim pomum oculis apparuit desiderabile; & quod mirabilius est, gustui suaue: nunquam gustauerat, aut senserat, vnde ergo nouerat fructum bonum ad vescendum, nisi ex corrupto affectu scientiæ boni, & mali?

QVO verò habitu nos aggrediantur hi hostes ostendit Philo lib. 2. legis allegor. Voluptas, inquit, non quale est subiectum, tale id agnoscit cogitatione, sed addit arte mendacium, rem inutilem transfert in ordinem vtilium. Et sic cætera percurrit Philo, tandémque concludit. Ergo omni voluptati decipere est proprium. Aduertit autem Seneca epist. 57. *omnia vitia in aperto leuiora esse, facilè enim vitantur, quæ verò in occulto, grauiora, & difficiliora.*

NEQVE verò hoc artificio seu fraude vtitur solùm concupiscentia, vt rationem superet, sed vt superatam libenti animo, & sua spontę ligatã contineat. Quod elegãter aduertit beatus Ephrem de linguæ malo, aliísque vitiis. Probè, inquit, nouit callidus, & versutus hostis, quibus, ac qualibus nos vinculis obstringat, & si nos inuitos in suos casses coniecerit, fore vt celeriter confractis illis mens nostra iterum in libertatem se vindicet, quapropter iucũda, ac grata vnicuiq; vincula iniicit, in quibus libétiùs cõquiescat; potest enim mens nostra, Deo duce, ex inimici se laqueis eximere, nũc verò iisdẽ obstricti gaudemus, ipsáque captiuitate superbimus. Sic ille. Sed prudens ac probus vir cùm sciat concupiscentiam mortiferum animæ nostræ hostem, se illi minimę credit, quantumuis simulato, & sub amici habitu latitanti.

HOC contigit Dauidi, qui postquam cessit voluptati, & appetitui potiundæ vxoris alienæ, ita deinceps cautus, & peruigil mansit, vt nec etiam vero, & necessario desiderio fores voluerit aperire, vt illi satisfaceret. Exoptauit sitibundus Dauid aquam de cisterna Bethlehem, vbi statio Philistinorum erat, illicò tres adolescentes irruperunt castra Philistinorum, & Regi aquam desideratam quamcitissimè attulerunt; at ille noluit bibere, sed libauit eam Domino. Quod expendens Chrysost. hom. 1. in Ps. 50. ait: Allata ergo aqua intellexit Rex quid fecerit, quia in pugna validissima sitim suam non valuit continere, ideóque vicit desiderium suum, quod sciuit cum alieno periculo adimpletum: allatã accipiens aquam, bibere noluit, sed semetipsum reprehendit, & Domino eam libauit: nõ enim aqua erat, sed sanguis. Vides iam quomodo castigatus de priori concupiscentia, postmodùm cautior est factus; & qui corpus adamauerat, & ruerat,

2. Reg. 23.

aquam

aquam desideratam, & necessariam, & sitiens bibere noluit, victor sui factus. Victum iam se erubuerat Dauid abstractus, & illectus à concupiscentia sua, noluit proinde se credere desiderio, noluit siti satisfacere. Timuit enim latentes insidias, horruit appetitum, etiam habitu, & specie veræ necessitatis, ne incurreret in deceptionem, & ne deceptus tandem occumberet, & cupiditatem quam sibi non potuit auferre, potuit mitigare, sicut dixit Ambros. lib. 1. & Iacob, & vita beata cap. 1. Concupiuit vt homo, sed concupiscentiæ nō satisfecit vt sanctus, & perfectus victor. Aliud est enim concupiscere, aliud post concupiscentias suas ire. Non concupiscere perfecti est, post concupiscentias suas non ire, pugnantis, luctantis, ac vincentis est, sicut prosequitur Aug. Serm. 5. de verbis Apostoli, vbi admonet post concupiscentias nostras ne eamus.

CONVENIT maximè præsenti argumento id quod Origen. homil. 7. in Genes. notauit circa illud, quod dicitur: *Cum vidisset Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Isaac filio suo, dixit ad Abraham: Eiice ancillam hanc, & filium eius.* Illud autem pro explicatione Origenis aduertendum est, dixisse Paulum de his duobus filiis Abrahæ. *Is qui de ancilla secundùm carnem natus est, qui verò ex libera, per repromissionem: quæ sunt per allegoriam dicta.* Quasi Isaac non sit secundùm carnem natus, imò verò secundùm spiritum. Dicit verò Apostolus hæc allegorica esse, vt nos quid faciendum sit nouerimus, docétque Ismaëlem figuram, & symbolum esse carnis, seu carnalis concupiscentiæ: Isaac verò significare rationem, & spiritum. Quid verò his addit exponens Apostolus, inquit Origen. videamus. *Sed sicut tunc is, qui secundùm carnem natus est, persequebatur eum, qui secundùm spiritum, ita & nunc.* Tamen secundùm ea, quæ scripta sunt, non video quid mouerit Saram, vt filium ancillæ iuberet expelli. Ludebat cum filio suo Isaac, quid læserat, aut quid nocuerat, si ludebat? quasi non hoc in illa ætate etiam gratum esse debuerit, quòd luserit filius ancillæ cum filio liberæ? tum deinde miror Apostolum, qui ludum hunc persequutionem pronunciauit dicens: *Sed sicut tunc is qui secundùm carnem, persequebatur eum, qui secundùm spiritum, ita & nunc*; cùm vtique nulla persequutio Ismaëlis aduersum Isaac nota referatur, nisi hic solus ludus infantiæ. Sed videamus quid in hoc ludo intellexerit Paulus, & quid indignata sit Sara. Superiùs enim iam exponentes spiritualiter, loco virtutis exposuimus Saram. Si ergo caro, cuius personam gerit Ismaël, qui secundùm carnem, spiritui blandiatur, qui est Isaac, & illecebrosis cum eo deceptionibus agat, si delectationibus alliciat, voluptatibus molliat, huiuscemodi ludus carnis cum spiritu Saram maximè, quæ est virtus offendit, & huiuscemodi blandiméta, acerbissimam persequutionem iudicat Paulus. Et tu ergo, ô auditor, si tibi libidinis alludat illecebra, si virtutis es filius, tanquam persequutionem maximam fuge; intelligere debes, quia sub specie ludi, blandam persequutionem pateris. Hucusque Origenes. Cuius locum sicut transcripsimus, vtinam memoriæ insertum haberemus, quò cautiores circa incertum, imò fallacem hostem redderemur, qui nullam præterit occasionem decipiendi, nul-

Gen. 21.

Galat. 4.

lum reueretur locum, nullum præterit tempus.

Hoc optimè notauit Chrysolog. Serm. 88. in Zacharia patre Ioannis Baptistæ, qui in ipso tempore placationis offendit, qui dum credit, dubitat,
Luc. 1. dicente Angelo: *Quia non credidisti verbis meis*: dum postulata promeretur, incurrit; munera ipsa dum suscipit, condemnatur, qui vocem, dum vocem percipit, tunc amisit: namque cùm inferret incensum, Deúmque verum crederet, & populo Deum placaret, tunc deliquit dubitando, & dum pro lapsu cæterorum orat, ipse prolabitur, vt iam constet nullibi posse esse securam fragilem, labilémque naturam, quæ semper secum portat hostem, concupiscentiam scilicet, à qua vnusquisque tentatur abstractus, & illectus.

Qvis ergo iam dicat se à Deo tentari, cùm tentationum fomitem perpetuò asportet? quod prosequitur Greg. lib. 5. Moral. cap. 28. Tinea, inquit, de veste nascitur, & eandem vestem, de qua oritur, oriendo corrumpit. Quasi quædam verò vestis animæ caro est, sed hæc nimirum vestis habet tineam suam, quia ab ipsa carnalis tentatio oritur, à qua laceratur velut à tinea, totúsque homo consumitur, cùm de se oritur vnde conteratur. Vnde Leo Serm. 11. de Quadragesima ait: Quis non infirmatur in carne, quis non sordescit in puluere, quis postremo est tantæ puritatis, vt iis non polluatur, sine quibus vita non ducitur? Beata mens, quæ peregrinationis suæ tempora, casta sobrietate transcurrit, & in iis per quæ necesse est eam ambulare, non manet, vt hospita magis, quàm domina terrenorũ. Quod idem prosequitur Serm. 4. de Ieiunio Pentecost.

Qvapropter Bern. de vita solitaria assignat nobis modum, quem obseruare debemus, vt tutiores ab huiusmodi hostibus, & securiores ab iis domesticis latrunculis possimus per hanc viam ad patriam vsque transire. Nec sic, inquit, habendum est corpus tanquam propter illud viuamus, sed tanquam sine quo viuere non possumus: Sic nobis cum eo est conuiuendum, vel conueniendum, quasi non diu nobis sit cum eo commorandum, sicque, vt si aliter euenerit, non vrgeamur ad exeundum. Quod etiam dixit Senec. epist. 14. *Sic gerere nos debemus, non tanquam propter corpus viuere debeamus, sed tanquam non possimus sine corpore.* Facit etiam in hanc sententiam August. Serm. 5. de Ascensione: Ordinemus, inquit, & custodiamus in nobis statum vtriusque substantiæ, ne animam nobiliorem vtique hominis portionem Tartaro pars deuoluat inferior, sed secum potiùs cœlo sanctificatum corpus acquirat. Sic August. Semper proinde vigilandum, semper nobis armis est incumbendum, ne inimico succumbamus: semper denique illud præ oculis habendum, quod hîc dixit Iacobus; *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus.* Et quod dixit Dauid: *Sacrificate*
Psal. 4. *sacrificium iustitiæ*; per quod August. & alij pœnitentiam intelligũt. Remigius verò ait, peragi hoc sacrificium de medio tollendo taurum superbiæ, hœdum lasciuiæ, &c. Chaldæus verò habet, *domate concupiscentias vestras, & reputabitur vobis sicut sacrificium iustitia.*

§. II.

§. II.

Ex fragilitate humana certior colligitur diuina misericordia, & remissius supplicium.

ILLVD etiam ostendit hic locus, pronitatem hãc nostram ad malum, & difficultatem ad bonum in primis nos admonere, vt à Deo iugiter auxilium, & vires contra domesticum hostem postulemus: sicut enim ipsum perpetuò in hac vita animæ alligauit, sic & postulatus debet auxilium præbere ad victoriam de eo reportandam. Quo sensu mihi videtur dixisse Tertull. lib. de Resurrect. carn. c. 6. loquens de efformatione primi parentis de limo terræ: Limus ille non tantùm Dei opus erat, sed & pignus. Fuisse enim videtur pignus, quo Deus se obligauit ad ferendam opem, si luteus homo caderet, itidémque subueniendum ne pluries caderet, alioqui non de tam fragili materia hominem condidisset, nisi se eo ipso obligasset, & occurrere, & succurrere. Quis enim nõ sordescit in puluere? quis non cadit in labili via? Aut quomodo non confringetur luteum, & fragile vas, quod solus plasmator in integrum potest restituere, & aptare in vas gloriæ per gratiæ infusionem? Et ideo Theologi Scholastici docent potiùs Deum humanam naturam lapsam reparasse, quàm Angelicam, quia ex fragilitate cecidit. Qua de re videndus Bernar. Serm. 1. de Aduentu; & Gregor. 4. Moral. c. 9. Quo enim humana natura imbecillior est, & fragilior, quàm Angelica, eo magis diuinam prouocat misericordiam, & Deus illius miserendo benignitatem suam manifestat.

HÆc etiam imbecillitas mitiorem reddit diuinam iustitiam, eiúsque aciem hebetat. Cùm enim habeamus Pontificem, qui possit compati infirmitati nostræ, secundùm eandem nos puniet, & iudicabit. Ideóque Dauid dicebat: *Iudica me secundùm iustitiam meam*; vbi Basilius ita ait. Quærendum est quomodo cùm alibi dixerit: *Ne intres in iudicium cum seruo tuo*, iam dicat, *Iudica me secundùm iustitiam meam?* Illîc quidem dicit: Ne inquiras vitam meam ad normam beneficiorum meorum, hîc verò non vult ad collationem Dei iudicari, sed secundùm se ipsum: quasi velit Dauid iudicari à Deo secundùm eam iustitiam, quæ sociam, inimicam tamen habet concupiscentiam, & secundùm propriam fragilitatem, quæ in eo maximè apparet, quòd fragilis homo tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus. Cui sententiæ plurimùm fauere videtur id quod Paulus ait: *Mihi pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die; qui autem iudicat me, Dominus est*: quasi dicat, si ab hominibus iudicarer, ipsorum pertimescere possem crudelitatem, quando nullo habito respectu fragilis naturæ absque misericordia punirent, sicut quemlibet defectum obseruant, iudicant, submurmurant, & calumniantur. At verò qui me iudicat, Dominus est, proindéque non tam timere, quàm sperare debeo. Sic ferè explicat Ambrosius hæc verba Pauli. Ait enim in Psalm. 38. Pulcherrimè eum iudicem elegit, qui nulla fraude fallatur, vt eum nec occulta prætereant, nec infirmæ

Hebr. 4. *Psal. 7.* *Psal. 142.* *1. Cor. 4.*

conditionis lapsus offendant, qui fragilitati norit ignoscere. Ideóque Cyprian. epist. 53. admonet admittendos ad Ecclesiæ gremium fratres, qui ex infirmitate carnis ab illa defecerant, ad imitationem scilicet diuinæ iustitiæ, quæ fragiliori faciliùs nouit ignoscere.

Vers. 15. *Deinde concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum: peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem.*

EXPOSITIO LITERALIS.



Eleganti metaphora, simúlque gradatione rem declarat Apostolus, & processum peccati secundùm se: ac docet post tentationem concupiscentiæ, quæ sine peccato esse potest, est tamen causa, & origo peccati, continuò sequi peccatum, si quis non caueat. Nam ex cōcupiscentia oritur delectatio in parte inferiori, quæ nonnullum peccatum est, non tamen mortiferum, donec adsit consensus mentis deliberatus, ideò enim subiungit: *Peccatum verò si consummatum fuerit*, accedente nimirum pleno consensu, *generat mortem.* Ita hunc locum explicat Aug. lib. 5. cont. Iulian. c. 3. & Irenæ. 4. cont. hæres. c. 9. Ambros. lib. 1. de Iacob, & vit. beat. cap. 3. quam expositionem sequuntur Scholastici cum D. Tom. 1. 2. q. 74.

Tres igitur motus concupiscentiæ distinguit Apostolus, quos Theologi agnoscunt, & appellant suggestionem, delectationem, & consensum, post Gregor. hom. 16. in Euang. & Bedam hoc loco.

Primvs igitur motus inuoluntarius est, quo quis à concupiscentia tentatur, & ad peccatum incitatur sine vllo consensu: & hunc motum non dicit esse peccatum, vt reuerà non est. Neque enim admittenda est doctrina Caietani 1. 2. q. 74. art. 4. dum ait, in appetitu sensitiuo per se etiam independenter à voluntate esse libertatem, licèt imperfectam, quæ sufficiat ad peccatum veniale, non verò ad mortale.

Secvndvm motum vult Apostolus esse imperfectè voluntarium cùm addit: *Concupiscentia verò cùm conceperit, parit peccatum.* Esse autem hunc motum imperfectè voluntarium, proindéque peccatum, sed veniale, patet, quia nominatur peccatum, distinguitur tamen à peccato cōsummato, & mortem generante. Ex quo intelligimus hunc secundum motum non esse peccatum consummatum, nec generare mortem, ac per hoc non esse peccatum mortale.

Tertivm tandem motum adiungit perfectè voluntarium, quem declarat Apostolus esse peccatum mortale, dum ait: *Peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem.* Neque enim per consummatum peccatum intelligi debet solum peccatum operis, & exteriùs patratum, vt aliqui voluerunt, sed quodcumque peccatum, cui plenus accesserit voluntatis assensus, vt ait August. lib. 5. cont. Iulian. Beda hîc, & alij. Neque enim licet dubitare,

dubitare, quòd desiderium adulterij, si voluntarium sit, generet mortem, cùm Dominus dicat: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est in corde suo.* Matt. 5.

HÆC sine dubio videtur vera huius loci expositio, quam præter Bedam, Carthus. & alios recentiores probauit Bellarmin. lib. 1. de amissione gratiæ c. 9. & lib. 5. c. 7. vbi hunc sensum deducit ex Cyrillo Alexan. lib. 4. in Ioan. cap. 51. dum explicat hunc locum. Probat idem Bellarm. lib. 1. de Purgator. c. 11. Et talem tentandi processum, imò & metaphoram prosequitur D. Aug. lib. 2. de Genes. contra Manichæos, dicens: Etiam nunc in vnoquoque nostrûm nihil aliud agitur, quum ad peccatum quisque dilabitur, quàm tunc actum est in illis tribus, serpente, muliere, & viro. Nam primò fit suggestio, siue per cogitationem, siue per sensus corporis, quæ suggestio cùm facta fuerit, si cupiditas nostra non moueatur ad peccandum, excludetur serpentis astutia, si autem mota fuerit, quasi mulieri iam persuasum erit, sed aliquando ratio viriliter etiam commotam cupiditatem refrænat, atque compescit, quod cùm fit, non labimur in peccatum, sed cum aliquanta luctatione coronamur. Si autem ratio consentiat, & quod libido commouerit, faciendum esse decernat, ab omni vita beata tanquam de Paradiso expellitur homo: iam enim peccatum imputatur, etiamsi non subsequatur factum, quoniam rea tenetur in consensione conscientia. Similia habet idem Aug. Psal. 48.

EST itaque concupiscentia veluti Eua, cui aliquid obiicitur tanquam bonum, & per illud allicitur, & abstrahitur; quod dixit Aug. lib. 1. de lib. Arbit. c. 16. Peccata omnia hoc vno genere continentur, cùm quisque auertitur à diuinis, scilicet abstractus, & ad multa humana, atque incerta conuertitur, id est, illectus. Si autem concupiscentia instar Euæ diabolo assentitur, & complacet in obiecto; concipit vtique ex tali complacentia, & quod ad se pertinet, parit illud, quia ipsa actu consummaret. Qua ratione meritò ab Origene hom. 13. in Iosue, anima dicitur peccati mater: sed quia non potest sola, nisi superior pars, quæ est veluti Adam, accedat, id est, nisi ratio consensum præstet, per huiusmodi consensum consummatur peccatum, quod si consummatur, generat mortem, & ex peccato veniali efficitur mortiferum.

SICVT autem in conceptione est delectatio, in partu quidem est dolor, sic etiam post huiusmodi partum statim reclamat conscientia. *Tribulatio enim, & angustia in omnem animam hominis operantis malum*, quod prosequitur Chrysost. Concione 4. de Lazaro. Peccatum, inquit, simul atque commissum est, reperítque finem, tum demum extincta voluptate amarus pœnitentiæ stimulus succedit: è contrà accidere solet mulieribus, nam illis ante partum labor est ingens, post partum verò relaxatio doloris simul cum infante egrediente: verùm hìc non item, sed dum parturimus, concipimúsque turpes affectus, delectamur. Cæterùm vbi enixi fuerimus malum illum puerum, peccatum, tunc conspecta fœditate partus, discruciamur grauiùs quàm mulieres parturientes.

QVO

QVONIAM verò nullus homo potest esse sine conceptu, sicut dixit Au-
Psal. 7. Matt. 24. gust. Serm. 20. de verb. Domini. Etenim alij concipiunt de Christo, alij de diabolo, qui concipiunt dolerem, & pariunt iniquitatem, & vę sic prægnantibus, & nutrientibus: curandum nobis vtique est, vt à Deo concipiamus assentiendo diuinæ gratiæ motionibus, cooperando diuino adiutorio, vt tandem cum eo concipiamus, & pariamus spiritum salutis ac vitæ. Vitalis enim est gratiæ conceptio, & partus cùm conceptus concupiscentiæ generet mortem.

§. I.

Omni cura, & diligentia occurrendum est motibus concupiscentiæ.

EX hoc loco deducunt Sancti Patres quanta cura, & diligentia debeamus concupiscentiæ motibus obuiare, & nascentes, ac pullulantes fœtus, imò spinas huius terræ post peccatum maledictæ, in ipso natiuitatis initio suffocare, & comprimere, ne postea nobis sint in interitū. Vnde Nazianz. Orat. 49. prauas cogitationes vocat primogenita Ægypti, & semen Babylonis, quod oportet allidi ad petram, vt eum locum interpretatur Nicetas, & prosequitur Ambros. 2. de Pœnitent. c. 11. Vnde Chromatius Episcop. Rom. in c. 5. Matt. tom. 7. Biblioth. Sanct. Idcirco, inquit per
Psal. 136. Dauid Spiritus sanctus de hoc ipso ita loquitur, *Beatus qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petram*; hunc beatum, & verè Euangelicum virum ostendens, qui desideria, & concupiscentias carnis per infirmitatem humanam nascentes, statim antequam crescant, in ipso natiuitatis exordio per fidem
1. Cor. 10. Christi, qui petra dictus est, enecauerit. Et Hieron. epist. ad Eustoch. Beatus, inquit, qui cùm cœperit cogitare, statim allidet paruulos suos ad petram, dum paruulus est hostis, interfice, vt illius nequitia elidatur in semine. Similiáque habet Ephrem Parænes. 40.

ET hæc est cura, & solicitudo, quam Sponsus monet adhibendam erga
Cant. 2. vineam suam, dum ait: *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas, nam vinea nostra floruit.* Iubet ergo capi dum paruulæ sunt: dum enim cogitatio mala in initiis est (sicut ibi ait Origen.) facilè potest abiici à corde. Nam si diu permaneat, adducit animam ad consensum. Vt morbis corporis, sic & animæ, si statim occurres, facilè medecinam feceris, sin serò, frustra sis; virgam vellit vel puer, quercum adultam nec Milo Crotoniates. Ideóque Euseb. Emissen. hom. 3. ad Monachos. Euenit, vt qui primo tempore emendare noluerit, incipiat in sequenti nec velle, nec posse. Et Senec. epist. 60. *Omnes virtutes suas sapiens vndique expendat veluti milites, vt vbicumque infesti aliquid oritur, illic parata præsidia sint.*

Exod. 12. EGRESSVRIS filiis Israël de terra Ægypti, & postea quotannis in memoriam huius egressionis, & libertatis iussit Deus vt azyma cum lactucis agrestibus ederent. Quod innuere videtur semper præ oculis futurum esse animæ in libertatem spiritus vindicatæ, vt omnino abstineat à fermen

fermentato, tumido scilicet & elato appetitu, qui sursum contra rationem insurgit, cúmque compressum, & constrictum habeat. In hoc enim azymi à fermentatis differunt, quòd hi elati ac tumidi, illi panes depressi sint, ac submissi. Constringitur autem appetitus, dum præ amaritudine agrestium lactucarum dulcis concupiscentia respuitur. Hoc ferè notauit Philo lib. de congressu quær. erudit. grat. Præceptum est, inquit, vt azyma edantur cum lactucis agrestibus, non vt sint vice obsonij, sed quando cohibere concupiscentias ne feruescant, & turgeant, quidam putant amarum: & subdit. Lege quoque cautum est nequid fermenti, aut mellis inferatur in altarium: est enim difficile voluptates corporis, vel inanes tumores animæ consecrare tanquam puras, cùm suapte natura impuræ ac profanæ sint.

DEBEMVS deinde attentè inuigilare cùm armatum, & paratum hostem habeamus. Ideo enim Christus Dominus diabolum appellat fortem, sicut notauit Hieron. quia scilicet non debemus esse securi. Idémque habet Chrysost. in imperf. hom. 30. dicens: Fortem dixit, non vt nos terreat, sed vt magis nos faciat esse solicitos. Pro qua re est optima ea allegoria, quam prosequitur Ruper. lib. 2. in libros Reg. c. 24. quando scilicet dormiente ostiaria domus Isboseth ingressi sunt feruente die latenter Rechab, & Baana frater eius, percusserúntque, & occiderunt Isboseth. Ostiaria, inquit Rupert. triticum purgat, cùm mentis custodia discernendo virtutes à vitiis separat, quæ si obdormierit, in mortem proprij domini insidiatores admittit. Nequaquam verò Isboseth hac morte succumberet, si non ad ingressum domus mulierem, id est, ad mentis aditum mollem custodiam deputasset: fortis namque virilísque sexus præponi cordis foribus debet, quem nec negligentiæ somnus opprimat, nec ignorantiæ error fallat: namque sicut notauit Bernard. in illud Iob. *in sex tribulationibus*, &c. peccatum in foribus est, nisi ipse aperias, non intrabit, appetitus in corde prurit, sed sub te est, nisi sponte cesseris, nihil docebit. Et Tertull. lib. exhortat. ad castitat. Diaboli opus vnum est tentare, quod in te est an velis, at vbi voluisti, sequitur, vt te subigat, non operatus in te voluntatem, sed nactus in te possessionem voluntatis. Similiáque habet Chrysost. hom. 22. ad Pop. dicens. Cani similis est voluptas, si pellas, fugit, si nutrias, permanet. Propterea dixit Apostolus, *resistite diabolo*.

Marc. 3.
Matt. 12.
2. Reg. c. 4.
Iob. 5.
Iacob. 4.

Parua vtique scintilla peccati cùm in nobis inueniat fomitem, & paratum, & solutum, ne in magnum proueniat incendium, initio statim debet extingui: *halitus* enim *inimici* (sicut Iob dixit) *prunas ardere facit*. Quæ verba sic explicat Gregor. 33. Mor. cap. vltimo. Ardet, inquit, desideriis animus, cùm diaboli suggestionibus instigatur. Ardent homines, cùm quodlibet temporale appetunt: quia nimirum vrunt desideria, toties Leuiathan halitus prunas accedit, quoties eius occulta suggestio humanas mentes ad delectationes illicitas pertrahit. Qui ergo oris eius non vult flamma affici, iuxta Doctoris veri sententiam, non lignum, fœnum, stipulam, sed aurum, argentum, & pretiosum lapidem curet inueniri, quia tanto ignis

Cap. 41.
1. Cor. 3.

suasionis illius amplius incendit, quanto se ei ad consentiendum molliorem quisque præbuerit. Sed qui nulla ratione conceditur, vt mens in hac corruptibili carne posita nequaquam suasionis illius ardore tangatur, restat vt ad orationis opem se sine cessatione conuertat; flammam quippe suggestionum illius extinguit citiùs vnda lacrymarum.

VIDENDVS denique pro huiusmodi cogitationibus repellendis idem Greg. lib. 1. in libros Reg. c. 15. Origen. hom. 11. in Iosue. Basil. de Virginit. Bern. Ser. 3. de Natiuit. Amb. in c. 4. epist. 2. ad Cor. Philo lib. 2. leg. allegor. vbi tractat fugam Iacobi è domo Labani: Si pulchritudine, inquit, cōspecta captus periclitaris; ne offendas ad eam, fuge clam ab illius imaginatione, nam continuæ reminiscentiæ veras formas imprimendo lædunt mentem, & inuitam concitant; in his enim clancularia fuga saluti esse solet, cunctatio verò superat rationem, libertatem ferocem seruituti mansuetæ præferens. Facit etiam huc similitudo qua vtitur Bernar. de interiori domo c. 39. Sicut vipera, inquit, à filiis suis in vtero positis lacerata perimitur, ita nos cogitationes nostræ intra nos nutritæ occidunt. Annectenda etiam est ea similitudo qua vtitur Chrysost. hom. 3. de verbis Isai. *Vidi Dominum.* vbi ita habet: Quemadmodum cerua confixa iaculo in vitali corporis parte, etiamsi venatorum effugiat manus, nihil inde fert lucri, sic & anima accepto concupiscentiæ iaculo, si cum eo permittatur abire, ipsa per se corrumpitur ac perit.

EX quibus constat quantùm nobis conducat ipsas appetitus suggestiones comprimere, nec sermonem contrahere, simulatámue carnis amicitiam admittere. Tales enim motus subrepunt, vt ait Aug. ser. 6. de verbis Apostoli; & vsurpant sibi oculum, aurem, linguam, &c. Qua in re debemus audire, imò consentire cum Senec epist. 22. dicente. *Turpe est sinere animum, id est, appetitum, luctari cum officio. Est enim regina ratio, & mens, quæ proculcare debet appetitum, non cum eodem luctari.* Et epist. 117. *Non obtinebis vt desinant, si incipere permiseris. Imbecillis est primò omnis affectus, deinde ipse se concitat, & vires dum procedit, parat, excluditur faciliùs, quàm expellitur.* Pro qua re etiam facit id quod commendauit Chrysost. in c. 1. Marc. dicens: Non est audiendus malignus, etiamsi præuaricationem non præcipiat. Christus Dominus dæmones loqui vetuit, qui eum Dei Filium prædicabant, non enim est credendum armato hosti, sicut veteres clamabant Romanorum leges. Præcingendum itaque est cor, & pectus, & mammillæ zona aurea, vt omnia quæ intra nos sunt, Deo benedicant, & præsit homo volatilibus cœli, id est, sicut optimè per allegoriam exposuit Basil. homil. 10. Examer. vt imperitet ratio aëriuagis, & plenis vanitatis cogitationibus.

QVO meliùs autem fiat, custodiendi sunt sensus, ne per illos ad nos malum ingrediatur. Pro qua re facit quod notauit Plutar. in quæst. Roman. quæst. 27. vbi quærit, cur muri sacri fuerint apud Romanos, porta verò profana? Cuius rei non alia est ratio, quam quia ea, quæ muro cinguntur, tuta sunt, ea autem, quæ portam habent, qua mala introducuntur, profana: sic & ea anima, quæ omnem aditū profanæ concupiscentiæ intercludit,

dit, tuta profectò est, & sanctitatem facilè conseruabit. Similia habet idem Plut. in lib. de Curiositate, vbi ait. *Oportet sensum nequaquam foris diuagari, velusti famulum absque custodia.* Et Iustinus in epist. ad Zenam & Serenum. Qui bene viuere vult, is neque videat multa, neque audiat, neque studeat audire, neque si audiat, aut videat, audire se, aut cernere existimet: forma enim tranquillitatis animi hinc sumit exordium. Quæ fuit ratio, cur Nazianz. Orat. 6. ianuas sensibus nostris apponi mandauerit, quæ tempestiuè aperiantur.

NEC minùs etiam conducit ad cauenda pericula concupiscentiæ, id quod docet Hierony. tom. 1. epist. ad Celantiam, dicens. Satis prodesse ad cautionem dicimus etiam minima pro maximis cauere, tanto enim faciliùs abstinemus à quocumque delicto, quanto illud magis metuimus: nec citò ad maiora progreditur, qui etiam parua formidat. Accinit & illud Plutarc. lib. de profect. virtut. sentiend. *Signum,* inquit, *non exiguum est, quod rectè proficiens nullum iam peccatum exiguum putat, sed omnia studiosè vitat, atque obseruat.* Quod quidem si obseruauerimus, nec concupiscentia concipiet, nec pariet peccatum, quod mortem generat.

§. II.

Peccatum generat mortem.

ADVERTIT hoc loco Beda peccatum consummatum generare mortem, quod dicit respicere è contrario id quod suprà dictum est de eo, qui suffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ: Sicut enim, qui tentatus superat, præmia vitæ meretur, sic qui tentationi succumbit, meritò ruinā mortis incurrit. Est autem prima mors peccatum, quam consequitur secunda mors sempiterna, scilicet priuatio visionis, ac fruitionis diuinæ.

RATIONEM autem primæ, & secundæ mortis declarat Aug. lib. 3. de Ciuit. Dei cap. 11. dicens: Mors animæ fit cùm eam deserit Deus, sicut corporis, cùm id deserit anima. Totius homini mors est cùm anima à Deo deserta deserit corpus, ita enim neque ex Deo viuit anima, neque corpus ex anima. Et subdit: In damnatione nouissima, quamuis homo sentire nō desinat, tamen quia sensus ipse, nec voluptate suauis, nec quiete salubris, sed dolore pœnalis est, non immeritò mors est potiùs appellata, quàm vita. Ideo autem secunda, quia post primam illam est qua fit cohærentium diremptio naturarum, siue Dei & animæ, siue animæ & corporis. Et 6. de Ciuit. Dei cap. vlt. Si anima, inquit, in pœnis viuit æternis, mors illa potiùs dicenda est, quàm vita, nulla quippe maior, & peior est mors, quàm vbi non moritur mors. Quòd verò damnatio æterna dicatur in Scriptura mors, patet ex epist. ad Roman. *Qui talia agunt, digni sunt morte.* Et iterum: *Stipendium peccati mors.* Et in Apocal. Infernus, & stagnum ignis dicuntur mors. Et apud Ezechiel. *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur.* Quo sēsu August. lib. quin- Cap. 1. Cap. 6.

quaginta homil. hom. 42. ex præsenti loco Iacobi sic infert: *Vel mortem time, si peccatum non times.*

QVOD verò peccatum dicatur mors, probatione non indiget, satis sit id quod Susanna dixi senibus impudicis: *Si hoc egero*, scilicet quod vultis, *mors mihi est.* Vnde Gregor. lib. 4. Moral. Vera mors est, qua anima separatur à Deo. Quibus habet similia Nazianz. Orat. 19. Et August. Serm. 5. de verbis Dei. Sicut anima est vita corporis, sic animæ est vita Deus: sicut expirat corpus cùm animam emittit, ita expirat anima cùm Deum emittit; Deus emissus mors animæ, anima emissa mors corporis, mors corporis nescia, mors animæ voluntaria. Et Lact. lib. 3. de falsa Relig. c. 12. Sicut corpus ab hostibus suis victum morte mulctatur, ita superatus à vitiis animus moriatur necesse est. Ideóque Orig. hom. 15. in Gen. super illa verba dicta Iacob: *Filius tuus viuit*, ait. Si peccasset cum vxore Domini sui, non puto quòd hoc Patriarchæ à Deo fuisset nunciatum, *Viuit filius tuus.* Anima enim quæ peccat, ipsa morietur. Et in hoc sensu intelligitur ille locus Genes. quando Rebecca dixit Iacobo: *Consurgens fuge ad Laban fratrem meum, cur vtroque orbabor filio in vno die?* à diuo Ambr. lib. 2. de Iacob, & vit. beat. Non quasi metuisset Rebecca, vt ad pugnam venientes mutuis conciderent vulneribus, sed quòd si alter alterum occideret, vterque incurreret mortem eodem die: occisus quidem corporalem mortem, fratricida verò mortem spiritualem. Mater pia, inquit Ambrosius, abesse sibi dilectissimum filium tolerat, plus ei collatur aquàm læsit, vtrique tamen consulens, vt alterum immunem à periculo, alterum integrum præstaret à crimine.

Dan. 13.

NEQVE officit quòd imprudentis fratricidæ Caini mors nunquam expressè legatur in Scriptura, sicut notauit Philo lib. de Migratione Abrahæ, imò extat hoc oraculum. *Apposuit Dominus Caino signum, ne quis eum inuentum interimeret.* Cur ita? Opinor, inquit Philo, quia impietas malum est infinitum, quod semel accensum nunquam extingui potest. In quam competit illud poëticum, *Immortale malum, nulla delebile morte.* In eo igitur sensu hæc mors non moritur; quia nunquam finem habet: imò verò adeò vera est mors peccatum, vt respectu illius, mors corporis non vera mors, sed vmbra mortis dicatur à Propheta. *Humiliasti nos in loco afflictionis, & cooperuit nos vmbra mortis*, quæ verba sic explicat Greg. 4. Moral. c. 17. Quos constat non spiritu, sed sola carne mori, nequaquam se vera morte, sed vmbra mortis dicunt operiri; vmbra enim mortis, mors carnis accipitur, quia sicut vera mors est, qua anima separatur à Deo, ita vmbra mortis est, qua caro separatur ab anima. Cauenda proinde summa cura, & diligentia est commotio concupiscentiæ, & suffocandus eius motus, ac conceptus, ne mortem nobis generet, cùm pleno consensu fuerit consummatus.

Genes. 4

Psal. 43.

Vers. 16.

Verſ. 16. *Nolite itaque errare fratres mei dilectiſſimi.*

EXPOSITIO LITERALIS.



POSTQVAM D. Iacobus oſtendit vndenam originem, & principium ducant peccata in nobis, concludit nullius mali, & peccati Deum eſſe authorem, imò impiiſſimum errorem eſſe hoc leuiter ſuſpicari. Vnde ſibi quiſque debet imputare, & adſcribere propria ſcelera, & eadem cum Dauide, Manaſſe, Niniuitis, Petro, Magdalena, & Latrone deplorare, & de iiſdem pœnitere. Enimuerò inde falſam de Deo concipit opinionem, qui Deum peccati facit cauſam, quia ſeipſum minimè peccatorem agnoſcit, qui enim ſeipſum attentè conſideraret, & propriam nequitiam fateretur, & Dei bonitatem prædicaret: quo ſenſu dixit Cypr. lib. cont. Demetrianum, vt cognoſcere Deum poſſis, te antè cognoſce. Fieri enim non poteſt, vt qui propriam malignitatem agnouerit, aliunde quærat excuſationem, cùm totam delinquendi cauſam in ſe reperiat. Hæc fuit cauſa, cur Paulus ſe primum, & maiorem omnium peccatorum dixerit, non quòd maior omnium extiterit, ſed quia talem ſuam nequitiam intellexit, & tam ſe delinquentem vndequaque conſpexit, vt nullum prorſus ſceleratiorem exiſtimauerit. Quod notauit Bern. ad fratres de Monte Dei. Neque enim hoc dicebat, (ſcilicet, *Venit Deus peccatores ſaluos facere, quorum primus ergo ſum*) mentiendi præcipitatione, ſed æſtimandi afflictione, qui enim perfectè examinãdo ſemetipsũ intelligit, ſuo peccato nullius peccatũ par eſſe exiſtimat. Qua ratione elegãter idẽ Ber. de gradib. humilitat. deceptum dicit Phariſæum, dum dixit, *Non ſum ſicut cæteri homines*; Phariſæus, inquit, ſe ſolum decipit, quem ſolum excipit. Similem vtique deceptionem cauendam monet Iacobus, dum ait: *Nolite errare*, vtique in cognitione veſtri, quæ eſt cauſa, cur Deum ignoretis, & eidem veſtram nequitiam per nequiſſimum errorem tribuatis, vel etiam: Nolite errare in cognitione bonitatis diuinæ, quæ eſt cauſa cur eidem culpæ notam inuratis. Si enim ſolum Deum bonum cognoſceretis, veſtræ malitiæ defectus fateremini. Qua ratione dixit Bern. lib. de Anima cap. 1. Quanto in cognitione Dei proficio, tanto ad cognitionem mei accedo. Ex eo enim quòd quis Deum ſolum bonorum cauſam, & principium cognoſcit, conſequens inde eſt, vt ſe ſolum peccatorem, & nequam confiteatur.

Luc. 18.

1. Tim. 1.

ET non ſolùm conſiſtit hîc error in eo quòd falsò, & per ſummam impietatem Deum faciamus authorem impietatis, ſed inſuper quòd deceptis nullum peccatorum remedium nobis ſuperſit; quî enim fieri poteſt, vt veniam poſtulemus, & ploremus ante Deum, quem inductorem exiſtimamus, & medelam inquiramus ab eodem, quem vulneris inflictorem aſſerimus? Eſt igitur cognoſcenda in nobis cauſa ſceleris, & à Deo omnino releganda, quò ab eodẽ faciliùs poſſimus impetrare remediũ, ſicut dixit Cypr. lib. de Lapſis: Si cladis, ait, cauſa cognoſcitur, medela vulneris inuenitur.

QVOD si quis adhuc ex eo sibi persuadeat aliquo modo peccatum in Deum relabi, quòd infirmam carnem, imò peccati carnem nobis tribuerit, licèt hoc ita factum sit in supplicium peccati prioris parentis, insuper audiat Tertullian. lib. ad Martyres c. 3. Scimus ex Dominico præcepto
Matt. 26. quòd caro infirma sit, spiritus promptus: non ergo nobis blandiamur, quia Dominus consensit carnem infirmam esse. Proprerea enim prædixit spiritum promptum esse, vt ostenderet quid cui debeat esse subiectum, scilicet vt caro seruiat spiritui, infirmior fortiori, vt ab eo etiam fortitudinem assumat, colloquatur spiritus cum carne de communi salute, vt infirmitatem carnis spiritus promptitudo iuuare possit, Deo auxiliante.

§. I.

Peccatum error, & insipientia est.

SVNT qui velint hoc loco ex eo Iacobum hæc verba addidisse, postquam in nobis peccati principium, & originem positam esse ostendit, ne peccato assensum per errorem, & deceptionem præberemus. Sic enim multoties peccatum error in Scriptura appellatur; vnde Dauid: *Erraui sicut ouis,*
Psal. 118. *quæ periit*; & iterum: *A mandatis tuis non erraui. Errauerunt ab vtero. Errauimus à*
Psal. 57 Sap. 5 *via veritatis. Verumtamen ambulauit in erroribus Israël.* Similiáque passim habet
4. Reg. 17. sacer Textus. Quem loquendi modum sequitur Ambros. lib. de Noë, & arca c. 30. dicens. Omnes mores pessimi erroribus. i. peccatis delectantur alienis. Et in Ps. 35. dum loquitur de peccato Cain, & de signo quod illi Deus imposuit, ait: Semper nobis error noster tanquam malus exactor occurrit. Iuxta quam sententiam dixit Augustin. 11. de Genes. ad literam c. 23. de Lucifero. Continuò impius, consequenter, & mente cæcus. Hinc est
Psal. 37. quòd peccatum insipientia appellatur Ps. 37. *Non est sanitas in carne mea à facie insipientiæ meæ*; vbi Origenes relatus à Genebrar. rectè peccata insipientiam vocat: nemo enim sapiens ea admittit. Et Chrysost. hom. 28. in epist. ad Romanos ait: Psallamus itaque operum cautionem, vt peccatum dæmone peius eiiciamus; dæmon siquidem non semper regno cœlesti priuat, sed subinde fit, vt prosit sobrio, ac vigilanti: peccatum verò omnino prosternit. Voluntarius quippe dæmon est peccatum, spontaneáque insania. Similiáque habet idem Chrysost. hom. 40. in Ioan. & Cic. Orat. in Pison. *sua quemque fraus, suum scelus sua, audacia de sanitate, & mente deturbat.* Et inde est quòd plerique Theologi existimant non posse dari peccatum, quin præcedat error in intellectu.

QVO verò tempore iniquus in errore est, obscurum, & tenebrosum habet intellectum. quod notauit Ambr. 2. Apolog. Dauid, cùm ait: Non mediocre, inquit, quod Nathan denunciauit Dauid: inferior, scilicet Propheta Nathan sciebat, quod Dauid nesciebat, vsque adeò caligat animus obumbratus vitiorum nube. Tunc verò cognoscit peccator ignorantiam & errorem propriæ iniquitatis, cùm pro eadem pœnas luit, sicut notauit

notauit Gregor.15. Moral.c. 31.dum interpretatur ea verba Iob. *Deus ser-* Iob. 21.
uabit filiis illius dolorem patris, & cùm redaderit, tunc sciet. Nescit, inquit, impius mala, quæ fecit, nisi cùm pro iisdem malis puniri iam cœperit. Vnde & per Prophetam dicitur: *Vexatio dabit intellectum*; & per Balaã de semetipso dici- Isai. 28.
tur. *Dixit homo, cuius obturatus est oculus, qui cadet, & sic aperientur oculi eius*; con- Num. 24.
silium quippe contra Israëlem præbuit, sed pòst in pœna vidit quid prius ex culpa commiserit: electi autem quia nec peccare debeant, præuident: eis videlicet oculi ante casum latent; iniquus verò post casum oculos aperit, quoniam post culpam iam in pœna sua conspicit, quia malum debuit vitare quod fecit. Concludit tandem: Omnis peccator prudens erit in pœna, qui stultus fuit in culpa: quia ibi iam dolore constrictus, ad rationem oculos aperit, quos hìc voluptati deditus clausit: & pœna torquente exigitur vt sapiat, qui hìc excæcante se superbia desipiebat. Cui tamen sua sapientia iam tunc minimè proderit, quia hoc vbi operari iuxta sapientiam debuit, tempus amisit.

Et hic error in eo potissimùm consistit, quòd peccator incommutabile bonum pro vili, abiecto, & falso relinquat: qua ratione dum à Dei amicitia discedit, veluti à semetipso, & à propria mente egreditur. Quod dixit optimè Philo multis in locis, sed præcipuè lib. 2. legis allegor. cùm ponderat ea verba Genes. 3. *Fugit Adam à facie Domini.* Hîc introducitur, inquit, dog- Genes. 3.
ma, quòd omnis malus exul est, quod intelligendum est, & à conspectu, & amicitia Dei, simúlque à semetipso, quod notauit Chrysol. Serm. 2. in eo quod de impio, & scelerato homine dicitur, qui in se reuersus ait: *Quanti* Luc. 15.
mercenarij in domo patris mei abundant panibus? In se, inquit Chrysol. redit qui à se antè recesserat, à se migrat, & ab homine totus transit in bestiam. Et Serm. 5. Cùm in se esset, non erat secum. Quod etiam notauit D. Greg. 8. Moral. cap. 10. cùm expendit id quod Christus Dominus dixit dæmoniaco, quem sanauerat, *Vade in domum tuam.* Solet, inquit, domus inhabitatio cordis intelligi. Vnde sanato dicit. *Vade in domum tuam*, quia nimirum dig- Matt. 9.
num est, vt peccator post veniam ad mentem suam redeat: ad contemplandum quippe Creatorem homo conditus fuerat, vt eius semper speciem quæreret, atque in soliditate illius amoris habitaret, sed extra se per inobedientiam missus, mentis suæ locum perdidit, quia tenebrosis itineribus sparsus, ab inhabitatione veri luminis elongauit.

In hoc autem potissimùm peccatoris error cernitur, quòd sibi admodùm, & plusquàm dici potest, nocet, sibique mortem quasi demens propriis manibus infert. Vnde Ambros. in illud Psalm. *Dixit iniustus, vt delinquat in* Psal. 35.
semetipso; quod Ambros. legit: *Vt delinquat sibi.* Quicquid, inquit, iniustus loquitur, iniquitas est, quæ in suum refertur authorem, sicut viperæ partus, quæ primò suam scindit parentem, sibi generat vulnera, seipse confodit. Serpens aliis infundit venenum, iniustus sibi: in eum enim refunditur quidquid effuderit. Iniustus igitur & aliis inutilis, & sibi noxius, ideóque Salomon ait, *Si malus euaseris, solus hauries mala.*

Comparat autem Ambros. peccatum viperæ partui, quæ matrem nascendo

nascendo occidit; quod etiam Iacobus dixit: *Peccatum cùm consummatum fuerit, generat mortem*; hoc enim sibi impius delinquendo asciscit, & lucratur. Cùm autem animæ mors sit peccatum, quod est plus quàm notissimum, cùm à nobis auferat gratiam, & Deum; quod vers. 15. vidimus in §. 2. & cap. 4. latiùs ostendemus. Interim videatur Gregor. 4. Mora. cap. 17. & Origen. homil. 15. in Genes. Nazianz. Orat. 19. Meritò Chrysost. miratur quòd vmbram, & similitudinem mortis præ insipientia sic vitemus, sic timeamus, cùm tamen veram mortem velimus, & amplectamur. Sic enim habet hom. 5. ad Pop. Calamitatum nomina philosophantibus sunt tantùm nomina, vera autem calamitas, Deum offendere, & eorum quæ ipsi non placent, aliquid facere; & post multa subdit: Fratres mei ne pueri efficiamini sensibus, sed malitia infantes sitis: etenim puerilem timemus pauorem, mortem timentes. Pueri enim parui laruas quidem timent, ignem verò non timent, sed si ad lucernam lumen habentem portari contingat, inconsideratè manum immittunt lucernæ, & flammæ, & contemnendam quidem personam horrescunt, at verè timendum ignem non timent. Sic quidem & nos timemus mortem, quæ est larua contemptu digna, peccatum verò non timemus, quod est verè timendum. Et hæc non ex rerum natura, sed ex ignorantia nobis accidere consueuerunt. Igitur mortem lugere omittens, luge peccata, vt ipse dissoluas: propter hoc enim tristitia facta est, non vt in morte, nec in vlla alia re tali doleamus, sed vt ipsa ad delenda vtamur peccata. Sic Chrysost. Quid igitur maioris potest esse insaniæ, quàm nobis mortem inferre? quis maior error, quàm à via veritatis volentes errare? quæ maior cæcitas, quàm verum lumen deserentes, tenebras quærere? à qua nos reuocat Iacobi sententia. *Nolite fratres mei errare.*

Vers. 17. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.*

EXPOSITIO LITERALIS.

POSTQVAM Iacobus ostendit Deum nullatenus esse peccati authorem; quo magis idipsum inculcaret, pleniúsque probatum relinqueret, ostendit Deum fontem, & principium omnium bonorum, tenebrásque peccati longè à Patre luminum abigendas, cùm in eo neque obscuratio, neque illuminandi varietas, aliúsue defectus vnquam possit reperiri. Ait ergo, omne datum, ac donum à Deo in nos descendere. Quæ verba aliqui sic intelligunt, vt repetitio prorsus sit emphatica. Ita Feuard. Alij *datum* ad naturam, *donum* ad gratiam referunt. Alij per *donationem bonam*, seu, *boni*, vt Græcè habetur, legítque Oecumen. & Vatabl. intelligunt quam

quãcunq; ſupernaturalẽ gratiã gratis datam, per *donũ* verò *perfectũ*, gratuitam ex Dei beneficentia iuſtificationem, adoptionem, & vitæ æternæ donum. Ita Carthuſ. & Salmeron. Vel tandem per *optimum datum* intelliguntur dona gratiæ, quibus de virtute in virtutem proficimus, & per *donum perfectum* gloria, qua habita nihil remanet promerendum, & acquirendum. Ita D. Thom.

ADVERTENDVM verò eſt, quòd longè aliter hoc loco ſumitur particula, *deſurſum*, atque Ioan. 3. cũ Ioan. Baptiſta dixit: *Qui deſurſum venit, ſuper omnes eſt: nã deſurſum* ibi accipitur pro, *paterna ſubſtantia*, vt ſignificaret Ioannes eum hominem eſſe Deum, ſicut contra Arianos colligit Cyrill. ibi, & alij Patres.

HÆC dona igitur dicuntur deſcendere, quia ſicut omnia dona quæ ſpectant ad terram fœcundandam, & plantis, ac fructibus, cæteriſque omnibus ornandam, vt Solis calor, imbres, nix, ros, cæleſtéſque influxus, è cælo in terram deſcendunt, iuxta illud. *Quomodo deſcendit imber, & nix de cælo, & illuc vltrà non reuertitur, ſed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat ſemen ſerenti, & panem comedenti*, &c. Ita etiam omne donum, quod in hominem terrenum confertur, vt fœcundetur, & bene agat, fructúſque boni operis ferat, de cœlo dicitur deſcendere. Pro qua re Cyril. Alex. lib. 2. in Ioan. c. 65. ita ait. Quid ſupra creaturas præter ineffabilem Dei naturam, qui deſurſum, ac deſuper accõmodari propriè poſſit? cætera enim omnia ſeruitutis iugo premuntur, ſolus autem Deus naturaliter regnat, quare ipſe ſolus verè ſuper omnia eſt; tandémque concludit. Optimè dictum, *deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum.* Vnde etiam eſt, quòd ſicut naturalia dona, quæ ex his mundi rebus mendicamus, & in nobis fiunt naturaliter, aſcendere dicuntur. Qua ratione Chriſtus Dominus dixit: *Quid turbati eſtis, & cogitationes aſcendunt in corda veſtra?* Ita ſupernaturalia, de quibus hic eſt ſermo, deſcendere dicuntur.

Iſai. 55.

Luc. vlt.

APPELLAT autem Iacobus Deum luminum Patrem, id eſt, authorem, vt exponit Vatabl. & alij. Hebræorum enim more alicuius rei author dicitur pater eiuſdem. Vnde Geneſ. 4. *Iabel* vocatur *pater habitantium in tentoriis, atque paſtorum*, & eius frater *Iubal pater canentium cythara, & organo.* Et Chriſtus appellatur *Pater futuri ſæculi*, Iſai. 9. hoc eſt, auctor, vt exponit Lorin. in 2. epiſt. Ioan. Videndus Philo lib. de decalogo, cùm ponderat, omnes creaturas eſſe velut germanas ratione vnius Patris, & authoris omnium. Imò, & apud Latinum Poëtam Ennius Epici carminis author, pater vocatur. Ait enim Horatius lib. 1. epiſt.

Geneſ. 4.

Eſai. 9.

Ennius ipſe pater, numquam niſi potus ad arma
Proſiluit dicenda. — — — —

VNDE Aug. lib. 22. contra Fauſtum c. 9. appellat Deũ lucem lucificã, quia ſcil. cæteræ luces ſunt participatæ à prima luce, quæ lucẽ impertitur aliis.

SED dubium maximum eſt, quidnam intelligant per illam vocem (*Luminum*) ſunt enim plerique qui velint intelligendam eſſe ſecundam, & tertiam perſonam ſanctiſſimæ Trinitatis: quarum principium productiuum

est Pater. Etenim Filius lumen appellatur de lumine, quia producitur per cognitionem, & per verbum fit omnis manifestatio; *quod autem manifestatur, lumen est.* Indéque factum est, vt de Christo tanquam de lumine dixerit Zacharias pater Baptistæ: *Illuminare his qui in tenebris, & in vmbra mortis sedēt;* & Simeon, *Lumen ad reuelationem gentium.* Ideóque dum exortum est hoc lumen in terris, statim additur; *Claritas Dei circumfulsit.* Et de se ipso dixit idem Filius in carne: *Ego sum lux mundi:* & de eodem dixit Ioannes: *Erat lux vera.* Spiritus sanctus etiam Patri, & Filio coæternum, & consubstantiale lumen frequenter seipsum cuiusdam lucis manifestauit spectaculo, ipsúmque inuocando dicit Ecclesia: *Veni lumen cordium.*

Ephes. 5 — Luc. 1. — Luc. 2. — Ioan. 8. — Ioan. 1. — Matt. 17. — Act. 2.

Et iuxta hunc sensum, qui nouioribus placet, & probatus fuit Cyrillo Hierosolymitan. Catechef. 7. Pater æternus apposité dicitur Pater, id est, fons, & principium luminum supernaturalium, nimirum Filij, quem generat, & Spiritus sancti, quem cum Filio spirat. Et ex hoc loco existimat verisimile Feuard. sumpsisse occasionem veteres Theologos, Dionysium, Tertullian. Iustin. Nazianzen. & Hilar. quando de Beatissima Trinitate disserunt, ipsam exponendi gratiâ comparare cum lumine, in quo spectatur splendor, calor, & ipsum lumen, quæ tria distincta, & coæua sunt, & tamen vnum quoddam videntur. Insupérque vt lumen, seu ignis, sine vllo sui detrimento alterum, & tertium gignit: sic, & Pater, sine vlla Deitatis suæ distractione, aut iactura Filium gignit, & Spiritum sanctum producit; quod multis demptis imperfectionibus intelligendum est, quas remouere, ad nos modò non pertinet.

Alii verò per Patrem luminum intelligunt ipsum Deum, qui Pater, author, ac Creator est Angelorum, qui lumina quædam sunt participata, & vocantur ab Apostolo *Angeli lucis.* Vnde Nazianzen. Orat. 2. in Pascha: Secundi splendores procreati sunt primi splendoris administri, primario Dei fulgore collucentes. Ille ob splendorem Lucifer, &c. Quam expositionem probauit Didymus Alexand. hoc loco.

Potest etiam dici Pater luminum, quæ contulit homini, cui & rationis naturalis lumen concessit, & lumen supernaturale gratiæ, & lumen gloriæ, tandémque alios aliorum lumina constituit, iuxta illud: *Vos estis lux mundi.* Et id Pauli: *Inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes.* Vnde Hieron. apud Pac. libro 4. cap. 34. Pater est luminum, qui dixit Apostolis: *Vos estis lux mundi.*

Matt. 5. — ad Phi. 2.

Advertit autem August. lib. 2. contra epist. Parmenian. c. 19. & 20. & epist. ad Honorat. cap. 3. aliud esse lumen illuminatum, aliud illuminans: Deus est lumen illuminans, cætera illuminata, meritò proinde Deus dicitur Pater luminum. Allucinati verò plerique gentilium, ignem pro Deo coluerunt, quem è cœlo lapsum iactabant. Id de Chaldæis existimant, qui quòd Scriptura dicit Abraham cum aliis eductum de Vr Chaldæorum, exponunt de igne, in quem coniectus fuerat Abraham, quòd noluerit ignem adorare. Cuius traditionis meminit Lyran. ibi. Hieron. lib. de Tradition. Hebraic. in Gen. & Rabbi Moyses in suo Directorio lib. 3.

Gen. 11.

c. 30.

c.30.De aliis verò gentilibus meminit Ammianus lib.23.& Strabo lib.15.

Dicit deinde Apostolus; *apud quem non est transmutatio.* Quibus verbis ostendit magnam differentiam,quæ datur inter Solem, qui veluti fons est luminis naturalis,& Patrem luminum,Deum scilicet. Ille enim ob interpositam Lunam,vel nubem,vel terram,varias lucis mutationes, & varietates generat.Vox verò Græca,quæ alludit ad Solem, & pro qua noster Vulgatus habet (*vicissitudinis obumbratio*) sonat *conuersionem*; & ideo Oecumen.legit,*nec conuersionis obumbratio*.Dupliciter verò Sol tenebras, & vmbras inducit.Primò,suo motu diurno,& hæc est trãsmutatio localis, deinde quadam vicissitudine,ac sui ipsius conuersione à tropico in tropicum, quomodo generat diuersas vmbras,& quanto magis ad nos accedit,ac recedit,maiores,vel minores sunt vmbræ;Deus verò nullas patitur mutationes ac varietates.

Scio quidem aliquos *obumbrationis*,siue *vmbra* nomen ita accipere,quasi dicat Apostolus, in Deo non solùm nullam esse mutationem, sed nec vllam quidem mutationis vel adũbratam speciem,hoc est,nullam mutationisapparentiam,quæ expositio placere nõ potest. Nam si mutationes quoque apparentes à Deo essent remouendæ, non diceret Scriptura pœnituisse Deum quòd hominem fecisset,neque verbum factum esse carnem,mortuum,& à mortuis suscitatum:quæ licèt non sint mutationes, tamen maximè videntur esse. Neque verò necessarium est, vt Deus sit immutabilis, quòd à Deo remoueatur omnis apparentia mutationis.Est igitur sensus huius loci, etsi Pater luminum corporalium, hoc est,Sol, mutabilis in se est, & mutatione sua, qua circuit terram, modóque ad nostrum hemisphærium accedit,modò recedit,& sic est nobis causa diei,& noctis,tamẽ Deus Pater luminum spiritualium,neque in se est mutabilis, neque aliqua voluntatis suæ mutabilitate est causa vicissitudiuis,quæ reperitur in lumine gratiæ,& in vmbra peccati, quasi veluti accessu ad nos lumen gratiæ conferat,& recessu tenebras peccati inducat;quia concupiscentia, & malitia nostra ab eodem auertimur,& tenebras peccati incurrimus. Sicut contingeret si fixo permanente Sole globus terræ eam faciem,quæ modò ab eo illustratur,in Solis vmbrã inuerteret,vt in tenebris remaneret. Quod mihi videtur dixisse interlinearis Glossa,cùm hoc loco sic habet:*In cuius natura nulla mutabilitas,sed idemitas,& non solùm in natura,sed etiam in distributione donorum,quia sola dona lucis,& non tenebras errorum immitit.* Vnde August. lib. de Speculo cap.30.sic ait: Apud eum non est transmutatio,& ideo apud eum cursus temporis,diei,noctisque alternatione nequaquam variatur. Quibus habet similia Gregor.lib.12.Moral.c.17.Quia in Deo,inquit, mutabilitas non venit,nulla eius lumẽ vmbra vicissitudinis intercidit.Et D. Tho. hîc.Apud quem non est transmutatio in natura sua,qui omnino immortalis est,nec vicissitudinis obumbratio in effectu, quia ab ipso semper procedit lux, nunquam tenebræ. Dum verò D. Thom. appellat Deum immortalem, idem est, atque appellare immutabilem: ideóque August. 1.

Genes.6. *Ioan. 1.*

de Trinit. cap. 1. illud Pauli; *Qui solus habet immortalitatem*: intelligit de immutabilitate. Sic enim ait; Immortalitatem aliquo modo habet creatura, nullam autem habere mutabilitatem, solius est Creatoris. Et Bernard. Ser. 81. in Cant. Omnis mutatio quædam mortis imitatio est. Et D. Gregor. 12. Moral. cap. 17. sic exponit præsentem locum. Quid mutabilitas nisi mors quædam est? quæ dum rem quamlibet in aliud immutat, quasi occidit quod fuerat, vt incipiat esse quod non erat, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio: ipsa enim mutabilitas vmbra est, quæ quasi obscuraret lucem, si hanc per aliquas vicissitudines permutaret, sed quia in Deo mutabilitas non venit, nulla eius lumen vmbra vicissitudinis intercidit.

Illud deinde aduertendum est, hæc verba, *apud quem*; ex Græco duplicem significationem habere, scilicet, *in quo*, & *à quo*. Priorique significatione insinuatur in Deo ipso nullam esse mutationem, quod maximè intelligitur de contrariis effectibus. Posteriori verò modo indicatur non prouenire à Deo eam mutationem, quam diximus, ab illuminatione gratiæ in vmbram, & obscuritatem peccati: quasi dixerit Apostolus: Neque in Deo est
Psal. 19. mutatio, neque ab eo prouenit variatio luminis, & tenebrarum. Vsitatissi-
Ps. 129. músque est hic modus loquendi in Scriptura. Namque illud Iob. 12. *Apud ipsum est sapientia, & fortitudo*; significat hæc quidem esse in ipso Deo; & Dauid dum dixit: *Apud Dominum gressus hominis dirigentur*. Et, *Copiosa apud eum redem-*
Cap. 11. *ptio*, significat ab eo. Sicut & Ecclesiastic. dum ait: *Scientia legis apud Deum*, significat in Deo esse talem scientiam. Et cùm ait: *Via honorum apud ipsum*, significat ab eo.

Si verò quæras quænam significatio videatur magis intenta ab Apostolo hoc loco; etsi vtraque admittenda sit, vt nulla admittatur in Deo mutatio: posterior tamen plus ad mentem Apostoli videtur facere, quia hæc excludit à Deo vicissitudinem luminis gratiæ, & vmbræ peccati, qua de re præsens sermo erat.

Ex hoc loco deducunt Sancti Patres, & Theologi Scholastici immutabilitatem Dei. Quod generale attributum omnia in vniuersum mutationum genera remouet à Deo, quod nec etiam impius Magus Balaã igno-
Num. 23. rauit cùm dixit: *Non est Deus quasi homo, vt mentiatur, neque vt filius hominis, vt*
Ps. 101. *mutetur*. Et Dauid fatetur: *Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient*. Et de se
Mala. 3. ipso ait Deus: *Ego Deus, & non mutor*. Quod definitum est in Concilio Lateranensi in cap. *Firmiter*. & ostendit Aug. 1. de Trinit. c. 1. & lib. 11. de Ciuit. Dei c. 21. & lib. de Virginit. c. 41. vbi pro eo quod nos legimus: *Nec vicissitudinis obumbratio*; ipse legit; *Nec momentanea obumbratio*; & lib. 1. Confess. c. 4. vbi ait: Amas, nec æstuas, zelas, securus es, pœnitet te, & non doles, irasceris, & tranquillus es, opera mutas, & non mutas consilium. Similia habet lib. Meditat. c. 49. & in Manua. c. 1. & de Trinit. lib. 5. c. 15. & 16. Hierony. lib. 1. contra Iouinian. vbi legit: *Nec conuersionis vmbraculum*. & lib. 2. contra Pelagian. c. 3. vbi ait: Deus lux appellatur, & tenebræ in eo non sunt vllæ, quia omnium aliorum lumina aliqua sorde maculantur; Apo-

Sto-

stoli lux sunt mundi, sed tenebræ in eis sunt aliquæ: *Luna non splendet, & stellæ non sunt mundæ in conspectu eius.* Vide Origen. hom. 9. in Ezechiel. Dionys. Areopag. de cœlesti Hierarch. cap. 3. & de diuin. nomin. cap. 5. Iustin. Mart. quæst. 36. & 51. ad Orthodoxos. Irenæû lib. 2. cap. 28. & 47. vt cæteros Patres omittamus in re notissima, pro qua videndus D. Tho. cum suis. *Iob. 15.*

§. I.

Quia omnia bona à Deo descendunt, à nobis gratiarum actiones pro ipsis ad Deum debent ascendere.

EX hoc loco ad nostram institutionem deducit Aug. lib. de sancta virginit. c. 41. omnia bona, quæ in nobis reperiuntur, esse Deo referenda, quò maiorem induamus humilitatem; inde enim quis se magis inutilem seruum, & humiliorem hominem confitebitur, quo plus cognouerit nihil boni in se, sed omnia à Deo emendicata habere. Quo sensu diuina beneficia lumina quædam sunt, quæ diuinam bonitatem clariùs ostendunt, nostram indigentiam manifestant, duritiem liquefaciunt, ingratitudinémque exurunt. Vnde Ambros. dixit nostri cognitionem esse veluti pondus, ne superbiamus, ac leuiter efferamur, dum superna bona in nobis affluunt. Et ideo laudat Petrum cùm dixit: *Exi à me Domine, quia homo peccator sum.* Sic igitur habet 3. de Virginib. Vir sapiens, & grauis, in quo esset Ecclesiæ firmamentum, & magisterium disciplinæ, nihil vtilius sibi esse prospexit, quàm ne secundantis operis extolleretur euentu; & ideò, *Exi*, inquit, *à me, quia homo peccator sum*; non ergo rogat vt deseratur, sed ne infletur. Ergo & tu si munera diuina superfluere in te, & redundare cognoueris, tuam metire virtutem gratiam Deo redde, contemplationémque corporis velut nauis suburram suscipe, ne te in tantis mundi fluctibus iactantiæ alicuius aura circumferat. Hæc Ambros. Enimuerò cùm à Patre luminum in nos descendant bona, in nos etiam debemus per cognitionem descendere, non per superbiam eleuari. *Luc. 5.*

ET hæc etiam fuit ratio cur Deus manum illam, qua Moyses tanta operaturus erat miranda, & tot mirabilia editurus, priùs infecit lepra, vt quando postea Moyses ad manus suæ extensionem creaturas obtemperantes cerneret, meminerit, id non prouenire ex aliqua virtute manui inhærente, sed à Patre luminum descendente, & huius luminis illustratione seipsum perlustraret, & totum se cognosceret, & humiliter Deo submitteret, manus illicò eleuando ad cœlum, vnde gratia miraculorum super manus descenderat. Ita ferè Theod. quæst. 10. in Exod. vbi ita habet: Dextera priùs leprosa signis diuinis inseruiuit, & elementa mutauit, quæ res Moysem etiam admonuit non superbire debere, sed agnoscere naturam, cum recordatione dexteræ lepra priùs infectæ. Quò ergo nos Deo subiiciamus in bonis, meminisse oportet omnia à Deo bona prouenire. *Exod. 4.*

ANSELMVS verò in epist. ad Hebr. c. 9. hoc ideo putat à Deo dictum, quia omnia nostra bona Deo nostro debemus reddere, & referre. Sic enim ait: Virtutes in fontem suum penitus refundere debemus, nihil ex eis nobis ascribendo, sed tibi à quo omne donum perfectum, pro eis grates referendo. Quasi velit per humilitatem simul, & gratitudinem diuina beneficia ad Deum veluti ascendendo refundi,& remeare,ad eum veluti modum quo artificiosis meatibus,& aquæ ductibus aqua,quæ ex alto loco præceps fertur,alia via ad eandem euehitur, & ascendit altitudinem à qua descenderat;sic itidem & diuina beneficia,quæ à Patre luminum descendunt, ad eundem per humilitatem, & gratitudinem euehuntur.

NEQVE verò mirum erit si dicamus quòd humilitas ascensionem operetur,quæ ad ima semper descendit:etenim aqua semper veluti repens, & adhærens,ascendit, attamen nõn per se erigitur, nec ipsa siue adminiculo sursũ fertur;sed alteri innixa fluit,& quæ ex natura sua descendit,beneficio artis,& alterius iuuamine ascendit. Qua ratione Fulgen. epist. 6. ad Theodorum,de Conuersione cap. 6. dixit: Crescat in te humilitas animi,quæ vera est, & integra sublimitas Christiani, & tanto magis in te cognosces Dei gratiam crescere,quanto magis tibi humilitatem cordis videris abundare. Et clariùs lib. de Prædestinat. Sãctor. Est hoc propriũ humilitatis,vt per eã fiat animus sublimis,sicut homo elatione humilis. Ideo Bern. Serm. 13. in Cant. per allusionem ad ea verba Ecclesiast. 1. *Ad locum vnde exeunt flumina,reuertuntur, vt iterum fluant*; ita ait: Si copiæ aquarum secretis, subterraneisque recursibus incessanter æquora appetunt, vt inde rursus ad vsus nostros iugi, & infatigabili erumpant obsequio, cur non etiam spirituales riui,vt arua mentium rigare non desinant, proprio fonti sine fraude,& sine intermissione reddantur? Ad locum vnde exeunt reuertantur flumina gratiarum,vt iterum fluant, remittatur ad suum principium, cœleste profluuium, quo vberiùs terræ refundatur, qualiter inquis? qualiter dicit Apostolus, *in omnibus gratias agentes*. Similiáque dixit epist. 181. Æquabo, inquit, beneficia votis, quæ factis non possum. Desideriis diues sum, & certè verus beneficus amplius non requirit; danti itaque quicquam gratius ab accipiente rependi non potest, quàm si gratum habuerit,quod gratis accepit.

Eccles. 1.

1. ad Thess. 5.

HOC ipsum notauit Philo lib. de victimas offerentibus. De altari, inquit, exteriori mandatum extat, *ignis in altari ardebit perpetuus*. Meritò, vt equidem arbitror, nam quia perennes Dei gratiæ nec deficiunt, nec perimuntur,sed interdiu,noctúque fruendas se præbent,nobis hominibus gratiarum actionem hæc sacra flamma figurat semper instaurandam, ne quando extinguatur. Sed cur ignis gratiarum perpetuam actionem significat? Credo equidem, quia sursum semper fertur,& quasi euolare in supremam regionem videtur. Qua de causa, & igni alas tribuit Sriptura sacra Cant. 8. Itidem & gratiarum actio sursum fertur, & veluti alatum lumen ad Patrem luminũ ascendit,à quo recognita,& perfecta dona descẽderunt.

Leuit. 3.

NEQVE verò fuit necesse Iacobo expresse gratiarum actionem inculcare,

re, quā ex hoc loco colligit Anselmus, imò satisfuit diuina beneficia simpliciter nobis proponere: illa enim per se commendãtur, & gratum animum exposcunt; quod optimè notauit Ambros. lib. de Noë, & arca cap. 22. cùm ponderat egressum ex arca, postquam se incolumem, & saluum à communi, & vniuersali strage vidit, altare erexisse, & sacrificando Deo egisse gratias pro tanto beneficio, quòd Deus illi talem oblationem præcepisset. Iustus, inquit Ambros. intellexit eam veram gratiarum actionem esse, quæ non iuberetur, sed deferretur, qui autem debitum gratiæ, vt à se exigatur, expectat, ingratus est. Ideo etiam satis existimauit Iacobus diuina beneficia nobis proponere, & eorundem principium, & originem Deum ostendere, vt inde nobis eorum recognitionem, & gratitudinem præceptam esse intelligeremus. *Genes. 8.*

QVA in re illud obseruandum velim, gratiarum actionem non solùm recognitionem diuinorum beneficiorum esse, sed insuper eorumdem testem. Cùm enim neque possimus dicere, *Domine Iesu*, aliúmue actum supernaturalem elicere, nisi diuinitus adiuti, neque etiam poterimus Deo ob supernaturalia bona gratias rependere, nisi etiam eiusdem beneficio: quod (vt Sanctos Patres ommittam, qui multi pro hac re sunt) notauit Philo lib. *Quòd sit Deus immutab.* cùm ait. Cui gratia debetur, nisi Deo? aut quomodo ei referetur, nisi per hæc ipsa quæ accepimus? & ita dum gratias referimus, denuo gratiam accipimus, estque gratitudo testis, vbi veritas luminum desuper datorum relucet. Ideóque lumen plerumque è cœlo missum est super gratiarum actiones, sicut patet in sacrificio Abelis. Vbi enim nos habemus, *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius*: Theodotion vertit: *Inflammauit Dominus super Abel*, & vt placet Hierony. in tradit. Hebr. in Genes. inflammauit etiam super sacrificium Abraham [a], super Aaronis [b], Gedeonis [c], Dauidis [d], Salomonis [e], & Heliæ [f]. *1. Cor. 12* *Genes. 4.* *a Gen. 15.* *b Leuit. 9.* *c Iud. 6.* *d 1. Par. 21.* *e 2. Par. 7* *f 3. Reg. 18*

§. II.

Deus author omnium bonorum.

OSTENDIT deinde omne datum, & beneficium à Deo in nos prouenire, & descendere: si enim vel etiam mala pœnæ, & labores à Deo etiam sunt, quanto magis & bona erunt? Vnde Aug. epist. 87. ait. Quid ergo non misericorditer præstatur hominibus à Deo, à quo etiam tribulatio beneficium est? Nam res prospera donum est consolantis, res autem aduersa donum est admonentis Dei. In quo sensu facilè intelligitur id quod Christus Dominus Pilato dixit. *Non haberes in me potestatem vllam, nisi tibi desuper datum esset*: vbi fatetur potestatem sibi pœnas infligendi veluti datum optimum desursum in eum descendisse, ideo ait, *nisi tibi desuper datum esset.* Et simili loquendi modo dixit Paulus: *Vobis donatum est pro Christo, non solùm vt in eum credatis, sed etiam vt pro ipso patiamini.* *Ioan. 19.* *Philip. 1.*

DICVNTVR verò dona Dei perfecta, quia in nullo nobis deest, imò iuxta

iuxta nostram indigentiam occurrit, & ad mensuram, quidquid deficiat, perficit. Vnde Iob. c. 10. *Vitam, & misericordiam tribuisti mihi*, vel, vt in Hebræo est, *fecisti, & concinnasti vitam, & misericordiam mecum*. i. ad mensuram mei, id quod necessarium erat, concessisti. Quod expresserunt magis Septuaginta Interpretes dicentes, *Vitam, & misericordiam disposuisti apud me*. i. debito loco, & ordine, & tempore beneficia tuæ misericordiæ contulisti. Nec est fas, inquit Philo lib. de Sacrif. Abel, & Cain, vt ille quicquam imperfectum largiatur. Itaque integra, absolutáque sunt dona ingeniti omnia. Et Ber. Ser. 17. in Cant. ostendens quomodo Deus sese nobis benefaciendo accõmodet, ait: Ducit nos, & reducit de claritate in claritatem, tanquam Domini Spiritus, quandoque rapiens ad se in lumine suo, quandoque contemperans, & illuminans tenebras nostras, vt siue supra nos, siue apud nos, semper in luce, semper vt filij lucis ambulemus.

Iob. 10.

LOCO etiam dat, qui etiam ad nos per beneficia desursum descendit, nec mirum, quia nos non poteramus ascendere: neque verò mirum est si descendant beneficia, cùm & ipse etiam ad nos descenderit, sicut notauit Aug. Ser. 127. de Tempore, dicens: Ex eo quòd homo non poterat ascendere, dignatus est ad hominem descendere.

TEMPORE etiam dat, quò perfectiora sint Dei dona, & optima eius data. Quod notauit Ambros. in Ps. 1. vbi de Christo intelligit illud Psal. 1. *quod fructum suum dabit in tempore suo*. Si lignum, ait, est sapientiæ, cur in tempore dabit, & nõ semper? Potest sapientia semper fructum dare, sed quia sapientia est, debet sapiẽter dare, dispensare prudenter. Nouit sapientia, quibus, quando dare debeat, quæ nec folium amittit ligni sui. Iam verò ea dona, quæ opportuno tempore obueniunt, & optima, & perfecta sunt.

Psal. 1.

FIERI denique non potest quin dona Dei, & optima, & perfecta sint, cùm ipse donando se perfectissimum, & optimum ostendat. Aduertit hoc Tertull. 2. contra Marcion. c. 4. in eo quod Gen. 1. dicitur Deum benedixisse ea quæ iam creauerat. Sic & benedicebat, ait Tertull. qui benefaciebat, vt tibi totus commendaretur bonus, & dicere, & facere. Pro qua re videndus est Chrysost. hom. 30. *Quòd nemo læditur nisi à seipso*. vbi ostendit beneficia diuina esse literas, quæ deleri nunquam possũt, & in quibus relucet diuina bonitas.

Genes. 1.

MEMINERIMVS tandem, omne datum optimum à Patre luminum descendere, vt ignem inferni nobis proponamus, si vel in tanto beneficiorum lumine super nos vbique descendente, cæcutientes prolabamur, vel in tanta luce perfecta dona non agnouerimus. *In die septies cadit iustus, & septies resurgit*; si tamen cadat in die, vt aduertit Ber. Ser. 17. in Cant. vt se cadere videat, & cecidisse sciat, & resurgere cupiat, & requirat manum adiuuantis: miserè enim cadit, qui in die, & inter tot lumina cadens, nec casum videt, nec per humilitatem saltem resurgere nititur: habet enim humilitas Deo adiuuante, suos per quos ascendat gradus, iuxta illud, quod dixit Dauid: *Ascensiones in corde suo disposuit*; vbi habetur Hebr. *Semitas altas in corde suo*. Vnde D. Aug.


Prou. 24

Ps. 83.

D. Augu. 14. de Ciuitate c. 14. Est aliquid humilitatis miro modo quod sursum faciat cor. Et in Psal. 37. Si fueris humilis, erigeris. Ideóque Chrys. homil. 66. in Matth. ait: Attende, & videbis nihil esse humilitate altius, quia depressam animam eleuat; quod vt faciat quamcitissimè, aduertendum est id quod notauit idem Chrysost. hom. 1. in Act. Apostolorum, vbi quærit, cur Spiritus sanctus, qui donum est, & principium omnium donorum cum Patre, & Filio, diffusus fuerit in Apostolos in igne, præmissóque turbine: & respondet, id fuisse ad commonefaciendum, scilicet, iudicium. Cùm enim donum accipimus, iam instat iudicij, atque examinationis tempus. Beneficus enim Dominus, qui dat omnibus affluēter, etiam iustissimus est exactor, vt rationem ponat cum seruis suis, & exposcat de luminibus nobis collatis, qui ideo Pater luminum dicitur. Quod ipsum notauit Clem. Alex. orat. ad Gent. vbi ait: Si obedieris, lucem, si non obedieris, ignem.

Vers. 18. *Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius.*

EXPOSITIO LITERALIS.



IERON. lib. 1. cont. Iouinian. & Caiet. hic legunt, *volens*, Oecum: & Vatabl. *destinata voluntate.* Alij verò *gratuita beneuolentia.* Græcè, βουληθεὶς, id est, *voluntate*, quæ omnia ostendunt Deum nos penitus, liberè, nullo coactum nostrorum operum merito, aut vlla necessitate obstrictum, sed suæ beneficio voluntatis nos genuisse, seu progenuisse, vt alij legunt.

ET potest in primis referri ad beneficium creationis, quo nos cùm nihil prorsus essemus, sponte condidit, rationis, gratiæ, & gloriæ capaces, idque per Verbum suum. i. consubstantialem Filium, quem natura, intellectus actu vnicum genuit. *Nam per ipsum omnia facta sunt, ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Creatio namque multoties *generationis* nomine venit intelligenda. Vnde Gen. 2. *hæ sunt generationes*. i. creationes, *cæli, & terræ, in die quando creata sunt.* Deut. 32. *Deum qui te genuit, dereliquisti.* Ideóque Deus Pater in Scriptura ratione creationis nominatur: quod notauit Hieron. ad Ephes. 3. Sicut solus bonus dicitur, ita & solus Pater, quia creator est omnium. Quæ est ratio quare Adam ratione creationis filius Dei appelletur. Et Paulus dixit: *Vnus Deus, & Pater omnium.* Vbi Hierony. *qui author est omnium.* Et Salomon. *Flagellat omnem filium quem recipit*: quam expositionem tenet Oecum. primo loco ponit Feuard. probat Athan. Ser. 4. cont. Arian. & Ber. eam ex parte probare videtur Serm. 16. in Cant. vbi exponens præsentem locum ait; Deum cogita factorem tuum, cogita Patrem.

Ioan. 1. *Rom. 11.* *Genes. 3.* *Deut. 32.* *Luc. 3.* *ad Ep. 4.* *Sap. 11.*

SECVNDO, possunt hæc verba referri ad regenerationem spiritualem, quæ fit in Baptismo, in quo accedente verbo per Christum præscripto

ad aquæ elementum, fit Sacramentum, quo renascimur, & renouamur in filios adoptionis: quam regenerationis necessitatem asseruit Christus cùm dixit. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest videre regnum Dei.* Et Paulus dixit, Christum Ecclesiam suam mundare lauacro aquæ in verbo vitæ, iterúmque dixit nos saluos fieri per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti. Ita Beda, & alij. De qua generatione videndus Cyrill. lib. 9. in Ioan. cap. 47. Aug. Serm. 51. de verb. Domini. & lib 1. de Consensu Euangelist. c. 3. & lib. cont. Secundinum c. 5. & in Psalm. 49. In hac ergo generatione, aqua vicem dicitur subire matris, verba autem sacramentalia Patris. Ideóque Dionys. de cœlest. Hierarch. vocauit Baptisterium matrem adoptionis.

Ioan. 3. Ad Ep 5. Ad Tit. 3.

Tertio, referuntur hæc verba ad regenerationem spiritualem, quæ fit verbo veritatis, seu verbo veraci, quod est Euangelium, ratione cuius *dedit potestatem filios Dei fieri.* Vel verbo veritatis, id est, Iesu Christi doctrina, qua Deo, vitæque cœlesti progignimur. Quã expositionẽ probat D. Thom. Carthus. Lyran. Interlinear. Glos. & recentiores hoc loco. Genuit igitur nos, ait D. Thom. cum prædicta Glossa, in filios gratiæ, qui priùs eramus filij iræ verbo Euangelij Christi, qui veritas est, verbo, inquam, tanquam semine spirituali, quia semen est verbum Dei. Ideóque ait Paulus: *In Christo Iesu per Euangelium ego vos genui.* Et Chrysost. homil. in Psalm. 9. Vos germen Ecclesiæ, qui estis vno verbi semine concepti, agnoscite qui cantatis, &c. Eandem expositionem probat Fulgent. responsione ad 3. obiectionem Arian. vbi ex hoc loco, & aliis rectè contendit, homines iustificatos appellari nouas creaturas, & nouos homines, insupérque probat verba *creandi, & generandi* frequenter significare illam sanctificationem, & renouationem, qua per Christi verba, & doctrinam renouamur. Quam etiam expositionem probat Bernar. Serm. 2. ad Fratres. Eámque tandem confirmat Aug. lib cont. Adimantum cap. 5. vbi ait: Natura dicitur quispiam filius eius, à quo genitus, doctrina illius, à quo edoctus. Sic Paulus discipulos filios vocat: *filioli mei, quos iterum parturio.*

Ioan 1. Ad Ga. 4

Licet autem accommodata sit verbis Apostoli superior expositio, cùm negandum non sit Baptismum esse veram, & primam generationem spiritualem, tamen hæc vltima accommodatior videtur, cùm sequentia verba indicent perfectionem spiritualem, quam Christi doctrina attulit. Deinde, quia veritas propriùs refertur ad veram doctrinam, & prædicationem, fauétque versio Vatabli, quæ habet: *Progenuit nos sermone veritatis.* Et licèt hæc vox, *sermo*, rem non conficiat, ex parte tamen ostendit. Ideóque Ber. loco citato ait: Gratias ei, qui regenerauit nos etiam hac vice in spem vitæ, voluntariè enim nũc propriè genuit nos, verbo vtique veritatis: nam quod priùs nos genuit Sacramento equidem pietatis, etsi voluntarium generanti, genitis tamen voluntarium esse non potuit, in quibus adhuc nullus voluntatis vsus, nullum rationis exercitium fuit; nunc demum voluntaria generatio, qua scilicet voluntariè accipimus verbum Dei in corde, eidémque Deo fauente liberè assentimur, & obedimus.

VT

VT ſimus initium aliquod creaturæ eius. Syriacè hebetur, *Vt ſimus primitiæ rerum ab eo conditarum.* quod etiam habet Vatabl. Græcè verò: *Vt principatum obtineamus inter creaturas eius.* Etenim per hanc genituram ratione adoptionis principatum habemus, & ſumus primitiæ creaturarum, ſicut notauit Auguſt. in Pſalm. 59.

VEL etiam poſſunt referri hæc verba ad Apoſtolos, qui conſtituti ſunt principes, ſeu principatum gratiæ obtinentes, vt per illos cæteri homines ad Chriſti fidem peruenirent: plerumque enim nomine *creatura Dei* in Scriptura, præſertímque in nouo Teſtamento, ſignificatur homo, non qualis eſſet natura ſua, ſi ita crearetur, nec qualis per peccatum redditus eſt, ſed qualis renouatus per Chriſti gratiam: hic igitur gratia renouatus dicitur noua creatura, nouúſque homo. Imò ſi propriè loquendum eſt, ipſa reparatio, & renouatio dicitur noua, aut creatura Dei, indéque more Hebræorum creatura ponitur pro re creata, id eſt, pro homine reparato per gratiam. Vnde Paulus: *Si qua ergo in Chriſto noua creatura, vetera tranſierunt, facta ſunt omnia noua*: & alibi: *In Chriſto enim Ieſu neque circunciſio aliquid valet, neque præputium, ſed noua creatura*; & iterum: *Induite nouum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt.* Denique: *expoliantes vos veterem hominem, induentes nouum, qui renouatur in agnitionem Dei.* 2. Cor. 5. Gal. 6. Eph. 2. Coloſſ 3.

LICET enim gratia ſecundùm communem Theologorum ſententiam non creetur, vt patet ex D. Thom. 1.2.q.112. art. 1. & clariùs quæſt. 110. art. 2. ad 3. ipſe tamen D. Thom. dicit hominem ſecundùm gratiam creari. Ratio ipſius eſt; quia ex nullis meritis ſuis gratiam recipit, & ita appellatur creatio moralis, ſicut & creatio phyſica nullum præſupponit ſubiectum. Hoc ipſum probat Baſil. hom. *Quòd Deus non eſt author malorum.* vbi *creaturæ*, & *creationis* nomen pro renouatione vſurpari oſtendit. In hoc igitur ſenſu videtur interpretandus præſens locus; quaſi dixerit: Ideo nos genuit ſpiritualiter, & ad ſe vocauit doctrina ſua Chriſtus Filius Dei, vt à nobis procederet initium ſanctitatis, & reparationis humanæ, & à nobis qui caput ſumus (ſic enim D. Thom. interpretatur initium) defluat doctrina, & prædicatio in cæteros fideles, qui Deo debent renaſci, & qui primitias huius renouationis habemus, reformationis ſimus initium.

Ex qua expoſitione iam elicitur totius ſententiæ verus, & germanus ſenſus, & cohærentia cum ſuperioribus. Eſt enim ſenſus: Tantùm abeſt, vt Deus ſit author, ſeu intentator peccati, vt potiùs ſit fons, & principium illuminationis ſpiritualis; ab hoc enim fonte dimanant omnia bona, non naturalia ſolùm, ſed ſupernaturalia, ab hoc lumine omnes ſupernæ illuſtrationes, abſque vllo defectu, ſeu diminutione, ídque non neceſſariò, & naturaliter, ſed liberè, & ex electione voluntatis ſuæ: qua ratione nos vocauit, & regenerauit, & primitias ſpiritus conceſſit, vt ex nobis creatura, & renouatio ſpiritualis initium ſumeret, cuius nos principes eſſe voluit.

§. I.

Si Deus nos genuit, ipsum vt Patrem debemus revereri, & vt filij eius piè, & iustè viuere.

SED quia tres illas generationes, quæ in duas coincidunt, quibus Deus nos liberè genuit, proposuimus, qualiter inter se cohæreant, videamus. Prima igitur generatio fuit creationis. Secunda regenerationis. In prima, inquit Bern. de dilig. Deum: me mihi dedit, in secunda, se, & vbi se dedit, me mihi reddidit, datus ergo, & redditus me pro me debeo, & bis debeo. Quibus habet similia Euseb. Emiss. hom. 6. in Pascha, vbi ait: Magnum quidem mihi est de Deo quòd esse me sentio opere suum, sed multo plus, quòd transiisse ipsum video in pretium meum, quandoquidem tam pretioso munere ipsa redemptio agitur, vt homo Deum valere videatur.

ILLVD autem aduertendum est; primam generationem pignus fuisse secundæ, sicut eam vocauit Tertul. lib. de Resur. carn. c. 6. vbi agens de primi hominis creatione, ait: Recogita totum illi Deum occupatum, ac dedicatum, manu, sensu, opere, consilio, sapientia, prouidentia, & ipsa in primis affectione, quæ lineamenta ducebat; quodcumque enim limus exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus, quod & limus, & caro. Limus ille iam tunc imaginem induens Christi futuri in carne, non tantùm Dei opus erat, sed & pignus. Insuper etiam videmus, quòd dum veluti Pater ex præcordiis animam in faciem plasmati hominis inspirat, iam tunc quodãmodo pollicebatur se vitam, & animam expositurum pro secunda creatione ac generatione filiorum, quò eorum semen longæuum videret. Et ideo fortasse hominem de luto produxit, fragilémque naturam concessit, vt inde videretur quodammodo obligari ad ipsum reparandum, & reficiendum, si cecidisset. In hoc etiam sensu interpretatur Ambros. illud, quod di-

Genes. 2. citur Genes. 2. *Requieuit Deus ab omni opere quod patrarat.* Sic enim ait cap. vltimo lib. 6. Examer. Gratias ago Domino Deo nostro, qui huiusmodi opus fecit, in quo requiesceret. Fecit cœlum, & non lego quòd requieuerit, fecit Solem, Lunam, & stellas, nec ibi lego quòd requieuerit, sed lego quòd fecerit hominem, & tunc requieuit, habens qui peccata dimitteret; aut fortè tunc iam Dominicæ passionis præcessit mysterium, quo reuelatum est, quia requiesceret Christus in homine, qui requiem sibi prædestinabat in corpore pro hominis redemptione.

EA igitur requies quam in prima generatione Deus habuit, secundæ generationis fuit præludium, qua ipse dũ in sepulchro requieuit, redemptos propria morte generauit; vtramque generationem veluti connexam voluit, quò magis sibi dupliciter genitos filios amore deuinctos haberet, & in nostris iniquitatibus dissoluendis, ac abstergendis confidentiam gigneret: dum scilicet meminerimus duplici titulo nos Patrem habere Deũ. Et ideo D. Bern. Ser. 16. in Cant. dum præsentem locum Iacobi pertractat, ait: Deum cogita factorem tuum, cogita benefactorem, cogita Patrem, co-

gita

gita Dominũ, ad omnia reus explange, per singula, ad primum, & vltimum respondeat timor tuus, ad duo media pudor. Pater sanè non metuitur cùm pater sit: patris enim est misereri semper, & parcere, & si percutit, virga, non baculo percutit, & cùm percusserit, sanat, paterna vox est. *Percutiam, & ego sanabo*: at verò cogitantem quòd Patrem offenderim, est certè quod pudeat, etsi nõ quod terreat. Volũtariè genuit me verbo veritatis, non stimulo carnalis cupiditatis excussit, quemadmodum genitor carnis meæ; deinde etiam non pepercit Vnigenito pro sic genito: ita ipse quidem Patrem se exhibuit mihi, sed non ego me illi vicissim filium, quanam fronte attollo iam oculos ad vultum Patris tam boni, tam malus filius? Pudet indigna gessisse genere meo. Confundor, confundor audire. *Si pater, vbi est honor meus?* & Aug. Ser. 5. de verb. Domini. Fratres, adeò mali, bonum Patrem habemus, ne semper mali remaneamus. *Deut. 32.* *Malac. 1.*

Si quis verò inquirat, cur Deus, & creationem, & redemptionem voluerit in Scriptura sancta generationem appellari, audiat D. Chrysost. hom. 10. in epist. ad Roman. sic dicentem. Non ita gaudet vocari Dominus, vt Pater, neque sic amat habere seruum, vt filium, magis enim hoc, quàm illud quærit. Propterea quippe fecit quicquid vnquam fecit, & vnigenito etiam Filio non pepercit, quatenus ius adoptiuorum adipisceremur, ipsúmque non solùm vt Dominum, sed vt Patrem quoque diligeremus. Affectus verò iste, quo valde cupit à nobis amari, aliunde non est, quàm ex eo quòd ipse prior nos vehementer diligit.

Vt ergo ostenderet quantùm homines diligeret, quantíque eosdem faceret, generationem appellari voluit ipsam creationem, & redemptionem, quò se nobis Patrem inculcaret, cuius amor indefectibilis est. Quæ fuit ratio cur Moyses dixit Deo: *Numquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, vt dicas mihi, Porta eos in sinu tuo?* vbi fatetur talem amoris ostensionem, & tantam curam, ac diligentiam in solis parentibus reperiri, qui tam affectuosè filios diligunt. Et quando Dauid filium fatricidam iure persequutus est, dixit Scriptura. *Cessauit Rex persequi Absalon, eo quòd consolatus esset super Amnon interitu*. vbi Brixianus legit: *Desiderium inerat Dauid, vt egrederetur ad Absalon*. Paternus enim amor vindictam sumens de Dauide persequente filium, ipsum cogebat, vt veluti è se egrediens parentis cor inobedientem filium quæreret, & reduceret. Probat tandem id quod dicimus difficilis locus Gen. 33. vbi de Iacob dicitur. *Emit partem agri à filiis Hemor patris Sichem centum agnis*; cùm tamen nullum alium filium constet habuisse Regem Hemor præter infelicem Sichem. Vnde difficultas tollitur, si nomine filiorum Hemor, eius subditi intelligantur. Quo sensu etiam Macrobius ait, Dominos à Romanis patresfamilias vocatos, vt seruos quasi filios tractarent. Et quia Hemor subditos summa beneuolentia gubernabat, vt eandem nobis ostenderet Scriptura, ipsum dixit patrem eorum. Sic & Iacobus, vt in notitiam diuinæ erga nos dilectionis deueniamus, dixit nos ab eodem progenitos. *Num. 11.* *2. Reg. 13.* *Genes. 33.*

X 3

Ephes. 5. Et hanc dilectionem Patris Dei nobis imitandam proponit Paulus, cũ dixit: *Estote imitatores Dei, sicut filij charissimi.* vbi Chrysost. hom. 17. Non simpliciter, inquit, dixit, vt Deum imitemur, sed vult, vt in quibus nobis be-
2. Cor. 5. ne fit, paterna inuicem viscera alius in aliũ habeamus. Et ideo Paulus: *Charitas Dei vrget nos.* Videtur enim nobis vim inferre, vt fratres inuicem diligamus, quandoquidem filij sumus vnius ac summi parentis, qui nos voluntariè, & summè dilexit, postquam vt seruos produxerat verus Dominus. Hinc est quòd Tert. lib. de Resurr. carn. de homine quasi filio Dei loquitur, & vt filium Dei hominem fere describit, dicens: Diligit carnem, vt sibi proximam manuum suarum operam, ingenij sui curam, afflatus sui vaginam, molitionis suæ reginam, liberalitatis suæ hæredem, Christi sui sororem, etsi infirmam, sed virtus in infirmitate perficitur, etsi imbecillam, sed medicum non desiderant nisi malè habentes.

Hvivs autem generationis originem, & principium ostendit ortum habere à voluntate nos iamdiu diligente, ideóque dixit, *& voluntariè genuit nos.* Vnde meritò Chrysost. hom. 17. in cap. 5. ad Ephesios ait: Amator esto dilectionis, per ipsam saluatus es, per ipsam filius Dei factus es. Et idem Chrysost. Psalm. 118. Quid autem, inquit, diligendum diligitur? Et Nazianz. in Tragœdia, *Christus patiens*; alloquitur Christum dicendo: Beneuolentia Patris te occidit, quæ aliis est salus. Rationes verò ob quas ipsa dilectio diligenda est, affert Fulgen. epist. 5.

Illvd tamen hac in re notandum censeo, quòd cùm Deus nos in esse spirituali produxerit liberè, & ex sola dilectione, loquitur de eadem generatione, & de bonis per eandem collatis, quasi naturaliter, & sine libertate ea contulerit, ad eũ modũ quo ipse naturaliter, & necessariò generat Filium, seu producit Verbum: & in vniuersum generatio opus naturæ est, & nullatenus ad voluntatem pertinet, vt significet nostri dilectionem, quantumuis liberam, Deo veluti innatam, & eundem in hominibus sic genitis complacere. Neque verò hoc mihi tam mirum videtur, quãdo hominum amor eundem Deum factum hominem, hominis filium fecit. Genuit igitur nos voluntariè, qui hominis genitus per summum voluntatis affectum appellatur, & licèt huiusmodi nomenclatura aliis rationibus innitatur, quæ ad rem nostram non faciunt, illa modò placeat, quæ asserit Deum hominem, ideo se filium hominis appellasse, quò denotaret triumphum de asserto in libertatem homine. Quo pacto se duces Romani Prouinciarum subiugatarum nominibus cohonestabant, & Apostolus ex Saulo Paulum, ob Sergium Paulum Proconsulem redactum in prouinciam Christi appellari voluit; sicut placet Augustino 8. Confess. c. 4. & aliis. Vnde Pet. Chrysolog. Serm. 70. Homo, inquit, redi ad Deum sic amatus à Deo, & ad illius gloriam da totum te, qui se totum propter te ad suam deduxit iniuriam, & voca patrem fidens, quem tanto amore tuum probas, sentis, intelligis esse genitorem. Se igitur appellat Patrem dum nos voluntariè in spiritualem vitam generat, & se filium hominis vocat dum humanum genus regeneratum, & à dæmone vindicatum videt. Vnde iam concludit

D. Anselm.

D. Anselm.lib.de Mensuratione Crucis,§.4.Sic totum cor nostrum tuo debemus amori;vt quicquid de eo alteri damus,tibi subtrahamus.

§. II.

Quales debeant esse viri Ecclesiastici, Sacerdotes,ac Religiosi.

VERVM venerabilis Beda hoc loco, quem sequitur Carthusian. ad illa verba.*Vt simus initium aliquod creaturæ eius.*Quidam,inquit,ita transtulit;*Volens genuit nos,vt simus primitiæ creaturarum eius*, id est,vt cæteris, quas cernimus, creaturis simus meliores. Primitias namque frugum, vel animantium Domino consecrare lex præcepit,tanquam præcipuas & meliores.Primitias autem auri,& argenti ad opus tabernaculi iussit conferri, id est,optima quæque in metallis. Et de antiquo Dei populo dixit Hierem. *Sanctus Israël Domino primitiæ frugum eius.* vbi Hieronym. ostendit populum de gentibus electum,& congregatum esse.Et Vatab. vertit; *sacrosanctus erat Israël Domino,& frugum eius primitiæ.* Quod magis explicans ait:Tanquam res Deo dicata, quæ pollui non debet.Cui sensui possumus adaptare illam expositionem Caietani,in qua ipse singularis est.Ea namque verba; *Voluntariè genuit nos verbo veritatis*; sic ipse explicat. *Verbo veritatis*, datiui casus est, explicans ad quid geniti sumus. Secundùm esse gratiæ non sumus progeniti ad fabellas, sed ad sermonem veritatis, vt simus quædam primitiæ: & quemadmodum primitiæ offerebantur Deo, sic nos offeramur tanquam primitiæ omnium creaturarum.

Exod.22. 23. 25. 35.

Cap.2.

VNDE colligimus omnes viros Apostolicos, & Ecclesiasticos primitias Deo debere esse, totósque Deo dicatos,& à terrenis abdicatos. Quod mihi probat singularis locus Exodi, vbi de hominibus Deo consecrandis dicitur; *Faciésque vnctionis oleum compositum opere vnguentarij, Aaron, & filios eius vnges,sanctificabísque eos, vt Sacerdotio fungantur mihi.* Et post hæc subdit: *Carò hominis non vngetur ex eo.* Quomodo ista cohæreant, non tam facilè apparet. Præcipit enim,vt vngatur Aaró,& filij eius, illicóque prohibet, ne hominis caro ex eo vngatur. Eáque videtur adæquata responsio, si intelligamus eos,quos ad tabernaculi cultum,& sui obsequium Deus elegerat, non iam deinceps debere esse homines,hominúmque more degere, sed totos veluti cœlestes humanam conditionem excedere,& superare.Quod notauit Ambr.epist.6. ad Irenæ. dum ponderat, eum segregasse Sacerdotes à populo. Iussit,inquit,Deus Sacerdotes ascendere ad montē populo deorsum stante, & Moysem nube recepit:sobriam à turbis dignitatem, seriam vitam,singulare pondus dignitas sibi vendicat Sacerdotalis.Quomodo potest obseruari à populo,qui nihil habet secretū à populo,dispar à multitudine?quid enim in te miretur,si sua in te recognoscit,si nihil in te respiciat, quod vltra se inueniat, si quæ in se erubescit,in te quem reuerendum arbitratur, offendat?Supergrediamur igitur plebeias opiniones,& strata quædam gregalis conuersationis.Ita Ambrosius.

Cap. 30.

Exod.14.

Cvi accedit Dionysius de Ecclesiast. Hierarch. cap. 1. dicens: Vt enim qui Sacerdotium dixit, sacrorum simul omnium vno vocabulo significauit ordinem: ita & qui Sacerdotem, & Pontificem dixit, augustiorem, prorsúsque diuinum insinuat virum totius sanctæ conscientiæ peritissimum, in quo liquidò ac perspicuè sacratus omnis ordo suus, & perspectus sit, & possit agnosci. Et cap. 3. loquens de lotione manuum Sacerdotis in sacrificio, ait: Ablutio illa non fit ad delendas corporis sordes, quæ iam lotæ fuerunt, atque ideo abluuntur non manus, sed solæ extremitates digitorum, ad designandum leuissima esse tollenda. Qua de re videndus Clemens Rom. 8. constitut. c. 5. & Cyrill. Cat. 5. myst. D. Tho. 3. p. q. 83. art. 3.

Num. 12. Hoc ipsum ostendit id quod quærit Theodoret. quæst. 23. in Num. Cur scilicet, cùm Maria, & Aaron conuitiati fuerint Moysi, illa sola pœnas luit, manente Aarone absque lepra? reddénsque rationem, ait: Quoniam leprosus secundùm legem immundus esse videbatur; Aaron autem radix erat Sacerdotum, & origo, propterea ei Deus parem pœnam non inflixit, sed per sororem terruit. Ex qua Theodoreti ratione facilè colligitur, nihil scilicet immundum pati Deum in viris sibi dicatis. Videndúsque hac de re idem Theodoret. quæst. 1. & quæst. 3. in Leuiticum, cùm quærit quare victimam, quæ pro Sacerdote offertur, prorsus lex cremari præceperit? Respődétque, vt integritatem Sacerdotis demonstraret, qui non aliquatenus, sed totum planè se dedicauerit Deo vniuersorum.

Videndvsqve etiam Cyprian. de singularitate Clericorum, cùm ait: Talis conuenit cura sinceritatis sacratis, qualia sunt sacra ipsa, quibus exhibent officia seruitutis, ne circa Dominum offendant ipsi quod tractant, aut circa populum incipiant impedire, quod prædicant.

Num. 35 Est optimus pro hac re locus in lib. Num. cap. 35. vbi diuinum oraculum dixit Moysi: *Præcipe filiis Israël, vt dent Leuitis de possessionibus suis vrbes ad habitandum, & suburbana earum.* Et inde est quòd Sacerdotes in mediis Tribubus Israël habitabant. Quare solas ciuitates eis cőcesserit, dixit Oleast. ibi. Sit ergo, bone Sacerdos, Deus tuus, ager tuus, vinea, & prædium tuũ, quem summa diligentia colas, quando nihil terrenum est, vnde tam copiosos fructus colligere possis sicut ab eo. Hæc certè ratio ostendit, cur solas vrbes ad habitandum, non prædia, non vineas, aut oliueta concesserit. Sed adhuc inquirendum nobis restat, cur non in aliqua Tribu ciuitates Sacerdotibus assignauerit, sed illos per omnes Tribus disperserit. Cui quæstioni respondet Procop. Dispergit, inquit, Leuitas per omnes Tribus, vt sanctitatis eorum excellentia sanctos vbique vrbium incolas reddat. Talis namque debet esse Sacerdotum sanctitas, vt ciues suos, & cohabitatores sanctiores reddat, & puriores.

Facit etiam pro hac re Athanas. lib. de Passione; vbi infert virum Deo, sicuti primitias, dicatum, si quid ex se profanis vsibus accommodet, id Deo vsurpari. Illud, inquit, sciendum, nec oportet ignorare, quòd quæcumque promisimus Deo, iam nostra non sunt, sed in ære Dei sunt, adeò vt siquid inde subtraxerimus, haudquaquam id faciamus, veluti quæ nostra sunt,

ſunt vſurpantes,ſed vt quæ Dei ſunt ſacrilegio deprædantes. Nouum latrocinij genus nobis oſtendit Athanaſius,dum nec de noſtris nobis aliquid licet vſurpare , id tamen poteſt explicari ſecundum phraſim Nazianzeni Orat.24.vbi Ananiam,Saphirámque nouos appellat fures,dum abſconderunt pecuniam,quam de venditione agri acceperunt.Noua , inquit , haud dubiè eſt propriarum rerum ſubreptio.Et D.Bernardus de vita ſolitar. ad fratres de Monte Dei.Nolite negligere,nolite tardare, grandis vobis reſtat via,non ſolùm vouiſtis omnem ſanctitatem,ſed omnis ſãctitatis perfectionem,& omnis conſummationis finem , non eſt veſtrum ſolùm attendere quid præcipiat Deus,ſed quid velit,aliorum eſt Deo ſeruire,veſtum adhærere. *Act. 5.*

AD confirmandum præſens inſtitutum facit id quod Philo notauit lib. de Victimis,cùm ita habet.Nec myſterio caret,quòd iubemur pedes victimarũ abluere. Pedũ lotio ſignificat non humi poſthac incedẽdũ, ſed per æthera.Amans enim Deum anima,reuerà in cœlum à terris emicat,ſumptíſque alis petit ſublimia.&c.Anima igitur quæ veluti primitiæ Deo offertur, à terra debet eleuari. Ideo enim , & oblationes in lege eleuabantur , ne iam aliquod cum terrenis habeant commercium , ſed tota ſurſum ferantur.Quod dixit Theod.quæſt.1.in Leuit.dum meminit,Abrahamum in ſacrificio quod obtulit Gen.15.aues integras obtuliſſe,cùm tamen vaccam, capram,& arietem per medium diuiſiſſet:inſuper etiam legem , auium diuiſionem aliquam nõ præcepiſſe,ſed integras offerendas.Quemadmodum, inquit,Patriarcha volatilia non diuiſit, ita nec legiſlator ea iubet diuidi. Nam qui volant,Deum ex toto corde diligentes,non partiuntur animum, collocantes illum tum in terrenis , tum in cœleſtibus , ſed totum ſurſum ferunt. *Leuit.1.* *Geneſ.15.*

Ex quibus omnibus conſtat,qua perfectione pollere debeat gens, quæ veluti primitiæ Deo dicata eſt,& qua ſanctitate cæteros debeant præcellere ij,quos ſibi Deus peculiari iure tanquam primitias vendicauit Conſtat etiam quanto ſupplicio eoſdem debeat afficere, quando eos veluti vulgus viderit degentes,& carnaliter conuerſantes.Quod notauit Procopius in Oza,qui admiſit vt Arcam Domini non Sacerdotes, ſed bruta animalia deferrent:dicit Ozam ea re deceptum,quòd Palæſtini hoc modo eam deducentes, nihil aduerſi paſſi fuerint:quæ etiam fuit ſententia Theodoreti q. 20.Cæterùm,inquit,conſiderandum erat illos,neque legem Domini nouiſſe,neque Sacerdotes Domini habuiſſe,vt ſit ſenſus:Nõ ſic irritat diuinam iuſtitiam,ſi ſæcularis,& ex vulgo aliquis Deum non tam reuereatur , aut diuina præcepta ſic ad amuſſim cuſtodiat, quam prouocat,ſi homo Dei , ſi vir Eccleſiaſticus aut Religioſus perfectiſſimè non obſeruat,& quæ Deus iubet,& quæ vult .Cæteri,vt Palæſtini,Arcam Dei,ipſiúſq; legem, vtcumque poſſunt,deferre,at Sacerdotes humeris , manibus , animo , & religoſo inceſſu debent aſportare. *2.Reg.6.*

ET hæc eſt illa querimonia,qua apud Ezechiel.43. Deus cõqueſtus eſt, ſimul & comminatus ſupplicium, dicens : *Qui fabricati ſunt limen ſuum iuxta limen* *Eze. 43.*

limen meum, & postes suos iuxta postes meos, & polluerunt nomen sanctum meum, propter quod consumpsi eos in ira mea; quem locum sic exponit Hieron. Vt sciamus hoc dici de Ecclesia, iungitur, *et non polluent vltra domus Israël nomen sanctum meum:* quod proprie ad eos pertinet qui sanctæ conuersationis in Ecclesia commorantur. Audiant indignationem Domini commoueri, quando in consecratis Deo locis indignus habitator est. *Fabricati sunt,* inquit, *limen suum iuxta limen meum:* vt nihil interesset inter sacrum, & profanum, *& postes suos iuxta postes meos,* vt vnus Laicorum, & Sacerdotum esset introitus. Existimo autem quòd non polluat nomen Dei nisi ille, qui visus est nomini eius credere, & ex illius censeri vocabulo. Sic Hieronym. Ostendit autem hic locus longè aliter debere ingredi Ecclesiam Sacerdotem, ac secularem, seu profanum, maximámque differentiam inter vtrosque esse considerandam, quæ nisi interueniat, necessariò, & infallibiliter adueniet indignatio Dei, quæ à solis iis, qui nomine Dei sunt insigniti, cultuíque eius dicati, prouocata censetur. Quod singulariter mihi videtur significatum esse in eo loco Leuit. vbi sic dicitur: *Homo qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum suum, & qui blasphemauerit nomen Domini, morte morietur;* vbi supplicia, quæ crimini correspondent, ostendunt quid interueniat inter vtrumque delictum, nãque in in eo, qui maledixerit Deo suo, apponitur pœna peccati venialis, in eo verò qui blasphemauerit nomen Domini, mors infligenda proponitur. Videamus igitur in quo differant hæc duo crimina. Maledicit Deum, ait Zichius relatus à Glossa, qui nescienter blasphemat, & peccatum recipit, id est, pœnam peccati. Nomen verò nominat, qui in scientia blasphemat, hoc autem facit, qui eius scientiam per spiritum acquisiuit: non meretur ergo tam graue supplicium profanus vir, qui Dei notitiam non habet, ac Dei familiaris, & seruus, qui eum ex nomine nouit, qui eius verba profert, qui se Deo mancipauit, eiúsque appellationem habet, dum seruus Dei dicitur. Is enim iure morietur, si nomen Dei viuentis, & videntis irreuerenter proferat; & ideo hoc loco Aquila vertit; *Vir qui blasphemauerit Deum suum;* est enim Deus veluti peculiaris eorum, qui illi ministrant; quíque se Deo deuouêre. Is ergo si Deum offendat, grauissimè punietur.

Hoc potest confirmari ex eo quod notauit Theodoret. q. 1. in Leuit. Similem scilicet hostiam iussisse Deum offerri pro vno peccato Sacerdotis; vitulum scilicet immaculatum, ac pro peccatis totius populi, vt se tam indicaret offensum vnico Sacerdotis peccato, ac multis, & omnimodis vniuersi populi delictis.

Cap. 32. Est etiam pro hac re optimus locus apud Hierem. vbi dicitur: *Erant filij Israël, & filij Iuda iugiter facientes mala in oculis meis ab adolescentia sua.* Vbi Septuaginta habent: *Erant soli peccantes in oculis Domini.* Quæ versio difficilem reddit hunc locum, dum soli filij Israël dicuntur peccare, cùm cæteræ gentes multipliciter Deum offendant. Vnde Hieronymus ibi: Num & aliæ gentes eo tempore, quo Israël, Iudáque peccabant, malum non fecerunt? Et soluit difficultatem in hunc modum: Qui habet notitiam Dei, & recedit ab eo, solus peccat in oculis Dei, qui verò incre-

duli

duli permanserint,quasi illo non vidente, & negligente, delinquunt. Vnde & Dauid sanctus, qui corruerat in peccatum, loquitur, *Tibi soli peccaui, & malum coram te feci.* Adeò igitur abominatur Deus peccata eorum, qui singularem Dei notitiam habent, & qui Deo approximant tanquam primitiæ, & ob id ab aliis segregati dicuntur, vt ipsi soli peccare censeantur, quasi ab aliis illatas offensas non curet, nec videat,neque censeat puniendas. Tales nos voluit esse sicut decet sanctos, tam grauiter puniri voluit si delinquamus, audiamus ipsum, & confundamur audientes: *Disperdam nomina edituorum cum Sacerdotibus.* vbi Septuaginta legunt; *Disperdam nomina Sacerdotum cum Sacerdotibus.* Explicat verò D. Hieron. ibi quid sit *disperdere nomina Sacerdotum*; qui frustra, inquit, sibi applaudunt in Episcopali nomine, & in presbyterij dignitate, & non in opere. Vnde signanter non ait, & opera Sacerdotum cum Sacerdotibus,sed nomina,qui tantummodo falsa nomina præferunt dignitatum, & malis operibus sua nomina destruunt. Et idem Hier. Soph. 3. Non dignitas, inquit, & nomina dignitatum, sed opus dignitatis, & principes, & Iudices, & Prophetas, & Sacerdotes saluare consueuit. Et 1. Timot. 3. ad ea verba: *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Videte, inquit, qui dixerit, bonum opus, & non dignitatem. Si autem despecto opere solam aspexerit dignitatem, citò corruit turris in Siloa, & Ecclesiæ cedri fulmine feriuntur, & erecta ceruix frangitur, & Cygnus extento collo tam sublimem se tendens, inter immundas volucres computatur. Quod etiam dixit D. Greg. hom. 17. cùm ponderat ea verba Christi Domini: *Messis quidem multa, operarij autem pauci.* Ad messem, inquit, multam operarij pauci facti sunt, quod sine graui mœrore loqui non possumus. Ecce mundus Sacerdotibus plenus est, sed tamen rarus inuenitur operator, quia officium quidem Sacerdotale suscipimus,sed opus officij non implemus.

Psal. 50. *Soph. c. 1.* *1. Timo. 3.* *Luc. 10.*

QVI verò cùm sint primitiæ Dei, sese dedunt sæculi negotiis, & voluptatibus,videant,& caueant ne de eis possit dici, quod per summam humilitatem de se dixit D. Bernar. epist. 249. Tempus est vt non obliuiscar mei, clamat ad vos mea monstruosa vita, mea ærumnosa conscientia; ego enim quædam chimæra mei sæculi;nec Clericum gero, nec Laicum, nam monachi iamdudum exui conuersationem,nō habitum.Vt ergo viri Ecclesiastici veras sui muneris partes gerant, sui nominis perfectioni respondeant,sibi subditos rectè instruant, Dominóque suo, vt integri serui placeant, præ oculis semper habeant, esse primitias Deo dicatas, omniúmque creaturarum perfectissimos.

§. III.

Qualem honorem, & reuerentiam exigat summa dignitas Sacerdotalis.

OECVMEN. hoc loco sic exponit illud, *vt essemus primitiæ*; hoc est, inquit, primi, & honoratissimi, quasi Deus voluerit primitias suæ

Ecclesiæ, Ecclesiasticos scilicet viros, quales sunt Sacerdotes, & Religiosi, primis honoribus affici, & omni reuerentia coli. Quod etiam in veteris legis Sacerdotibus obseruauit Hiero. ad Fabiolam; quatenus illis Deus præcepit. *Sacerdos super cuius caput fusum est vnctionis oleum, & cuius manus in Sacerdotio consecratæ sunt, caput suum non discooperiet.* Quod etiam Moyses ex ore Domini dixerat Aaroni, & filiis eius, *Capita vestra nolite nudare.* Eam enim voluit esse Sacerdotum authoritatem, vt capita nullatenus discooperirent, quod proprium videtur Regum ac Principum. Et Deut. 17. supremum causarum tribunal apud Sacerdotes constituit, quorum iudicio standum esse iussit dicens: *Sequeris sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram: qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, ex decreto iudicis morte morietur homo ille.* Qua in re illos pares, vel superiores Regibus constituit, quatenus vltimum, & supremum iudicium, & tribunal, vnde non liceret appellare, apud Sacerdotes constituit.

Num. 20 · Num. 10. · Deut. 17

CAVTVM equidem in lege veteri erat ne viri, aut fœminæ vnius Tribus alteri Tribui nuberent, quod præceptum (vt hoc obiter aduertamus) intelligendum maximè est, quando ex connubio viri cum fœmina diuersæ Tribus, hæreditatum confusio sequeretur, sicut rectè annotauit Rua in Quodlibetis, controuersia 3. positiua. Cæterùm viris de Tribu Leui licuit vxores accipere de Tribu Regia Iuda. Sic Aaron qui erat de tribu Leui, duxit vxorem Elisabet sororem Nahason ex Tribu Iuda. Sic Ioiada Sacerdos de Tribu Leui, duxit filiam Regis Zoram, qui erat de Tribu Iuda. Videndúsque est D. Augusti. lib. 23. contra Faust. per multa capita; & lib. 2. de consensu Euang. cap. 2. & 3. Huius igitur rei rationem affert Lyran. dicens: Dispensatum fuit vt Tribus Sacerdotalis, & Regia, possent commisceri tum propter nobilitatem vtriusque, tum vt Reges per Sacerdotes familiaritatem cum eis habentes, in vero Dei cultu tenerentur; adde ne Reges supra Sacerdotes sibi viderentur esse. Tantùm enim honoris deferri voluit Deus Sacerdotibus, qui tunc solùm adumbrabant eos, qui cum Principe, & Rege Regum ad mensam sedent, de mensa enim altaris locum intelligunt D. Ambros. & D. August.

Num. 36. · Exod. 6. · 4. Reg. 11.

NON est etiam omittendum hoc loco quòd cùm in aliis Tribubus viri numerentur à viginti annis, & supra, & pueri, sicut & fœminæ in sacra Scriptura ferè semper omittātur, vt quid ignobilius Leuitas, quos Deus è medio Israël pro omni primogenito accepit, numerari iussit à filio mensis, & supra. Vbi eleganter sanè Oleaster ait: Agnosce Sacerdos, quanti te fecerit Deus tuus, vt te potiùs infantem, quàm sæcularem iuuenem, aut virum velit habere ministrum?

Num. 1.

FACIT & illud quod Philo libro de præmiis Sacerdot. adnotauit, dum quærit rationem, cur Deus Sacerdotum Tribui non adscripsit certam promissæ terræ regionem ad ipsorum sustentationem? Et postquam dixit, vt circa solum Dei cultum occuparentur, &c. infert: Ex his liquet Sacerdotes æquiparari honore, ac maiestate Regibus, siquidem illis tanquam Principibus conferri tributa imperat. Hanc tamen ponit differentiam, quòd

quòd gentes coactæ, & gementes vix tandem conferunt, execrantes quæstores ceu pestem publicam, nunc has, nunc illas excusationes fingendo, ne ad præstitutum tempus tributa repræsentent: at hæc gens Sacerdotibus debitam pecuniam libens, gaudénsque depromit, quasi non daret, sed acciperet. Qua in re voluit ostendere, quanto maior sit Sacerdotum excellentia Regali. Illi enim libentissimè soluuntur tributa, huic verò per tyrannidem, & extorsionem. Et Hieronym. in tradition. Hebraic. ad lib. Paralipom. ait: In libris Regum filij Dauid Sacerdotes; in Paralipom. primi ad 2. Reg 8.
manum Regis scribuntur. Ad vnum enim sensum vtrumque conuenit, quia 1. Pa. 18.
hìc dicit eos primos, & illìc Sacerdotes: quasi velit D. Hier. primos seu honoratissimos, ac Sacerdotes idem ferè debere esse, quod etiam ostendit, & prosequitur Abul. 2. Reg. 8. quæst. vlt.

IN quam sententiam notauit Chrysost. hom. 5. in verba Isai. *Vidi Dominum*; tom. 1. cùm pertractat audaciam Oziæ, qui ingressus est templum Domini, vt adoleret incensum, quod Sacerdotum munus erat. Aduersùs omnem, inquit, supremum principatum legem transgressus est, siquidem Sacerdotium principatus est ipso etiam Regno venerabilius, ac maius. Ne mihi narres purpuram, neque diadema, neque vestes aureas, vmbræ sunt isthæc omnia, Sacerdoti thronus in cœlis collocatus est, & de cœlestibus negotiis pronunciandi habet authoritatem. *Quæcumque ligaueris super terram, erunt ligata & in cœlis, & quæcumque solueris, erunt soluta.* Quid cum hoc honore conferri possit? à terra iudicandi principalem authoritatem sumit cœlum: nam Iudex sedet in terra, & Dominus sequitur seruum. Itaque medius stat Sacerdos inter Deum, & naturam humanam, illinc venientia beneficia ad nos deferens, & nostras petitiones illuc perferens, eóque Deus ipsum Regale caput Sacerdotibus subiecit, nos erudiens quòd hic Princeps est ille maior. Siquidem id quod minus est benedictionem accipit ab eo quod præstantius est.

2. Pa. 26.
Matt. 18.

HINC est quòd in veteri lege tantam voluit esse Pontificum authoritatem, vt neque in suorum morte aliquam mœstitiæ, luctúsue ostensionem præbere permiserit. Quod notauit Philo lib. 2. de Monarch. vbi ait: Vt resistat mœstitiæ, & fortis malit videri quàm miserabilis. Postulat enim in eo viro lex præstantiorem homine indolem; quippe qui Deo sit familiaris præ cæteris, situs in quodam diuinæ, humanæque naturæ (si verum fateri licet) confinio, vt hoc mediatore Deus propitietur hominibus, & eiusdē ministerio porrigat eis, largiatúrque suam gratiam. Noluit itaque Deus superiorem omnibus terrenis hominem de terrenis naturæ incommodis tristari, sed immobilem, & integrum, & quasi nullo carnis affectu tangatur, persistere, vt Regalem & supremum animum omnes in eo agnoscerent: qui enim in confinio diuinæ, humanæque naturæ collocatus est, capite vtique supereminet alto, pedibúsque quæcumque terrena, & humana sunt, debet conculcare, subtúsque habere.

MIRVM vtique in confirmationem huius argumenti id quod notauit Cyprian. epist. 2. ad Cornelium Papam, Apostolum Paulum Ananiæ, qui

eum contra legem,& rationem percuti iussit, dixisse: *Percutiet te Deus pariē dealbate.* & cùm ei dictum esset: *Sic insimulas in Sacerdotem Dei maledicendo?* Sic enim Cyprian. legit; quamuis Domino iam crucifixo, ait Cyprian. sacrilegi,& impij, & cruenti illi esse cœpissent, nec iam quicquam de Sacerdotali honore,& authoritate retinerent, tamen ipsum quanuis inane nomen, & vmbram quandam Sacerdotis cogitans expauit. *Nesciebam*, inquit, *fratres, quòd Pontifex esset.* Et si inane nomen,& vmbram expauit Paulus, videamus,qua reuerentia, & honore debeāt veri Sacerdotes coli,& quanti sint

Exo. 19 faciendi. Enimuerò olim in lege veteri dixerat Deus: *Si pactum meum custodieritis, eritis mihi in Regnum Sacerdotale*; at quoniam non seruauerunt pactū, ideo nobis illa conditionalis promissio fuit impleta, ampliori tamen,& illustriori modo: quod videtur insinuasse Petrus 1. Can. 2. cùm promissionē in Exod. factam longè aliter proponit,& explicat. Nam ibi dicitur, *Regnum Sacerdotale*, at verò Petrus ait: *Vos autem genus electum, Regale Sacerdotium, gens sancta*,&c. Quæ verba meo iudicio excellentiā nostri Sacerdotij exprimunt,& quantùm Regalem dignitatem superet, manifestant. Etenim olim Sacerdotium veluti adiectum erat Regali honori, ideóque Regio veluti substantiuo additur Sacerdotium. Vnde & dicitur: *Eritis mihi in Regnum Sacerdotale.* At verò in lege gratiæ, quia Sacerdotes maiores sunt Regibus,& pluris faciendi, ideo Petrus inuersis verbis,& translata loquendi forma ait: *Regale Sacerdotium*, quasi ipsa etiam Regia maiestas minor, & inferior sit Sacerdotio, cui veluti quid annexum,& minoris momenti adiectiuum apponitur, ideóque dicitur, *Regale Sacerdotium.* Quam loquendi formam obseruauit Clem. Alexand. 7. Stromat. cùm ait: Homo qui est verè Regalis Sacerdos; vbi etiam Regia excellentia additur Sacerdotio, quasi accidens subiecto, à quo sustentatur, & cui innititur, cùm minoris sit entitatis.

1. Petr. 2.

Matt. 21. INGRESSVRVS Christus Dominus Hierusalem Regio triumpho asinam ascendit, cæduntur rami, strata apparet via Discipulorum palliis, communi applausu, infantiúmque acclamatione, subsequentium, & præcedentium vocibus excipitur, adimpletur promissio per Zachariam facta:

Zach. 9. *Ecce itaque Rex tuus; ipse tamen pauper, & humilis*: in Regio triumpho parum curauit diuitias, cultum, & ornatum; sed dum Sacerdotis officium peragere constituit, præter consuetudinem illius, qui nec vbi caput reclinaret habebat, quærit cœnaculum magnum, stratum præparari iubet, pretioso vnguento delibutus exorditur Sacerdotale opus, & si plerisque creditur, in Smaragdo consecrat. Voluit facto ostendere quantùm excedat Sacerdotium Regiam dignitatem, quam in paupertate ostendit, & qui pauper nascitur, magno apparatu consecrat, idque in domo exornata, & præparata peragit: conuenit vtique Sacerdotio omnis cultus, decet Sacerdotalem dignitatem omne decus, & ornamentum, quia omnem superat dignitatem.

Luc. 9 Luc. 22

ET quia suorum dignitatem ita euexit,& supra omnes collocauit, inde est quòd Sacerdotibus, Deóque dicatis viris illatam offensam veluti in se commissam

commissam censeat; quam mentem habuit Paulus dum dixit: *Blasphemamur, & obsecramus.* Etenim blasphemia, vt à Theologis definitur, est falsa loquutio aduersùs Deum prolata. Quomodo ergo Apostolus dicit se blasphemari? nunquid in Deum transierat, aut se Deum voluit haberi? Minimè quidem. Sed nouerat ita Deum velle ab omnibus Sacerdotem coli, timeríque veluti Deum, & illatas Sacerdoti iniurias, quasi ipsi Deo illatas censeri, ideo dicit se blasphemari, vt iam non hominem, sed Deum in homine Sacerdote, & Religioso offensum existimaremus. Vnde Concilium Aquisgranense sub Ludouico Pio Imper. c. 3. tom. 3. Licèt Sacerdotes in multis sint negligentes, non tamen vituperandi, nec despiciendi, sed propter illum, cuius ministerium gerunt, audiendi, & congruo honore venerandi. Post Apostolos enim ad ipsos hæc sententia dirigitur: *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* Quapropter attendendum est quòd Sacerdotum Christi spretio ad iniuriam Christi pertinet, cuius vicem, & ministerium gerunt. Sunt itaque Sacerdotes primitiæ Dei, quos ipse primos, & honoratissimos in Ecclesia voluit esse, sicut interpretatur Oecumenius prædicta verba Iacobi. 1. Cor. 4.

Vers. 19. *Scitis autem fratres mei dilectissimi. Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram. Ita enim viri iustitiam Dei non operatur.*

EXPOSITIO LITERALIS.

PLERIQVE Græci codices hoc loco habent; & ita legit Oecumen. *Itaque fratres mei charissimi*, aut, *Quapropter fratres mei charissimi, sit omnis homo velox*, &c. quod reprobat Feuard. & suspectum dicit. Potest tamen facilè ad bonum sensum reduci, quasi dicat; Etsi hoc sciatis, vtpote in lege instructi, hortor tamen pro meo munere, vt faciatis. Amplectenda tamen est vulgaris lectio, quam Bed. Aug. & alij veteres sequuntur, túncque sensus huius loci est: Notum est vobis omne quod scribimus, notum itidem vniuersa, quæ scribimus, esse verissima, & sanctissima, verumtamen non sufficit vobis hoc scire, nisi sitis veloces ad audiendum verbum Dei, &c. nisi fortè ea particula, *Scitis*, idem sit atque sciatis, vel scire debetis oportere quòd omnis homo sit velox ad audiendum. Et sic intelligit eum locum Lyran. Monet igitur audiendum verbum veritatis omni cura, & diligentia à Doctoribus itidem veritatis, inquit Interlinearis; tardum verò debere esse ad loquendum, nam hoc pertinet ad Doctoris officium, ad quod se ingerere est præsumptuosum; & ita Glossa in præsenti ait. Ne ante tempus præsumat docere, tardum insuper debere esse ad iram, rationémque subnectens, ait: *Ira enim viri iustitiam Dei non operatur.* Est autem ira viri ea, quæ præuenit rationem.

nem. Quo etiam modo actus præuenientes rationem, à Theologis dicuntur actus hominis, id est, quoad substantiam, & entitatem, vel quoad modum operandi.

Hæc igitur ira opus verè iustum, & Deo acceptum non operatur, iracundo quippe bonum, & iustum videtur quicquid ab ira suggeritur; quod dixit Aug. ad Dioscor. Nulli irascenti ira sua videtur iniusta. Vel *ira viri*, id est, ira fortis, & deliberata, & adulta, sicut ait D. Thom. Ideóque non dicit ira pueri, quæ citò transit, & facilè abigitur.

IVSTITIAM Dei non operatur; minùs videtur significare quàm dicit. Significat enim quòd contra Dei iustitiam operatur: nomine verò *iustitia* intelligit omnes virtutes. Qui verò iustitiam virtutem singularem hoc loco intelligit, sciat Iacobum potiùs de virtute iustitia, quàm de alia loqui virtute, quia ira induit magis formam iustitiæ, quàm alterius virtutis, cùm tamen ipsam iustitiam dissipet; sicut dixit Greg. 5. Moral. c. 31. Ira, inquit, iustitiam dissipat, per iram iustitia relinquitur, sicut scriptum est: *Ira viri iustitiam Dei non operatur*, quia dum perturbata mens iudicium suæ rationis exasperat, omne quod furor suggerit, rectum putat.

Nec omittenda expositio D. Thomæ 3. p. quæst. 15. vbi intelligit hunc locum de ira, quæ rationem præoccupat, & ipsam trahit ad operandum, & tunc propriè ira dicitur operari. Nam operatio tribuitur primario agenti, & secundùm hoc intelligitur quòd ira viri iustitiam Dei non operatur. Quando verò ira sequitur rationem, vt instrumentum, operatio quæ est iustitiæ, non tribuitur iræ, sed rationi.

Vel tandem potest esse sensus, *Ira viri*, &c. homo ira percitus, & inflammatus nullum iustitiæ diuinæ locum relinquit, quandoquidem in eo nulla residet humanitas, nulla commiseratio, nulla æquitas, nulla charitas. Ita exponit hunc locum Cassian. lib. 8. Collation. c. 1. Vnde Ephrem tract. de virtutib. & vitiis cap. de iracundia, ait: Homo iracundus audiat Apostolum Iacobum dicentem; *Ira viri iustitiam Dei non operatur*, verè miser, & infelix, omnibus inimicus, apud Deum certè, & homines despectus est. Vnde Tertull. lib. de Orat. c. 10. Quomodo placabit Patrem iratus in fratrem? Qua de re videndus Laurent. Iustinian. lib. de casto Cõnubio Verbi, & animæ, c. 11. & Bed. lib. 2. cap. 28. in Prouerb. Salomonis.

§. I.

Proponitur vtilitas audiendi verbum Dei.

TRIA monet hoc loco Iacobus: promptitudinem scilicet ad audiẽdum verbum Dei, maturitatem in loquutione, & tarditatem in ira. Et quod attinet ad primum, meritò incipit Apostolus ab auditu; hoc enim primò nobis Deus cõmendauit, sicut aduertit Ambr. 1. Offic. c. 2. vbi ponderat ea Deut. 6. verba Deuteronomij: *Audi Israël, Deus, Deus tuus, Deus vnus est.* Prima vox, inquit, Dei dicit tibi, audi, si audias, custodies vias tuas, & si lapsus es, citò cor

corrige:non dicit loquere,sed audi.Ideo Eua lapsa est, quia loquuta est viro,quod non audierat à Domino Deo suo.Hoc ipsum à nobis velle Deum ostendit ceremonia illa Leuitici, vbi in consecratione Sacerdotis extremum auriculæ sanguine tangebatur illius victimæ, quæ offerebatur:ísque sanguis,sicut notauit Theodoret.quæst.8.in Leuit.typus erat sanguinis salutaris.Est autem prima via salutis audire Dei verba, túmque faciliùs efficacia,& virtus salutaris sanguinis in nobis apparet, cùm aures verbis salutis aperimus:& ideo fortassis hoc sacrificium,quod nostra Vulgata appellat *consecrationis*,vocarunt Septuaginta,*explicationis*,alij verò *consummationis*, quasi ea ceremonia voluerit Deus nobis esse inculcatum, primum totius consummationis, & perfectionis gradum, & exordium consistere in audiendo Dei verbo.Quod videtur agnouisse Dauid, quando dixit Domino; *Aures autem perfecisti mihi*.i.me promptum ac paratum ad audiẽdum reddidisti.vbi Chaldaicè habetur:*Aures ad auscultanda præcepta tua formasti mihi*. & D.Hierony.ex Hebræo transtulit, sicut & Rabbini. *Aures perfodisti*, seu, *aperuisti mihi*.i.me seruum tuum perpetuum fecisti,aures perforando, quod erat apud Israëliticum populum signum serui,vt patet ex lib. Exod. & denotat etiam seruum Dei velocem debere esse ad audiẽda Domini sui præcepta,& ad hoc perforatas, seu apertas habere aures. Quod etiam mihi probat Salomon dũ petiit à Deo *cor docile*,vbi Hebraicè habetur, *cor audiens*, Græcè verò,*cor sapiens*.Non enim fiet particeps sapientiæ Dei, neque ab eo edocebitur nisi cor audiens, quod velox fuerit ad audiendam diuinam sapientiam,& dixerit,loquere Domine,quia audit seruus tuus.

Leuit.8.
Ps.39.
Exod.21.
3.Reg.3.

MIRVM equidem quòd cùm omnes viri Israël Gedeoni dixerint:*Dominare nostri tu,& filius tuus,& filius filij tui*;ipse responderit: *Non dominabor vestri,&c. dixitque ad eos:Vnam petitionem postulo à vobis; Date mihi inaures ex præda vestra*. Qua in re voluisse videtur suorum aures profanis inauribus minimè ornari,sed promptas, & peruias Dei verbis esse, & solas eas inaures habere, quas sponsi sodales sponsæ promiserunt se facturos. Super quæ verba sic ait Ber.Serm.41.in Cant.Fides ex auditu, audi filia, & vide: videre desideras,sed audi priùs,gradus ad visum est auditus, proinde audi, & inclina aurem tuam ornamentis,quæ tibi fecimus. Vnde Origen.homil. 8. in Exod.Tu ergo si verbum Dei,quod in Ecclesia prædicatur, tota fide, tota deuotione suscipias,fiet tibi ipsum verbum quodcumque desideras, si tribularis, consolatur te Deus dicens: *Cor contritum,& humiliatum Deus non spernit*.Si lætaris pro spe futura,cumulat tibi gaudia,dicens: *Lætamini in Domino,& exultate iusti*.Si iracundus es,mitigat te dicens:*Desine ab ira, & derelinque furorem*.Si in doloribus,sanat te dicens: *Dominus eleuat de terra inopem*. Sic ergo manna verbi Dei reddit in ore tuo saporem quemcumque volueris, dummodo per aures ingrediatur.Ideo ergo Gedeon paratas suorum aures voluit, dum inaures postulauit, quò per eas omnia hæc bona possent aditum in animam reperire.

Iud.8.
Cant.1.
Psal.50.
Psal.32.
Psal.36.
Ps.112.

IN quam sententiam tropologicè intellectus venit ille locus Amos cùm ait:*Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura,aut extremum auriculæ, sic eruen-* Cap.3.

1.Petr.5. *tur filij Israel.* Supponamus Leonem illum rugientem, *qui circuit quærens quem deuoret*, aliquam tandem ouem boni Pastoris deuorasse, ita tamen, vt adhuc remanserit extremum auriculæ extra Leonis os: adhuc, inquit Deus, hæc ouis omnino non periit, possum enim ego diuinus Pastor ad aurem vocare, imò per eam totam ouem extrahere, dum enim superest auris ad auditum, adhuc ad vitam potest reuocari, imò & per me reuocabitur. Qua de re videndus Bern. Serm. 28 in Cant. vbi inter cætera sic de Centurione, ad vocem Christi clamantis, conuerso ita habet. Si attenderet quod apparebat, quid nisi deforme, & nigrum oculis spectantium occurrebat, & solus erat risui, qui solus potuit esse terrori, solus honori esse debuerat? Vnde igitur ad-
Mat. 27. uertit pulchritudinem videns quòd sic clamans expirasset? Ergo ad vocem credidit, ex voce cognouit: erat enim fortasse ex ouibus eius, de quibus ait:
Ioan. 10. *Vocem meam audiunt*; oculum species fefellit, auri veritas sese infudit, auri Dei Filius, auri formosus innotuit. Oportebat enim vt vnde irrepsit morbus, remedium intraret, & per eadem sequeretur vestigia vita mortem, tenebras lux, venenum serpentis antidotum veritatis, auris prima mortis ianua, prima aperiretur & vitæ. Non difficile proinde erit extrahere totam ouem, cuius extremum auriculæ extra os Leonis remansit.

IDEO vbi diuinum verbum aperto ore cœpit in terris insonare, ac docere, statim diabolus aures hominum curauit obstruere. Quod optimè notauit Chrysol. Serm. 52. in eo homine qui Christo dixit: *Magister attuli filium meum habentem spiritum surdum, & mutum.* Nõ dixit, ait Chrysolog. Attuli filium meum surdum, & mutum, sed habentem spiritum surdũ, & mutum. Nunquid nequitia spiritalis humanis distinguitur mẽbris, & sensibus angustatur humanis? parum esset, si hoc pater solus sua supplicatione dixisset: sed Dñs ait; *surde, & mute spiritus ego præcipio tibi: exi ab eo.* Respondens verò propositæ quęstioni ait: Hoc loco quid Diabolus homini fecerit declaratur, antiquus refuga vbi Deũ terris reperit aduenisse, obstruxit aures hominũ, & obseratis humani sẽsus foribus spelũcæ suæ latebrã pectus fecit, & parauit humanũ: æstimãs quòd illuc auditus verbi, & virtus diuini nominis penetrare nõ posset, & patres desperarẽt curare posse eũ qui audire non poterat; quandiu enim aures diuinæ prædicationi patent, & cœlesti admonitioni auditus pręstò est, via salutis diuino fauente auxilio potest facilè aperiri.

HOC etiam confirmare possumus ex August. tract. 42. in Ioan. vbi sermonem Dei similem dicit esse hamo, sicque capere fidelem, sicut is piscem capit; tunc capit, inquit, quando capitur, & si sermo meus caperetur, caperet.
Osee 5. Possumus etiam in eodem sensu intelligere illud Oseæ: *Et ero quasi leæna Ephraim*, vbi paraphrasis Chaldæa habet, *Verbum meum quasi leæna erit domui Ephraim.* Sustulit igitur quis leænæ filios è cubili, vbi eos reliquerat, dum ad venationem abiit, postquam ablatos inuenit ferocissima redditur, de ea enim tunc temporis dixit Virgilius 3. Georg.

Tempore non alio catulorum oblita leæna
Sæuior errauit campis. ———

Etenim postquam ablatos catulos inuenit, rugiens insequitur eum, qui extra

extraxerat, qui dum crudelē rugitum audit, deponit leũculos, ſeq; fugæ commendat in tutiorem recondens locum. Sic vox Dei audita, qui veluti leæna filios lamentatur ablatos, facit vt deprædator relinquat prædam, vt in cubile Leonis Iuda reducatur. Sic primum hominem reduxit, non ad pristinam innocentiam, ſed ad primam gratiam, dum in Paradiſo clamando ait: *Adam vbi es?* Qua de re videndus Ambr. lib. de Paradiſo cap. 14. & Bern. loco citato. Geneſ. 3.

Vnde iam poſſumus intelligere cur Chriſtus Dominus Lazarum ſuſcitaturus, priùs lacrymatus eſt. Nunquid lacrymis indigebat, vt exaudiretur à Patre, aut lacrymis poſtulabat vitam, qui vita erat? Nihil horum puto fuiſſe in cauſa, ſed quòd iamiam viderit quatriduanum mortuum è ſepulchro rediuiuum ad ipſius vocem velociter aſſurgere, viuentes verò homines veluti Deo mortuos, Dei verbum nolle audire, imò & eo audito in peccati ſepulchro adhuc ſopitos iacere. Qua de re videndus eſt Origen. homil. 13. in Exod. vbi ita ait: Illæ mulieres, quæ inaures ſuas obtulerunt, vt fieret vitulus, inſipientes erant, quæ à veritate quidem auerterunt auditum, ad fabulas autem impietatémque conuerterunt. Videndus item Bern. Ser. 1. in Septuageſ. Nonnullos, inquit, ſic interdum audientes inuenies, acſi nihil omnino ad eos pertineant, quæ dicuntur, non intrare cor ſuum, non diſcutere mores ſuos, non cogitare, ne fortè quod audiunt dictum ſit propter eos, magis autem ſi, ſermo Dei, qui ſuo, non eius qui loquitur arbitrio fertur quocumque voluerit, ſi, inquam, manifeſtè aduerſùs vitia illa proceſſerit, quibus ſe ſentiunt obligatos, diſſimulant, & auertunt oculos cordis. In his ego ſalutis ſigna non video; magis autem vereor ne fortè non audiant verbum Dei, quia non ſunt ex Deo. Ioan. 11. Exod. 32. 2. Tim. 4.

Facit etiam id quod habet Philo lib. *Quis ſit hæres rerum diuinarum* Multi, inquit, aures in auditorium, non mentem afferunt, ipſi foris interim vagantur, & multa de multis apud ſeipſos agitant: dum hæc cogitationi obſtrepunt, fieri non poteſt vt exaudiatur qui loquitur. Nam eius vox non ad homines fertur, ſed ad inanimatas ſtatuas, quæ aures habent, & non audiunt. Meritò proinde Apoſtolus ante alia cõmẽdat, vt veloces ſimus ad audiendum verbum Dei, percipiendúmque per aures remedium malorum noſtrorum.

Et quia ſic ad ſalutem conducit auditio verbi Dei, caſtáſque aures voluit nos habere; quod notauit Ephrem in eo quòd Chriſtus Dominus os diabolo tradiderit oſculandum. Vnus enim Iudas diabolus erat, aures tamen ſeruauerit dum dæmones ipſum laudántes noluit audire, imò à ſe abegit; quod etiam fecêre Apoſtoli ab eo edocti. Inquit igitur Ephrẽ tract. de linguæ malo, aliiſque vitiis: Vnde mors principium habuit? nónne per aures Euæ, dum eam ſerpens alloquitur, aditum ſibi patefacit? Poteſt enim improbus dæmon per os loquentis tacentem occidere, & quem proprio lædere nequit ore, per auditum interficit. Dæmones ipſos clamoribus veritatẽ confitẽtes Saluator noſter obmuteſcere iuſſit. Cur Apoſtoli dæmonem à quo laudabantur, audire renuerunt? Nónne ideo ne mun- Act. 16. Luc. 4. Act. 16.

dæ ac castæ eorum aures impuris illorum vocibus contaminarentur? Seipsum sponte morti obtulit Saluator, & sermonibus mendacij aurem nequaquam præbuit; os suum aperiens acetum cum felle gustauit, qui scelesti verba auribus excipere recusauit: os proditori osculandum exhibuit, & deceptori responsum dare noluit. Sic & tuum os maledicis osculandum præbe, aures verò minimè. Nam si tuum illis os præbueris, osculum illos condemnabit, sin aures illis accommodaueris, iam te verborum gustus occidet. Nónne totum corpus militis ferreo thorace munitur? accidit autem & illud ob laxiorem constitutionem lædi: nam si per tenuem aliquam rimulam telo aditus patefiat, strenuo militi mortem affert. Quanto magis per apertas aurium fores morti ingressus dabitur? Magna siquidem est auris fenestra, quippe per quam mors in mundum ingressa cunctas deuorauit gentes, ac nationes, & insatiabilis adhuc remanet.

In quam sententiam notauit Clemens Alexan. 1. Stromat. debere nos non solùm linguam, sed aures etiam castas habere. Namque sicut notauit Plut. de Auditione; *Solam hanc viam auditus sibi virtus reliquit. Vitiis enim*, inquit, *multæ partes corporis, multáque loca aditum, spatiúmque ad animam penetrandam præbent, vnica virtuti ansa aures sunt.* Et Senec. epist. 124. *Claudendæ sunt aures malis vocibus etiam primis, nam cùm initium fecerunt, admissaq; sunt, plus audent.*

Observandæ proinde sunt aures, ne diaboli suasionibus pateat aditus, idque maiori cura, quia semper aures patent, obturandæ tamen diabolico incantatori; prudenti verò aperiendæ: sic enim prædicatorem verbi sui appellauit Deus apud Isaiam cùm ait: *Auferet prudentem eloquij mystici;*
Isai. 3. vbi Theodotion vertit: *Prudentem incantatorem*; Hieronym. verò exponens hunc locum ita ait. Incantator mihi videtur esse eruditus, & exercitatus tam in lege, & Prophetis, quàm in Euangelio, & Apostolis, qui possit singulas animi perturbationes sua sanare doctrina, & ad statum mentis reducere, dum & scortator recipiet castitatem, & ganeo frugalitatem. De istiusmodi incantatoribus contra serpentes, & aspides, id est, contra pec-
Psal. 57. catores, Dauid loquebatur. *Furor illis secundùm similitudinem serpentis*, &c.

Merito autem portæ animæ, quæ sunt aures, reserandæ sunt prædicatoribus, quia & ipsi in Scriptura portæ nostræ salutis dicuntur. Sic enim intelligit Gregor. hom. 15. in Ezech. vbi ait. Potest *porta* nomine vnusque prædicator intelligi, quia quisquis nobis ianuam Regni cælestis ore suo aperit, porta est. In quam sententiam videndus est Bern. Serm. 28. in Cant. cùm quærit: quare potiùs Petrus auriculam serui, quàm aliam partem amputauerit? Vt viam, inquit, faceret veritati. Videndus etiam Greg.
Act. 7. Nicen. Orat. de sancto Stephano ad ea verba. *Continuerunt aures suas.* Neque enim dignæ erant, ait, profanorum, & impurorum aures, quæ diuinæ ap-
Hiere. 7. paritionis exciperent narrationes. Videndus etiam Hierem. c. 6. ad ea verba: *Quem alloquar, aut contestabor? Ecce incircuncisæ aures eorum, & non possunt audire.* vbi Theodoret. Vocat aures incircuncisas, quæ sine discrimine excipiunt omnia, cùm tamen noster Apostolus velocitatem solùm in audiendo

diendo verbo Dei prædicet, vt velociter etiam se ad eum conuertat, nam sicut dixit Horatius epist. 1.

Nemo adeò ferus est, vt non mitescere possit:
Si modò culturæ patientem accommodat aurem.

§. II.

Auditores verbi Dei debent exequi ea quæ audiunt.

OECVMENIVS hoc loco aduertit, non esse hæc verba Iacobi intelligenda tantùm de nuda auditione, sed potiùs docere strenuitatem in opere,& referenda ad eum, qui postquam audiuit, procedit ad ea præstanda,quæ audiuit. Nouit enim, inquit Oecumen. eum qui subdit auditum cum studio ad ea,quæ dicuntur, & præbiturum seipsum paratum ad eorum operationem. Et hi sunt veri auditores verbi Dei. Neque enim omnes qui audiunt,sunt auditores verbi Dei, sicut dixit Theophylact.in Matth.11. Ideóque Christus clamabat, *Qui habet aures audiendi,audiat*; super Luc. 11. quæ verba Gregor.homil.15. in Euangel. ait. Omnes qui illìc aderant,aures corporis habebant, sed qui cunctis aures habentibus dicit; *Si quis habet aures audiendi,audiat*; aures proculdubio cordis requirit. Curate ergo vt acceptus sermo in cordis aure remaneat.Curate ne semen extra viam cadat, &c. Similiáque habet August. Serm. 18. de verbis Domini. Surdos quàm multos, inquit, ante oculos suos Dominus intuebatur, cùm diceret: *Qui habet aures audiendi, audiat*. Quis enim ante illum sine corporis auribus stabat? Quas ergo alias aures nisi interioris hominis requirebat?Ad hoc ergo sermo Dei prædicatur, ad hoc exhortationes Ecclesiæ morales, ad emendandas carnales concupiscentias.

QVANTVM autem valeat vera auditio verbi diuini, de qua hìc est sermo, & proinde quanta cura, & diligentia veloces ad illud audiendum debeamus accurrere,ostendit D.Bernard.Serm.de multiplici vtilitate verbi Dei audiendi, cùm ita ferè ait:Sicut Deus in cœlo clarè visus erit omnia in omnibus ad glorificationem, iuxta illud: *Vt sit Deus omnia in omnibus*; ita 1.Cor.15. verbum Dei in hac vita auditum iam est omnia in omnibus ad iustificationem.Audiat illud peccator,& statim conturbabitur. *Audiui,& conturbatus est venter meus*; & licèt mortuus sit in peccato,si audierit,viuet: *Verba quæ* Abac. 3. *ego loquor,spiritus, & vita sunt*.Si cor induratum fuerit, verbum Dei liquefa- Ioan. 6. ciet illud;*Emittet verbum suum,& liquefaciet ea*,&c.

TANDEM conducit ad hanc diligentiam, & promptitudinem au- Psal. 45. diendi,& obseruandi verbum Dei,quia melius,& vtilius est eum modò audire vocantem,consulentem,& ad multum exprobrãtem, quàm in iudicio audire reprobrantem. Quod dixit Bernard. Serm. de verbis Abacuc. *Super custodiam meam*, &c. vbi affert ea verba: *Hodie si vocem eius audieritis,nolite obdurare corda vestra*. Vtilius,inquit, & multo salubrius est hodie audire eum consulentem, admonentem, docentem, & ad multum redarguentem, increpantem, &c. quàm in die illa tam amarè audire illum iudicantem, &

 condemnan

condemnantem, &c. Meritò proinde Iacobus monet, vt omnis homo sit velox, & promptus ad audiendum verbum Dei.

MONET tandē hic locus diligentiā, & celeritatē in doctrina, ac rebus salutis adhibēdā, sicut notauit idē Oecu. in quibus nullatenus est immorādum. Sicut enim dixit Nazianzen. Orat. in sanctum Baptisma: Pari in vitio sunt promptitudo ad vitium, & procrastinatio ad virtutē. Ideóque Mich. 7.
Mich. 7. dicitur: *Præcoces ficus desiderat anima mea*, seu, vt habent Septuaginta, & legit Theodor. *Primitiua desiderauit*. Sunt enim ij fructus, qui velociùs cæteris, citiúsque marcescunt. Eorum namque virtutibus Deus maximè delectatur, quæ citiùs ac velociùs Deo proueniunt, & ad diuini Solis illustrationem, internámque vocem statim conuertuntur. Vnde rectè notauit Philo
Genes. 4. lib. de Sacrificio Abelis, & Cain, illud Genes. 4. *Factum est post aliquot dies, obtulit de fructu terræ munera Domino.* Duplex, inquit, seipsum amantis crimen. Vnum, quòd post aliquot dies, non continuò gratias egit, alterum, quòd de fructu obtulit, non de primo fructu; vbi videmus tarditatem, & negligentiam, veluti duplex crimen obiurgari. Et lib. de Abraham aduertit idem Philo, velocem eum fuisse ad audiendum, & exequendum Dei mandatum circa egressionem de terra, & cognatione sua, dicítque: Iter accelerauit in regionem exteram; rem factam se habere putans, si mandatum exequeretur celeriter. Quæ totidem verbis habet Origenes homil. 4. in Genes. Hanc proinde diligentiam nobis commendatam esse voluit Apostolus cùm ait: *Sit autem omnis homo velox ad audiendum.*

§. III.

Proponitur excellentia obediendi verbo Dei.

NEQVE verò erit inepta expositio, si dicamus per hæc verba; *Sit autem omnis homo velox ad audiendum*, inculcatam esse promptitudinem, & obedientiam ad obsequendum verbo vitæ, quo nos genitos esse dixerat. Est enim frequentissimum in sacris literis per *auditum* significari obedientiam. Videatur August. Hieronym. Cassiodor. Lyran. & alij ad Psalm. 39. ibi.
Psal. 39. *Aures autem perfecisti mihi.* Videantur & expositores in Leuit. 8. *Dum aures in-*
Leuit. 8. *tinguntur sanguine.* Videndus etiam Pierius Valerian. lib. 3. & lib. 33. Quod ostendit Theodoret. quæst. 45. in Exod. cùm quærit, cur Deus perforari ius-
Deut. 15. serit aurem Hebræi serui libertatem recusantis. Et respondet: Indicat signum illud auditus organo appositum, seruum omnem obedientiam præstare debere. Et Aug. Serm. 64. de verb. Domin. ad id quod Christus dixit:
Ioan. 5. *Venit hora quando mortui audient vocem Filij Dei.* Quid est, inquit, qui audierint? Qui obedierint, & obtemperauerint, ipsi viuent.

COMMENDAT igitur iuxta hanc expositionem, promptitudinem ad obediendum verbo Dei, quam etiam commendauit Bernard. in eo quod
Act. 9. Paulus statim ac vocem de cœlo audiuit, dixit: *Domine, quid me vis facere?*

O breue verbum, inquit Bernard. Serm. de Conuersione Pauli, sed efficax, sed dignum omni acceptione! quàm pauci inueniuntur in hac perfectæ obedientiæ forma, qui suam ita abiecerint voluntatem, vt neque cor ipsum proprium habeant, vt non quid ipsi, sed quid Dominus velit omni hora requirant, dicentes sine intermissione: *Domine, quid me vis facere?* & illud Samuelis; *Loquere Domine, quia audit seruus tuus.* Eheu! plures habemus Euangelici illius cæci, quàm noui Apostoli imitatores. *Quid vis* (ait Dominus ad cæcum illum) *vt faciam tibi?* quanta est miseratio tua Domine, quanta dignatio tua? Siccine Dominus quærit, vt serui faciat voluntatem? Verè cæcus ille, quia non considerauit, non expauit, non exclamauit. Absit hoc Domine: tu magis dic, quid me vis facere? Hoc idem prosequitur Greg. 33. Moral. cap. 24. Intueri libet vbi est sæuus prosequutor, vbi lupus rapax? Ecce in ouem iam versus est, qui percontatur à Pastore semitam quam sequatur. *1. Reg. 3.* *Matt. 10.*

Sancta illa quatuor animalia quæ ostensa fuère Ezechieli; statim ac impetus spiritus adueniebat, citato cursu ferebtur. Cursus velocitatis rationem si inquiras, ea aptissima occurrit. Quòd quatuor illi vultus, quatuor mundi partes respiciebant, vnde ad nullam poterant mitti, ad quam priùs conuersum vultum non haberent, quasi iam in via essent, vt quocumque mitterentur, abirent; & quia parati erant celeriùs conficerent iter. Viden' igitur si accommodatius obedientiæ symbolum vsquequaque possit reperiri? debemus siquidem, si veri obedientes esse velimus, eam animi præparationem habere, vt quocumque mittamur, iam illò conuersam inueniat faciem adueniens præceptum. Sic enim veloces erimus, non solùm ad audiendum, sed ad exequendum diuinum mandatum. *Cap. 1.*

Vnde August. Serm. 68. de Tempore, laudans Abrahami obedientiam ait: In re tam ardua nulla illi dubitatio fuit, sed sententiam Domini, tanquam qui optaret, accepit. Et Tertullian. lib. de Pœnitent. ait: Audaciam existimo de bono Diuini præcepti disputare. Et Bernard. epist. ad Adamum Monachum: Non est dubium, inquit, quin maiorem gratiam mereatur qui se paratum exhibet ad mandatum, quàm qui obedire satagit post mandatum. Quibus habet similia D. Hieronymus tom. 4. in regul. Monachor. cap. 10. vbi loquens de Patribus, qui in eremo degebant, ita ait; Subditi antea conabantur iussa implere, quàm forent emissa, & quibusdam quodammodo indiciis nitebantur prophetare de voluntate mandantis. Ideóque verus obediens Simon (sic enim hoc nomen exponitur) statim ac audiuit Magistrum adesse, se misit in mare, quò velociùs ad ipsum properaret. Cæteri nauigio veniunt, ipse solus ante omnes, vel mediis fluctibus vult accedere. *Ioan. 21.*

Insignis prorsus obsequij, & obedientiæ disciplina fuit illa, quam adolescentes in afferenda Dauid exoptata cisternæ aqua exhibuerunt: statim namque atque ipsum Regem sitientem audierunt, per medios hostium cuneos irruentes afferunt aquam. Maximum obedientiæ opus fuisse ait *2. Reg. 23.*

ait Ambros. in Apologia Dauid cap. 7. in qua permisit Rex suos milites exerceri, vt etiam per pericula voluntarij milites obtemperarent; noluit tamen bibere, & profudit illam Domino. Dignum enim, inquit Ambrosius, tanto munere fuit, vt quæ erat viuidæ virtutis insigne, fieret pietatis sacrificium. Enimuerò opus tantæ obedientiæ non Regi debuit, vel etiam sitienti inseruire, sed Deo, cui soli ea debetur offerri. Ideóque Cassian. lib. 4. Institution. cap. 12. ait de Monachis; Cum sonitu pulsantis ostium, ad orationem scilicet, seu opus aliquod inuitantis, certatim è cubilibus suis vnusquisque prorumpit, ita vt is qui opus scriptoris exercet, quam repertus fuerit inchoasse literam, finire non audeat, sed in eodem puncto, quo ad aures eius sonitus pulsantis aduenerit, summa velocitate prosiliens, ne tantùm quidem moræ interponat, quantùm cœpti apicis consumit effigiem.

Optimum autem consilium erit, quò velociores simus ad obediẽdum, illud quod Hieron. in epist. ad Rusticum de forma bene viuendi ponit: Præpositum, inquit, timeas vt Dominum, diligas vt parentem, credas tibi salutare quicquid ille præceperit. Nec de maiorum sententia iudices, cuius officium est obedire, & implere quæ iussa sunt, dicente Moyse: *Audi Israël, & tace.* Aduertit autem Bernard. Serm. de quadruplici bono; Euam dubitando de præcepto Domini, aperuisse viam, vt diabolus eam deciperet. Nihil enim magis tentator exoptat, quàm si quem disceptantem, & dubium inueniat circa diuina iussa. Quod Deus, inquit Bernar. pro certo posuerat, dicens: *In quacunque die comederitis, morte moriemini*, ista sub dubio supponit; *ne fortè moriamur.* Audi igitur ingenium, malitiámque serpentis, *nequaquam*, inquit, *moriemini*. Deus affirmat, mulier dubitat, Satan negat. Si & ego timeo, ne sicut serpens Euam seduxit astutia sua, sic & sensus vestri corrumpantur. Ideóque Gregor. lib. 2. in lib. Reg. c. 4. Vera obedientia nec Præpositorum intentionem discutit, nec præcepta discernit, quia qui omne vitæ suæ iudicium Maiori subdidit, in hoc solo gaudet, si quod sibi præcipitur, operatur. Nescit enim iudicare quisquis perfectè didicerit obedire, quia hoc tantùm putat, si præceptori obediat. Puer Samuël nec vocatus, nec repulsus offenditur, quia vocantis, aut repellentis animum videre noluit, qui in hoc solo gaudere nouerat, quòd obediuit. Præceptum namque in hoc solùm pensari debet, quòd maioris præceptum est, & qui obedientiæ bonum exequitur, non inunctum opus debet considerare, sed fructum.

Genes. 2.

Veloces tandem simus in audiendis, & exequendis diuinis præceptis, quò in terris similes simus spiritibus Angelicis potentibus virtute ad audiendam, & exequendam vocem Domini. Qua ratione D. Bonauent. tom. 2. de Ecclesiast. Hierarch. comparat obedientes principatibus cœlestibus, qui, vt inquit Dionys. ab eo relatus, ad principalem principatum Dei formiter sunt motiui. Qui ergo, inquit Bonauen. suis maioribus humiliter obtemperãt, in se principatuum ordinem repræsentant, & de ministris Dei dicitur: *Ibant ad similitudinem fulguris coruscantis*: quod miram celeritatem in

Ezech. 1.

in obedientia significat:licèt enim fulgura celeriter accendantur, semper tamen aliqua temporis mora interponitur, qua ignis possit materiam superare: coruscare autem possunt vno, & eodem temporis puncto per vniuersam aëris regionē;sic itidem & animalia mysteriis plena cursum suum ad spiritus iussionem incitabant, vt arsisse, vel potiùs effulsisse tanquam fulgura viderentur. Hanc ergo diligentiam,& promptitudinem obedientiæ nobis hoc loco commendat Iacobus, dum ait: *Sit autem omnis homo velox*,&c.

§. IV.

Quantùm conducat tarditas ad loquendum,& præmeditatio sermonis.

POSTQVAM audiendi celeritatem docuit Apostolus,tarditatem iam præcipit in his,quæ periculosam habent administrationem,vt sunt loqui,& irasci.*Tardus*,inquit,*ad loquendum,& tardus ad iram.*Nam & inconsulta loquutio, & incircumspecta ira non nouit vnquam in debitum desinere,sicut hìc aduertit Oecumen.Ideóque Aug. in Psal. 139. ex hoc loco sic deducit,qualis debeat esse seruus Dei; vt magis,inquit,optet audire,quàm dicere,sicut scriptum est.*Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum*; & si fieri potest., hoc cupiat, non habere necessitatem loquendi.Vnde & Ioannes non tam gaudebat, quia loquebatur, sed gaudebat,quia audiebat.Ait enim:*Amicus sponsi stat, & audit eum, & gaudio gaudet propter vocem sponsi.* Gaudium tibi sit in auditione Dei, & necessitas tibi sit in loquutione tua.Et Nazian. Orat. 2. Apologet. reddens rationem huius dicti Augustini,ita ait:Semper minùs periculosum esse audire quàm loqui existimetis, ac proinde libentiùs de Deo quidpiam discatis, quàm doceatis. *Ioan.3.*

IN quam sententiam notauit Ambros.Psalm. 38. illud Salomonis: *Labia sapientis alligata sunt intellectu.* Quando ergo,inquit, vides illud dentibus proteruis sapientem tacere,dic,ligauit iste intellectu labia sua,seruat thesaurum cordis sui, vt argentum eloquij sui examinatum, & purgatum quando oportet,proferat,ne quispiam priùs fur in cor eius, aut perturbator irrumpat, & ad eos captiuum trahat,quibus flagitia sua vendat. Sic similiter Bernard.lib. de ordine vit.dixit:Alliga, moneo, sermonem tuum ne luxuriet,sit restrictior,& ripis ipsius coërceatur,citò lutū colligit amnis exundans. Quibus verbis videtur ostendere Bernard.in multiloquio non deesse stultitiam,& peccatum,sicut dixit Salomon. Quod optimè explicat apposita similitudo inundantis fluuij. *Prouer 5.* *Prou 10.*

NEC minùs præsens institutum conficit id quod dixit Ecclesiasticus: *Verbis tuis facito stateram*; quem locum sic interpretatur D.Ambros.1.de Offic.cap.3.dicens:Lingua tua menti subdita sit,ad mensuram sermones proferat libra examinatos iustitiæ, vt sit grauitas in sensu, in sermone pon *Cap.28.*

pondus, atque in verbis modus. Hoc se fecisse gloriatur Dauid iuxta expo-
Psal. 44. sitionem D. Hilarij, cùm dixit: *Lingua mea calamus scribæ.* Intelligentis lingua, inquit Hilar. in Psalm. 51. ex meditatione sapientiæ sit, & eadem rursus tanquam calamus scribentis, nihil incompositum, nihil incertum agat, sed his quæ aut cogitata, aut lecta fuerint, obtemperans celeriter ex ratione consilij obsecundet. Vnde Gellius lib. 10. cap. 25. refert ex Capitolino, taciturnitatem esse consiliorum thesaurū. Et apud Persas, teste Curtio lib. 4. ad finem, vetus disciplina silentium vitæ sanxit periculo.

His habet similia Gregor. homil. 11. in Ezechiel. Quasi, inquit, quoddam nutrimentum verbi est censura silentij, & per excrescentem gratiam sermonem accipit, qui priùs ordinatè per humilitatem tacet. Vbi quasi emortua, inania, & famelica ea appellat verba, quæ à silentio non procedunt. Videndúsque est idem Gregor. 7. Moral. cap. vltim. & 3. part. curæ
Psal. 140. Pastoralis, cùm ponderat id quod dixit Dauid: *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis.* Qui ergo, inquit, ori suo poni non obstaculum, sed ostium petiit, apertè docuit, quòd & per disciplinam retineri lingua debeat, & ex necessitate laxari, quamuis os discretum & congruo tempore vox aperiat, & congruo taciturnitas claudat. Similémque expositionem affert Hugo Victorin. lib. de Claustro animæ: Ostium dixit, non murum, si enim murus poneretur, loquendi licentia omnino negari videretur, sed ostium ponitur, quod & tempore, & loco clauditur, & aperitur. Est tempus & locus tacendi, & loquendi.

Neque huic ostio deest clauis, quam dixit esse rationem D. Chrysost. in Ps. 50. Os nostrum, inquit, perpetuò custodiamus, rationem ei tanquam clauem adhibentes, alioqui ostium semper patens incursibus inimicorum facilè ab eisdem diripietur, & tota domus solo æquabitur. Quod etiam confirmat illud Ambros. 1. Offic. cap. 3. vbi notauit quod dixerat Ecclesia-
Cap 28. stic. *Aurum, & argentum tuum alliga*; Argentum, inquit ille, tuum, eloquium tuum est; quasi velit ex ea ratione claudendum esse velut aurum, & argentum, nè furibus pateat, sed claue rationis aperiendum os pro tempore, & ratione.

Semper mihi placuit id quod aduertit Plut. in institut. Laconic. Cephisophontem professum de quauis re per integrum diem se dicere posse, vrbe sua Lacones eiecisse, dicentes; boni Oratoris (addimus, & probi etiam viri) esse orationem rebus æqualem habere. Necessarium enim erat huiusmodi Oratori velocem nimis in dicendo, facilémque ad loquendum esse, qui in re parui momenti tantam inueniret dicendi materiam: at verò dicendi modus rei subiectæ debet adæquari, alioqui extra mensuram vel veritatis, vel dignitatis fœdè egredietur. Sicut notauit Clem. Alex. 1. Strom. Scriptura, inquit ille, ait, ne sis prolixus in sermone; dictio enim est tanquam vestis in corpore, res autem sunt carnes, & nerui: debet igitur sermo adaptari materiæ de qua habetur: qua in re apertissimè falluntur homines, qui quòd multa loquantur, eloquentes se reputari

exi

existimant, cùm vel tacendi imperitiam testentur, vel stultitiam in multiloquio indicent. Primum dixit Philo lib. *Quòd deter. potior,* &c. his verbis. Qui narrant, quæ non decet non eloquentiam ostentant, sed silendi impotentiam. Contra quos Prouerb. 3. dixit Sapiens: *Fili, ne defluas*; quæ verba sic exponit D. Ambros. Serm. 4. in Psal. 118. Quicumque, inquit, est facilis in verbis, velut plenus rimarum hac, atque illac effluens, interiora euacuat sua, & exterioribus passionibus inundatur, tegere se nesciens, nec tenere verbum, quod acceperit. Secundum probat illud Ecclesiastic. *Sagitta infixa femori canis, sic verbum in corde stulti*: sicut etenim canis non acquiescit donec resiliendo infixam excutiat sagittam, sic stultus, & imprudens non poterit consistere, donec quicquid conceperit, ore effutiat, & euomat. Quæ fuit ratio cur Cicero 3. de Orat. appellauerit stultitiam loquacem, quia nequit stultitia tacere dum debet; imò & eadem sunt signa stultitiæ, & loquacitatis; quod notauit Plin. lib. 11. cap. 52. vbi ait; *auricularum magnitudinem stultitiæ, & loquacitatis notam esse.*

Prouer. 3.

Eccl. 19.

LOQVACITATEM igitur innocentiæ, virtutísque naufragium, atque incentiuum prolaptionis, & culpæ, sicut eam appellat Ambros. in Psal. 36. reprehendit Iacobus, dum nos tardos esse ad loquendum iubet, insimul docens hoc necessarium esse, vt securiùs, & meliùs loquamur. Quod ostendit ea excusatio, quam Moyses proposuit Deo, dum ipsum ad legationem mitteret; sic enim ait: *Obsecro Domine, non sum eloquens ab heri, & nudius tertius, & ex quo loquutus es ad seruum tuum, impeditioris, & tardioris linguæ sum.* Qui locus videtur contrarius illi alteri, vbi Stephanus de Moyse dicit; *Erat potens in verbis, & operibus suis*, id est, erat eloquens, iuxta Origenis expositionem homil. 3. in Exod. quam affert Carthusian. At verò cùm se ineloquentem appellauit, Dei comparatione loquutus est. Hugo Victorin. aliam probabilem expositionem assignat, qua docet nihil obesse huic, quam Stephanus videtur affirmare, eloquentiæ, in eloquentiam quam de se Moyses profitebatur in Exodo. Nam dicit, tametsi ex aliorum sententia, propterea se non eloquentem dixisse, quia diu moratus fuerat in terra Madian, videlicet per quadraginta annos, ac proinde oblitus erat linguæ Ægyptiacæ, vt ei Aaron frater, qui ex Ægypto non discesserat, dandus interpres fuerit. Vtraque istarum expositionum probabilis est. Verùm huic postremæ obstare videtur ipse Textus, dicit etenim Moyses; *ab heri, & nudius tertius, & ex quo loquutus es ad seruum tuum.* Attamen Caietan. illud poni vult pro præcedente tempore, & longo. Ex quo sequitur horum verborum sensum esse: Ita iam impeditus sum ad loquendum expeditè coram Ægyptiis ipsorum lingua, vt neque colloquio tuo, qui linguas infantium facis esse disertas, amotum fuerit id impedimentum. Ad præsens verò institutum maximè facit id quod Græcus Auctor in Catena ait; scilicet, Moysem fuisse tardum ad loquendum, quia ita se assuefecerat, vt tutiùs, cautiúsque loqueretur: quod cõfirmat doctrina Naz. Orat. in Quadrages. ieiunij tempus: vbi reddens rationẽ, cur diu à sermone, & loquutione

Exod. 4.

Act. 7.

abstinuerit, ait: Vt res similitudine illustrior fiat; is qui ex longo interuallo sagittam mittens, scopum tamen attigerit, ille vtique propiùs collimans, à scopo haudquaquam aberrabit, is qui amplissima maria naui transmiserit, idem quoque vicina littora legere minimè dubitabit, qui maioribus rebus superior extitit, minores quoque conficiet. Atque hæc mihi causa fuit, cur sermonis vim omnino constringerem, sic enim fore speraui, vt non iam ex ore meo immodicus sermo exundet. Lingua multa quæ tecta esse oportebat, in hominum aures euomuntur. Hæc sæpe ex animo perturbato, grauique ira percito conuitiorum omnis generis velut spumam quandam extra diffundit, omni eam loquendi difficultate ad certum tempus orbaui; sic fiet, vt mediocritatem postea minimè aspernetur sermone domito, atque represso, iræ quoque fluctus non quidem facilè, sed tamen domatur. Hæc Nazianz. cui addendus est Amb. Ser. 22. in Psal. 118. cùm
Eccle. 28. linguæ applicat id quod dicitur de auribus. *Sepi aurem tuam spinis.* Vtinam, inquit, & linguam obsepias, ne loquaris, quæ sæculi sunt, audias quæ sæculi. Quæ verba eadem videntur esse cum verbis Iacobi; *Velox ad audiendum; tardus autem ad loquendum.* Cuius tarditatis rationem reddit in Psalm. 38. Non omne, inquit, otiosum verbum, & criminosum est, attamen omne quod non fructuosum, periculosum est, & eradicabile.

VIDENDVS etiam Plut. lib. de educand. liber. *Quod tacitum,* inquit, *fuit, facilè datur eloqui, quod dictum est, indictum fieri nullo modo potest.* Et lib. de auditione sic ait. *Epaminondam laudans Spintarus aiebat; non facilè se cum alio rem habuisse, qui & plura nosset, & pauciora diceret. Ac naturā aiunt propterea vnicuique nostrum duas dedisse aures, vnam linguam, quòd pauciora loqui debeamus quàm audire.* Quæ omnia manifestè ostendunt quàm rectè Iacobus dixerit tardum debere esse hominem ad loquendum. Quòd si plura adhuc velit loqui, secum quidem loquatur, sicut notauit Seneca epist. 16. dicens: *Nihil proderit æquè quàm minimùm cum aliis loqui, & plurimùm secum.*

§. V.

Vitiosa aliquando ostenditur taciturnitas.

LICET totus hic locus ostendat non esse totum spiritum proferendum;
Prou. 19. quod de stulto dixit Salomon, sed in posterum reseruandum, & vsque ad tempus tacendum, quod in Sponsa laudatum esse asserit Ambr. quan-
Can. 4. do ei à Diuino Spōso dicitur: *Oculi tui sicut columbæ extra taciturnitatem tuam,* quæ postrema verba desumpsit ex c. 4. Cant. iuxta versionem Septuaginta Interpretum. Ideo verò hoc dictum esse putat, quòd & spiritualiter videat, & nouerit tempus tacendi esse, & tempus loquendi, vt in tempore sermonem suum proferat. Quia verò ante hæc verba *extra taciturnitatem tuam:* dixerat Spōsus: *Sicut cortex mali punici gena tua:* videamus quomodo Philo Episcopus hæc verba exponat. Comparatur, inquit, sancta anima malo punico,

punico,quia fouet in sinu suo cogitationum, & desideriorum optimorum grana pulcherrima, quæ se opportuno tempore promunt, & aperiunt. Tempore igitur accommodato præmeditata verba debet prudens Christianus loqui,quod si non faciat,vitio illi vertendum erit,maximè si in publico loco constitutus sit, qui si taceat, meritò cum Propheta potest dicere. *Væ mihi quia tacui*; quæ verba sic explicat D. Grego. 7. Moral. c. 17. dicens: Plerumque nimis taciti dum quorumdam mala respiciunt,& tamen in silentio linguam premunt, quasi cõspectis vulneribus vsum medicaminis subtrahunt, & mortis auctores fiunt, quòd virus, quod poterant eiicere loquendo noluerunt. Vnde & immoderatum silentium, si vitium non esset,Propheta non diceret; *Væ mihi, quia tacui.* Et Hilarius lib.contra Constantium Augustum ait:Tempus est loquendi,quia iam præteriit tempus tacendi, clament Pastores, quia iam mercenarij fugerunt, vlteriùs tacere diffidentiæ signum est, non modestiæ ratio,quia non minùs periculi est semper tacuisse,quàm nunquam, neque immatura loquor, qui diu tacui, nec sine modestia tacui, qui aliquando iam loquor, & ne quidem ex causa mea loqui existimarer, tantum adhibui ad silentium tempus. Similiáque habet N.zian. Orat. ad 150. Episcopos. De aliquibus, inquit, Ecclesiæ Prælatis alij pietatem fugiunt; vt tamen pietatem libera oratione promulgare non audeant,siue certo consilio, & dispensatione, siue metu, atque ignauia eò confugientes,vt qui animo quidem,& mente sani sint, vt affirmãt,cæterũ plebis sanitati minimè consulãt,perinde ac si ipsis nõ aliorum,sed sui dumtaxat cura, & præfectura commissa sit. Qua de re videndus est Bernar.1. de Considerat. & Gregor. 3. p. Pastoral. admonitione 15. Esai.6.

ALIQVANDO etiam debemus loqui, ne quis modestiam in conscientiam ducat,sicut dixit Sallust. in bello Iugurthino; ne quis ex nostro silentio deducat esse culpæ obnoxios.Qua etiam ratione Salomon dixit.*Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur.* Quod confirmat Basil. epist. 75. vbi sic habet.Quoniam multos iam silentium nostrum eò rapuisse video,vt ex illo intentas calumnias confirmarent, nos quoque non lenitatis, ac patientiæ gratiâ,sed quòd ad exprimendam veritatem os aperire neutiquam ausim, eóque silere me arbitrantur, ob eam vobis causam scribere conatus sum. Et Climachus gradu 4. dixit: Non minùs periculosum semper tacuisse, quàm nunquam; alioqui Esaias væ sibi non dixisset, quia tacuit. Prou.26.

ALIQVANDO denique licet modestè loqui, vt exitum aliquem dolori aperiamus, ne interclusus recrudescat, vt maiori tandem impetu extrà feratur. Quod dixit Philo lib.de Ioseph, de ipsius fratribus cum post enarratum somnium odio habentibus. Tegentes,inquit,odium,& dispensantes in tempus aliud, vnde magis augebatur in dies (scilicet odium) nam affectus qui premuntur, ne per verba expirent, grauiores redduntur. Et lib. de somniis dixit: Affectibus, ceu animæ vulneribus oratio remedium est saluberrimum,proindéque aliquando licet loqui,neque id prohibet Iacobus, sed immaturè loqui, dum ait: *tardus autem ad loquendum*

§. VI.

Accommodata ætas requiritur ad docendum, & prædicandum.

HIc locus secundùm mentem Bedæ, admonet aurem quanto citiùs fieri potest, accommodādam esse docenti, serò autem os aperiendum ad doctrinam. Et in hoc sensu apertè est contra eos, qui ante tempus, docendi, ac prædicandi prouinciam assumunt, cùm tamen ad docendum diu priùs edoceri sit necesse, quia prædicandi scientia quodammodo Angelica est, sicut dixit Clemens Alexand. 1. Strom. ac proinde non cuique conuenit. Vnde Cyprian. lib. de Ieiunio, & Tentation. ait; hac ætate (scilicet tricesimo anno Christi) tempus doctrinæ insinuatum esse rationabile, & ante has metas perperam inuadi magisterium. Data est forma, quia non competit annis impuberibus sedere in Cathedra, & in primogenitis boum aratio prohibita est. Et Clem. Alexan. 2. Pædag. c. 7. probatam ætatem in Oratore requirit. Probata, inquit, ætate bona est oratio.

Deut. 15.

ET Nazianz. Orat. 39. quæ est in sancta lumina, notauit, cur Christus ante prædicationem, & miracula, ad trigesimum annum voluerit à Ioanne baptizari. Et respondet: Quæ res nobis documento esse debet, adhibendam priùs esse purgationem, nec antè suscipiendam esse concionandi prouinciam, quàm ad spiritualis, & corporeæ ætatis perfectionem ventum fuerit: hoc ad eos spectat, qui iuuenili ætati confidunt, atque ad instruendam doctrina plebem, aut Ecclesiæ præfecturam amplectendam tempus omne idoneum esse arbitrantur. Iesus trigesimum annum agens, & tu ante lanuginem senes doces, aut docere posse credis, nec ab æ tate, nec à moribus fortasse auctoritatem habens? Ac deinde hìc Daniel profertur, ac nonnulli alij iuuenili ætate Iudicū munere functi, atque in ore, & lingua exempla sunt. Quisquis enim iniustè aliquid admittit, facti sui defensiones in promptu habet: at pro Ecclesiæ lege nequaquam censendum est quod tarò accidit, quandoquidem nec hirundo vna ver, nec geometram linea vna, nec denique nautam vna nauigatio facit. Hæc Nazian. Similia habet Orat. in sanctum Baptisma. Quæ etiam doctrina confirmatur ex D. Greg. Papa lib. 11. Moral. c. 4. vbi ita habet: Infirma ætas etiam cùm rectè sapit, ad prædicandum non debet incautè prosilire, ideóque subditur, *In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia.* Illa enim dicta in sapientiæ radice solidata sūt, quæ per viuendi vsum etiam actuum experimento conualescunt.

Iob. 12.

PLVRA hac de re habet homil. 1. in Ezech. ibi. *Et factum est in tricesimo anno.* Et in hoc sensu etiam D. Thom. 3. p. q. 36. art. 4. respondet secundo argumento quod sibi proposuerat, cur scilicet Christus cùm à principio suæ conceptionis habuerit sapientiæ, & scientiæ thesaurum, non citiùs prædicare cœperit. Dicitque quòd licèt sapientia abscondita sit inutilis, non tamen ad sapientem pertinet, vt quolibet tempore manifestet seipsum, sed tempore congruo. Dicit enim Ecclesiast. 20. *Est tacens non habens sensum loquelæ, & est tacens, sciens tempus apti temporis.* Sic ergo sapientia Christo

Eccl. 20.

da

data non fuit inutilis, quia ſeipſum tempore congruo manifeſtauit, & hoc ipſum, quòd tempore congruo abſcondebatur, eſt ſapientiæ indicium.

Merito igitur Iacobus docet Chriſtianum hominem tardum eſſe debere ad loquendum, maximè in publicis Eccleſiæ conuentibus, & non niſi probatum, legitiméque miſſum docendi munus debere vſurpare, ne temerè, & illotis manibus in ſuggeſtum prodeat, dicturúſque circunſpectus ſit, & prudens, ne lingua mentem præcurrat, priúſque tandem ſit humilis diſcipulus, prudénſque auditor, quàm Magiſter, aut Doctor.

§. VII.

Agitur contra vitium iræ.

Admonet tertiò Apoſtolus, vt tardi, ac pigri ſimus ad iram; qua in re, & prudentem Doctorem, & optimum medicum ſe præbet, dum mortifero, naturali tamen morbo remedium adhibet. Quod etiam notauit Ambroſ. in exhortat. ad Virgines; dum expendit illud Pſalm. *Iraſcimini, & nolite peccare.* Non quò, inquit, imperaret iracundiam, ſed quò id quod naturæ eſſet, & auferri non poſſet, & quaſi bonus medicus remedium daret, vt ipſa iracundia non noceret. Et epiſt. 82. explicans eadem verba Pſalm. Indulget, inquit, naturæ quam homo præuenire non poteſt, mitigare poteſt. Quod etiam docuit Hieron. tom. 4. in regula Monachorum, cùm ait: Grandis offenſa, nolle placare offenſum, quanquam affectus, & perturbationes, quandiu in tabernaculo huius corporis habitamus, & fragili carne circundamur, moderari, & regere poſſumus, amputare non poſſumus. Ideo Pſalmiſta dicit: *Iraſcimini, & nolite peccare*; quia iraſci hominis eſt, & finem iræ ponere Chriſtiani, alioqui mortifera omnino reddetur. *Pſal. 4.*

Agrestis venator, & ferarum inſectator Eſau, qui totus iracundiam redolebat, ſeruitio Iacobi fratris manſuetiſſimi mancipatur, eiúſque ſeruus conſtituitur. *Dominum*, inquit Iſaac, *tuum illum conſtitui*: quò *Gene ſ. 27.* ſcilicet effrænata ira pro libito non excandeſceret, & velox non prorumperet. Rectè, inquit Ambroſ. lib. 2. de Iacob, & vit. beat. cap. 3. cum ſubdidit, vt regentis imperio ſuum melioraret affectum. Domina eſt pietas crudelitatis, manſuetudo duris moribus præſtat; & cætera quæ proſequitur in hanc ſententiam. Cohibenda proinde eſt ira, & tarditate domanda, ne præceps feratur, rationémque præcipitem agat: ideóque Paulus dixit: *Pax Dei exultet in cordibus veſtris.* Græcum autem verbum, pro quo Vulgatus tranſtulit, *exultet*, ſignificat *vincere*, vel *palmam ferre*, ideóque Biblia Regia habent: *Pax Dei ſuperet in cordibus veſtris.* Et Pagnin. *Pax Dei palmam ferat*, quaſi dixerit Paulus: Quando cum aduerſario contendis, & ira exacerbante furere *Coloſſ. 3.* incipis, non vincat, neque exardeſcat iracundia, ſed brauium, & palmam ferat pax, & rationes, quæ ad pacem conducunt. Quam etiam expoſitionem ſequitur Theodoret. dicit enim: Si quis ab aliquo moleſtiam acceperit, habeat in corde pacem Agonothetæ officio fungentem, & regentem.

Debet

DEBET itaque vir prudens tardus esse ad iram, cohibendo illam rationis fræno, ne per furorem excurrat. Vnde Beda hoc loco ita ait: Non velocitatem iræ vetat, vt tarditatem approbet, sed admonet, vt hora perturbationis, ac litium, ne nobis ira subrepat, caueamus, aut si subrepserit, intra oris septa eius cohibeamus impetum, & exacta hora ad integrum à nostro corde expurgemus. Quomodo etiam D. Thom. ad Ephes. 5. lect. 8. exponit

Ephes. 5. illud: *Sol non occidat super iracundiam vestram*, id est, non obtenebretur dictamen rationis. Et Ambros. 1. Off. c. 21. Iracundia, inquit, caueatur, aut si præcaueri non potest, cohibeatur, si præuideri potest, ratione opprimatur, aut si priùs occupatus fuerit animus ab indignatione, quàm consilio prospici, ac prouideri potuerit ne occuparetur; meditare quomodo motum animi tui vincas, iracundiam temperes. Ergo si præuenerit iracundia, & accenderit in te, nó relinquas locum tuum, locus tuus patientia est, locus tuus sapientia est, locus tuus ratio est, locus tuus sedatio indignationis est. Non mediocre est mitigare iracundiam, non inferius quàm omnino non commoueri: hoc nostrum est, illud naturæ. Et Bern. Serm. 29. in Cant. Commotio tua ibi moriatur, vbi oritur, nec permittatur exire, quæ mortem

Psal. 76. portat, ne perimat, vt possis dicere cum Propheta: *Turbatus sum, & non sum loquutus*. Et Basil. homil. de Ira: Da tempus, inquit, ad optimam eligendã partem opportunum: nam è duobus alterum proculdubio consequeris, aut inimicum tuæ mansuetudinis exemplo mitiorem reddes, vel certè si despexeris, acriùs illum vindicabis. Quid enim aduersario durius esse potest, quàm te animum gerere contumeliis omnibus altiorem? Noli tuam pessundare mentem; sine illum frustra te allatrare, in se ipso disrumpi, ardebit magis, & animo æstuabit.

PRÆSENTEMQVE Iacobi locum iubet opponi iis, qui sæpe, ac celeriter ob res etiam nullius momenti irascuntur, atque indignantur, Ephrem de virtut. & vit. titulo de Iracundia. Pro qua re etiam videndus est Chrysost. hom. 3. de Dauide, & Saüle. Et Greg. lib. 5. Moral. cap. 30. vbi ita habet. Quoties turbulentos motus animi restringimus, ad similitudinem redire Conditoris nitimur. Videndus item Plutar. lib. de cohibenda iracundia; vbi docet, in ea ad silentium, veluti in portum recipiendam animam, quam ira aggreditur. Similiáque habet lib. de sera numinis vindicta. Et Senec. lib. 3. de Ira c. 11. *Maximum*, inquit, *remedium iræ dilatio est, vt primus eius feruor relanguescat, & caligo, quæ premit mentem, aut resideat, aut minus densa sit.* Quod fecit, sicut docebat Diogenes, teste eodem Seneca c. 37. eiusdem lib. qui cùm disputaret de ira, adolescens quidam ei in faciem conspuit, cui ille respondit: Non quidem irascor, sed dubito an irasci oporteat. Videndus etiam Philo lib. 2. legis allegoriarum, cùm explicat illud: *Impone super rationale*

Exod. 28. *doctrinam, & veritatem*; in remedium furentis iræ. Et Epictet. in Enchiridio cap. 12. & 21.

DEBEMVS etiam locum iræ dare, quia velocitas in iracundia, maximè circa conuitia illata, eorundem confessio est, tarditas verò innocentiæ contestatio est. Quod notauit Amb. lib. 2. de Interpellatione c. 2. cùm ponde

ponderat ea verba Iob. in c. 19. *Ecce rideo in opprobriis, & non loquar, nec respondebo conuitiis vestris.* Imitemur, ait Ambr. hunc virum, qui silentio suo redarguebat conuitiantes; ostendebat enim virtutem animi sui, quem contumeliæ non mouerent, & conscientiæ innocentiam manifestabat, qui obiecta crimina non recognosceret, sed quasi aliena videret. At si nobis aliquid obiiciatur, dum nos purgare volumus, acerbamus, dum vlcisci cupimus, confitemur. Quod ipsum etiam probat Nazian. Orat. 3. contra Iulianum. Ex eo quod ait Paulus; *Maledicimur, & benedicimus*; quòd scilicet, non tam obiectum crimen, quàm veritas ipsa nos lædat, proindéque non excandescimus ob iniurias illatas. Iob. 19. 1. Cor. 4.

Hoc ostendit Seneca accommodato exemplo eorum, qui ægritudine maxima laborant, qui si vel leuiter tangantur, statim irascuntur, & exclamant: *Vt vlcera*, inquit ille lib. 3. de ira c. 7. *ad leuem tactum, deinde etiam ad suspicionem tactus condolescunt, ita affectus animus minimis offenditur, adeò vt quosdam salutatio, epistola, oratio, & interrogatio ad litem euocent; nunquam sine querela ægri tanguntur.* Et lib. de ira c. 32. *Imbecilla se lædi putant, si tangantur. Si ergo velociter excandescas, & velox sis ad querelas, ægrum te profectò fateris, & laborantem obiecto morbo indicas, alioqui tardus esses ad iram.* In quam sententiam notauit August. Ser. 118. de Tempore; Christum Dominum ad obiecta crimina in passione nihil respondisse. Ambiat, inquit, defendi qui metuit superari, festinet loqui, qui timet vinci, nolo sic defendi iustitiam, sicut solet iniquitas excusari. Susanna inter inimicos tacuit, & vicit. Dan. 13.

Nisi fortè ea sit ratio ob quam nos Iacobus tardos ad iram esse velit, vt nihil omnino exequamur, nisi postquam expergefacti ab ira resipuerimus: est enim quædam mentis insania, proindéque in ea retardādi sumus, ad imitationem Dei, cuius ira tam tarda est, vt in sacra Scriptura idem sit Deum irasci, atque differre. Vnde Ps. 83. *Distulisti Christum tuum*; Hierony. transtulit, *Iratus es aduersùs Christum tuum*, & Ps. 77. *Audiuit Dominus, & distulit*. i. excanduit, & iratus est: statim namque additur, *& ignis accensus est in Iacob, & ira ascendit in Israël.* Psal. 83. Psal. 77.

Pro nostráque eruditione facit id quod notauit Hierony. epist. 83. ponderans ea verba Pauli 1. Timot. 3. *Non vinolentum, non percussorem, sed modestum.* Vnum, inquit, apposuit bonum duobus malis, vt temulentia, & ira modestia refrænentur, sicut enim ebrius ligari, seu teneri debet donec in mentem reducatur; quidquid enim tunc temporis fecerit, rationi dissonum erit, sic & ira percitus, quam appellauit ebrietatem Origen. hom. 7. in Leuit. & insaniam Basil. hom. de ira; debet proinde retineri, & retardari ab exequutione, iracundia affectus, donec rationis compos factus, mentíque redditus secundùm normam rationis possit operari, alioqui nisi tardus fuerit ad rem, & velox in ea cohibendà, tardus erit in illa, quia non tam citò cessabit. Quod notauit Tertull. in eo quod dicit Paulus: *Sol non occidat super iracundiam vestram*; alioqui non iam passio, sed diuturnus morbus erit. Quibus habet similia Aug. in Psal. 25. 1. Tim. 3. Ephes. 4.

Rem hanc explicauit Chrysost. hom. 3. in Ioan. dicens: Vehemens

affectus ira est, nisi mox sedetur, hic morbus multas generat calamitates, domos, & familias totas euertit, veteres dissoluit consuetudines. Occurrendum igitur erit, ne præceps in exequutionem feratur. Pro qua re celebre est illud apud Platonem, cùm baculum contra seruum sustulisset, longo sic constitit tempore, iram, vt ipse aiebat, puniens, & coercens, nolénsque iuxta iræ impetum operari. Quod etiam notauit Ambros. de obitu Theodosij in eodem Imperatore, cùm dicit: Beneficum se putabat augustæ memoriæ Theodosius, & tunc propior erat veniæ, cùm fuisset commotio maior iracundiæ. Prærogatiua ignoscendi erat, indignatum fuisse, & optabatur in eo quod in aliis timebatur, vt irasceretur. Similiáque habet in Exhortat. ad Virgines; vbi ponderat illud Sapientis: *Noli festinare in spiritu tuo irasci, quia ira in sinu stultorum requiescit*, hoc est, etsi causa sit, quæ moueat indignationem, non sit festina vindicta, ne immoderatior calor indignationis exæstuet; non potest auferri, quod naturalis est motus, sed moram inserit, vt medicina consilij temperet iracundiam. Est enim ira grauis passio, sicut dixit idem Ambros. in Psal. 36. Volentémque mitiùs iudicare, in furorem rapit, vt perimat quem putauerit coërcendum, sæpe transuerberat innocentem, amicos, & fratres plurimi peremerunt.

Eccles. 7.

QVAPROPTER laudādum est illud Rom. Decretum Tiberio Augusto, & Germanico secundò Coss. quo statutum est ne sententia mortis damnatus intra decimum diem occideretur; sicut notauit Baronius tom. 1. Annal. Et ne adhuc aliqua suspicio iracundiæ remaneret, spatium dilatauit Theodosius Imperator Catholicus, qui, sicut refert Euseb. Cæsariens. sanciuit ne sententia mortis exequutioni mandaretur vsque ad diem trigesimum.

FACIT etiam id quod notauit Plut. lib. Problemat. vbi reddit rationem, cur Consules Romani lictores sibi præeuntes ducerent, qui facem virgarum simul cum securi asportarent, vt indicarent scilicet, si tandem ad plectendum aliquem deueniendum esset, saltem in soluendis virgis, & præparandis ad supplicium tempus aliquod consumi, ad sedandam iracundiam. Vnde Salomon dixit: *Fatuus statim indicat iram suam*, vel vt alij legunt, teste Hierony. *pronunciat iram suam*; per exequutionem scilicet, quæ in imprudentibus celerrima est. Et hæc est ratio, sicut notauit Augusti. cur Matt. 7. ira leui festucæ comparetur. Vnde Chrysost. hom. 2. de Dauide, & Saüle, notat qualiter Dauid iracundiam vicerit aduersùs Saülem, quem in spelunca facilè potuit occidere. Egressus est, inquit, Dauid de spelunca tanta cum gloria cum quanta tres pueri egressi sunt è camino ardenti. Nam quemadmodum illos non exussit ignis, ita hic non conflagrauit iræ incendio, & illis quidem foris nihil ignis in quo versabantur, nocuit, hic verò cùm intus haberet carbones accensos, cùm foris videret diabolum caminum incendentem, idque variis modis, ab inimici conspectu, ab exhortatione militum, à solitudine eorum, qui Saüli possent auxiliari, à præteritorum memoria, à futurorum periculorum metu, tamen non exarsit Dauid, sed exiuit purus, & intuitus inimici faciē, hinc maximè sumpsit animū fortem, ac phi

Prou. 12.
Matt. 7.
1. Reg. 24

philosophicum,& quemadmodum Daniel ascendit è lacu superatis Leonibus,ita hic sæuioribus animi motibus superatis.Ad imitationem proinde Dauidis,& iuxta doctrinam Apostoli,tardi debemus esse ad iræ commotionem,vel ad iræ exequutionem. Dan.14.

§. VI.

Quantùm conducat mansuetudo ad virtutem.

HÆc insuper,& sequentia verba mitem,ac sedatum animum proclamant,& mansuetudinem prædicant,quæ tam decet Sanctos viros,vt sanctificationem perfectam absque tarditate ad iram negauerit Ber. Sic enim habet Serm. 5. in vigilia Natiuitatis:Sanctificamini magis de virtute in virtutem proficiendo;in quibus tamen sanctificabimur ? Legi de quodam dicente Scriptura;*In fide & lenitate ipsius sanctum fecit illum.* Sanè vt perfecta sit sanctificatio, esse mansuetudinem, & socialis vitæ gratiam à Sancto Sanctorum discamus oportet,sicut ait: *Discite à me,quia mitis sum,& humilis corde.* Et hæc est ratio,cur Deus in lege veteri prohibuit edere carnes à bestiis captas,sicut notauit Theodoret.quæst.52.in Exod. Vt scilicet doceret homines mansuetiorem agere vitam,quæ nihil ferinum,crudele, & iracundum habeat;humanus enim animus nequit Deo placere, aut ei appropinquare,sed cum Caino exulare à Diuino conspectu. Eccl.45. Matt.11. Exod.22. Leuit.5.

VIDEAMVS nunc quàm tardi fuerint ad iram qui Deo maximè placuerunt.De Iobo diximus,qui ad opprobria ridebat,& de Dauide ; de Moyse verò audiamus Ambrosium 2.Offic.cap.7.Quantas Moyses à populo illatas absorbebat contumelias,& cùm Dominus in insolentes vindicare vellet,se tamen pro populo offerebat frequenter,vt indignationi diuinæ plebem subduceret? quàm miti sermone post iniurias appellabat populum, consolabatur in laboribus,deliniebat oraculis, fouebat operibus ? Meritò æstimatus est supra homines,vt vultui eius non possent intendere,sepulturam eius non repertam crederent,quia sic sibi totius plebis mentes deuinxerat, vt plus eum pro mansuetudine diligerent, quàm pro factis admirarentur.Ij enim qui tardi sunt ad iram,non solùm Deo, quem imitantur,admodum placent,sed & hominibus supra modum grati habentur,etsi non fuerint minimè grati.Hoc dixit Bernard.Serm. 5. in vigilia Natiuitatis.Hominibus sine lenitate non plus quàm Deo placere sine fide possibile est.Illud autem dixit Chrysost.hom:2.de Dauide, & Saüle. Vbi postquam ostendit ad conspectum hostis Saülis in spelunca non exarsisse,ostendit insuper ideo à suis fuisse magis dilectum.Ex reuerentia, inquit, quam hosti præstitit,re ipsa perspectum habuerunt,quàm beneuolum animum gereret erga suos.Cæterùm qui mitis est erga eos,à quibus molestiaaffectus est, multo magis erit erga beneuolos : idcirco postea Dauidi non iam vt homini, sed vt Angelo parebant. Et de eodem Dauid prosequitur Ambrosius loco citato. Dauid fortis in prælio, mansuetus in imperio, 1.Re.24.

patiens in conuitio, ferre magis promptus, quàm referre iniurias, ideo tam charus erat omnibus, vt iuuenis ad regnum etiam peteretur inuitus, resistens cogeretur, senex ne prælio interesset à suis rogaretur, quòd mallent omnes pro ipso periclitari, quàm ipsum pro omnibus. Quæ omnia ideo attulimus, vt perspiciamus quanti facienda sit tarditas ad iram, illius præoccupatio, ac repressio, quæ & Deo gratos, ac similes, & hominibus amabiles reddit.

§. IX.

Iræ passio iudicium, ac iustitiam tollit.

REDDIT iam Apostolus rationem, quare furenti iræ debeamus obuiare, & illius suggestiones, ac motus reprimere: *ira enim*, inquit, *viri iustitiam Dei non operatur*, id est, ira præter, aut contra rationis iudicium, iustitiam veram impedit, atque perturbat. Sic intelligit hunc locum D. Greg. 5. Moral. cap. 30. Per iram, inquit, iustitia Dei relinquitur, quia dum perturbata mens sibi rationis iudicium exasperat, omne quod furor suggerit, rectum putat. Quod etiam D. Thom. notauit hic, dum respondet ad eam difficultatem, quam sibi proposuerat, quare scilicet magis dicat Apostolus iustitiam Dei quàm aliam virtutem? Et respondet: quia ira induit magis formam iustitiæ, quàm alterius virtutis. Vnde D. Augusl. epist. 148. ait: Nulli irascēti ira sua videtur iniusta, ita enim inueterascens ira fit odium, dū quasi iusti doloris admixta dulcedo eam intra se detinet, donec totum acescat. Similiáque habet epist. 87. Quod licet intueri in Rege Ægypti, qui
Exod. 1. accensus ira contra Israëlitas, furorem appellat sapiētiam: *Populus Israel*, inquit, *multus, & fortior nobis est, venite, sapienter opprimamus eum.* Ira itidē quā Gehu
4. Re. 10. contra Achab habebat, cogit eum vt furorem zelum Dei appellet. Ideóque Cassian. lib. 8. Collationum c. 1. iræ mortiferum virus de recessibus animæ nostræ funditùs eruendum persuadet, eo quòd nec maturitatem consilij possideat: nec vitæ participes, nec iustitiæ tenaces, sed nec spiritalis quidem, ac veri luminis capaces poterimus existere, nec iustitiæ moderamina valebimus obtinere, quia ira viri iustitiam Dei non operatur.

EST autem iustitia Dei omnimodè iusta, quia omni prorsus caret pas-
Sap. 12. sione, quod dixit Sapiens cap. 12. *Tu dominator virtutis cum tranquillitate iudicas.* Et notauit Clem. Alexand. 1. Pædag. Propterea, inquit, vel solus est Iudex, quòd solus sit in quem peccatum non cadit, & liber est ab omnibus humani animi perturbationibus. Quomodo igitur faciet iustitiam Dei ira viri, cùm nec etiam pueri, quia facilis ad iram est, iustitia prosit? quod dixit
Hierem. 1. Hierem. *Ecce nescio loqui, quia puer ego sum*; vbi Vatab. ita vertit: *Timeo ne potiùs puniam, quàm instituam, quia puer, & iuuenis penè sum.* Vnde Bernard.
Psal. 95 epist. 257. notans ea verba Psalmi; *Honor regis iudicium diligit*; addit, sed absit, vt ad præiudicium mansuetudinis; namque si iratum fuerit iudicium,

iudicium, potiùs inimici odium, quàm Dei iustitiam operabitur, & hostilem vindictam, quàm regiam integritatem, quæ solam emendationem intendit. Cùm verò ira, sicut & odium malum intentat, sicut ait D. Thom. 1. 2. q. 46. artic. 6. nullum commercium cum iustitia potest habere, quæ bonum tantummodo intendit, imò magis aliis, quàm sibi prodest, vtilitates suas negligit, communia emolumenta præponens.

QVOD si aliquando ira Deo tribuitur, audiamus hac de re Hieremiam. *Nunquid me ad iracundiam prouocant, dicit Dominus? Nónne semetipsos in confusionem vultus sui?* hoc est: Non irascor ego propriè, nec perturbor, sed ipsi se dignos efficiunt ira mea propter scelera sua, quibus thesaurizant iram, & euadunt vasa iræ. Et sic intelligendus est Lactantius lib. de ira, & D. Tho. 1. 2. q. 47. art. 1. cùm dicunt dari in Deo iram, scilicet sine commotione & tristitia, namque idem D. Thom. 1. p. q. 20. ar. 1. ait, iram propriè dictam includere imperfectionem, supponit enim tristitiam in irato, neque fieri solet sine aliqua sanguinis commotione, sicut ait Aristot. 2. Rhetor. c. 2. n. 4. Vnde Greg. 32. Moral. cap. 7. furorem illum, quem Deus in die iudicij habiturus describitur, sic explicat: Furor Domini dicitur non perturbatio diuinæ substantiæ, sed super peccatores malè sibi conscios examinatio iusta vindictæ: quamuis enim eum tranquillũ in iudicio videãt, tamen quia feriendos se ab illo non dubitant, eum suis motibus perturbatum putant. Similia habet Augu. lib. 1. contra aduersarium legis & Prophet. c. 20. Is ergo operabitur iustitiam Dei, qui ipsius tranquillum, & serenum animum in iudicando fuerit imitatus: talis namque, sicut ait ibidem Gregor. districtum iudicium inconcussus exerit, quia permanens mansuetus, iniustos punit. Is autem qui ira ducitur, iustitiam Dei non operatur, proindéque neque iustitiam: sola enim, quæ secundùm Deum, & rationem est, nomen iustitiæ mereri debet. Namque, sicut notauit August. Concione 26. in Psalm. 118. Iustitia non solet dici bona iustitia, vel mala, sicut aliquando dicitur bonum, malúmue iudicium, vt cùm Christus Dominus dixit: *Rectum iudicium iudicate*; sed eo ipso iam bona est, quia iustitia est: sic autem non dicitur bona iustitia, vel mala iustitia, sicut non dicitur bonus iustus, vel malus iustus, quia continuò bonus quisque sit iustus. Hæc Augustinus. Ex quibus constat, eum qui iræ locum in animo aperit, iustitiam Dei non operari, imò neque iustitiam.

Hierem 7.
Rom 2. & 9.
Ioan. 7.

VEL tandem ideo Iacobus dicit; *Ira viri iustitiam Dei non operatur*, quia ira nunquam relinquit locum, vt quis iustitiam beneuolam, misericordiæque admixtam exequatur, quæ solet esse Dei iustitia, sicut videtur notasse Dauid Psalm. 114. cùm ait: *Misericors Dominus, & iustus, & Deus noster miseretur*. Aduertit autem Ambros. de obitu Theodosij, bis misericordiam Dauidem posuisse, semel verò iustitiam. In medio, inquit, iustitia est gemino septo inclusa misericordiæ, quasi nullum alium exitum Dei iustitia habeat, nisi per misericordiam, quò tandem ad nos beneuola perueniat. Vnde Clem. Alexand. 6. Stromat. Bona est Dei iustitia, & iusta eius bonitas. In ordine planetarum illud obseruare solent Astrologi, Mar-

Ps. 114.

tem, qui terribilem habet, seu maleuolam influentiam, collaterales habere Iouem, & Venerem, qui placidissimi sunt, quò Martis influxus temperetur. Ita & misericordia vndique iustitiam Dei comitatur, quò misericors iustitia sit, sicut & cùm iratus est, misericordiæ recordatur. Cùm ergo ira viri solam vindictam meditetur, clarè patet non posse Dei iustitiam imitari.

§. X.

Quando laudabilis sit ira.


NEQVE verò hic locus est contra rectam, ac iustam iram, eámue prohibet, cùm laudabilis sit. Vnde Christus ira seu zelo accensus, flagris
Ioan. 2. Matt. 10. expulit de templo eos, qui domum Patris sui faciebant domum negotia-
Exod. 2. & 32. tionis, & speluncam latronum. Eadem ira fuit in Moyse, quando è Pharaonis aula eiectus est, quando in cultores vituli effractis sacrarum Legum tabulis excanduit, quando in Dathã, Core, & Abironem diuinam vltionem
Num. 16. accersiuit. Eadem accensi Phinees, Samuel, Samson, Iephte, Gedeon, *Da*uid, Helias, Iosias, Mathatias, Iudas Machabæus, de improbis & sceleratis hominibus populi sui pœnas sumpserunt. Vnde & Iustinus Martyr q.
4 Reg. 2. 80. ad Ortodox. ex facto Elisæi, qui pueros illusores feris discerpendos tradidit, probat seueritatem aduersùs inemendabiles esse vtiliorem, quàm patientiam. Hilarius etiam in Psal. 59. ostendit patres piè & misericorditer irasci contra peccata filiorum, & præsentis vindictæ seueritatem adhibere ad salutem Spiritus, sicut Paulus Corinthium incestuosum tradidit
1. Cor. 5. Satanæ ad interitum carnis, vt spiritus saluus esset. Et Bernard. 2. de Consideratione, pro præsenti doctrina ad Eugenium Papam, sic ait: Nónne, si exis in agrum mundi, & vides infructuosa, pudebit otiosam iacere securim? Age ergo, puta tempus putationis adesse, si tamen meditationis præiuit, accingere gladio tuo, glorifica manum, & brachium dextrum in faciendo vindictam in nationibus, increpationes in populis: si hæc facis, honorificas ministerium tuum, & ministerium te; non mediocris iste principatus, exturbare malas bestias à terminis tuis, quò greges tui securi in pascua educantur, domabis lupos, sed ouibus non dominaberis.

VIDENDVS pro hac re D. Aug. Serm. 16. de verb. Domin. & de sermone Domini in monte c. 19. & D. Greg. in Præfat. ad lib. Iob. c. 2. cùm
Matt. 17. ponderat id quod Christus Dominus dixit: *Si habueritis fidem tanquam granum sinapis.* Granum, inquit, sinapis non contritum leue est, si verò conteratur, inardescit, sic vir sanctus in feruorem virtutis vertit, quidquid in illo antè despicabile, infirmúnque videbatur. Et Chrysost. hom. 11. in Matt. Iusta ira, inquit, mater disciplinæ. Itaque non solùm non peccant, qui cum causa irascuntur, sed è contrà nisi irati fuerint, peccant, & cætera, quæ prosequitur in hãc sentẽt. Similiáque habet hom. 16. & hom. 3. in Ioan. & homil.

& homil. 6. de laudib. Pauli; vbi ait: quasi enim gladio aciem, ita menti nostræ iræ acumen imposuit Deus, vel natura, vt vtamur quando oportet: namque si ira non esset, neque doctrina proficit, neque iudicia stant, neque crimina compescuntur. Et Basil. hom. de ira: Pars animi irascibilis nobis ad multa virtutis opera necessaria, quando veluti miles quidam apud Ducem arma sumens, paratus est eius iussu auxilium præbere; sic si iracundia rationi adiutrix contra peccatum fuerit, neruus est animæ quidem indignatio, fortitudinem, constantiámque ac robur ad res bene, & ordine agendas præbens. Nec enim si contra iniquitatem desit indignatio, & ira, satis eam odio quo decet, persequi poteris. Quamobrem sic existimo, æquè circa diligendam virtutem studium habere, atque aduersus vitium odium retinere oportere: quoniam veluti canis pastori, sic ira rationi obediens, mitis quidem, ac mansueta iuuantibus eam, & à ratione reuocabilis erit; nam canis ad vocem, & ad aspectum alienum toruus, & agrestis, notos verò, &c. Ira similiter optima est, opitulatúrque animæ prudenti. Et Oratione contra irascentes, appellat iram bonarum actionum ministram. Gregor. verò 5. Moral. cap. 31. instrumentum, & ancillam virtutis. Et Tullius 4. Tuscul cotem fortitudinis. Vnde Plato in Philæbo, & 4. de Rep. ait; *Fortem, & audacem non posse esse eum, qui non irascitur.* Et Aristoteles 4. Ethic. cap. 5. *Qui non irascuntur pro quibus oportet, & vbi oportet, fatui sunt: neque enim sentire, neque dolere videntur.* Videndus denique Isidor. Pelusiot. lib. 2. epist. 239. & lib. 3. epist. 338. vbi aduertit negligentiam irascendi in filios, quam Heli habuit, acerba morte soluisse. Videndus denique Seneca epist. 58. & lib. 2. de ira. *1. Reg. 4.*

Vers. 21. *Propter quod abiicientes omnem immunditiam, & abundantiam malitiæ, in mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest saluare animas vestras.*

EXPOSITIO LITERALIS.



QVIA radix vnde in nobis ira nascitur, immunditia est, & prauum desiderium, hoc loco subiungit hæc omnia remouenda esse, vt sic faciliùs relegetur ira, & meliùs inseratur animabus nostris verbum Euangelij. Priùs enim, diuina gratia mediante, immunda omnia, & noxia euellenda sunt, & extirpanda, quemadmodum agricolæ faciunt agrum expurgantes, in quem semen iacturi sunt; & postea Christi doctrina inserenda, vt faciliùs crescat, & vberiùs fructificet. Etenim impuritates luxuriæ coinquinare solent terram nostram, sicut Christus Dominus dixit Matthæi 15. *De corde exeunt mala cogitationes, homicidia, adulteria, fornicationes, hæ sunt quæ coinquinant hominem.* Et ideo Paulus. *Mundemus nos*, inquit, *ab omni inquinamento carnis, & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei.* Hìc igitur primò ponit *Mat. 15.* *1. Cor. 1.*

ponit inquinamenta, per immunditiam intellecta, ita enim ferè omnes interpretes exponunt: deinde inquinamenta spiritus monet reiicienda per abundantiam malitiæ. Malitia etenim secundùm Aug. lib. 50. hom. 20. est nocendi amor, qui delectatur malo alieno. Ambr. verò in Psalm. 118. ait:
Psal. 118. Malitia nihil aliud est, quàm mentis deprauatio. Et explicans illud; *declinate a me maligni*, ait: Vbi malignitas est, ibi custodia cœlestium mandatorum esse non potest: deponenda proinde malitia, quæ, sicut dixit Athan. de Passione, magis lædit eos à quibus habetur, quàm in quos intenditur, vt qui natura sumus agrestes, & infructuosi, domestico surculo quasi cicuremur, & renouemur, fiatque in nobis noua insitio, qua veluti cum corde nostro verbum auditum coalescat. Vnde Gregor. homil. 9. in Euangelia: Carnis locus proprius terra est, ideo ea quę de cœlo sunt, illi debent inseri.

N E Q V E verò nobis vnquam potest placere eorum opinio, qui hunc
Ephes. 1. locum intelligunt de verbo à natura nobis insito: & ideo Paulus appellat
Rom. 1. verbum salutis, & virtutem Dei ad salutem omni credenti. Et Iacobus ideo appellat verbum insitum, ad differentiam verbi congeniti, sicut optimè notauit hoc loco Caiet. id est, de foris importatum.

R E Q V I R I T autem hoc verbum tanquam dispositionem, mansuetu-
Psal. 2. dinem, vnde Dauid: *Docebit mites vias suas*; & Syracides; *Esto mansuetus ad au-*
Eccles. 5. *diendum verbum Dei, vt intelligas.* Et Dionys. Areopag. in epist. ad Demophilum, dicit Moysem propter multam mansuetudinem, Dei apparitione dignum habitum. Et Hilar. relatus à D. Thom. 2. 2. q. 57. art. 4. Per mansuetudinem mentis nostræ habitat Christus in nobis.

E S T autem mansuetudo necessaria ad suscipiendum verbum, sicut ait D. Thom. sup. q. 157. art. 4. Primò, faciendo hominem compotem sui per diminutionem iræ. Secundò, quia ad mansuetudinem pertinet, quòd homo non contradicat verbis veritatis, quod plerumque aliqui faciunt ex commotione iræ. Et ideo Aug. 2. de doctrin. Christian. ait: quòd mitescere est non contradicere diuinæ Scripturæ, & doctrinæ. Ideóque immanitas Pharaonis, Herodis, & Pilati effecit, vt verbum Dei à se repellerent. In mansuetudine ergo insitum nobis verbum potest animas nostras saluare, si operi mandetur, operante diuina gratia, sicut dixit Aug. lib. 4. de Doctrina Christiana c. 16. Adiumenta, inquit, doctrinæ tunc prosunt animæ adhibita per hominem, cùm Deus operatur vt prosint.

S E D adhuc ego mansuetudinem hoc in loco intelligo, non vt opponitur iræ, aut immanitati, sed vt dicit quietem, attentionem, & reuerentiam ad audiendum, & conseruandum Dei verbum, & doctrinam regni cœlestis, vt instar boni seminis radices agere possit, & fructum facere in cordibus
Ioan. 5. nostris, quod vtique necessarium est. Vnde Christus Ioan. 5. ait: *Neque vocem eius vnquam audistis, & verbum eius non habetis in vobis manens, quia quem misit Pater, huic vos non credidistis.* Vbi verbum Dei non habere in se manens, nihil est aliud, quàm sacram doctrinā non recipere, ita vt ad quærendum Christum Filium Dei, & res alias spirituales incitarentur, sicut rectè ibi

ibi explicat Cyrill. Alexan. sed instabiles esse, nec locum dare sacræ doctrinæ, vt in cordibus nostris radices agat; vnde Paul. 1. Thessalonic. 3. *Cùm acceperitis à nobis verbum Dei, accepistis illud non vt verbum hominum, sed (sicut est verè) verbum Dei*: vbi D. Tho. explicat, firmiter in corde tenuistis: est etenim verbum Dei sicut *imber, & nix de cœlo, quæ inebriat terram, & infundit eam, & germinare facit*, teste Isai. c. 55. Proinde in mansuetudine, quiete, auiditate, ac solicitudine suscipiendum est, sicut illi, de quibus Act. 17. *Susceperunt verbum cum omni auiditate, quotidie scrutantes Scripturas.* Et hanc mihi expositionem probat noster Author, cùm statim addit immediatè: *Estote factores verbi, & non auditores tantùm*; licèt enim diuinum verbum efficax, & operatorium sit, debemus nos cooperari diuinæ, ac interiori doctrinæ gratiæ: quo sensu factores verbi audientes erimus. Ad hoc autem requiritur quies, mansuetudo, & permanentia, ac conceptio interna verbi. Et hoc existimo esse suscipere in mansuetudine insitum verbum Dei. Vnde & Salomon dixit in Prouerbiis c. 5. *Fili mi, attende ad sapientiam meam, & prudentiæ meæ inclina aurem tuam, vt custodias cogitationes*; vbi Brixianus ait, sensus est: Opus est vt summam custodiam adhibeas animo, & linguæ, cùm aurem accommodare volueris sapientiæ meæ.

1. Thes. 3.
Isai. 55.
Act. 17.
Prouer. 5.

SVNT tamen qui hunc locum intelligant de Verbo personali, quod insitum est naturæ humanæ per Incarnationem. Ita intelligit hunc locum D. Ansel. in enarratione de Transfiguratione. Et hanc expositionem ponunt secundo loco, quasi eam omnino approbantes Beda, & D. Thomas. Vnde Syriaca versio in Bibliis Regiis habet; *Excipite Verbum illud, natura nostra insitum*, ideóque fortassis Glossa ait; *Excipite cum magno honore.* Et Concilium Viennése interpretatur, Christum esse insitum Verbum, nec dissentit communis Theologorum loquutio, dum per insitionis vnionem explicant hypostaticam, quæ illam superat, & in pluribus defectibilem ostendit. Sic verò intellectus locus de Incarnatione Verbi, id quod sequitur (*quod potest saluare animas vestras*) intelligendum est, non dispositiuè, sicut de verbo audito, sed effectiuè, & dicitur quod potest saluare, & non quod de facto saluabit, ne excludere videatur humani Arbitrij libertatem.

ILLVD tamen aduerto, Apostolum fuisse loquutum secundùm communem loquendi modum, quo Verbum diuinum dicitur humanæ naturæ insitum, & vnitum. Si enim esset loquendum Scholasticorum more, potiùs natura humana diuino Verbo inserta diceretur: nam sicut id cui inseritur, & innititur ramus, suppositum est, sic id cui innititur humanitas, suppositum est, & sicut arbor præexistit, & præsupponitur insitioni, ita etiam Verbum præexistit Incarnationi. Sicut insuper arbor per ramum insertum producit fructus meliores, quàm quos ramus per se posset producere, sic persona Verbi per humanitatem producit opera maioris valoris, quàm sola humanitas in proprio supposito produceret. Vnde Ber. Ser. 3. in Vigil. Natiu. Addidit, inquit, honorare limum nostrum, & ei vim rationalem immisit; voluit quoque infirmiora nostra abundantiori gloria sublimare, & cõtraxit se maiestas, vt quod melius habebat, videlicet semetipsũ,

limo nostro coniungeret, & in persona vna sibi inuicem vnirentur Deus & limus. Nihil Deo sublimius, nihil vilius limo, tantáque dignitate limus ascendit ad Deum, vt quicquid in eo limus fecit, Deus fecisse credatur, quicquid limus protulit, Deus in illo protulisse dicatur. Similiáque habet Ambros. Serm. 10. in Psalm. 118. & Leo Ser. 5. de Natiuit. c. 3.

Apoc. 5. HABET etiam hæc expositio fundamentum in Scriptura; nam Apoc. 5. dicitur Christus radix Dauid, & c. 22. *Ego sum radix, & genus Dauid.* Sicut igitur ex radice, siue trunco, & surculo inserto fit vnum per insitionem, sic ex Verbo diuino tanquam ex radice, ac trunco, & ex natura humana, sumpta ex stirpe Dauid, tanquam ramo insito factus est vnus Christus. Hæc expositio, vt patet, probabilis est. Prior tamen communior, & menti Apostoli congruentior.

§. I.

Per pœnitentiam abiiciuntur peccata.

IS qui paulo antè iracundiam cohibendam docuit, docet iam vt contra nosmetipsos irascamur, quò meliùs abiiciamus omnem immunditiam;
Luc. 18. iratus enim Publicanus contra se, dum percutiebat pectus suum, & à se pœnas exigebat, sicut dixit August. Serm. 36. euomuit congeriem peccato-
Psal. 4. rum. & Serm. 35. ponderans ea verba Psalm. *Irascimini, & nolite peccare.* Volo vos, inquit, irasci, sed vt non peccetis; vt autem non peccetis, cui debetis irasci nisi vobis? quid est enim homo pœnitens, nisi homo iratus sibi? Et D. Thomas lect. 8. in cap. 4. ad Ephes. Hæc est, inquit, bona ira, de qua dicitur imperatiuè; *Irascimini*, scilicet, contra peccata vestra, *& nolite peccare*, scilicet, de cætero, contra quæ iterum oporteat irasci. Et Bern. Serm. 44. in Cant. Si peccato, inquit, irasceris, nō solùm minimè peccas, sed & quod peccaueras,
Eze. 18. exterminas. Sic igitur abiiciuntur peccata. Vnde Ezechiel, *Proiicite à vobis omnes praeuaricationes vestras*: quas si pœnitendo proiecerimus, Deus easdem omnino delebit & ad vitam gratiæ reducet, quod notauit Tertul. lib. de pœnitent. c. 4. vbi affert illud Ezechiel. *Numquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus, & non vt conuertatur à vitiis suis, & viuat?* quem locum ipse ita legit; *Viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris.* Cùm Dominus dicat, inquit Tertull. Pœnitentiam malo, quàm mortem, ergo pœnitentia vita est, cùm præponitur morti. O beatos nos quorum causa Deus iurat! ô miseros, si nec iuranti Domino credimus!

QVIA verò difficile poterat videri tam multa iterū mala opera reiicere, quomodo id posset fieri docuit Bern. Serm. de Cant. Ezechiæ ad illa ver-
Esai. 38 ba: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Oportebat, inquit, si fieri posset, reuiuere me, vt ita loquar, denuò quòd malè vixi, sed quia hoc non possum, saltem recogitabo tibi omnes annos meos, faciam recogitando, quod reoperando non possum. Plura hac

hac de re habet August. in Psal. 84. & in Psal. 50. & Hieron. epist. ad Rusticum; & nos infrà ad cap. 3.

§. II.

Quàm immundum peccatum sit luxuria.

NOMINE autem *immunditia*, & *malitia* intelligunt aliqui hoc loco carnis, pecuniæ, honoris, & vindictæ cupiditates. Licet verò plerique distinguant inter peccata carnis, & spiritus, potest omnibus dictis cupiditatibus malitia, & immunditia accommodari, siquidem prædictæ cupiditates nos admodùm inficiunt, & nostram malitiam ostendunt, quod in primis patet in vitio luxuriæ. Vnde Paulus de castitate loquens, dixit: *Non vocauit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem*; & illud Ecclesiast. *Macula in gloria*; de luxuria intelligitur. Vnde Tertul. lib. de pudicitia, eam appellat rem immundi spiritus: ideóque perditum filium similem porcis reddidit. In quam sentent. venit locus ille Lactant. Firmian. lib de fals. Relig. c. 20. vbi obseruat Romanum populum cùm diuinis honoribus vellet afficere eam mulierem, quæ Rom. imperij authorem & parentem suo lacte educauerat, animal potiùs eiusdem nominis cum muliere colendum existimasse, quàm vulgatæ pudicitiæ mulierem, quasi minùs impurum esset animal, quàm inhonesta mulier. Romuli, inquit. nutrix Lupa honoribus est affecta diuinis, & ferrem, si id animal fuisset cuius figuram gerit. Author est Liuius Laurentiæ esse simulachrum, & quidem non mentis, sed mentis ac morum. Fuit enim Faustuli vxor, & propter vulgati corporis vilitatem Lupa inter pastores. i. meretrix nuncupata est: vnde etiam Lupanar dicitur. Refert etiam ibidem Lactant. Athenienses cùm vellent honorare meretricem nomine Leænam, quòd Tyrannum occidisset, & sic ab eodem patriam liberasset, ne sub nomine, ac figura meretricis coleretur, eius animalis effigiem posuisse in templo deinceps colendam, cuius nomen illa gerebat; vsque adeò immundam animam reddit luxuriæ vitium.

Ephes. 33. Luc. 15.

ET vt aliena mittamus, probat hoc locus ille Psalm. *Tota die contristatus ingrediebar*, vbi Hebr. habetur. *Tota die denigratus, seu, attratus ingrediebar*; adulterio scilicet cum ea quæ fuit Vriæ, dum tamen ipsius erat. Vnde. D. Chrysost. homil. 77. ad Populum: Non tantùm, ait, eum ornabat purpura, quantùm huius peccati macula fœdabat, quod commiserat cum vxore Vriæ, quæ propter eandem immunditiam proprio nomine non nominatur ab Euangelista Matthæo. Sicut etiam & infans, quem ex adulterio concepit, ac peperit, sine nomine obiit. Vnde Paulus dixit: *Fornicatio, & omnis immunditia nec nominetur in vobis*. Et Chrysost. hom. 24. in Gen. aduertit, dixisse Scripturam; *Corrupta est terra coram Deo*, non verò, corrupti sunt homines, quia carnis, inquit, peccatum fecit, vt homines suo nomine vocari non sint digni.

Psal. 37. Matt. c 1. 2. Reg. 12. Eph. 5. Gen 6.

IN hanc sententiam facit etiam id quod notauit Abul. quæst. 1. in c. 33. Deut. Cur scilicet Moyses cæteras alias Tribus benedicens, omiserit Si-

meonis Tribum: idque ea de causa factum esse dicit, quia Princeps de Tribu Simeonis luxuriatus fuerat cum scorto Madianitide. Ait namque Scriptura: *Erat nomen viri Israelitæ, qui occisus est cum Madianitide, Zambri filius Salu, dux de cognatione & Tribu Simeonis.* Num. 25.

QVOD si præ immunditia nec ore capiendum est hoc vitium, neque etiam aliquid illius tanquam immundum tangendum est, quod eleganter notauit Ambros. lib. de Ioseph, cùm aduertit, ipsum dimisisse pallium in manibus impuræ dominæ, quæ ipsum ad adulterium incitabat. Contagium, inquit, iudicauit, si diutiùs moraretur, ne per manus adulteræ libidinis incentiua transirent, sicut enim si pallium in cœnoso luto incideret, is qui munditiam vestis curaret, illud non reassumeret, sic & Ioseph immundum luxuria pallium cum periculo etiam propriæ vitæ reliquit.

QVOD si tactum immundi vitij obseruatum inuenimus, non minùs prohibitum reperiemus visum, quasi oculi offenderentur immundo obiecto luxuriæ. Quæ fuit ratio, cur Deus prohibuerit vxori Loth, ne oculos Genes. 13 in impuros Sodomæ incolas conuerteret: quia verò respexit post tergum, versa est in statuam salis. Naturam suam, inquit Ambros. lib. 2. de Virginib. quia impudicos licèt castis oculis aspexit, amisit; & hæc fuit causa cur immunda peccatrix retrò accessit ad Christum, & attulit alabastrum vnguenti pretiosi, metuens ne oculos, aut nares Christi offenderet, quem tamen non offendit quatriduanus frater iam fœtens. Luc. 7.

NOTANDVS etiam est pro præsenti instituto locus Clementis Alexan. 7. Stromat. vbi reddens rationem, cur Iudæi non ederent porcinam carnem, ait, quòd sit animal procliue ad coitum. Et addit: Ea ratione, neque hircum lex sacrificat, præterquàm propter solam malorum amandationem. In quibus verbis satis obscuris mihi videtur esse allusio ad illum locum Leuit. vbi hircus mittebatur in solitudinem, quasi ea immissio fuerit sacrificium Deo oblatum. Etenim si vitium carnis significabatur in hirco, nullum prorsus sacrificium Deo sic poterit placere, nisi hoc immundum vitium à nobis relegetur, & mittatur in exilium, nunquam amplius rediturum; quod est cum Iacobo abiicere immunditiam. 2. Mach Cap. 7. Cap. 16.

FACIT etiam id quod notauit Origen. hom. 13. in Num. quòd postquam obtinuerunt filij Israel ciuitates Amorrhæorum, ascenderunt etiam viam, quæ ducit in Basan, vbi erat Og rex Basan; sed ad hunc neque legatos mittere dignantur, neque petere ab eo, vt per terram eius transeant, sed continuò confligunt cum eo, & superant tam ipsum quàm populum eius. Videamus ergo, inquit, quæ est Basan: Basan interpretatur *turpitudo*. Meritò ergo nec legati mittuntur ad istam gentem, nec transitus per terram eius poscitur; nullus enim transitus nobis debet esse, nullus accessus ad turpitudinem, sed ab initio statim expugnanda, & omnimodè cauenda est. Aduersùs Og ergo ita præcipitur bellum gerendum, vt non relinquatis ex eo, inquit lex, viuentem Nullum ergo à filiis Israel oportet relinqui in regno turpitudinis, & dedecoris viuentem. Fiet autem hoc quod monet Origen. si faciamus quod docet Iacobus: *Abiicientes omnem immunditiam*

ditiam luxuriæ,quò tandem puri coram Deo appareamus.

OSTENDIT hoc optime ille locus,cùm fugiens Dauid à facie Saülis,venit ad Achimelech,petiítque ab eo, si quid haberet ad manum, vel quinque panes,aut quidquid inuenisset. Cui Sacerdos respondit: *Non habeo laicos panes ad manum,sed tantùm panem sanctum:si mundi sunt pueri, maximè à mulieribus?* Illud ergo iam difficile apparet, cur de puritate puerorum Sacerdos interroget, cùm eis etiam puris nullatenus liceret vesci talibus panibus. Aliò rem D.Hieron.deflectit.Nostram conficit Procopius,cùm ait: Ostendit,inquit,sanctitatem, & castimoniam eodem nos cum Pontificibus honore dignos efficere:aptósque proinde reddere pueros, vt participes fiant panum, quos soli Sacerdotes sumere poterant:nec mirum si castitas laicos homines Sacerdotibus similes reddit, cùm Angelis cœlestibus eos pares quodammodo efficiat,sicut prosequitur D. Hieron.ad Eustoch.epist.22. cap.9.vbi ostendit,Filium Dei in terris nouam familiam ad sui obsequium elegisse pro Angelis,à quibus in cœlo adoratur,nempe virgines,& castos. Qui igitur ad hanc puritatem vult accedere, debet abiicere omnem immunditiam luxuriæ, & incontinentiæ, vt purus sanctus sanctissimo Domino sisti possit. *1.Reg.21.*

§. III.

Quàm immunda sit cupiditas pecuniæ, & rerum sublunarium.

IMMVNDOS etiam nos reddit pecuniæ cupiditas, & desiderium lucrandi, & acquirendi; quod ostendit locus ille Esaiæ: *Stultus fatua loquetur*;vbi Vatab.vertit:*Sordidus sordidè loquitur.* Exponens autem quis iste sordidus sit, dicit esse auarum. Cui consonat illud Oseæ, *Ephraim factus est iudicio,quoniam cœpit abire post sordes*; vbi Chaldæus rem exponens ait: *post mammona iniquitatis*; quæ sunt diuitiæ, vt patet ex Euangelio. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis.* Ideóque D.Ambr.epist.82. ponderans ea verba Petri: *Argentum,& aurum non habeo*,ait, gloriatur in paupertate, quasi refugiat contaminationem,argentum non habeo,sed nec requiro. *Esai. 32.* *Oseæ 5.* *Luc. 16.* *Act 3.*

ET in hanc sentētiam facit id quod Philo notauit lib. de migrat. Abrahæ, explicans præceptum illud Leuit.vbi immunda censentur omnia reptilia, & quæ multos habent pedes,propter adhæsionem scilicet, quam habent cum rebus terrestribus. Videndus item lib. de Charitate: Contemplari, inquit, libet istos sordidos, & ne obolares quidem minutias spernentes, vsurarios in magnis diuitiis inopes. Videndus etiam Chrysostom. hom. 40. in Matth. vbi huiuscemodi viros sic comparat cum operariis luti, ac cœni. Nullum, inquit, est inter auri solicitos collectores, & cœni, atque laterum operarios discrimen: nam vt tunc Pharao atrocissimus ille Tyrannus flagellis ad colligendas paleas compellebat Hebræos, sic etiam nunc Diabolus ad officium laterum flagellis cupiditatum multos incendit. Quid enim aliud est aurum quàm cœnum? & argentum quid aliud *Leuit. 11.*

quàm palea? Sicut ergo palea ignem, sic pecuniæ cupiditas auaritiæ flammam incendit, & quasi cœnum inquinat possidentes, à qua vt nos liberaret, venit verus Moyses Christus Dominus in Ægyptum huius sæculi.

Num. 22. NOTAVIT etiam in hanc sententiam Orig. hom. 14. in Num. Deum non posuisse verba sua in corde Balaam, quia præ cupiditate immundum erat. Si dignus, inquit, fuisset Balaam, verbum suum Deus non in ore eius, sed in corde posuisset; nunc autem quoniam in corde eius desiderium mercedis erat, & cupiditas pecuniæ, verbum Dei non in corde, sed in ore eius ponitur. Agebatur enim mira, & magna dispensatione, vt quoniam Prophetarum verba, quæ intra aulam continebantur Israëliticam, ad gentes peruenire non poterant, per Balaam, cui fides ab vniuersis gentibus habebatur, innotescerent etiam nationibus secreta de Christo mysteria, & thesaurum magnum proferret ad gentes, non tam corde & sensu, quàm ore, & sermone portatum. Et quia corde immundus erat Balaam, ab immundo animali edocetur, sicut notauit Aug. Etenim Deus Balaam

Num. 22. primò vocatum detinere voluit, dum ei dixit: *Noli ire cum eis, neque maledicas populo, quia benedictus est.* Attamen dum eum iterum legati adeunt, dicúntque Regis nomine: *Paratus sum honorare te, & quicquid volueris, dabo tibi;* oblitus præteritæ prohibitionis, iterum Deum de profectione consuluit. Vbi Rupertus. Explorat improbus Dei secreta, si fortè permiteret Dei patientia, quod vt faceret persuadebat ardens cupiditas. Cui Deus: *Si vocare te venerint, surge, & vade cum eis.* Mirum profectò quòd cùm Deus abire permittat Balaam, mortem ei in via stricto gladio minetur. Rationem reddit Aug. ibi q. 48. dicens: Videns Dominus cupiditatem deuictam muneribus, permisit ire, vt in iumento quo vehebatur, eius auaritiam coërceret, hoc etiam confundens dementiam, quòd prohibitionem Domini per Angelum factam asina transgredi non auderet, quam ille cæcus cupiditate transgredi conaretur. Vbi vides auri cupidum hominem ab asina veluti edoceri, & coërceri, imò & confundi, dum illa præcepto sistitur, ille post præceps in promissa fertur.

TRIBVS Ruben, & Gad, ac dimidia Tribus Manasses, cùm vidissent Iazer, & Galaad aptas animalibus alendis terras, venerunt ad Moysem, &

Num. 32. cæteros Principes, atque dixerunt: *Terra quam percussit Dominus in conspectu filiorum Israël, regio vberrima est ad pastum animalium: & nos serui tui habemus iumenta plurima, precamur, si inuenimus gratiam coram te, vt des nobis famulis tuis eam in possessionem, nec facias nos transire Iordanem.* Vbi eleganter notauit Oleaster, eos nihil sibi, totum verò pecoribus exoptare, & postulare, ex eo quòd pecudes suas plus quàm se diligebant: vsque adeò enim immundæ redduntur animæ, quæ pecudibus, pecuniæ, & fortunæ bonis congregandis student, vt ea omnia sibi, saluti, & promissæ patriæ miserabiliter anteponant, & solis terrenis bonis intenti terram pro cœlo videantur commutare, ac velut bruta terrenum solum, & pastum curare; sicut ibi prosequitur Origen. homil. 26.

Cant. 1. LONGE aliter ea anima de iustis hominibus dicit: *Recti diligunt te;* quod

quod Alanus exponit: Qui non incuruantur, sed diriguntur; qui enim incuruantur, quia luto inuoluuntur, immundi apparent. Ideóque Bern. Serm. de Primord. &c. ait. Erubesce, quòd in recto corpore curua sit anima. Annon confunderis caput sursum habere, qui sursum cor non habes? memor nobilitatis tuæ, pudeat te tantæ deiectionis. Et Serm. 1. ad Fratres, ait: Sunt qui similes brutis animantibus derisui sese faciunt esse immundis spiritibus, qui profectò clamitant illudentes; *Incuruare, transeamus.* quæ verba ponderans Greg. hom. 30. in Euang. quasi dicta à malignis spiritibus iis animabus, quæ terrena cupiunt, ait: Pudeat terrena concupiscere, & dorsũ mentiũ ascendentibus aduersariis præbere. Terram semper intuetur, qui curuus est, & quo præmio sit redẽptus non meminit, qui ima quærit. Et D. Amb. lib. Exam. cap. 3. Caue, inquit, ô homo pecudũ more curuari, caue ne in alium te non tam corpore, quàm cupiditate deflectas. Esai. 51.

Cernitvr etiam cupiditatis immunditia in eo quòd vir cupidus, & auarus diuitiis se veluti seruum addicit. Quod ostendit communis expositio Patrum ad eum locum Psal. *Nihil inuenerunt viri diuitiarum in manibus suis.* Vnde Ambr. epist. 7. Pecunia, inquit, plerumque sibi dominos emit. Pluráque habet hac de re Senec. epist. 117. & probat Basil. hom. 2. in varia loca Scripturæ, in Iuda proditore, qui verum Deum vendidit, inquit, propter Deum falsum, pecuniam scilicet, quam adorabat. Vnde Clem. Alexan. Orat. ad Gent. ait: Ego calcare terram didici, non adorare. Quia verò cupidi diuitiarum se seruos constituerunt, ideo diuitiæ eosdem veluti seruos seruire faciunt, & violenter opprimunt. Vnde apud Oseam dicitur, *Diues effectus sum, inueni idolum mihi*; vbi aliqui ex Hebr. legunt. *Inueni vim mihi*; inueni scilicet, qui mihi veluti Dominus vim inferat, méque violenter opprimat. Quod dixit Nazian. Orat. 24. in principio, vbi ait: Aurum est occultus Tyrannus, per quem multa sursum, deorsúmque veluti in talorum ludo iactantur. Quæ verba Helias Cretensis sic explicat: Tyrannum vocat, quòd auri cupidis vim afferre, eósque veluti Tyrannide opprimere possit. Inuisibilem verò propterea quòd tacens, miniméque conspectum auaros subiiciat, ab eísque quæ decreuerit, per vim abducat. Psal. 85. Osee 12.

Eandemqve seruitutem exposuit Chrysost. hom. 30. *Quòd nemo læditur nisi à seipso*, dicens: in tantum amor pecuniæ omnem animam fatigat, vt neque amicitiarum, neque propinquitatis, interdum etiam nec coniugis, aut filiorum amori det locum; quibus affectibus inter homines nihil præfertur, amor tamen pecuniæ omnia hæc humi deiicit, sæuit vt barbarus, feruet crudeliter vt Tyrannus, debacchatur impudenter vt meretrix, nusquam miseretur, nusquam pudet. Et hæc videtur ratio, cur Christus Dominus lucro seruientes assumptis flagellis è templo eiecerit, puniens eos veluti seruos flagellis, non fustibus: cædebantur namque olim serui flagellis, vt patet *ex l. in seruorum. ff. de pœn.* vbi dicitur: *Ex quibus causis liber fustibus cæditur, ex his seruus flagellis cædi debet.* Vnde iam possumus intelligere cur Salomon loquens de diuitiis à Deo datis Iacob dixerit: *honestauit illum in laboribus*; quod idem est atque locupletauit & ditauit. Vnde Ioan. 2. Sap. 10.

Græcus

Græcus codex habet, *locupletauit in ærumnis*, vel, *per ærumnas*. Vt scilicet intelligeremus solas eas diuitias, quæ à Deo proueniunt, mundas, honestásque esse, cæteras verò sordidas, & inhonestis ferè artibus, ac simulationibus comparatas. Quapropter de eis rectè intelliguntur verba Iacobi, cùm ait: *Abiicientes omnem immunditiam.* Vbi non omittendus Phocion, cui teste Plut in vita ipsius misit dono ex Asia centum talenta Alexander. His Athenas deportatis, quæsiuit ex ministris eius Phocion qua de causa in multis Atheniensibus tantum munus sibi soli Alexander largiretur? vbi responderunt illi, *Quòd te existimet vnum virum bonum, & honestum. Ergo sinat me*, inquit Phocion, *talis vt habear, & sim.* Quo dicto satis confirmauit pecunias sordidum, vilem, & abiectum reddere hominem, dum ipsarum cupiditatem in eo testantur.

§. IV.

Vilis, & immunda vindictæ cupiditas.

VILEM, & immūdam constat esse vindictæ cupiditatem; quod etiam possumus deducere ex Dauide, qui cùm inimicum Saülem in spelun-
1. Reg. 24. ca confodere posset, id tamen omisit facere, quod videns Saül, ait: *Quis cùm inuenerit inimicum suum, dimittet eum in via bona? & nunc scio quòd certissimè regnaturus sis, & habiturus in manu tua Regnum Israël.* vbi vides ex eo iudicasse Regium eum animum, quòd à vindicta abstinuerit. Vnde cùm mirarentur Israëlitæ quòd idem Dauid de Semei vindictam non sumeret, cùm iam
2. Reg. 19. in Regali solio esset cōstitutus, eisdē respondit: *Cur efficiemini mihi in Satan? An ignoro hodie me factum Regem?* quasi dedeceret maiestatem Regis cum subditorum cura vindictæ memoriam retinere. Hinc etiam est quòd Salo-
3. Reg. 1. mon vnctus Rex nihil mali intulit Adoniæ fratri. 3. Reg. 1. imò illi pepercit, dum Regnum viuente patre affectauit; postquam verò Abisag in vxorem petiit, illum iussit occidi. Rationem reddit Abul. ibi q. 45. dicens: Vt iustificaret actus suos maximè in principio Regni, nam si propter primum delictum occidisset Adoniam, videretur hoc fecisse solùm ex vindicta, quæ quidem immundum redderet regnandi initium, & deturparet Regiam cathedram, dum vilem animum in vindicando ostenderet. In quam senten-
Deut. 22 tiam notauit Oleast. ea verba Deut. *Non videbis asinum fratris tui, vel bouem eius cadentes in via, & abscondes te ab eis.* Pusilli, inquit, animi est tunc odij, aut iniuriæ meminisse, cùm proximus tuus auxilio indiguerit superioribus armis cum eo dimicas, si aduersùs eum indigentem præliaris.

POSSVMVS hoc ipsum ex Philosophia ostendere, si meminerimus Philosophos nobilitatem visus præ aliis sensibus ex eo deducere, quòd contraria in visu nullam omnino efficiant impressionem, neque ad contrariorum visionem oculi tam facilè lædantur. Longè tamen aliter res se habet in aliis sensibus; etenim si aliquis gustauit rem amaram, licèt statim assumat

assumat aliquid dulce, adhuc nihilominùs amaritudo inest, & sentitur: idem tamen oculus qui album colorem videt, poterit & nigrum mox videre, nec lædetur, ideóque & nobilior sensus. Nobilis itidem, & superior animus nullam à contrariis patitur impressionem offensæ, ad hoc vt de illis postea vindictam sumat. Hoc ipsum perpendens Amb. lib. 2. de Iacob, & vit. beat. ait. Minabatur Esau, quòd fratrem suum occideret, & dolebat sibi benedictionem esse præreptam, cuius vtique se dignum mansuetudine debebat probare, non scelere. Quibus verbis ostendit Ambros. Esau se indignum reddidisse primogenituræ dignitate, dum vindictam de fratre curauit, cùm nobile vindictæ genus sit ignoscere, sicut dixit Bern. de interiori domo c. 43. Quibus habet similia Chrysost. homil. 3. in epist. ad Rom. circa finem: Forti, inquit, ac generoso animo feramus, hic enim demum est solidus honor. Et Nazai. Orat. 19. de Patre suo: Multi, inquit, quibus offensus erat, in ipso iræ articulo percussi sunt, resipuerunt, ad eum accesserunt, genua prociderunt, veniam impetrarunt, pulchrè victi discesserunt. Gen. 27.

VIDENDVSQVE hac de re est Aug. Serm. 4. de Sanctis. & Ambros. Ser. 7. in Psal. 118. vbi ostendit iustum longè debere esse ab vltionis atrocitate, imò & ab accusationis seueritate. Sed dices, inquit, quomodo dixit ipse Dauid; *Lætabitur iustus cùm viderit vindictam*: Mihi videtur quia lætetur, quòd ipse euaserit, non quia impij puniantur. Tantam itaque malitiam censet Ambros. in vindicta reperiri, vt neque de ea quæ à Deo fit, liceat lætari. Vnde Tertull. lib. de Patient. cap. 10. vocat vindictam indicem malitiæ; propter eáque eidem tanquam remedium adhibetur mansuetudo. Vnde Nazianz. Orat. 25. Si consilio, inquit, meo pareas, operam dabis, ne quid mali inferas, sed lædendi potestatem satis magnum lucrum ducas, ac te cultum Christo offerre existimes, qui noluit vindicari cùm posset, sed pati; sicut notauit Tertull. in lib. de pudicit. c. 21. cùm ponderat Christum Dominum neminem damnasse. Quia non decebat, inquit, eum sæuire, qui pati venerat. Quibus habet similia Chrysost. hom. 2. de Iuda proditore. Psal. 57. Luc. 6.

EST optimus locus pro hac re apud Tertull. lib. 4. contra Marc. c. 16. cùm ponderat Christum Dominum iussisse, vt alapam in facie vna infligenti, alteram maxillam percutiendam offeramus. Nouam, inquit, planè patientiam docet Christus, etiam vicem iniuriæ cohibés, permissam à creatore, oculum exigentem pro oculo, & dentem pro dente, contrà ipse alteram amplius maxillam offerri iubens, & super tunicam pallio quoque cedens. Sic per Zachariam præcepit, ne vnusquisque malitiæ fratris sui meminerit, sed nec proximi: & rursus, malitiam proximi sui vnusquisque ne recogitet. Multo magis patientiam indixit iniuriæ, qui indixit obliuionem. Sed & cùm dixit: *Mihi vindictam, & ego vindicabo*; proinde patientiā docet vindictæ expectatricem. Faciliùs vim comprimi scit repræsentatione talionis, quàm repromissione talionis; vtrumque autem constituendum fuit pro natura, & fide hominum. Sic ille. Existimo autem propterea vindictam à Deo promissam, vt à nobis licentiā eam assumendi ablatam intelli- Exod. 21. Zach. 7. Deut. 32.

geremus, & vt interpositum tempus irascenti animo mederetur, si diuinus amor non abstulisset vindicandi cupiditatem. Vnde Lactant. Firmian. lib. 6. cap. 18. Cauere quisque debet diligenter, ne quando inimicum sua culpa faciat, & si quis extiterit tam proteruus, qui bono, & iusto faciat iniuriam, clementer ac moderatè ferat, & vltionem non sibi assumat, sed iudicio Dei seruet, malitque hac de causa contemni, dummodo semper boni fungatur
Isai. 56. officio, mali nunquam: *Beatus vir qui facit hoc, & est custodiens manus suas, ne faciat omne malum.* Contra eos autem qui interiecto tempore vindictæ penitus obliuiscuntur; videndus Chrysost. hom. 52. ad Populũ, vbi ostendit in huiusmodi hominibus id efficere tẽpus, quod facere Dei lex non persuasit.

TVM temporis verò maiorem laudem quis meretur, si à vindicta abstineat, cùm vlcisci possit, si velit, & vel totum libenter propter Deum dimittit, vel diuinæ iustitiæ reseruans à vindicando cohibet se. Ostendit hoc D. Ambrос. lib. 10. in cap. 22. Luc. cùm ponderat ea verba Christi Domini: *Qui non habet, vendat tunicam suam, & emat sibi gladium.* O Domine, inquit
Luc. 22. Ambros. cur emere me iubes gladium, qui ferire me prohibes? cur haberi præcipis, quem vetas promi? nisi fortè, vt sit parata defensio, non vltio necessaria, & videar potuisse vindicari, sed noluisse? non iniquus Dominus, qui cùm se posset vlcisci, maluit immolari. Qua in re præclarum nobis reliquit exemplum abstinendi à vindicta, cùm facilè eam possimus sume-
Ioan. 18. re: quod videtur voluisse Christus Dominus ostendere cùm sola voce prostrauit cohortem: statim verò se comprehendendum obtulit, sicut eo in loco adnotarunt grauiores interpretes.

VNDE iam licebit intueri cur hæc propria Dei virtus dicatur abstinen-
Psal. 5. di, scilicet ab vltione; quam postulauit Dauid, dum dicit: *Deduc me Domine in iustitia tua, propter inimicos meos,* prout eum D. Aug. & D. Chrysost. interpretantur, vt sit sensus: Compellor equidem propriam vitam tueri inter medios hostes, non tamen sinas me id facere, ita vt videar dum me defendo, animo vindictæ alios offendere, imò precor, vt te duce tuam hac in re iustitiam imiter, quæ non vindicandi sed corrigendi plerumque solet animo supplicia inferre, & omnipotentiam tuam parcendo maximè, & miserando manifestas. Vnde Chrysolog. Serm. 139. In te cõmissorum remissor esto peccatorum, ne perdas in te diuinæ infulas potestatis. Nulla enim alia in re videtur homo ad diuinam potestatem propiùs accedere, quàm si vindictæ oblitus offensam inoffenso dimittat animo; etenim si quis bona pro bonis tribuat, & amicum diligat à quo diligitur, hoc & naturale est, & in publicanis reperitur: si verò offensus parcat, & iniurias dimittat, infulas profectò diuinæ potestatis videtur obtinere, & viscera Patris misericordiarum induere; quanto verò magis quis à purissimo Deo recedit, tanto magis ad immunditiem accedit. Vnde & meritò quis se à vindicta debet purgare, sicut fecisse videtur Rex Salomon, quando iustissimè occidi fe-
3. Reg. 2. cit Ioab; reddens enim rationem cur id fecerit, ait, *Occidit duos viros meliores se, Abner, & Amasam, & reuertetur sanguis illorum in caput Ioab.* Cur ergo non refert id quod sacer textus assignat? *Venit nuntius ad Salomonem,*

nem , quòd Ioab declinasset post Adoniam . Cur si eos quos occiderat enumerat, mortem Absalonis omittit , quam contra Dauidis præceptum intulit, & solas duas mortes proponit? Respondet Abul. ibi. q. 40. quia volebat,inquit,ostendere Salomon se procedere ex solo zelo iustitiæ, si tamẽ occidisse Absalom dixisset Ioab,videretur procedere ex zelo vindictæ, cùm Absalom esset frater Salomonis, ideo tacuit: videretur enim contaminatus immunda vindictæ cupiditate. Quod idem argumentum prosequitur idem Abul. q. 45.ad cap. 1. lib. 3. Regum.

NEC mirum si vilem, & immundam existimarunt vindictam ij qui superno lumine sunt illustrati, cùm cæci Gentiles sic de ea sint olim philosophati. Etenim cùm improbus, & petulans homo contumelia, & maledictis totam diem insectaretur Periclem in foro seria tractantem, tulit patienter, vesperique comiter domum regressus est. Assectante isto, & omnibus contumeliis eum impetente, ingressus ædes, cùm iam nox esset, iussit vni ex seruis, vt loco vindictæ hominem maledicum accenso lumine comitaretur, ac reduceret ad domum, è domo vtique, & animo principis. Abiicienda proinde est immunda, & malitiosa vindicta, vt in mansuetudine suscipiamus insitum verbum, quod potest saluare animas nostras.

§. V.

Auditores verbi Dei modesti, ac mansueti in eo audiendo debent esse.

ABIECTIS ergo immundis & malitiosis cupiditatibus, inter quas non minorem locum habet cupiditas dominandi, quam tamen omisimus ad initium cap. 3. vbi eius immunditiam cum cæteris defectibus latiùs persequemur; præparanda est infructuosa & sterilis nostra hæc terrena inhabitatio, quæ vsque ad insitionem diuini verbi inculta, & spinosa erat. Vnde Tertullia. lib. de Pudicit. c. 6. Luserit ante Christum caro, imò perierit antequam à Domino suo requisita sit; nondum enim erat digna dono salutis, nondum apta officio sanctitatis, adhuc in Adam deputabatur cum suo vitio, facilè quod speciosum viderat concupiscens, & ad inferiora respiciens, & de ficulneis foliis proriginem retinens, inhærebat vsque adeò in ea libidinis virus; at vbi sermo Dei descendit in carnem, ne nuptiis quidem resignatam, & sermo caro factus est, ne nuptiis quidem resignandam: exinde caro quæcumque in Christo reliquas sordes pristinas soluit. Alia iam res est, noua emergit, iam non ex seminis limo, non ex concupiscentiæ fumo, sed ex aqua pura, & mundo spiritu. Hæc Tertull. Indomitam proinde carnem compescere debemus, mitémque ac mansuetam reddere, vt in mansuetudine suscipiamus insitum verbum, suscepturi deinde & possessuri promissam mansuetis terram. Primum docuit Dionys. de Diuin. nomin. c. 1. in fine. Expiatas, inquit, aures sanctis diuinorum nominum expositionibus applicemus, sancta sanctis, ex traditione diuina in-

sinuantes, eáque à risu & illusione rudium adhuc, atque infidelium vindicantes.

Eccl. 5. SECVNDVM iam ostendimus in explicatione literæ, & dixit Ecclesiast. *Esto mansuetus ad audiendum verbum Dei, vt intelligas*, quod fecit Maria se-
Luc. 10. dens secus pedes Domini tanta cum mansuetudine, vt nec sororis querimoniam audisse dicatur. Vnde Chrysost. hom. 45. in Gen. Nihil tantopere dicenti necessarium est; vt auditoris beneuolentia; vt doctrina cœlesti perfundatur. Quod præclarè ostendit vellus Gedeonis cœlesti rore perfusum.
Psal. 89 Etenim per vellus potest aptè mansuetudo accipi; namque Psalm. 89. vbi secundùm versionem Septuaginta legitur, *Quoniam superuenit mansuetudo*, in Hebræo legi potest גז *gez*. quod Deut. 18. n. 4. & Iob. 31. n. 20. vellus est, ab animalium scilicet mansuetissimo resectum, nempe oue, vel agno, quæ mansuetudinis symbola esse solent: in vellus proinde cœlestis descen-
Isai. 66. dit pluuia, quia in humilium, & mansuetorum animos diuina influit gratia, consolatio, & doctrina: *Quem enim respicit cœlestis Dominus nisi pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones suos*? vbi Vatablus habet, *Qui est humili, & fracto spiritu*. Et Ambros. legit *mansuetum*: sic enim habet de Oratione de Obitu Theodosij: Dilexi virum misericordem, humilem imperio, corde puro, & pectore mansueto, qualem Dominus amare consueuit, dicens: *Supra quem requiescam, nisi supra humilem & mansuetum*?

Psal. 43. TERTIVM docuit Amb. in Psalm. 43. ad ea verba: *Non in gladio suo possederunt terram*. Quæ est igitur, inquit, terra quæ non brachio capiatur,
Psal. 26. non gladio possideatur, nisi terra promissionis, de qua ipse Propheta dicit; *Credo videre bona Domini in terra viuentium*? ideóque non gladio acquiritur, sed mansuetudine possidetur. Nemo ergo impacificus, nemo arrogans, aut superbus, sed mansuetus, & humilis corde, qui nihil sibi arroget, sed totum ad gratiam referat; eam possidebit. Quibus habet similia Hieron. tom. 4. in reg. Monach. In hac ergo mansuetudine suscipienda est insitio verbi, & prædicationis diuinæ: cùm enim mansuetudo simillima sit Diuinæ naturæ, sicut notauit Greg. 5. Moral. c. 30. citiùs adhærebit insertus surculus, germinabit, fructúmque afferet. Vnde Ber. epist. 79. in principio: Bonum, ait, valde rarum ostēdisti, dum minoris te non solùm non contempseris monita, sed gratias insuper retuleris monitori, prudenter vtique non à quo, sed quod monereris attendens; tenentes tuæ humilitatis insigne, ampliori iam fiducia monemus. Quibus habet similia Serm. de sancto Benedicto.

ATTAMEN sicut insitio non fit sine insectione, & vulnere, quo truncus ipse & secatur, & aperitur: ita etiam hæc spiritualis insitio, qua verbum Dei nostris animis inseritur non fit sine vulnere & læsione. Vnde Paulus
Heb 4 dixit; *Viuus est sermo Dei, & penetrabilior omni gladio ancipiti*: quod modò cum plerisque intelligo de doctrina Dei, cùm tamen sciam aliter posse, & for-
Eccle. 12. tè melius intelligi. Probat insuper Ecclesiast. dum ait: *Verba sapientium quasi stimuli, & quasi claui in altum defixi*; quæ verba Greg. Nyssen sic vertit. *Verbum Dei instar claui ignito*. Vnde Clem. Alexan. 1. Stromat. c. 8. Est, inquit,

re pre

reprehensio veluti quædam chirurgia affectionum animæ; à veritate autem abcessus sunt affectiones, quas sectione diuidente oportet coarguere: medicamentorum autem potioni, aut applicationi est similis exprobratio, quæ resoluit. Et c. 10. ostendit quo pacto surculus iste inseratur. Increpare etiam, inquit, dicitur admonere; admonitionis autem etymologia est mentis immissio: quasi velit Clem. Alex. ostendere eum, qui alterum increpat, & reprehendit (quod idem dicendum est de eo qui docet) veluti intellectum & mentem alteri inserere, & immittere.

VNDE mirum non erit, si dolorem quis sentiat dum increpatur, & dum mentem recusat, veluti amens conquerendo vociferetur. Ideo Ambr. Serm. 6. ait. Malui peccatum vestrum incusando acriter increpare, quàm leuiter dissimulando nutrire: quisquis enim fratrem non arguit peccantem, quodammodo hortatur, vt peccet. Et hæc videtur fuisse illa deploratio Hierem. cùm ait: *Prophetæ tui viderunt tibi falsa, & stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam.* Est enim aperienda iniquitas, non blandimentis fouenda. Ideóque Cyprian. lib. de Lapsis: Qui peccantem blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem subministrat, nec comprimit delicta ille, sed nutrit: at qui consiliis fortioribus redarguit, simul atque instruit fratrem, promouet ad salutem. Sic oportet Dei Sacerdotem non obsequiis decipientibus fallere, sed remediis salutaribus prouidere aperiendum vulnus, vociferetur, & clamet licèt, & conqueratur æger impatiens per dolorem, gratias aget cùm senserit sanitatem. Et August. libro 4. de Doctrina Christiana capite 24. de seipso ita loquitur: Cùm apud Cæsaream Mauritaniæ populo dissuaderem pugnam ciuilem, vel potiùs plusquàm ciuilem, egi quidem granditer quantùm valui, vt tam crudele atque inueteratum malum de cordibus pellerem dicendo, non tamen egisse me aliquid putaui, cùm eos audirem acclamantes, sed cùm flentes viderem, acclamationibus quippe se delectari, flecti autem lacrymis indicabant. Quibus habet similia Hieronym. lib. 2. in Esai. cùm ait: Ille est Doctor Ecclesiasticus, qui lacrymas, non risum mouet, qui corripit peccatores, qui nullum beatum, nullum dicit esse felicem. Et epist. ad Nepotianum de vita Clericor. Docente, inquit, te in Ecclesia, non clamor populi, sed gemitus suscitetur, lacrymæ auditorum laudes tuæ sint. Videndus item cùm explicat prædicta verba Ecclesiastæ: *Verba sapientum sicut stimuli*; vbi ait: Si cuius sermo non pungit, sed oblectationem facit audientibus, iste non est sermo sapientis; debet dolores & vulnera infligere, similiáque habet ad ea verba Esaiæ: *Caupones tui miscent vino aquam.* Pro quo Symmachus vertit, *Vinum tuum mixtum est aqua.* Ait ergo Hieronym. Omnis Doctor, qui austeritatem Scripturarum, per quam potest audientes corripere, vertit ad gratiam, & ita loquitur vt non corrigat, sed delectet audientes, vinum sanctarum Scripturarum violat, cùm è contrario Dominus noster aquas in vinũ verteret, & tale vinũ quod miraretur architriclinus.

Thre. c. 2. *Cap. 12.* *Esai. 1.* *Ioan. 2.*

QVONIAM verò sumus in re maximè necessaria corruptis moribus sanandis, serpentibúsque vitiis amputandis, & proh dolor! ij quibus

insitio verbi Dei incumbit, proprij muneris obliti, delectationem potiùs aucupantur, cùm debeant resecare, & aperire iniquitates, metúmque incutere, ac lacrymas elicere; rem latiùs a Magistris ac Doctoribus sanctis tractatam, quàm consueuimus, prosequemur, vt ab iisdem discant, qui Ecclesiam Dei docent. Notandus proinde est Nazianz. Orat. de suis Serm. ad Iulian. vbi ait: Nihil molle ac remissum; nihil numerosa concinnitate multitudini iucundum eloquar: (malam quippe gratiam amatoribus meis rependerem hoc orationis genere vtens) verùm admodum robusta & acri, ac vehementi dicendi ratione vtar, qua & ipsi fortasse meliores efficiemini. Et Berna. epist. 7. Vereor displicere quibusdam quod dicturus sum; cæterùm mihi magis verendum puto, ne tacendo veritatem, non veraciter cantem illum versiculum: *Iustitiam tuam non abscondi in corde meo.* Quibus habet similia in Apologia, & Serm. 59. super Cantic. vbi ait: Illius Doctoris libenter audio vocem, qui non sibi plausum, sed mihi planctum mouet. Et Cyprian. lib. 1. Epist. epist. ad Donat. Accipe non diserta, sed fortia, neque ad audientiæ popularis illecebram culto sermone fucata.

Psal. 39.

Referens autem August. lib. 4. de Doctrin. Christ. c. 14. hunc locum Cypriani, ita habet: Auertat Deus ab Ecclesia sua quod de Synagoga Hierem. dixit: *Pauor, & horrenda facta sunt super terram Prophetæ prophetabant iniqua, & Sacerdotes plausum dederunt manibus suis, & plebs mea dilexit sic, & quid facietis in futurum?* Ad quæ verba sic addit Augustinus: O eloquentia tanto terribilior, quanto purior, & quando solidior, tanto vehementior, &c. quæ prosequitur. Et Chrysost. hom. 38. ad Popul. Hoc, inquit, Ecclesias Dei subuertit, quoniam neque vos sermonem quæritis audire compunctiuum, sed qui delectare sono valeat, & verborum compositione tanquam citharœdos, & citharistas audientes; & nos segniter, & ærumnosè vestras sequimur concupiscentias, cùm sit opus eas excidere; & idem sit ac si quis pater frigido, & plus debito molli filio, licèt ægrotanti placentam offerat, & aquam frigidam, & quæcunque dumtaxat delectare solent, vtilium verò nullam gerat curam, postmodum à medicis incusatus se purget, dicens: quid faciam, non sustineo flentem puerum cernere, miser, & infelix, & proditor? Nec enim huiusmodi patrem dixerim: quanto enim melius est breui contristatum semper incolumem reddere? Hæc & nos patimur, verborum fucos conquirentes, & compositiones, & elegantem iuncturam, vt delectemus, non prosimus. Consideramus quomodo videamur admirabiles, non quomodo mores componamus. Similiáque habet hom. 5. de Sacerdotio; qui inter alia inquit: Aures suas vulgus assuefecêre, non vt ad vtilitatem, sed voluptatem potiùs audiant, quod faciunt, qui vel de tragœdis, vel de cytharœdis iudicaturi sedent.

Cap. 5.

Illvd tamen hoc in loco est aduertendum, singulare Dei beneficium esse, virum Apostolicum postposito omni metu, cùm oportet ea quæ necessaria sunt, liberè loqui: ideóque Ecclesiast. dicit quasi aliquid magnum promittens; *In medio Ecclesiæ aperiet os eius.* i. palàm & liberè loquetur. Quod idem promisit Ezechiel, dicens: *In die illa pullulabit cornu Domini Israël, & tibi dabo*

Eccle. 15
Ezec. 29.

dabo apertum os. i. liberã facultatem loquendi ea quæ necessaria sunt. Vnde contra eos qui solum laudem ac voluptatem quærunt, intelligit maledictionem illam Ruben; *Non crescas, quia ascendisti cubile patris tui*; Rupert. lib. 9. in Genes. c. 26. vbi ita habet: Ruben similis est quicunque thorum Dei Patris, id est, plebis eius regnum adultero introitu ascendit, scilicet non audientium salutem, siue profectum, sed gloriæ suæ quærendo voluptatem, quemadmodum iste ascendendo patris sui cubile, non exinde generare sobolem, sed proprij corporis quæsiuit explere libidinem. Genes. 49

VIDENDVS pro hac re est D. Chrysost. homil. 4. ad verba Isai. *Vidi Domin.* in fine to. 1. vt loquitur de Azaria audacter loquente ad Oziam 1. Paril. 26. & dicente; *Egredere de sanctuario, non est tui officij Ozia, vt adoleas incensum Domino, sed Sacerdotum.* Ait ergo Chrysost. Vide libertatem, vide mentem seruire nesciam. Aduertit autem acutè Chrysost. non appellasse eum Regem, sed Oziam, dum dixit: *Non est tui officij Ozia.* Proindéque, ait Chrysost. vidisti Regem, nec vidisti diadema. Ne mihi dixeris esse Regnum, vbi est legum translatio. Et homil. 5. ait: Non appellauit eum Regem, neque titulo Principatus appellauit, propterea quòd ipse præueniens sese dignitate deiecerat, vbi apertè ostendit virum Euangelicum peccata postposito metu in quocumque etiam præcipuo viro debere arguere, liberéque reprehendere: qua in re proprio munere fungitur, dum ille qui delinquit, obliuiscitur officij; Sacerdotis enim est, sicut ibi addit Chrysostomus, tantùm arguere, liberámque præstare admonitionem, non mouere arma, non clypeos vsurpare, non vibrare lanceam.

ILLVDQVE semper præ oculis habendum est, quod dixit Philo in lib. *Quis sit hæres rer. diuin.* Admirandæ, inquit, virtutes sunt, vel fiducia, vel sermonis libertas aduersùs præstantiores, quando res eam postulat. Neque verò nos retardare debet audientium querimonia: possumus enim eisdem cum Hieronym. ad Nepotian. de vita Cleric. dicere: Neminem specialiter meus sermo pulsauit, generalis de vitiis disputatio est, qui mihi irasci voluerit, ipse de se, quòd talis sit confitebitur. Vel cum eodem in epist. ad Rusticum, de forma bene viuendi, vbi ait: Dum mihi irascuntur, suam indicant conscientiam, multóque peiùs de se, quàm de me iudicant: ego enim neminem nominabo; prudentis viri est, ac prudentium fœminarum dissimulare, ac emendare, quod se intelligant, & indignari sibi magis, quàm mihi, nec in monitorẽ maledicta congerere. Vnde Bernard. in Apolog. vitia carpens: Scio me offendere vitiosos. Quod elegantibus similitudinibus exposuit Clem. Alexand. 1. Pædag. cap. 9. vbi ait: Quemadmodum speculum non est malum deformi, quòd ipsum ostendat qualis sit: & quemadmodum medicus non est ægrotanti malus, quòd ei febrim annunciet, nõ enim medicus est causa febris, sed ipse febrim arguit: ita nec is qui reprehendit, ei malè vult, qui laborat animo, neque ei delicta adiungit, sed ea quæ adsunt peccata ostendit, ad hoc vt auertat ab huiusmodi studiis. Ex quibus patet diuini verbi concionatorẽ contẽnere debere audientiũ querimonias, dummodo rectè officio suo fungatur, sicut & auditorum officium est susci

est suscipere in mansuetudine insitum verbum, quod ipsorum animas saluare potest.

§. VII.

Suscipiendum in mansuetudine Dei Verbum caro factum, & ad nostram salutem natum.

QVIA verò probabilis est ea expositio, qua per insitionem Verbi intelligitur Incarnatio, suscipiendum vtique monet Apostolus insitum Verbum, & in terris natum in mansuetudine, quod iam dixerat
Psal. 2. Dauid illis verbis: *Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus*; vbi in Hebræo habetur: *Osculamini Filium, ne fortè irascatur, & pereatis à via.* Et eandem mansuetudinem prædicabant Angeli in nocte Natiuitatis, quando recèns natum nobis annunciarunt Verbum, vt ipsum in mansuetudine agrestes viri quærerent. Quam etiam docuit Chrysol. Serm. 6. ad illa ver-
Psal. 99. ba Psal. *Sciote quia Dominus ipse est Deus*: Dominus, inquit, Deus est, qui fuit in carne nostra pusillus, qui fuit in cunabulis nostris capax, dulcis in gremio, mitis in habitu, in nostro contubernio blandus, & ideo introite in conspectu eius in exultatione, quia totum pauorem Diuinitatis, totum metum Iudicis in habitum nostrum dedit, prouidenti locauit aspectu, vt ingressus non pœnas Iudicis metuat, sed parentis præsumat amplexum.

CVM ergo sic ad nos venerit Diuinum Verbum, vt agnus mansuetus, meritò in mãsuetudine vult suscipi. Quod etiam videtur notasse D. Paulus,
Tit. 3. cùm dixit: *Apparuit humanitas, & benignitas Saluatoris nostri Dei.* Apparuit, inquit Bernard. Serm. de dilig. Deo, humanitas & benignitas: nam potentia quidem occultata est, quando in infirmitate venit. Et Serm. 1. de Natiuitate Domini: Potentia in rerum creatione apparebat, sapientia in rerum gubernatione, sed benignitas misericordiæ nunc maximè apparuit in humanitate. Vnde Clemens Alexand. 1. Pædag. cap. 9. Si non suscipitis benignitatem, cognoscetis potestatem. Et Bern. Ser. 45. in Cant. Quàm pulcher es, inquit, Angelis tuis, Domine Iesu, in forma Dei, in die æternitatis, in splendoribus Sanctorum! quàm mihi decorus in ipsa tui huius depositione decoris! etenim vbi te exinanisti, vbi naturalibus radiis lumen indeficiens exuisti, ibi pietas magis emicuit, ibi charitas plus effulsit, ibi ampliùs gratia radiauit. Quàm clara mihi oreris stella ex Iacob! quàm lucidus flos de radice Iesse! Et homil. 3. super Missus est: Magnificetur à nobis paruulis magnus Dominus, quos vt faceret magnos, factus est
Matt. 11. paruulus; studeamus effici sicut paruulus iste, discamus ab ipso *quia mitis est, & humilis corde*, ne magnus videlicet Deus sine causa factus sit homo paruulus; discamus huius humilitatem, imitemur mansuetudinem. Et Guarricus Serm. 2. de Annunciatione: Quid sic hominem excitare potest ad amorem Dei, quàm præueniens hominem amor Dei, tam vehemens ad hominem, vt homo propter hominem velit fieri? Quibus habet similia August.

in

in Manual.cap.26.Nam, ſicut rectè dixit Euſeb. Emiſſ. homil. 6. de Paſca; maximum circa hominem Diuini amoris inſigne eſt, quòd inter ipſa mundi principia imaginem ac ſimilitudinem Dei ſui ſeruus accepit: ſed penè amplius eſt quòd nunc formam ſerui Deus author aſſumpſit; grandi dignatione primo homini ſpiraculum vitæ de ſuo pius formator infudit, ſed nunc penè maiori charitate pro eodem homine non iam ſua dedit, ſed ſeipſum impendit, ac tradidit. Magnum quidem mihi eſt de Deo, quòd eſſe me ſentio opus ſuum, ſed multo plus eſt, quòd tranſiſſe ipſum video in pretium meum, quandoquidem tam copioſo munere ipſa redemptio agitur, vt homo Deum valere videatur; inter hæc multum quidem eſt quod abſtulit diaboli nequitia, ſed multo plus eſt quod Dei reddidit miſericordia.

QVOD ſi pietas poſtulat recenter natum infantem ſuſcipiendum, educandum, & amplectendum expoſitum, quanto maiori cum ratione ſuſcipiendum eſt naturæ noſtræ inſitum Verbum pro nobis, imò & nobis de cœlo expoſitum? vt eum eleganter appellat Tertull. lib. 4. contra Marcionem c. 21. De cœlo, inquit, expoſitus, ſemel grandis, ſemel totus, ſtatim Chriſtus, ſpiritus, & virtus, & Deus, &c. Quem ergo hominem hominibus cœlum expoſuit, & propoſuit Deo ſacrificium iuſtitiæ etiam rigoroſæ, in manſuetudine ſuſcipiamus, ſuſcipiendum poſtea in crudelitate, & incredulitate à Iudæis occidendum & flagellandum.

SVSCIPIAMVS, inquam, in manſuetudine, & puritate inſitum naturæ noſtræ Verbum, & præueniamus in confeſſione faciem eius, vel cum Sole, quem D. Ambroſ. Serm. 16. citiùs aduenisse ait, quando natum eſt Verbum in carne: Nox, inquit, nocturnis horis cùm Chriſtus naſcitur, aliquantulùm aduentu maturiore decerpſit, & ex eo factū puto, vt nox decreſceret, dum Sol feſtinus ob Dominicæ Natiuitatis obſequium, antè mundo lucem protulit, quàm nox ſui temporis curſum conſummaret; quin potiùs ipſam noctem fuiſſe non dico, nec aliquid obſcuritatis habuiſſe, in qua Paſtores peruigilant, exultant Angeli, aſtra deſeruiunt. Suſcipiamus proinde in manſuetudine hoc Verbum, ad quod fortè priùs vocati ſunt Paſtores, qui manſuetum pecus cuſtodiebant, oues ſcilicet. Quod videtur notaſſe Hieron. epiſt. ad Euſtoch. de Obitu Paulæ, dicens: Dúmque ſeruant oues, inuenerunt Agnum; fuit quidem hucuſque Leo, iam venit Agnus dominator terræ, qui tollit peccata mundi, proindéque potens eſt ſaluare animas veſtras, quíque ex Agno Paſtor factus perditam ouem, manſuetam tamen requiret, & ſuper humeros reducet.

NEQVE vereamur accedere in manſuetudine, quia non ad puniendum, ſed ad ſaluandum inſitum nobis eſt, ideóque Bern. Ser. 1. in die Natiuitatis: Ne fortè, inquit, dicas; *Etiam nunc vocem tuam audiui, & abſcondit me*, ecce infans eſt, & ſine voce, nam vagientis vox magis miſeranda eſt, quàm timenda, aut ſi cui fortè terribilis, ſed non tibi, paruulus factus eſt, tenera membra Virgo Mater pannis alligat; & adhuc tremore trepidas, & non potiùs amore deficis? Etenim ſi Ionathas poſtquam audiuit Dauidē dicentem Geneſ. 3.

1.Reg.17. & 18. Saüli ipsum esse Filium hominis Bethlehemitæ, sic ad eum affectus est, vt eum dilexerit quasi animam suam, & expoliauerit se tunica sua vsque ad gladium, & arcum suum, quanto magis nos arma iniquitatis deponere debemus, & in mansuetudine, ac intimo pectoris affectu suscipere Verbum, postquam audiuimus factum esse carnem in Bethlehem, & esse Filium hominis Bethleemitam? Meritò proinde Chrysol. Ser. 141. Tu homo si non mox cum Angelis, agnosce vel tardissimè cum iumentis, ne dum moraris, ipsis iumentis quibus antè comparatus fueras, postponaris. Ecce iumenta adulantur caudis, blandiuntur auribus, linguis lambunt, & motu quo possunt, authorem suum fatentur contra naturam in tuam venisse naturam. Plura hac de re habet Bern. Serm. 2. in Cant. & Guarric. Serm. 1. de Annunciat. quæ omnia cum Iacobo proclamant, suscipiendum, venerandum, diligendum, & inserendum animabus nostris insitum nostræ naturæ Verbum, quod venit ad nostram omnium salutem. Quódque antiqui Patres
Psal.15. tamdiu exoptarunt, vnde Dauid Psalm. 15. dicebat, *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Aug. ibi & Greg. 18. Moral. cap. 29. *dum manifestabitur gloria tua.* Theodotion, *cùm apparuerit dextera tua,* quæ omnia de Filio Dei in carne apptè intelliguntur.

Vers. 22. *Estote factores verbi, & non auditores tantùm, fallentes vosmetipsos.*

EXPOSITIO LITERALIS.

NE verò quis falleretur existimando solam verbi ac fidei auditionem sufficere ex eo quòd dixisset: *Sit omnis homo velox ad audiēdum;* ostendit iam Apostolus necessariam esse exequutionem doctri-
Rom.2. næ Euangelicæ, quod etiam dixit Paulus; *Non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur.* Et Christus Dominus: *Seruus sciens volun-*
Luc.12. Matt.7. *tatem Domini sui, & non faciens, vapulabit multis.* Et alibi. *Omnis qui audit verba mea, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificat domum suam supra petram.* Et
Cap.1. in Apocalyp. *Beatus qui audit, & seruat verba prophetiæ huius.* Vnde August. Ser. de Blasph. in Spirit. sanct. Scopus Christianæ religionis est, vt quæ ex doctrina veritatis didicimus, opere impleamus. Vnde patet id quod addit Iacobus, *fallentes vosmetipsos,* quod Glossa exposuit: si per solum auditum saluandos vos putatis, qui seipsos, dum hoc existimant, decipiunt, quod optimè probat Basilius homil. Examer. Ex similitudine vitis, quam
Ioan.15. Christus Dominus proposuit. Similitudinis, inquit, Domini te non immemorem esse certè scio, qua sese vitem, & patrem agricolam esse dixit, nósque singulos per fidem insertos palmites appellauit, atque ad copiosè ferendos fructus inuitat, ne ob inutilitatem condemnati igni tradamur. Quam eandem doctrinam ex hoc loco deducit Damascen. lib. 2. Paralell. cap. 18. quæ est contra Simonianos, Gnosticos, Eunomianos,

Lu

Lutheranos, & Caluinianos, solius fidei prædicatores, imò fidei proditores, ac perditores, quorum dicta factis deficientibus erubescunt, sicut dixit Tertullian.lib.de patient.in principio. Qua de re postea à nobis, Deo dante, agendum est.

§. I.

Verbum Dei auditum opere adimplendum est.

HIc locus admonet, vt verbum Dei auditum opere compleamus: quò videtur respexisse Paulus cùm mandatorum obseruationem, plenitudinem fidei vocauit: *Accedamus*, inquit, *cum vero corde in plenitudine fidei*; Hebr. 10. super quæ verba D. Thomas lect. 2. sic habet: Fides plena fit duobus modis, & quantùm ad materiam fidei, vt nempe credantur omnia, quæ proponuntur ad credendum, & quòd sit fides formata, quod fit per charitatem operantem. In quam sentent. etiam Origen. & Hilar. interpretantur Matt. 25. parabolam de talentis, dicúntque talenta esse verbum Dei auditum, & eloquia casta, quorum prouentum, & lucrum per bona opera Deus requirit. Vnde Beda Luc. 19. Qui pecuniam à Doctore percipit, emítque credendo, necesse est eam cum vsuris soluat operando, vt quod auditu didicit, exequatur & actu. Vnde Chrysost. hom. 12. in Genes. Quanto quis sæpiùs audierit, tanto maiorem vltionem attrahet non faciens quæ dicuntur. Quod etiam confirmat Origen. homil. 13. in Exod. & hom. 8. in Iosue; & Fulgent. lib. 6. de Incarnat. & Grat. cap. 6. Legalis auditus, inquit, non solùm neminem de potestate tenebrarum eripuit, quin etiam peccatoribus cumulum præuaricationis adiecit; quod dixit Ambros. Serm. 83. cùm ait: Prædicatio Sacerdotis in plebe, saluandis est correctio, contestatio iudicandis; contestamur enim illis ante iudicium quid illos maneat in ipso iudicio, vt tunc omni excusatione submota, & rei sint de peccatis, & obnoxij contemptu. Vnde & ego interdum parcens vobis tacere vellem, sed malo, vos contumaciæ causas reddere, quàm me negligentiæ sustinere iudicium


HANC eandem doctrinam probat Origenes homil. 27. in Numer. cùm ponderat id quod dicitur; *Exierunt in manu Moysis, & Aaron.* Ad exeundum, inquit, de Ægypto non sufficit vna manus Moysis, quæritur & manus Aarō, Moyses indicat scientiam legis; Aaron sacrificādi Deo, & immolandi peritiam. Opus est ergo, vt exeuntes de Ægypto non solùm scientiam legis & fidei, sed operum, quibus Deus placetur, fructus habeamus; ideo enim & manus commemoratur Moysis, & Aaron, vt opera per manus intelligas; cùm animæ vitia purgantur, manus Aaron operatur in nobis, & manus Moysis nobiscum est, cùm ad hæc ipsa intelligēda illuminamur ex lege, & ideo vtraque manus necessaria est de Ægypto exeuntibus, vt inueniatur in eis non solùm fidei, & scientiæ, sed & actuū, operúmque perfectio: & tamē hæ nō sūt duæ manus, sed vna in manu

Moysi,& Aaron,& non in manibus,vnum enim opus vtriusque manus est, atque vna perfectionis expletio.Meritò proinde Apostolus monet, vt non auditores tantùm,sed factores simus verbi.Quod faciliùs fiet,si (vt Plutar. meminit libr. de audiendo) cùm ab auditorio soli apud nos fuerimus, quæcumque audiuimus, correxerimus: si enim oportet ex tonstrina surgentem accedere ad speculum, caput attrectare, comam spectare, vt tonsa sit, & discrimen tonsuræ, multo magis ex auditorio, scholáque digressus ad seipsum debet extemplò respicere, contemplaríque animum suum,an qua ægritudine vel leuitate deposita leuior euaserit, & erectior.

Vers. 22. ***Quia si quis auditor est verbi, & non factor, comparabitur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo.***

Vers. 23. ***Considerauit enim se, & abiit, & statim oblitus est qualis fuerit.***

EXPOSITIO LITERALIS.



PPOSITA similitudine ostendit Apostolus quàm vanum & inutile sit verbum Dei audire,nec tamen iuxta illud morum correctioni studere,cùm ad hoc nobis proponatur.Ideóque auditores verbi,qui meliores minimè redduntur,similes omnino existunt homini contemplanti natiuum vultum in speculo tersissimo,qui nihil curat maculas,quas in facie viderat, abstergere,proindéque tam deformis abscedit, atq; accesserat:imò ob debilem impressionem in oculis factam,statim obliuiscitur qualem se conspexerat.Sicut igitur nihil prodest huic homini se, maculásque vultus sui vidisse, quandoquidem eas non abstergit, sic non prodest homini audire verbum Scripturæ, vel prædicationis, nisi illud quod audit aure,aut videt oculo, impleat opere.

Dubium tamen est hoc loco, quidnam per *natiuum vultum* intelligatur. Græci enim existimant esse, quòd scilicet homo ad Dei gloriam sit conditus,& ad imaginem Dei factus, quod contemplari debet in literarum speculo;qui verò auditor tantummodo est,nec illi etiam curæ est ad prototypi effigiem se componere.Alij verò per *vultum natiuum* intelligunt naturam corruptam, egentem ex parte Dei gratiæ influxu, ex parte verò nostri cõtinua cura,& emundatione: quia etsi culpæ remittantur, cupiditates tamen nostræ malæ non ideo tolluntur,sed repullulant. Qui ergo audit, ac videt,& de remedio adhibendo non est solicitus,hic tantùm in speculo,non in reipsa se considerat.

CÆTERVM existimo Apostolum loqui non de vultu natiuo præcisè sumpto,sed maculis deturpato, puluere,& squallore obsito, quem is, qui breuiter se vidit ad speculum,non curauit abstergere,quantumcumque ei tunc

tunc in mentem venerit. Ita ferè D. Thomas, Titelman. Lyran. & alij communiter, & Ber. Ser. 1. de septem panibus.

NEQVE verò abs re Apostolus similitudinem speculi non in muliere, cui familiaris admodùm est speculi intuitio, & consultatio, sed in viro posuit, qui obiter speculum intuetur, & non curiosè sese ad illud componit, & examinat. Vnde Hieron. in Sophon. 1. Qui in fœmineo lãguore mollitus comam nutrit, vellit pilos, cutem polit, & ad speculum comitur, quæ propriè passio & insania fœminarum est; ideo ergo vt explicaret Iacobus incuriam eius, qui infructuosè verbum Dei audit, comparat viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo.

§. I.

Verbum Dei speculum est, iuxta quod debemus componere, & ornare animas nostras.

EX hoc loco constat verbum Dei scriptum, aut auditum, esse speculum nobis propositum, in quo natiuum vultum debemus considerare, quòd scilicet simus ad æternam beatitudinem conditi, quò virtutibus exornemur, moribúsque componamur. Iussit olim Deus, vt fieret labrum, siue concha ex ære & speculis mulierum, quæ obseruabant ad ostium tabernaculi, in quod Sacerdotes intuentes, vultus detergerent, & aqua in labro contenta lauarent: vt sic puriores, ac mundiores Deo sisterentur. Dicit autem esse specula mulierum, vt meminerint Sacerdotes non ad instar viri, sed mulieris examinandos & componendos, consultò, diúque defectus scrutando, quò meliùs perficerentur. Specula mulierum, inquit Greg. homil. 17. in Euangel. sunt præcepta Dei, in quibus se sanctæ animæ semper aspiciunt, & si quæ in eis sunt fœditatis maculæ, deprehendunt, cogitationum vitia corrigunt, & quasi retinentes vultus, velut ex reddita imagine componunt, quia dum præceptis Dominicis solerter intendunt, in eis proculdubio, vel quid in se cœlesti viro placeat, vel quid displiceat, agnoscunt. Moyses ergo labrum de speculis mulierum fecit, quia lex Domini lauacrum compunctionis peccatorum nostrorum maculis exhibet, dum ea per quæ sanctæ animæ superno Sponso placuerunt intuenda præbet, quibus si diligenter intendimus, internæ nostræ imaginis maculas videmus, videntes autem maculas in pœnitentiæ dolore compungimur, compuncti verò quasi in labro lauamur. Et Aug. Concione 4. in Psal. 118. circa præsentem Iacobi locum sic ait: Mandata Dei siue cùm leguntur, siue cùm memoria recoluntur, tanquam speculum intuenda sunt, secundùm Apostolum dicentem: *Si quis auditor est verbi, & non factor*, &c. Similiáque habet Serm. 112. de Tempore; & Serm. 38. ad Fratres in Eremo; & Orig. hom. 6. in Leuit.

Exod. 38.

QVO magis verò præsens doctrina eluceat, notandus est locus apud Senecam lib. 1. Natural. quæst. c. 17. vbi ita ait: *Inuenta sunt specula, vt homo*

ipse se nosceret; multa ex hoc consequuta. Primò, sui notitia, deinde & ad quadam consilium, formosus, vt vitaret infamiam, deformis, vt sciret redimendum esse virtutibus, quidquid corpori deesset, iuuenis, vt flore ætatis admoneretur illud tempus esse discendi, & fortia audendi, senex, vt indecora canis deponeret, & de morte aliquid cogitaret. Ad hoc rerum natura facultatem nobis dedit nosmetipsos videndi, fons cuique perlucidus, apud leue saxum imaginem reddit:

——Nuper me in littore vidi,
Cùm placidum ventis staret mare.——

VNDE Bias dicebat: In speculo te ipsum contemplare, & si formosus apparebis, age quæ deceant formam, sin deformis, quod in facie minus est, id morum compensato pulchritudine.

IVXTA hanc igitur Philosophorum doctrinam debemus accedere ad propositum nobis speculum, vt maculas diluamus, virtutibúsque exornemur. Artifex misericordia Dei, inquit D. Leo Serm. 11. de Quadragес. cap. 4. splendidissimum in mandatis suis condidit speculum, in quo homo faciem suæ mentis inspiceret, & quàm conformis imagini Dei, & quàm dissimilis esset, agnosceret. Et Bern. Serm. 1. de septem panibus; Euangelium, speculum veritatis nemini blanditur, nullum seducit, talem *in* eo se quisque reperiet qualis fuerit, vt nec ibi timore trepidet, vbi non est timor, nec lætetur cùm malè fecerit. Et afferens præsentem locum, vbi qui se considerauit in speculo, statim oblitus est, ait: Nos autem, fratres, non sic obsecro, non sic, sed consideremus nosmetipsos, & in ea quam audiuimus sacri Euangelij lectione meditemur, vt proficiamus ex ea, & corrigamus secundùm eam, si qua in nobis deprehenderimus corrigenda; propter hoc enim optat Propheta dirigi vias suas ad custodiendas iustificationes Domini, tunc inquiens; *Non confundar cùm perspexero in omnibus mandatis tuis.* (Psal. 118.) Quod ipsum nouerat Nazian. quando Orat. de Quadragesim. Ieiun. dixit: Ego diuinis oraculis euoluendis mentis puritatem collegi; quod ipsum videtur ostendere ille locus Psalm. *Apprehendite disciplinam*; quod Septuaginta sic verterunt: *Osculamini puritatem*, quasi tota animæ puritas, & pulchritudo ex disciplina, & mandatis Domini colligatur. (Psalm. 2.) Vnde Aug. Serm. 16. de verbis Domini, dicit, eos qui Prædicatorem aliquem laudant, nec tamen ad illius prædicationem corriguntur, contra se testes esse. Et D. Chrysost. hom. 6. ad Populum, non satis putat si quis audiendo verbum Dei componat mores suos veluti ad speculũ, sed insuper, vt domum reportet admonitionẽ filiis, vxori, & necessariis omnibus. Vide Greg. 2. Mor. c. 1.

§. II.

Contra viros curiosè se ornantes.

QVONIAM diximus Apostolum posuisse similitudinem eius qui se ad speculum verbi Dei non exornat, in viro considerante vultum natiuitatis suæ in speculo, potiùs quàm in muliere, quia viri obiter tantùm solent

ſolent ſpecula intueri; muliebre autem eſt curioſè ſe ad ſpeculũ componere, nõ exiſtimaui prætereundam miſeram noſtræ tempeſtatis conditionem, vbi viri muliebriter ſpeculis vtuntur, impenſiùs componuntur, & curioſiùs exornantur, quibus poſſumus dicere cum Bern. Ser. 2. de verbis Iſaiæ, *Vidi Dominum*: Erubeſcant cultu indigno viris, interdicto mulieribus, ſemetipſos potiùs dehoneſtantes, quàm ornantes, componere. Et Clem. Alex. lib. 3. Pædag. c. 3. Eò vſque proceſſit luxus, vt non ſolùm fœminæ hoc inani ſtudio laborent ſe ornandi, ſed etiam viri. Et Diogenes Cynicus apud Laërtium videns adoleſcentulum muliebri cultu, ſeu effœminato indutum, dixit: *Non te pudet deteriùs, quàm naturam ipſam de te ipſo ſtatuere? illa enim te virum fecit, tu te ipſum in mulierem refingis.* Et apud Stobæum idem Diogenes ad adoleſcentem etiam ſe ornantem dixit: *Si ad viros fruſtra, ſi autem ad mulieres, nequiter.* Pro qua etiam re notauit Beroaldus lib. 2. de Transformatione, ex Seneca, capillos affectari ſolere ab iis qui magis ſoliciti ſunt de capitis ſui decore, quàm de ſalute, qui inter ſpeculum, & pectinem ſunt occupati, qui concinniores malunt eſſe, quàm honeſtiores, qui Rempub. ſuã turbari minùs curarent, quàm comam.

Est optimus locus etiam apud Liuium lib. 2. de bello Punico, vbi de Scipione Africano ita dixit. *Adornabat eum promiſſa cæſaries, habitúſque corporis, nõ cultus munditiis, ſed virilis verè ac militaris.* Quibus habet ſimilia Silius Italicus lib. 8. de bello Punico, & Ælianus lib. 8. variæ Hiſtoriæ, vbi de Alexandro notauit, ſine cura formæ capillos habuiſſe diſiectos, atque confuſos. Pluráque hac de re habet Seneca epiſt. 115. 116. vbi inter alia ait: *Non eſt ornamentum virile concinnitas.* Si ergo eo tempore maximum vitium erat viris affectata compoſitio, & concinnitas; maiori cum ratione, poſtquam lux vera de cœlo deſcendit ad depellendas omnes tenebras ignorantiæ, & vitioſitatis, niſi fortè ea ſit ratio, cur homines hoc tempore toti ſint in concinnandis capillis, in exornanda facie, in coaptandis, componendiſque veſtibus, quia cùm incompoſiti omnino ſint mores, tota compoſitio ad externum cultum tranſlata eſt: illúdque ex eo quod in more poſitum eſt, colligo; quòd ſi hoc tempore loqueretur Apoſtolus, non de hominibus diceret obiter ſe intueri ad ſpecula, parúmque in eis viſos defectus curare.

Verſ. 24. *Qui autem perſpexerit in lege perfectæ libertatis, & permanſerit in ea, non auditor obliuioſus factus, ſed factor operis, hic beatus in facto ſuo erit.*

EXPOSITIO LITERALIS.



Damnaverat ſuperiùs incuriam, & negligentiam auditorum circa compoſitionem defectuum, quos in prædicatione verbi Dei, veluti in ſpeculo agnoſcebant, iam à contrario oſtẽdit quem ordinem

ordinem obseruare debeant, vt proficiant, & corrigantur: debet enim inprimis auditor perspicere, seu, vt Græca vox sonat, introspicere, vultu demisso, & oculis intentis, penetraréque, & non in superficie speculi remanere, & sic vultum componere, & maculas delere ad præsentiam legis Euangelicæ, quam *perfectæ libertatis* vocat: Græcus verò Codex, Syriacus, & Complutensis habet, *legem perfectam libertatis*, id est, quæ est libertatis, ob rationes quas mox subiungemus.

Hanc verò attentam perspectionem contraponit superiori considerationi vultus natiuitatis in speculo, sicut etiã ex oppositioillius quod dixerat: *Abiit, & statim oblitus est qualis fuerit*, ponit, *& permanserit in ea*, seu, vt Græci habent; *permanserit sic*; obseruando scilicet, & poliendo vultum, iuxta 1. Ioan. 1. illud Ioannis. *Qui seruat verbum Dei, verè in hoc charitas Dei perfecta est: & in hoc scimus quoniam in ipso sumus, qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare*; id est, debet, sicut ipse docuit, facere, ipsúmque imitando sequi. Est enim Hebraismus in sacris literis frequentissimus, vt patet ex Psalm. 1. Psalm. 1. *Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum*; vbi Pagninus vertit, *qui non ambulauit cum impiis, nec eorum impietatem sequutus est.* Deinde etiam quia superiùs dixerat. *Oblitus est qualis fuerit*, dicit oportere auditorem non esse obliuiosum, sed factorem operis, ne scilicet postea cum Dauide conque- Ps. 107. ratur: *Aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum*, scilicet, non faciendo quod audio. Est enim animæ cibus facere voluntatem Dei, sicut di- Ioan. 4. xit Christus Dominus: audire verò est tantùm videre cibum, non manducare.

Dupliciter verò potest homo diuinorum obliuisci verborum. Primò, ea è sua memoria penitùs amittendo, secundò, ea non adimplendo, quanuis eorum recordetur. Nam & inuariabilis Deus obliuisci dicitur eorum quos iusto iudicio perire permittit, eo quòd per modum obliuiscen- Thre. vlt. tis circa illos se habeat. Vnde dicitur. *Quare in perpetuum obliuisceris nostri?* Qui ergo factor verbi extiterit, hic beatus in suo facto erit, id est, per opera sua beatitudinem consequetur. Vnde Christus Dominus dixit: *Si hæc* Ioan. 13. *scitis, beati eritis, si feceritis ea.* Vel, beatus in facto suo erit, merito scilicet, & spe, non in verbo tantùm erit beatus, ait D. Thom. sed in facto; *in custo-* Psal. 118. *diendis* enim *illis retributio multa*, non dicit, in audiendis.

§. I.

Lex Euangelica libertatis lex est.

Postvlat hic locus, vt de libertate legis Euangelicæ dicamus, de qua sine dubio loquitur Apostolus, quidquid contradicant Hæretici, contra quos pro hac re videndus est Bellarminus tom. 1. lib. 1. de verbo Dei cap. 18. Nostra igitur lex gratiæ, libertatis lex dicitur, ratione gratiæ, & charitatis, vt ex Scriptura colligit August. lib. de Natura, & Grat. & Galat. 5. cap. 57. *Si spiritu ducimini, non estis sub lege.* Vtique lege, quæ timorem incutit,

incutit; non tribuit charitatem, quæ charitas diffusa est in cordibus nostris, non per legis literam, sed per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Hæc est lex libertatis, non seruitutis, quia charitatis, vtique non timoris, de qua Iacobus Apostolus ait: *Qui autem perspexerit in lege perfectæ libertatis.* Similiáque habet lib. de Continentia c. 3. & tract. 41. in Ioan. vbi ait: Noli libertate abuti ad liberè peccandum, sed vtere ad non peccadũ; erit enim voluntas tua libera, si fuerit pia, eris liber, si fueris seruus, liber peccati, seruus iustitiæ. Similiáq; habet lib. 1. de ser. Domini in mõte.

Et vt meliùs cognoscamus perfectam libertatem legis Euangelicæ, aduertendum est, multifariam in Scripturis nomen *seruitutis* accipi: & quod attinet ad præsens institutum, tripliciter seruitus accipitur. Prima enim seruitus est legis, de qua Paulus in epistola ad Galat. Secunda est peccati, de qua Paulus in epistola ad Rom. Tertia est seruitus corruptionis, de qua in eadem epistola, vbi etiam ait: *Ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Et quia tunc temporis dabitur hæc libertas, ad quam modò solùm ius habemus, nihil de ea in præsenti. *Galat. 4. Cap. 6. Cap. 8.*

De prima igitur seruitute sic ait Paulus: *Duo sunt testamenta, vnum in monte Sinai, in seruitutem generans.* Vnde Chrysost. hom. 14. in epist. ad Roman. ait: Quomodo literæ seruitutis erant, scilicet legis antiquæ, adducito in medium vniuersam populi Iudaici institutionem, ac viuendi formam, & tunc istud quoque clarum erit: etenim & supplicia peccantibus è vestigio infligebantur, & merces rectè facientibus congrua statim subsequebatur, non aliter quàm quemadmodum solet famulis dari dimensum diurnum, & plurimus vndique timor ob oculos inualescebat, licèt illi quidem vocati sint filij, vocati tamen sunt non aliter quàm veluti serui, nos autem vt liberi facti adoptionem accepimus, & cœlum expectamus; & cætera quæ in hanc sententiam prosequitur. Videndus hac de re D. Aug. lib. de spiritu & lit. c. 13. & seq. lib. de Grat. Christ. c. 8. lib. de Nat. & Grat. cap. 57. & lib. 3. contra duas epist. Pelagianorum c. 4. & lib. 4. cap. 5. & multo elegantiùs sanè q. 92. in Exod. vbi luculenter hac de re disserit. Videndus item D. Hieron. lib. 1. Dialogorum contra Pelag. Chrysost. lib. de Virginitate c. 49. & in epistolam ad Ephes. cap. 1. ibi. *Qui benedixit nos omni benedictione.* D. Greg. hom. 32. in Euang. & Hugo de Sanct. Vict. lib. Sentent. sententia 63. Paul. Burg. 1. p. Scrutinij, dist. 8. c. 6. vbi ex autoritate Rabbinorum probat Deum filiis Veteris Testamenti tanquam pueris rudibus temporalia bona promisisse, & mala corporis fuisse comminatum. *Cap. 4. Ephes. 1.*

Ostendit autem Theodoret. q. 34. in Deuter. Deum se habuisse cum Hebræis, veluti cum seruis, dum quærit, qua de causa Iudæos subiecit maledictionibus, & benedictionibus, cùm Christus Dominus dum perfectam scientiam traderet perfectis, pollicitus sit regnum cœlorum implentibus, transgressoribus autem gehennam comminatus. At verò Iudæis, inquit, humi repenti præditis animo, & terrena sapiente, terrenas maledictiones, & benedictiones indulsit. Quibus habet similia q. 36. cùm quærit, cur in lege plures sint maledictiones quàm benedictiones. Improbi

serui, inquit, non tam mouentur promissionibus libertatis, quàm plagarum comminationibus: vnde & velut seruos viles, & abiectos eos dicitur
Psal. 43. vendidisse Deus sine pretio. Super quæ verba ait Ambrosius. Si ementis & vendentis affectum consideres, vnusquisque sibi viliorem vendidit, potiorem emit, vendidit populum Iudæorum nō inclemētia Dei, sed sua culpa emptus est populus Christianus, ille peccatis vēditus, hic emptus sāguine.

PROBAT insuper hanc seruitutem, quia sicut seruus epistolam domini sui clausam, & signatam defert ad filium, aut amicum, ita & Iudæi sacras Scripturas asportabant, veluti clausas epistolas nobis tanquam filiis tradendas, & tanquam amicis à Deo aperiendas, quibus ipse dixit: *Iam non*
Ioan. 15. *dicam vos seruos, sed amicos, quia omnia quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Vbi notanda venit particula illa (*omnia*) quam rectè ibi exponunt Chrysosto. Theophylact. & Euthym.

Cant. 7. FACIT tandem id quod Rupert. notauit ad illa verba: *Quàm pulchri gressus tui in calceamentis filia Principis?* vbi ostendit calceamenta esse insigne li-
Luc. 15. bertatis seu ingenuitatis. Quod insuper possumus confirmare, quia indulgens pater filio prodigo reuertenti a via sua pessima, ei in gratiam iam re-
Cap. 20. cepto imperat dari calceamenta in pedibus. E contrario verò Isaias in signum captiuitatis populi, ambulauit nudus & discalceatus. Cùm ergo
Exod. 3. Synagoga esset veluti serua, eius Princeps dum à Deo eligendus vocatur, discalceari iubetur; *Solue calceamenta de pedibus tuis*: quantumque enim Princeps illius Reipub. esset, ad seruilem adhuc statum pertinebat. E contrario
Act. 12. verò ad Ecclesiæ Principē Petrum ait Angelus: *Præcingere, & calcea te caligas tuas*; quia Princeps erat Ecclesiæ primitiuorum in libertatem assertorum.

MITTO ceremoniales leges onerosas, namque moralia nobis quoque imponuntur, vt sæpe monet Augu. docens ratione istorum non distingui duplex Testamentum. Qua de re videndus est lib. de spiritu, & litera c. 14. & 10. cont. Faust. c. 2. & tract. 3. in Ioan. & in Psal. 73. videndus etiam Leo de Ieiunio decimi mensis, Ser. 6. & Ser. 14. de Passione, vbi ait; quæ vtrique Testamento erant congrua, nulla esse commutatione variata. Mitto igitur Circuncisionem, Sacrificia, Purificationes, Neomenias, Tabernaculorum præcepta, ceremoniásque & vmbras, quibus Hebræorum po-
Act. 15. pulus adeò grauatus erat, vt Petrus eam legem appellet, *iugum graue*, cùm tamen Christus suæ legis iugum suaue dicat. Quod ingeniosè explicauit
Mat. 11 Galat. 3 Paulus dum dixit: *Quicumque baptizati estis, Christum induistis.* i. ipsius legem professi estis. Vsus est autem verbo *induendi*, vt significaret, quòd sicut indumentum nulli est oneri, neque vestibus quis prægrauatur, ita vt eas pro onere ducat, imò pro honore: ita suaue iugum legis Christi onerosum minimè est, imò suaue & decorum.

QVAM graue autem esset iugum legis antiquæ, ex eo constat, quia, sicut obseruat Abul. in c. 1. Ruth quæst. 24. vniuersa legis præcepta erant sexcenta & tredecim. Affirmatiua scilicet ducenta & quadraginta octo, negatiua, trecenta sexaginta quinque. Quod idem notauit Guilielm. Parisiens. lib. de fide & lege cap. 1. & Galatin. lib. 11. c. 4. Paul. Burgens. 1. p.

Scruti

Scrutinij,distinct.8.c.9.Rabbi Moyses Ægyptius lib.3.Perplexor. c.56.dicit, Iudæos obligatos ad obseruanda ducẽta quadraginta & octo præcepta affirmatiua,secundùm numerum membrorum corporis humani,& trecenta sexaginta quinque negatiua,secundùm numerum dierum anni.Ideóque meritò August.Ser.9.de verb.Dom.veterem legem vocat sarcinam innumerabilem obseruationum,necessaria tamen sarcina,vt durus & peruicax populus in officio contineretur,ne veluti serui vacantes otio, ad vitia, & idololatriam abriperentur.

CÆTERVM,cùm hæc ita sint,in eo maximè cernitur seruitus legis veteris,quòd vires non suppeditabat ad sui impletionem, sicut notauit Aug. epist.44. Vnde & in Scriptura lex ea dicitur ignea, quia habebat virtutem ignis,illuminandi scilicet,& manifestandi peccata:vnde dicitur, *præceptum Domini lucidum:lucerna pedibus, & mandatum lucerna est.* At non habebat virtutem Ignis comburendi & consumendi. i. delendi ac tollendi peccata. Vnde Gregor.hom.7.in Ezechiel.legem veterem similem fuisse dixit illi igni,qui in rubo visus est,qui licèt in rubo luceret,ipsúmque collustraret,non tamen comburebat,aut consumebat. Similiter lex Moysis illuminabat Iudæos,qui erant tanquam rubus spinis obsitus. i. peccatis, eadem demonstrando,sed minimè comburendo,aut consumendo,quia vim ad id minimè habebat;lex verò gratiæ vnà cum præceptis gratiam præbet, qua homines adiuti,facilè,liberè,ac libenter implent ipsa præcepta.Et propterea Christiani dicuntur non esse sub lege,& iustis insuper dicitur non esse lex posita, non quòd eam seruare non debeant, sed quia lex eos non premit,aut grauat cùm eam libentissimè seruent; *vbi* enim *venit plenitudo temporis,misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant,redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus.* Quoniam verò sumus filij Dei, misit Deus Spiritum Filij sui, qui Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filij Dei.

Deut 33. *Ps.118.* *Prouer.6.* *Exod.3.* *Galat.4.*

SED ne aliquis scrupulus in hac materia remaneat; si aliquis quærat, vtrùm in statu legis veteris daretur iustis gratia ad implendam legem, & peccatoribus remissio peccatorum,sicut in lege gratiæ datur: dicimus hæc omnia tunc temporis non dari vigore legis,sed fidei Christi futuri; status enim legis quantùm ex se erat,non dabat virtutem vt impleretur. In quo maximè differt à lege perfectæ libertatis,quæ hoc nomen etiam ideo sortitur;& nos dicimur liberi, quia non timore facimus quod iustum est, sed amore;vt prosequitur Aug.tract.41.in Ioan.& lib. de catechizandis rudibus c.21.& D. Thom.lect.3.in c.4.ad Galat.Videndus est hac de re D.Aug. lib.1.ad Simplicianum c.5.& lib.15.contra Faust.c.8.lib.17.c.6.& lib. 2. contra aduersarium legis c.3.Prosper lib.Sent.sententia 321.& D.Ber.Ser. 22.in Cant.Illúdque tandem hoc in loco aduertendum est, quod notauit Euthym.in cap.1.Ioan.ibi,*gratia,& veritas per Iesum*;nos omnino pẽsare debere,vt quanto maiori gratia digni habiti sumus à Christo,tanto & ad maiorem nos obligari virtutem,ne tanto beneficio indigni conuersantes, dignum tanta ignauia supplicium sustineamus.

§. II.

Ostenditur misera seruitus peccati.

Ioan.8. Rom 8. SECVNDA seruitus est peccati, iuxta illud; *Qui facit peccatum, seruus est peccati.* Quod etiam dixit Paulus: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore*; vbi Chrysost. eleganter aduertit, non dixisse Paulum, non exerceat tyrannidem in vestro mortali corpore, sed non regnet, ad insinuandum nos non necessitate, sed voluntate peccare: Regnum enim est subdentium se voluntariè; quod etiam prosequitur Greg. 14. Moral. c. 9. vbi explicat eadem verba Pauli. Licèt ergo peccati actus statim transeat, manet tamen peccator seruus peccati, quia illi obediuit, & ab illo superatus est, quod significauit Paulus dum dixit: Rom.6. *Nescitis quoniam cui exhibuistis vos seruos ad obediendum, serui estis eius cui obedistis, siue peccati ad mortem, siue obeditionis ad iustitiam?* Vbi Paulus ostendit seruitutem consistere in obedientia, quæ peccato quasi domino exhibetur. Quod insuper probat Petrus cùm ait: 2.Pet. 2. *A quo quis superatus est, huius & seruus est.* vbi Petrus videtur alludere ad ius Gentium, quo licebat bello captos seruituti addicere. Quia verò versamur inter spiritũ & carnem, si vicerit spiritus, spirituales sumus, si verò caro, seruituti carnis addicimur, & peccati serui efficimur. Et in eodem sensu Aug. tract. 41. in Ioan. appellat seruum charitatis illum, qui seruit charitati. Manet insuper transacto peccati actu macula eiusdem peccati, veluti stigma serui, taléque dicimur, quandiu eadem non deletur.

HVIVS igitur status miseriam sic exponit Ambros. lib. de Nabuthe c.6. Qui facit peccatum, seruus est peccati, semper in laqueis, semper in vinculis est, nunquam liber à compedibus, quia semper in criminibus. Quàm misera seruitus seruire peccatis: naturæ ipsius nescit munia, nec somni ipsius nouit vices, aut cibi fungitur suauitate, cuius nullum est immune seruitium, dulcis enim somnus serui, etsi modicum, vel multum edat. Et Aug. tract. 41. in Ioan. O miserabilis seruitus: plerumque homines cùm dominos malos patiuntur, venales se petunt, non quærentes dominum non habere, sed saltem mutare. Seruus peccati quid faciat? quem interpellet apud quem se venalem petat? Deinde seruus hominis aliquando sui domini duris imperiis fatigatus, fugiendo requiescit, seruus peccati quò fugit? secum se trahit quocumque fugerit, non fugit seipsam mala conscientia, non est quò eat, sequitur se, imò non recedit à se, peccatum enim quod fecit, intus est. Similia totidem verbis habet Euseb. Emiss. hom. 3. in Pascha; vbi intolerabile dicit iugum, fœdam dominationem, & erubescendam subiectionem peccati, meliorémque esse vernaculorum rationem, quos originis videtur inclinasse conditio.

VNDE Chrysost. hom. 19. in priorem ad Corinth. loquens de Ioseph vendito; Seruus, inquit, erat, qua in seruitute omnium liberrimus erat, contrà libera illa maiorem in modum erat seruilis, cùm seruo suo blandiretur, ac supplex fieret. Audiant serui, & liberi. Vter seruiuit, qui rogatus est,

est, an quæ rogauit? quæ supplex fuit, an qui contēpsit? Quid tibi profuerit, quæso, quòd nemini hominum seruias, si teipsum affectibus subiicias? siquidem homines sæpenumero parcere didicerunt, illi autem domini nunquam de perditione tua satiantur. Et Ambros. lib. de Ioseph. Rectè, inquit, vxor domini (ait sacer Textus) solicitauerat, non ipsa domina, quæ non potuit extorquere, quod voluit impetrare: nā quomodo domina, quæ dominandi non habet affectum? Et Ber. 1. de Consideratione: Annon seruus, cui dominatur iniquitas? quid interest, volens seruias an inuitus? Nam etsi coacta seruitus miserabilior, sed affectata miserior. Videndus hac de re D. Ambr. lib. 2. de Iacob, & vit. beat. c. 30. Aug. Ser. 13. de verbis Apostoli, & lib. 5. cont. Iulian. c. 13. Ephrem to. 1. Serm. exhortat. ad pietat. Irenæ. lib. 5. Philo lib. *Quòd solus prob. sit lib.* in principio. Gen. 39.

Et vt miseram hanc seruitutem prosequamur, illud præ oculis habendum est; infelicem scilicet hominem propriis peccatorum actibus constringi, & alligari, sicut Salomon dixit: *Funibus peccatorum suorum constringitur impius.* Cui accinit Isaias dicens; *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis*; vbi D. Hieronymus ita habet. Quòd autem iuxta Hebraicum, & omnes alios Interpretes appellantur funiculi vanitatis, hoc significat, quòd facientibus peccatum facilè texitur, & tam inane, & futile, vt aranearum fila texuntur, sed cùm inde volumus exire, solidissimis vinculis nectimur. Videndus etiam idem Hieron. in illud Oseæ; *Ligauit eum spiritus in alis suis,* cùm sic exponit: Immundus spiritus ita ligauit Israëlem alis suis, & cum liberè volitare non patitur, nec sinit cœlestia cōtemplari, aut amare: quod dixit Aug. 8. Confess. c. 5. Ligatus eram non ferro, sed ferrea voluntate. Et Gregor. 4. Mor. c. 25. Quot vicibus, inquit, prauæ frequentationis peccator astringitur, quasi tot vinculis ligatur, & sic multiplicatur captiuitas, ac seruitus peccati, duriórque ac miserabilior fit multiplicatis vitiis. Prou. 6. Isai. 5. Osee 4.

Hoc in sensu allegorico ostendit ille locus Hieremiæ, cùm de captiuis in Chaldæa Iudæis dicitur: *Migrauit Iuda propter afflictionem, & multitudinem seruitutis.* Quibus verbis, vt plerique existimant, non significatur causa exilij Iudæ, sed acerbitas talis exilij, sicut insinuat D. Hieron. Amplectitur Figuerio; & exposuit hunc locum præceptor meus colendissimus Gabriel à Costa, vt sit sensus: propter multitudinem seruitutis, qua seruiebant apud Chaldæam miseri Hebræi, & propter eorundem afflictionem, durissimum factum est exilium, in quo scilicet nulla dabatur requies, vt dicitur cap. 5. fauétque textus Hebr. huic expositioni, vt patet apud Pagnin. & Vatabl. Si ergo acerbitas huius seruitutis in eo cernebatur, quòd domini multiplicarentur, & lassis nulla daretur requies, sed ærumnosè, & acerbè tractarētur, inde iam licet colligere, quàm acerba sit seruitus peccati, vbi miser peccator tot vinculis religatus detinetur, & ad nutum seruire veluti cogitur, neque oculos ad cœlum attollere permittitur. Thren. 1.

Ligatus ergo peccator, misérque seruus moueri non potest sine malo, sicut dixit Dauid: Quod aliqui de illo malo, qui malorum princeps est, intelligunt: sic enim diabolus plerumque vocatur malus. Vnde pro eo Psalm. 9.

libertas in hac vita datur, quamuis vera sit libertas virtutis, qua serui constituimur iustitiæ: ideóque August. vbi sup. Eris liber, si fueris seruus, liber peccati, seruus iustitiæ. Noli libertate abuti ad libere peccandum, sed vtere ad non peccandum: erit enim voluntas tua libera, si fuerit pia. Prima libertas est carere criminibus.

VNDE Philo libr. de Nobilitat. loquens de parentibus Iacob, qui ipsius dominio, & potestati fratrem Esau subdiderunt, sic ait: Eum hoc affecerunt beneficio, vt fratri eum subiicerent, existimantes id ei fore vtile, si homo nequam in sua potestate non relinqueretur. Et lib. *Quòd omnis prob. sit lib.* loquens de prædictis duobus fratribus, ait: Communis amborum pater miseratus eorum, eum qui à virtute desciuerat, precatur fratri seruire; seruitutem, quæ videtur maximum malum, existimans rem insipienti vtilissimam, ne si relinqueretur in sua potestate, prolaberetur in omnem licentiam: sed per potioris curam emendatis moribus in melius proficeret, quasi ingenuitatem, ac libertatem esset amissurus Esau, nisi maioris imperio in officio contineretur. Similiáque habet Plutar. lib. de Auditione; vbi inter alia sic ait: *Soli hi viuunt, vt volunt, qui quid velle debeant, didicerunt, inerudita autem, & rationis expertes animæ incitationes, atque actiones exilem quandam ignobilémque voluntatis libertatem multa cum pœnitentia coniunctam habent.* Gen. 27.

§. III.

Ostenditur perfectio nouæ legis.

QVIA verò Græci hoc in loco appellant nouam legem, perfectam, necessariò duximus explicandam eius perfectionem, maximè cum vetus lex fuerit imperfecta; quod dixit Paulus: *Nihil ad perfectum adduxit lex,* Hebr. 7. id est, nullum hominem, sicut bene attigit Theophylact. Et patet ex eo quod de solo homine dictum est: *Omne quod dat mihi Pater, ad me venit.* Hoc Ioan. 6. autem ideo dicit Paulus, quia omnia legis sacrificia non potuerunt perficere hominem, id est, sanctificare, & ad vitam vltimam perducere, quæ est vltima, & maxima hominis perfectio: quod tamen potest, & efficit lex gratiæ; qua fortè ratione ab Apostolo de iis, qui in ea degunt, dicitur: *In quos* 1. Cor. 10. *fines seculorum deuenerunt.* Cúmque iuxta Philosophorum doctrinam, finis, & bonum conuertantur, videtur Paulus dixisse, bonum, & perfectionem omnium temporum ad legem gratiæ, & ad Christianos deuenisse: quod videtur confirmari ex illo quod dixit Abacuc: *Domine, opus tuum in medio* Cap. 3. *annorum viuifica illud*; vbi Arias Montanus legit, *inter annos*, vt sit sensus: Perfice opus tuum in potissima temporum portione, sic enim particula (*inter*) accipitur in sacris literis, vt patet ex illo, *Afferamus ad nos Arcam Domini, & veniet in medium nostri*, seu, *inter nos*; quod aliqui ita exponunt, quasi dictum sit: Veniet in optimum totius nostræ congregationis locum. Ideóque Guarricus Abbas Sermon. 1. de Annunciat.

ciat. de lege gratiæ sic dicit: Felicitas temporum, in quibus tanta plenitudo gratiæ, & omnium bonorum; ecce enim venit plenitudo temporis.

IDEOQVE, vt hanc plenitudinem, & abundantiam gratiæ denotaret Christus Dominus, claues regni cœlorum tradidit seruo, Sacramentorúmque ministri eandem gratiam ministrant, cùm tamen tempore sterilitatis claues horrei non soleat Dominus cuique committere. Quam eandem abundantiam gratiæ ostendit modus ille loquendi: *Non dat Deus spiritum ad mensuram.* Vnde Tertul. lib. 5. contra Marcion. c. 3. ait: Destrui lex habuit, ex quo vox Ioannis clamauit in eremo, *Parate vias Domini*, vt fierent riui, & colles, & montes repleti. Et cap. 5. legit eum locum Isai. 52. *Quàm maturi pedes euangelizantium pacem!* pro eo quod nos legimus, *quàm speciosi.* Fuit enim lex vetus, semen, at lex gratiæ maturos protulit fructus, & veros, sicut prosequitur idem Tertullian. lib. 4. contra Marcionem.

Ioan. 3. *Isai. 52.*

VEL etiam dicetur lex gratiæ perfecta, quia veluti adultis, & viris iam factis tradita est, & in omnes nationes adoleuit, cùm illa alia veluti fuerit lex puerorum paruula, & vbera non habens, vmbra, & figura futurorum. Vnde Theodoret. quæst. 18. ad illud. *Nunquid ego concepi multitudinem hanc, vt dicas mihi, porta eos?* Ex his, inquit, patefecit illorum imperfectionem, & stoliditatem, dum eos comparauit infanti, qui nihil aliud possit, aut velit, quàm lac sugere. Et quæst. 2. in Deut. respondet tacitæ cuidam obiectioni, quæ poterat proponi, cur scilicet in Scriptura non fiat expressa mentio trium Diuinarum personarum? Iudæis, inquit, adhuc infirmis hæc exacta Theologia exhiberi non poterat, quoniam inde dicendi plures Deos occasionem cepissent. Idcirco nomen Diuinum in veteri Testamento singulari numero pronunciatur.

Num. 11.

ET D. Leo Ser. 18. de Passione c. 2. ita rem explicat; & de perfectione legis gratiæ sic loquitur. Præcesserunt figuræ, vt sequeretur effectus, & in aduentu rerum nunciatarum finita sunt officia nuntiorum, indulgentiùs nobiscum egit doctrina cœlestis, quos in hæc mundi tempora distulit, ad intelligentiæ facultatem, vt multo pluribus, & vatibus vteremur, & testibus. Quod probat etiam Ambrosi. ex eo loco Psalm. *Annuntiaui iustitiam tuam in Ecclesia magna.* Quid est, inquit, quòd addidit, magna, nisi quia fuit antè non magna? quæ est magna, nisi de totius orbis terrarum partibus congregata? Alibi tamen legimus, *Confitebor tibi in Ecclesia magna, in populo graui laudabo te.* Ibi ergo Ecclesia magna, vbi populus grauis, hoc est, non inquietus, & mobilis, qui sedit manducare, & bibere, & surrexit ludere, grauis populus, qui fidem Deo suo seruet, & qui non aliqua leuitate mutetur, neque nutet, & fluctuet. Quibus verbis eleganter exponit Ambros. mores & conditionem puerorum, quibus veluti imperfectis vacua, & egena elementa tradita sunt, cùm nobis perfecta lex contigerit.

Psal. 38.

§. IV.

§. V.

Quæ libertas debeat in Christiano reperiri.

POTERIT etiam Euangelica lex dici libertatis, quia libero homine digna est, sicut etiam teste Seneca epist. 58. *Liberales dicuntur artes, quia libero homine digna sunt.* Quæ libertas legis ad hunc sensum redacta seruitutem à Christiano homine exulare iubet, ne veluti seruus hominibus placere studeat; quod monuit Paulus dicens: *Nolite fieri serui hominum*; vbi Theophylact. Vel vniuersos instituit, vel Christianum hominem, vt nihil ad humanam gratiam factitet, neque illorum iussa, qui praua iniunxerint, exequatur. Et Chrysost. homil. 19. super hæc verba Pauli; *Nolite fieri serui hominum*, hoc est, nolite eis parere cùm turpia præcipiunt. Deinde, neque nobis ipsis serui fieri velimus: ostendítque fratres Iosephi non veluti liberos homines circa ipsum se habuisse. Nónne, inquit, magis serui fuerunt quàm serui ipsi, cùm patri, mercatoribúsque mentirentur? Talis minimè liber est. Christiana Religio in seruitute libertatem elargitur, nemo te quicquam lædere poterit, cùm seruiles mores non habueris, quibus si obnoxius fueris, nulla est tibi libertatis vtilitas, etiamsi millies liber esses.

QVA de re plura habet Philo lib. *Quòd omn. prob. sit lib.* ex quibus aliqua decerpendo sic ait: Bonus vir prudenter agit omnia, solus ergo liber est. Quidni? cùm nec cogi possit, nec vetari. Ergo nemo bonus seruus est. Nónne decet illud Zenonium succinere, facilius esse vtrem inflatum mergere, quàm quemuis virum probum inuitum ad aliquid agendum cogere? nam inuictus animus rationis rectæ placitis confirmatus cedit nemini.

HANC etiam libertatem in seruo Dei requirit D. Hieronym. alia etiam via, in regul. Monach. cap. de virtut. Humilitat. dicens: Caue ne rumusculos hominum aucuperis, ne offensam Dei populorum laude commutes: per bonam & malam famam, à dextris, & à sinistris Christi miles graditur, nec laude extollitur, nec vituperatione frangitur, non diuitiis tumet, non contrahitur paupertate, & læta contemnit, & tristia: nam iusti, & fortis viri est, nec aduersis frangi, nec prosperis subleuari. Talem ergo virum, talémque animum liberum, & ingenuum decet libertatis lex. Hanc autem libertatem præcipuè in Apostolicis viris, & nouæ legis annuntiatoribus prædixit Ezech. cap. 29. cùm ait: *In die illa pullulabit cornu domus Israël, & tibi* Ezec. 29. *dabo apertum os in medio eorum*; quæ verba libertatem in docendo, ac loquendo denotant, possúntque explicari ex illo loco Ecclesiast. 15. vbi dicitur, *In medio Ecclesiæ aperiet os eius*; quem Ecclesia affert pro Doctoribus sanctis Eccle. 15. liberè annuntiantibus legē libertatis: significátq;, liberè corā omnibus loquetur. Insuper & explicatur ex illo Isaiæ 58. vbi dicitur: *Clama, ne cesses,* Isai. 58. *quasi tuba exalta vocem tuam*; vbi Septuaginta habent: *Clama in fortitudine.* i. constanter, nec parcas hominum licentiæ in peccando; quod est officium Prædicantium. Qua de re videndus Aug. Serm. 106. & Ser. 66. Greg. lib. 1. Pastor. p. 2. c. 4. Bern. lib. 4. de Consider. & Philo lib. *Quis sit hæres*, &c.

vbi sic habet: Sunt admirandæ virtutes fiducia sermonis, libertas aduersùs præstantiores, quando res eam postulat, vt illa Comica sententia vera potiùs sit, quàm ludrica; *Si seruus semper consuescat silentio, fiet nequam, neque discet loqui liberè*; & cætera quæ prosequitur in hanc sententiam.

Exod. 2. Cessit quondam Moyses accusationi de homicidio Ægyptij, fugiénsque abscessit in terram Madian, cúmque eum Deus ad liberationem populi vocasset, iussit soluere calceamenta; quod explicans D. Ambr. lib. 7. in c. 10. Luc. sic ait: Mortale, atque terrenũ calceamentum iubet soluere, cùm mitteretur ad populum liberandum: huius enim minister muneris timere nihil debet, nec à suscepto officio mortis periculo retardari; ipse enim cùm defensionem fratrum, hoc est, Iudæorum, voluntarius recepisset, calumniæ terrore reuocatus est ab in cœpto, & fugit ex Ægypto; & ideo cùm Dominus affectum eius probasset, conditionem autem vidisset infirmam, animi eius, mentísque vestigium mortalibus vinculis censuit exuendum. Quòd si Deus neque in seruili Repub. animum affectibus hærentem passus est, quomodo patietur in lege perfectæ libertatis aliquam huiuscemodi adhæsionem, vt quis ab officio diuellatur metu, vel spe, aut alio huiuscemodi affectu? imò, sicut dixit Greg. lib. 17. Moral. c. 4. vnde quisque eripi à morte poterat, inde grauiùs ad mortem tendet, quia nequaquam à præsentibus mentis oculus separatur. Et qui cum vxore Loth sola terrena respicit, ad supernam ciuitatem, quæ libera omnino est, nequit ascendere.

Debet proinde oculos ad authorem libertatis conuertere, & liberè per
Eccles. 2. omnia incedere, quod videtur dixisse Salomon, quando ait: *Oculi sapientis in capite eius*; vbi Hieronym. Hugo Cardin. Olympiod. & Salon per *caput* intelligunt Christum Dominum, qui totius Ecclesiæ caput est, & legis libertatis conditor. Qui ergo oculos in Christum solummodo defixos habuerit, sapiens hic, ac liber omnino erit à seruitute mundi. E contrà verò qui seruus est peccati, sola cogitare, sola amare nititur, quæ sibi ad commodum temporale suffragentur; sicut ait Gregor. 7. Moral. cap. 5. Vnde per Salomo-
Prov. 17. nem dicitur: *Oculi stultorum in finibus terræ*, quia hoc solum tota cordis intentione conspiciunt, per quod ad finem terreni desiderij perducantur. Nequaquam verò suæ considerationis obtutum in terra peccator figeret, si ad sancta sui Redemptoris itinera mentis oculos leuaret. Vnde per Salomonem rursus dicitur, *Oculi sapientis in capite eius*, quia videlicet sapiens quisque illum tota intentione considerat, cuius se membrum esse per fidem pensat. Hæc Gregor. qui similem doctrinam habet 20. Moral. c. 3. & homil. 2. in Euang. & Ber. lib. de ordine vitæ.

§. V.

Laudatur permanentia in virtute cum Deo.

Consvlit deinde Apostolus permanentiam, quam videtur explicasse additamentum quod Græci assignant, *& permanserit sic*; quod ostẽdit perfectam esse futuram permanentiam illius, qui in lege perfecta perspe

ſpexerit, ſcilicet per fidem, & per charitatem. Eſt ſiquidem duplex modus manendi in Deo: alter, per fidem mortuam, quo pacto fideles peccatores in Deo manent, ſicut palmites infrugiferi, tamen vitibus vniuntur; qua ſimilitudine vſus eſt Chriſtus Dominus. Alter modus manendi cum Chriſto *Ioan. 15.* eſt per dilectionem, vt palmites fœcundi ſuis vitibus adhærent, à quibus omnem virtutem accipiunt. Et de hac perfecta permanentia loquitur Iacobus ex ſententia D. Thomæ, Carthuſiani, & aliorum. Idque oſtendit ex operatione, qua non auditor obliuioſus, ſed in ſpe beatus erit: qui enim vnitur Deo per fidem, & dilectionem, debet, ſicut videt in legis ſpeculo, operari, & ad nutum obedire, quæ eſt perfecta permanentia cum Deo. Sicut verò ex immanentia Patris cum Filio, & Spiritu ſancto ratione vnius eſſentiæ, & voluntatis, vna, & eadem oritur operatio externa: vnde deductum eſt commune Theologorum axioma, confirmatum à Concilio Toletano 6. cap. 1. & Concilio Toletano 2. in Confeſſione fidei: ſic ex permanentia cum Deo deducitur operatio, & excluditur obliuio iuſſionis Diuinæ. Quod probat ille locus Pſalm. 15. vbi Dauid ait; *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Paraphraſis verò Chaldæa habet: *Bonum meum non niſi à te;* & D. Hierony. *Bene mihi non eſt ſine te.* vbi rectam operationẽ in Deum præſentem videtur refundere, prout aliqui explicant dicta verba. Ideóque Chryſoſt. tom. 3. Serm. 2. de Feria 5. Paſſionis explicat illud, *Petrus ſequebatur à longè:* Si propè ſequeretur, ſemper Dominum fateretur. Videndus hac de re Rupert. lib. 3. in Geneſ. c. 14. *Matt. 26.*


IDEOQVE Sponſa tenens diuinum Sponſum, dimittere nolebat; & Iob dicebat: *In nidulo meo moriar: & ſicut palma multiplicabo dies.* Vbi D. Gregor. lib. 19. Moral. cap. 16. ait. Palma tardè proficit, ſed diu in viriditate ſubſiſtit. Et Bernardus Serm. 1. in die Paſch. Neminem audiamus, non carnem, non ſanguinem, non ſpiritum quemlibet, deſcenſum ſuadentem de cruce, perſiſtamus in cruce, moriamur in cruce, deponamur aliorum manibus, non noſtra leuitate. Sic ille. Qui videtur alludere ad deſcenſum de cruce, quem Iudæi Chriſto ſuadebant, vt ſic inceptum opus noſtræ Redemptionis imperfectum relinqueret. Dicebant ergo: *Si Rex Iſraël eſt, deſcendat de cruce, & credemus ei.* Imò verò, ait Bernard. quia Rex Iſraël eſt, titulum Regni non deſerat, virgam Imperij nõ deponat. Si Pilatus quod ſcripſit, ſcripſit, Chriſtus nõ perficiet, quod incepit? Ipſe enim cœpit, & ſaluabit nos. Ad imitationẽ proinde eius quodlibet inchoatum virtutis opus conſummare debemus, Chriſtóque Domino immobiliter adhærere, & affigi, ita vt neque mors, neque vita, nec aliud quidpiam nos ab eo poſſit ſeparare. Vnde Hierony. in regula Monachorum cap. de Pœnitentia ait: Non quæruntur in Chriſtianis initia, ſed finis. Paulus malè cœpit, ſed bene finiuit. Iudæ laudantur initia, ſed finis proditione fœdatur.

Cant. 3. *Iob. 29.* *Matt. 27* *Ioan. 19.* *Rom. 8.*

GG 2 Verſ. 25.

Verſ.25. *Si quis autem putat ſe Religioſum eſſe, non refrænans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum, huius vana eſt Religio.*

EXPOSITIO LITERALIS.



POSTQVAM Iacobus oſtendit non ſufficere ad ſalutem verba Dei audire, ſed oportere inſuper operibus adimplere, nunc oſtendit neque hoc ſufficere, imò nec fieri, niſi peccata loquutionis vitentur. Et ſicut poſuit ſimilitudinem de eo qui ſe inutiliter intuetur ad ſpeculum, ita nunc de falſa, ſeu inutili, ac vera Religione agit, vt rem conficiat.

DVBITANT tamen hoc loco interpretes, quidam nomine *Religioſi* ac *Religionis* intelligat Iacobus, vtrùm ſcilicet intelligat omnes fideles, qui Chriſtianam Religionem amplectuntur, an verò loquatur de aliquo ſtrictiori vitæ ſtatu, qui ad paucos ſpectet. Et licèt plerique exiſtiment de ſolis fidelibus loqui, cui ſententiæ fauet Syriaca lectio, quæ habet: *Si quis exiſtimat ſe ſeruire Deo*, & ita ad omnes in vniuerſum Chriſtianos videtur pertinere; ſicque expoſuit hunc locum Cyrillus Alex. lib. 3. in Ioan. cap. 26. vbi referens hunc locum pro *Religioſo* ponit *fidelem*, ſic enim habet: *Si quis in vobis fidelis videtur, qui non refrænat*, &c. Sic enim interpretatur Abbas Iſaias Orat. 21. de Pentecoſt. tom. 2. Biblioth. vt alios multos omittamus. Vox tamen Græca θρησκεία, vt hoc loco ait Oecumen. plus quiddam habere videtur quàm *fides*; & Brixianus dixit ſignificare quandam occultam agnitionem, & ſtabilimentum eorum, quæ per fidem contemplamur. Quod mihi explicat Græcus Codex dum habet: *Si quis in vobis*, ſeu, *inter vos*. Vnde exiſtimo ſanè loqui Apoſtolum de quibuſdam qui arctiori vinculo, conſiliorum Chriſti perfectionem tunc temporis ſequebantur; quod hominum genus vulgò dicimus deuotum, vt hic notauit quidam ex recentioribus, poſſúntque hæc verba intelligi de iis, qui relictis omnibus ſequebantur Chriſtum, & ſeipſos caſtrarant propter Regnum cœlorum.

LICET autem hoc probabiliter poſſit dici, illa ſuperior expoſitio eſt communior, & aptior communi doctrinæ, quam tradit Apoſtolus in hac epiſtola. Et ideo plerumque Religio ſumitur pro Chriſtiana profeſſione: quo ſenſu Lactant. lib. 4. diuinar. Inſtitution. cap. 28. ait: Hac conditione gignimur, vt generanti Deo iuſta & debita obſequia præbeamus, hunc ſolum nouerimus; hunc ſequamur, hoc vinculo pietatis obſtricti Deo, & religati ſumus, vnde ipſa Religio nomen accepit. Et ad id dicimus nomen Religionis à vinculo pietatis eſſe deductum, quòd homines ſibi Deus religauerit, & pietate conſtrinxerit, quia nos ſeruire ei vt Domino, obſequi vt parenti neceſſe eſt. Idem ferè habet Hieron. in cap. 7 Amos; & Ambro. lib. de Virginib. Aug. lib. 1. Retract. cap. 13. & lib. de vera Religione cap. 55. Iſidor. lib. 28. Etymolog.

SI quis igitur non refrænet linguam ſuam per fidem, ſcilicet, quam habet,

habet,& per opera fidei,ait Glossa, sed seducens cor suum, id est, seorsum ducens, quod est fons omnium loquutionum, ab iis quæ sibi conueniunt, vel seducens cor per falsam opinionem,non intelligens se puniendum pro peccato linguæ.Significat autem hoc verbum *seducere*, non tantùm decipere,sed blandè adulando,& alliciendo,& facilem rem reddendo suadere.Sic enim Apostolus de Pseudoapostolis dicit:*Per dulces sermones, & benedictiones seducunt corda innocentium*;vbi Anselmus:Insidiosa,& blanda adulatione eorum peccata alleuant,& tanquam sanctis benedicunt. Rom. 16.

Sedvcit igitur cor suum qui sibimet linguæ volubilitatem rem facilem persuadet. Et propriè seductio communis est hominibus, & sæpe in sacris literis inculcata.*Ecce*,inquit Propheta,*paruulum dedi te in gentibus, & contemptibilem inter homines,arrogantia tua decepit te*.Et Esai.*Sapientia tua,& scientia tua ipsa seduxit te*.Denique Paulus:*Si quis existimat se aliquid esse,ipse se seducit*. Huius igitur qui sic se decipit,vana est Religio, id est, frustra se Christianum esse fatetur,seu inutilis est Religio quam præ se fert, cùm totam virtutum structuram deiiciat iniusta loquela. Hier. 49. Cap 46. Galat. 6.

§. I.

Virtutem comitatur silentium, ac moderata loquela.

Ostendit hic locus connexionem silentij cum virtute,& dependentiam,quam habet Christiana,& religiosa vita à moderata loquutione. Vnde Greg.7.Moral.cap.7.exponens præsentem Iacobi locum ita ait: Aquæ more se habet humana mens, sicut enim detenta aqua sursum eleuatur, sic humana mens circumclusa, ad superiora colligitur, & relaxata deperit,quia se per infima inutiliter spargit:quot enim superuacuis verbis à silentij sui censura dissipatur,quasi tot riuis extra se ducitur; vnde & redire interiùs ad sui cognitionem non sufficit,quia per multiloquium exteriùs expansa vim intimæ considerationis amittit; vnde scriptum est: *Sicut vrbs patens absque murorum ambitu,ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum*. Quia enim murum silentij non habet, patet inimici iaculis ciuitas mentis,& cùm se per verba extra semetipsam eiicit,apertam se aduersario exhibet, quam tanto ille sine labore superat, quanto & hæc eadem, quæ vincitur,contra semetipsam per multiloquium pugnat.Sic Gregor. Quod etiam ostendit Isaias cùm dixit: *Erit cultus iustitiæ silentium*. Vbi (*cultus*) idem est,ac ornamentum, & decus: quasi nullum aliud sanctitas habeat, quàm silentium:sic enim hunc locum exposuit Concilium Tolet. 5. quæst. 4. in loco benedictionis.Ideóque Ioseph cùm esset iustus noluit sponsam traducere,sed tacuit donec cœlitùs admoneretur;commendauítque huiuscemodi decorem iustitiæ Sponsus in anima iusta,cùm dixit:*Labia tua sicut vitta coccinea*.vbi illud notandum censeo,quòd cùm labia Sponsæ duo fuerint, vni tantummodo vittæ comparantur: non enim tunc censuit laudandum os Sponsæ cùm aperiebatur ad loquelam,duóque visebantur labia seiuncta, sed quando instar vnius præ taciturnitate coniuncta, & vnita erant; quod Prou. 25. Isai. c. 35. Matt. 1. Cant. 4.

quidem silentium virtutem animi loquitur,& Religionem mundam commendat. Vnde D. Hiero. epist. ad Marcellam de Asella virgine ita ait: Habebat silentium loquens, quasi dum nihil loqueretur, plus de propria sanctitate diceret, quàm posset loquendo explicare.

NEQVE verò intelligendum est hoc loco, illud silentium laudari solum quod per omnimodam refrænationem linguæ fit, sed moderatam loquutionem, & sanam, ac rationabilem sermonis formam, iuxta veritatem,& rationem, quæ & Religionem,& conditionem cuiusque facilè ostē-

Psal 15. dit; quod videtur probare Dauid cum dixit: *Exultauit lingua mea.* vbi Hiero. ex Hebr. vertit: *Exultauit gloria mea.* Idémque habet Paraphrasis Chaldæa. Et rationem reddit Brixianus: Quod, inquit, in Hebr. est, *gloria*, Græcus reddidit, *lingua.* Nam sermo est quo præcipuè dignitas hominis constat. Vnde illud colligitur, dignitatem, gloriam, & virtutem cuiusuis hominis facilè colligi, & probari ex sermone ipsius.

Deut. 17. IN quam sententiam confirmandam facit illa separatio facta à Moyse, dum Iordane transmisso constituit super montem Garizin ad benedicendum obseruatores diuinorum præceptorum, Simeon, Leui, Iudam, Isacar, Ioseph, & Benjamin, è regione verò in monte Hebal posuit viros ex aliis sex Tribubus. Notarunt autem Oleast. & Brixian. cum Theodoret. quæst. 34. in Deut. benedicendi facultatem concessisse Moysen Tribubus ex liberis oriundis, ad maledicendum verò semiseruos constituisse; quibus annumeratus est Ruben, vt qui in scelus maculati paterni thori prolapsus fuerat. Etenim nobiles,& sancti viri, quando secundùm rationem loquuntur, bene loquuntur, ignobiles verò,& iniqui, maledici sunt, simul & loquaces. Ideóque Nazianz. Orat. de silent. Quadrag. ieiun. ait: Prouidendum est ne quem vllum sonum edamus, qui à Dei laude discrepet. Equidem ipse puris sacrificiis, quibus magnum illum Regem mortalibus concilio, puram linguam seruabo: neque enim committam, vt ab aliena lingua fœda atque obscœna mente viuificum illud sacrificium purissimo Deo mittam. Quæ verba satis ostendunt decere sanctam, & religiosam animam certa, ac pura verba. Illúdque notandum quod Hieron. epist. ad Celantiam ait de vitiosa loquela: Tanta huius mali libido mētes hominum inuasit, vt etiam qui procul ab aliis vitiis recesserunt, in istud tamen, quasi in extremum diaboli laqueum incidant: tu verò hoc malum ita effuge, vt non modò non detrahas, sed ne alij detrahenti aliquando credas. Facit etiam quod notauit Philo lib. de victimis: vbi ponderat oblationem & victimam pro peccato in templo omnino consumi, tum in sacrificio, tum quia Sacerdotes illa vescebantur in templo, ita vt nec eorum, inquit Philo, domesticæ fœminæ, nec ipsi qui offerunt, partes capiant, videlicet, ne exprobrentur peccata pristina iactata in vulgum susurris inimicorum, & linguis petulantium gaudētium aliena ignominia. Vbi vides eos, qui Religione constringuntur, silentio teneri, maximè circa aliena peccata, alioqui si vel detegant, vel exprobrent, vel immoderatè loquantur, vana vtique erit eorum Religio.

§. II.

§. II.

Qui non considerant propria peccata, facilè de alienis loquuntur.

ILLVD etiam hoc loco notandum censeo, iuxta eorum expositionem, qui idem volunt esse *seducere*, atque cor seorsum ducere, & separare: illos non refrænare linguam suam, procliuioresque esse ad loquendum de aliis, qui seducunt proprium cor, & separant ab iis quæ in se possent agnoscere, corrigere, & deplorare. Auertit Iudas oculos à se, dum cognouit Thamar concepisse, iudiciúmque ferens dixit; *Producite illam vt comburatur:* Genes. 38. at postquam visis annulo, armilla, & baculo reduxit cor, proprium scelus in memoriam adducens, illicò refrænans linguam suam dixit: *Iustior me est*; iustiorémque appellat, vt notauit D. Hierony. non quòd iusta fuerit, sed quòd comparatione Iudæ minùs malè fecerit, non vaga turpitudine, vt ille libidini consentiens, sed quærendo filios, vt mittamus Iudam totius mali causam fuisse dum illam marito iniustè priuauit. Facit etiam pro eodem instituto ira Dauidis ad propositionem parabolæ Nathan, cùm dixit: *Filius mortis est vir qui fecit hoc. Ouem reddet in quadruplum*: postquam verò Propheta reducens cor Dauid, ei dixit. *Tu es ille vir*, mox se peccatorem, & solum reum confessus est. Quem locum expendens Chrysost. tom. 1. homil. 1. in Psal. 50. sic eleganter rem prosequitur: Lex Exod. 22. præcipit furantem duplici restitutione vinciri; iste autem, & legẽ est prætergressus; iubet quippe ipsum interimi: sic enim aliena peccata solemus reddere grauiora, vt acerbissima assignemus supplicia, cùm propria nitamur extenuare. Videndus Abulensis 2. Reg. c. 12. q. 2. Vnde Bernar. Serm. 4. de Aduentu, dicit: Quidam tam vehementer contra aliorum delicta zelantur, vt videri possent esurire, & sitire iustitiam, si esset apud eos de suis quoque peccatis idem iudicium, nam contra alios tam impudenter; quàm inaniter æstuant, seipsos tam insipienter, quàm inutiliter palpant. Similiáque habet lib. de interiori domo c. 42. & 43. dicens: Tandiu quisque sua peccata ignorat, quandiu curiosè aliena considerat, qui semetipsum aspicit, non quærit quid in aliis frequenter reprehendat, sed in semetipso quid lugeat. Pro qua etiam re videndus Greg. lib. 5. Moral. c. 30. vbi ait: Quasi aqua ignis extinguitur, cùm surgente furore animi sua cuique ad mentem culpa reuocatur, quia erubescit sibi peccata non parcere, qui Deo, vel proximo semper recolit parcenda peccasse. Plura hac de re habet Chrysost. hom. 43. in Matth. vbi ita ait inter multa: Sedeat mens atque cogitatio tua iudex in animam, atque conscientiam tuam, adducas omnia delicta tua in medium, scrutare quæ animo commisisti, & pone dignas singulorum pœnas, dicas tecũ assiduè, quare hoc, aut hoc ausus es? Quòd si ab his cõscientia tua refugit, aliena verò curiosè rimatur, dic ad ipsam: non ego iudex in alios, &c. Videndus Aug. Serm. 94. de Tempore c. 4. & Ber. Serm. 40. in Cantica. Et Hieron. in cap. 23. Matthæi, & in c. 6. Lucæ, vbi exponit ea verba Ecclesiast. *Noli esse iustus multùm*; de iis qui rigidi, ac truces aduersùs aliena peccata

Marginalia: 2. Re. 12. (beside "Filius mortis"); Exod. 22. (beside "Lex Exod. 22."); Eccles. 7. (beside "Ecclesiast.")

peccata sunt. Non est igitur seducendum cor à propriis defectibus, & nequitiis: sic enim facilè reformabimus linguam nostram, ne contra alios exeratur, si proprias infirmitates per reductionem cordis, ad internam considerationem perspexerimus.

Vers.27. *Religio munda, & immaculata apud Deum, & Patrem, est visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc saeculo.*

EXPOSITIO LITERALIS.

DIXERAT superiùs beatum fore factorem operis, & vanam Religionem eius, qui linguam non coërceret; nunc ostendit quænam opera maximè Deo placeant, quæque puram, & sinceram Religionem testentur, scilicet, misericordia erga proximos, & innocentia in conscientia: necessariò enim debet & Deo placere immaculata vita, & patrem obligare cura erga egentes, & afflictos filios. Charitas verò erga proximos 2. Cor. 9. primus sanctitatis fructus est, vnde eleemosyna vocatur *fructus iustitiæ*, & quo solum iustitiæ pinguius fuerit, maiores fructus iustitiæ proferet.

AGIT ergo hoc loco de ea Religione, quæ Deo, non hominibus accepta est, vtpote quia nequeat falli, sincera, & pura apud Deum, qui omnium Pater est, vel coram Deo Filio, & Patre æterno, qui cum Spiritu sancto vnus est omnium Deus.

OMNES verò egeni per *pupillos, & viduas* debent intelligi, & hoc loco hi numerantur, quia plerunque miserabiliores sunt: viduitatis namque ærumnæ innumeræ propemodum sunt, vnde Nyssen. Opere de Virginitate c. 3. ait: Quæ sunt viduitatis propria incommoda? quotusquisque est qui omnia accuratè enumeret? De improuiso viduitas, ærumna, solitudo, caligo, & tenebræ, luctus, lamantibiles ploratus; & cætera quæ prosequitur.

PVPILLORVM etiam genus miserrimum est, vt qui interdum neque quærendi, neque appetendi artem nouerint, ideóque Deus dicitur *Pa-* Psal. 67. *ter orphanorum, & Iudex viduarum*, & alibi: *In iudicando esto pupillis misericors,* Eccles. 4. *vt pater, & pro viro matri illorum.*

EST autem *visitare*, consulere, ac prospicere necessitatibus eorum, & in vno visitationis opere omnia opera misericordiæ impendenda proximis miseris intellige, quod Deus maximè commendat in Scriptura. Vnde Exo. 22. dicit: *Viduæ, & pupillo non nocebitis, si læseritis eos, vociferabuntur ad me*; similiáque Psa. 145. habentur Deut. 10. & 14. & 16. Isai. 1. Hierem. 5. Denique Psalm. 145. *Pu-* Eccles. 7. Psal. 40. *pillum, & viduam suscipiet.* Et Ecclesiastic. 7. *Non desis plorantibus in consolatione, & non te pigeat visitare infirmum, ex iis enim in dilectione firmaberis. Beatus* preinde *qui intelligit super egenum, & pauperem*; quia ex hac parte in hoc consistit religio munda, & immaculata.

ALTERVM verò Religionis officiũ est, *immaculatũ se custodire ab hoc sæculo*, id est,

id est, purum & immunem ab amore temporalium, & concupiſceutia carnis, oculorum, & ſuperbia vitæ, quæ totum mundum occupant. Vnde Paulus dicebat: *Nolite conformari huic ſæculo, ſed renouamini in nouitate ſenſus veſtri*: & iterum. *Qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtamur*. Et de ſeipſo ait: *Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo*. Et Apoſtolus Ioannes: *Chariſſimi nolite diligere mũdum*. Intelligetur autem quomodo Iacobus loquatur de mundo (ſic enim aliqui legunt, pro eo quod nos habemus *ſæculo*, nam ſæculum, mundum ſignificat, de quo plura in lib. Ioſeph. ſiue de arcano ſermone cap. 12. titulo, *Sæculum*) ſi aduertamus cum Auguſt. tractat. 5. ſuper 1. Ioann. & epiſt. 120. ad Honoratum, quòd cùm nomen, *Mundi*, æquiuocum ſatis ſit in Scriptura ſacra, accipitur tamen plerumque pro obiecto appetitus inordinati. Rom. 12. 1. Cor. 7. Galat. 6. 1. Ioan. 2.

Advertit autem D. Thomas hoc loco, propterea Iacobum monuiſſe; vt ſe quiſque immaculatum cuſtodiret à ſæculo, & mundo, quia mundus omnino maculatus eſt: & Gloſſa ait; *Qui mundum diligit, immaculatum ſe non cuſtodit*. Vnde idem D. Thom. affert verſus qui dici ſolent.

Mundus non mundus, quia mundus polluit. Ergo
Qui manet in mundo, quomodo mundus erit?

Quibus addere poſſumus alios ex libro Manual. cap. 30.

Quiſquis amas mundum tibi proſpice, quò ſit eundum.
Hac via qua vadis, via peſſima, plenáque cladis.

Videndvsqve eſt D. Auguſt. initio Comm. in Pſalm. 121. vbi docet amorem mundi immundum prorſus eſſe.

§. I.

Opera miſericordiæ commendant maximè Chriſtianam Religionem.

Nihil ſic teſtatur mundam, & immaculatam Religionem, quàm charitas erga egentes proximos impenſa, & cura in eorum neceſſitatibus ſubleuandis, ideóque Scriptura beneficos viros ac miſericordes Sanctos appellat, vt patet ex Pſ. 4. verſ. 4. Pſ. 111. verſ. 6. & 9. Prouerb. 10. verſ. 2. & paſſim alibi. Et vbi nos habemus, *miſericordia*, vel, *eleemoſyna*, in Hebræo, aut in Græco eſt; *iuſtitia*, vt patet Gen. 32. verſ. 10. Pſ. 23. verſ. 5. Pſ. 102. verſ. 6. & 18. Daniel. 4. verſ. 25. Nec omittenda eſt hac in re trãſmutatio literarum cũ ſimilitudine & ſono; חסד *cheſed* ſignificat *miſericordẽ*; צדיק *tſedek* ſignificat *iuſtum*: ideóque Prouerb. 21. vbi nos habemus, *facere miſericordiam*, Septuaginta habent, *facere iuſta*: Hebraicè habetur, *facere iuſtitiam*. Videnduſque eſt hac de re Hierony. Pſ. 144. Prou. 21.

Ideoqve Ambr. 1. Offic. c. 11. ait: Nihil tam commendat Chriſtianam animam, quàm miſericordia, nec quiſquam magis beatus, quàm qui intelligit ſuper pauperum neceſſitatem. Vnde Chriſtus Dominus in die Iudicij ob ſolam miſericordiam promittit ſe daturum gloriam electis; *Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare*: è contrà verò reprobos ob defectum charitatis Matth. 25.

in tenebras eiicit. Quod expendens D. Leo Papa Ser. de Collectis, ait: Quasi nec alias virtutes dextri, nec alias offensiones habeant sinistri, sed illo magno summóque Iudicio tanti æstimabitur vel largitatis benignitas, vel tenacitatis impietas, vt pro plenitudine omnium virtutum, & pro summa omnium commissorum, & per vnum bonum isti introducantur in Regnũ, & per vnum malum illi mittantur in ignem æternum. Nemo ergo dilectissimi de vllis sibi bonæ vitæ meritis blandiatur, si illi defuerint opera charitatis. Hæc virtus omnes facit vtiles esse virtutes. Similiáque habet Aug. in Psal. 111.

1. Ioan. 3. FACIT etiam in hanc sententiam locus ille Ioan. cùm ait: *Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate. In hoc cognoscimus, quia ex veritate sumus, & in conspectu eius suadebimus corda nostra.* Quibus verbis ex sententia Vatabli vult Apost. esse conscientias sedandas, & placandas animas in die Iudicij, quando omnia commota, & perturbata fuerint, ex memoria scilicet operum charitatis erga proximos: qui enim tunc temporis recordatus fuerit pupillos, & viduas in necessitatibus eorum visitasse, cor & animum sedatum, & tranquillum habebit. Quod etiam videtur dixisse Dauid
Ps. 111. in eo vers. commemorato. *In memoria æterna erit iustus, ab auditione mala non timebit.* vbi in Hebr. pro eo quod Vulgatus transtulit, *iustus*, habetur, *beneficus*, seu, *eleemosynarius*. Hic igitur non timebit ab auditione mala; quod D. Hierony. intelligit de sententia lata contra reprobos, quando dicet supremus
Matt. 25. Iudex: *Discedite maledicti in ignem æternum.*

HANC autem benefaciendi proximo obligationem, & necessitatibus eorum occurrẽdi rationem, quasi iuratam fidem colligit D. Ber. ex eo quod dixit Dauid: *Qui iurat proximo suo, & non decipit.* Sic enim habet Serm. in Psal.
Psal. 14. *Quis ascendet*, &c. Non simus inutiles proximo, ne in vano ei iurasse probemur: nec de vtilitate proximi simpliciter voluit commonere; de iuramento nos conuenit, vt agnoscamus debitum, vt promissam fidem irritam facere vereamur. Omnes proximis iurati sumus, cum quibus in Ecclesiæ viuimus vnitate. Noli ergo putare gratuitum bonum quod exhibes proximo, vt liceat etiam dissimulare, si velis; debitor es sacramenti cautione, & propria professione teneris. Quibus verbis ostendit Ber. Religionis Christianæ, de qua noster Apost. loquitur, professionem, veluti votum, & iuramentum includere, opera misericordiæ erga proximos, & ad eorundem exhibitionem omnes fideles iuramento, & religione constringi. Vnde Paulus dicebat.
2. Cor. 11. *Quis infirmatur, & ego non infirmor?* Quem sequutus est Cypr. lib. de Lapsis dicens: Doleo vobiscum, fratres, cum singulis copulo pectus meum, & mœroris, & funeris luctuosa pondera participo, & cum plorãtibus ploro, cum deflentibus defleo, cum iacentibus iacere me credo, in prostratis fratribus, & me prostrauit affectus. Hinc enim incipit prima affectio erga miseros.
Cap. 30. Sicut enim notauit Gregor. lib. 20. Moral. c. 26. ad ea verba Iob. *Compatiebatur anima mea pauperi;* Ille perfectè tribuit, qui priùs in se dolentis passionem transfert, quia quisquis perfectè indigenti compatitur, minus æstimat omne quod dat, exteriora enim largiens rem extra semetipsum præbuit: qui autem

autem fletum, & compassionem proximo tribuit, ei aliquid etiã de semetipso dedit; rem quamlibet plerumque dat, etiam qui nõ compatitur, nunquam autem, qui verè compatitur, quod proximo necessarium conspicit, negat. Videndus etiam pro hac re Gregor. 3. Moral. cap. 10.

SIC igitur affectus Christianus erga fratres egentes, debet sedulò eis occurrere, & hac in re mirum studium commiserationis beati Iob. imitari, qui de se ita ait: *Si oculos viduæ expectare feci*; quasi non eorum tantùm desiderio, & voluntati, sed oculis, & expectationi satisfacere curaret, imitatus Deum qui *desiderium pauperum exaudit*; vnde Vatabl. in eo loco Iob. legit: *Si viduas lactaui vana spe*, statim enim subueniebat, ne aliquid temporis sperando consumerent. *Iob. 31.* *Psal. 10.*

ILLVD deinde hac in re aduertendum, pupillos, & viduas æquiparari Sacerdotibus, de quibus optimè dixit Philo lib. de præmiis Sacerdotum: Victus lautior argumentum euidens esse potest pietatis publicæ. Si ergo pietas, & Religio in tribuendo abundanter Sacerdotibus omnia necessaria cernitur, Religio etiam munda & immaculata est, visitare pupillos, & viduas in necessitatibus eorum. Vnde sicut actus Religionis circa cultum Dei versatur, ipsúmque Deum attingit, sic & misericordia erga egenos. Quod fatetur Christus Dominus cùm dixit: *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*. Vnde Chrysost. homil. 36. ad Pop. ait: Magna res est, ô homo, vir misericors, hæc maior est gratia quàm mortuos suscitare: multo namque maius est, quàm in nomine Iesu mortuos suscitare, esurientem pascere Christum. Nam hîc quidem tu de Christo bene mereris, illîc autem ipse de te. In signis ipse Deo debes, in eleemosyna verò Deum habes debitorem. *Mat. 25.*

IS autem Dominus qui in subueniendis viduis, & pupillis sic se obligatum fatetur, in ipsorum offensione maximè se læsum ostendit: indéque Ambros. 2. Offic. c. 29. colligit ex 2. lib. Machab. cap. 3. Heliodorum de cœlo tactum fuisse, quòd ausus fuerit diripere ærarium, in quo bona viduarum continebantur. Assequutus est hanc Dei conditionem Plato Dialog. 12. de Legib. vbi docet, miserorum causas proprias Dei esse; proindéque neminem pupillum, aut viduam lædere debere, ne lædens Deum hostem inueniat. Videndus hac de re Tertull. lib. ad vxorem c. 8. & Hesiodus in libro cui titulus est; Ἔργα καὶ ἡμέραι. *Opera & dies.*

§. II.

Qui necessitatibus indigentium subuenit, sibi maximè prodest.

QVONIAM Iacobus in præsenti monet visitare pupillos, & viduas, & eorum necessitatibus occurrere, quò altiùs hæc doctrina animis nostris inseratur, illud præ oculis habendum est, eum scilicet, qui aliorum miseriis, & necessitatibus occurrit, sibi imprimis benefacere. Quod videntur ostendere duo loca, quasi inter se pugnantia: etenim Dauid Psalm. 67. ait. *Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem, accepisti dona in hominibus*; at *Psal 67.*

Ephes. 4. verò Paul. ad Ephes. 4. referens hunc locum ait: *Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.* Videtur enim repugnãtia in eo quòd acceperit dona, qui dedit dona. Rem tamen videtur conciliare D. Aug. in Psal. 67. quòd idem Dominus, qui in membris suis accipit dona ab hominibus (quod enim vni ex minimis tribuitur, ipse accipit) idem dona tribuit ei à quo accipit; ipsúmque accipere Dei in paupere, comitatur diuina retributio. Qua de re videndus Chrysosto. homil. 21. in priorem ad Corinth. & Basil homil. 6. in ditescentes; vbi ita habet: Benefactorum gratiæ in dantes reuertuntur, dedisti esurienti, tibi cõsuluisti, quod, enim dedisti, cum auctario reuertetur. vbi multa hac de re prosequitur. Est etiam Heb. 13. pro hac re ille locus ad Hebr. 13. *Beneficentiæ & communionis nolite obliuisci;* vbi *beneficentia* idem est ac *communio.* Theophylact. verò legit pro *communione*, communicationem, & sic ferè exponit: Sacrificium beneficentiæ meritò appellauit communicationem. Est enim quædam remuneratio, hic enim dat pecunias, ille verò reddidit benedictionem, inuicémque bona communicantur, vt qui eleemosynã tribuit, accipiat statim retributionem.

Prou. 31. FACIT id quod Salomon de muliere forti ac sapienti dixit: *Manum suam aperuit inopi, & palmas suas extendit ad pauperem.* Quibus in verbis illud difficile apparet, quòd eadem quæ ad tribuendam eleemosynam manum aperit, statim veluti ad recipiendum palmas extendit. Enimuerò elargitio eleemosynæ in apertione manus consideratur, non in extentione palmæ, quandoquidem ad tribuendum aliquid alteri, manum aperiamus necesse est, non sic verò vt palmas extendamus, qui habitus est postulantis. Tunc enim palmas extendimus, cùm aliquid ab aliquo postulamus. Ea igitur videtur de causa Salomon dixisse, mulierem bene affectam erga egenos aperuisse manum vt daret, simúlque eãdem extendisse, vt inculcaret ipsammet manum, quæ pauperi porrigitur, posse insimul extendi, vt ab eo eleemosynæ mercedem, & retributionem accipiat. Vnde Clem. Alex. 1. Pædag. eleemosynam confert cum pilæ ludo, in quo eadem pila, quæ eiecta fuerat per reflexionem redit ad eum, qui ipsam eiecerat. Et 2. Stromat. ait: Rectè dedisti, rectè accepisti. Pro qua re videndus est Ambr. de obitu Theodosij; vbi ait: Bonum est misericors homo, qui dum aliis subuenit, sibi consulit, & in alieno remedio vulnera sua curat. Et Ser. 8. Beneficium, inquit, largientis præbenti magis permanet, quàm suscipienti, nam misericordia quidem ad indigentem peruenit, gratia autem multiplicatæ mercedis permanet tribuenti. Esurienti dedisti panem, ille quidem pastus est, sed ad te redit quod dedisti cum fructibus, & vsuris. Quod si difficile putas; cõsidera frumentum quod seminatur in terra, si non ad seminantis potiùs, quàm ad suscipientis lucra cedit. Similiáque habet Serm. 39. Videndúsque Chrysost. hom. 53. ad Pop. cùm ait: Propterea Dominus te iussit bona alteri dare, vt ea ipse retineas, nam donec ipse solus ea detines, nec ipse quidem habes, cum alteri verò dederis, tunc & ipse cepisti.

Cap. 2. PROBAT etiam præsens institutũ vxor Tobiæ dum irridens simul cum propinquis (ij enim eo in loco nomine *parentum* intelliguntur) dixit: *Vbi est*

est spes tua pro qua eleemosynas faciebas? Quibus in verbis non interrogat de spe futuri præmij, & æternæ beatitudinis, quæ solùm in nouissimo die reuelatur. Stultéque ideo de eadem vxor interrogaret, cùm adhuc irrita minimè appareret, sed loquitur de ea spe præsentis retributionis, pro qua Tobias eleemosynas faciebat, credens scilicet, statim ac dum eas faceret, consequuturum se præmium earundem, sicut reuerà consequebatur, nesciente tamen vxore, quæ de temporali lucro, & reditu spem Tobiæ intelligebat, cùm tamen longè melius esset spirituale, quo ipse abundabat. In qua retributione, sicut notauit D. Leo Serm. 10. de Quadrages. c. 5. illa interuenit manus, quæ panem frangendo auget, & erogando multiplicat; neque enim poterit non errogare manus Christi, dum in paupere eleemosynam accipit, quando manus tornatilis est plena hyacinthis.

Facit etiam id quod noatuit Hieronym. super ea verba Christi Domini: *In quancunque ciuitatem intraueritis, interrogate quis in ea dignus sit, & ibi manete.* Matt. 10. Aduertit igitur Hieronym. præmittendum examen de eo qui dignus sit, vt beneficium accipiat recipiendi peregrinum, ac pauperem Discipulum, non tribuens beneficium ei qui apud se mansurus est, inquit, sed accipiens: hoc enim dicitur; *quis in ea dignus sit*, vt magis se nouerit accipere gratiam, quàm dare. Videndus etiam hac de re Hilar. Can. 10. in Matth. cùm ponderat id quod dixit Christus Dominus: *Quicumque dederit calicem* Matt. 10. *licem aqua frigida, non perdet mercedem suam.* vbi ait: Nō inania in eos, nec etiam leuia, quæ sub frigidæ aquæ nomine designat, officia esse decernit.

Mirum alicui videbitur quod de elemosynaria illa vidua Tabitha dicitur: *Hæc erat plena eleemosynis, quas faciebat:* solent enim eleemosynæ crumenas euacuare, & horrea exhaurire, sed re bene inspecta, *qui miseretur pauperi, Domino fœneratur.* Et eleemosynæ implent, non exhauriunt horrea: imò potiùs ea destruuntur horrea, vnde nihil ad pauperum sustentationem extrahitur. Quod notauit Amb. Serm. 8. ad ea verba diuitis auari: *Quid faciam, quia non habeo quò congregem fructus meos? Destruam horrea mea.* Cui ego, inquit Ambros. respondeo; & rectè quidem facis: nam verè destruere debes horren iniquitatis, & ea quæ malè ædificaueras, manibus tuis ipsis subuertere, destruere promptuaria, ex quibus nullus misericordiam consequutus est. Sed ais, quid iniustum est, si cùm aliena non inuadam, propria diligentiùs seruo? Tot te scies inuadere bona, quot possis præstare quod velis. Et Aug. Ser. 5. de verb. Domini: Nihil, inquit, diues habet de diuitiis suis, nisi quod ab illo postulat pauper. Cùm ergo ea vidua tot bona pauperibus elargita fuerit, quid mirum si plena dicitur operibus, & eleemosynis, quas faciebat?

Act. 9. Prou. 19. Luc. 12.

Hoc ipsum quod prosequimur, intellexit Dauid, cùm dixit: *Opera manuum nostrarum dirige super nos.* Psal. 89. vbi eleganter Theodoret. ita ait, Pulchra additio huius clausulæ, *super nos*, nam iustitiæ lucrum nostrum est, & Deus quòd virtutis studiosis fauet, & his suffragatur, horum sanè fructum ferentes metunt. Ideóque Chrysost. homil. 36. ad Pop. Est autem eleemosyna cùm promptè præstatur cum largitate, cùm non dare, sed accipere te putaueris,

cùm tanquam beneficium accipiens, & quæstum faciens, non autem iacturam, &c. Curare proinde debemus propriam vtilitatem in eleemosynis faciendis, quibus & nobis benefacimus, & Religionem mundam, & immaculatam coram Deo ostendimus.

§. III.

Contra eos qui viduarum, ac pupillorum, & pauperum substantiam auferunt, nec eos exaudiunt petentes.

SI verò Religionem testatur cura pauperum, egenorum subleuatio, viduarum pupillorúmue visitatio; videamus vtrúmnam nostra tempestate immaculata vigeat Religio, quando nec clamantes pauperes exaudiuntur, quando ad nos venientes miseros repellimus probris plenos, muneribus vacuos, quando possumus optimè cum Zacharia appellare; Zach. 11. *quercus Basan*, quos eo loco interpretatur Chaldæus Satrapas Prouinciarum, qui similes sunt quercubus, dum nullum homini fructum ferunt, sed solis porcis glãdes & siliquas, solósque canes, equos, & accipitres alunt: & Cap. 1. cum Abacuc deplorare homines, *quasi pisces maris factos*, de quibus dixit Bas. ho. 7. Exa. quòd maior pars pisciũ liguriũt alter alterũ, atque deuorãt. Vnde Amb. lib. de Nabuthe c. 1. ait: De Achab & Nabuthe historia tempore vetus est, vsu quotidiana; quis enim opulentissimorum non exturbare contendit agellulo suo pauperem? quousque extenditis diuites insanas cupiditates? nunquid soli habitabitis super terram? cur eiicitis consortes naturæ? Et ver. 59. Ecce religiosa vidua tota supellectili despoliatam domum suam dolet, & tu eadem supellectili domum tuam ornatam esse lætaris? non compungeris, cùm vides in hospitio tuo lacrymas alienas. Qua de re videndus August. Serm. 25. de verb. Domini; & Gregor. 21. Moral. cap. 14. vbi ait: Sunt nonnulli qui mox, vt ab egenis fratribus fuerint necessaria postulati, pòst dona largituri, priùs in eos contumeliosa verba iaculantur, nec magni est operis, quòd postulata tribuunt, quia ipso donationis suæ munere vix eundem excessum sermonis tegunt; quibus bene per Ecclesiast. Cap. 18. dicitur: *Fili mi in bonis non des querelam, & in omni dato non des tristitiam verbi mali.* Quibus verbis docet Gregor. eos qui in pauperes probra iaculantur, non iam eleemosynam tribuere, sed illatam verbis iniuriam oblato munere compensare. Contra quos etiam facit illud quod notauit Hierony. epist. ad Eustoch. de custod. Virginit. per allusionem ad id quod dixit Petrus, Act. 3. *Argentum, & aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do.* At nunc, inquit, multi licèt sermone taceant, opere loquuntur, fidem, & misericordiam non habeo, quod autem habeo argentum & aurum, hoc tibi non do: quæ omnia in nostra ætate (proh dolor!) & vbique reperiuntur, ideóque maculatam Religionem Christianam, & immundam pietatem ostendunt; dum enim vigebat charitatis ardor, & Christianæ Religionis perfectio, viduarum in primis diligentissima cura habebatur, vt patet ex 1. ad Timoth.

moth. 5. & ex Constitutionibus Apostolerum à Clemente collectis lib. 3. & lib. 2. c. 30. vbi vult viduas, & orphanos existimari in figuram altaris, quemadmodum virgines honorari in figuram thuribuli, & incensi. Qua de re videndus Ambros. lib. de viduis; Aug. lib. de bono viduitat. & epist. 121. & Ignatius in epist. ad Tharsēses; vbi appellat viduas altare Dei: quod intelligitur, quia sicut in altari offeruntur sacrificia, ita & in iis, quæ viduis tribuuntur, maximè placatur Deus. Et de cura pauperum, suo tempore dixit Hieronym. loquens de Pammachio, in epist. ad eundem obscurè satis, nec minùs eleganter: Munerarius pauperum, & egentium candidatus; quasi velit quòd sicut tunc temporis is qui munus aliquod Reipub. affectabat, donariis & muneribus omnes deuincire nitebatur, quò pro eo suffragium ferrent, ita & Pammachius pauperibus morem gerens, eisdémque benefaciendo supplex obsequebatur. Sicut insuper candidatus ille dicebatur, qui munus aliquod ambiebat, sic & Pammachius egentium candidatus erat, dum velut alter Abraham ab eis postulabat, vt ipsius hospitium, & eleemosynam dignarentur accipere: & quæ modò pauperes ostentant submissionis signa, ea tunc exhibebat ille pauperum beneficiarius. Ideóque Chrysost. homil. 41. in Genesim ad ea verba quæ Abraham dixit Angelo: *Domine, si inueni gratiam coram te, ne prætereas seruum tuum*; sic ait: Dicere, *Domine*, est captantium beneuolentiam, dicere autem, *si inueni gratiam in oculis tuis*, hoc est admirabile beneficium, inquit, das, non accipis, &c. Immaculata tunc erat Religio, proinde pauperes excipiebantur, ardens erat charitas, proinde ad egenos deueniebat: modò quia friget, eorum obliuiscimur necessitatum, clamorésque non audimus. Audiamus tamen Chrysost. hom. 1. in priorem ad Cor. Quomodo dices; *Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam*, cùm tu non secundum magnam misericordiam miserearis, fortasse autem neque secundùm paruam?

Genes. 18.

Psal. 50.

§. IV.

Quantam curam Deus gerat viduarum, ac pupillorum.

DIXIMVS *viduarum, ac pupillorum* nomine omnes miseros, & egentes intelligi, ideóque hoc in loco istorum tantùm meminisse Apostolum. Illud necessariò duximus aduertendum, propterea horum fecisse etiam mentionem, quia maxima est Deo cura de ipsis. Quod fortè significat illud: *Pulchræ sunt genæ tuæ, sicut turturis*. Vbi per *turturem* viduam intelligere videtur. Id namque vulgare est, deductúmque ex eo quòd hæc auis amisso coniuge ad secundas nuptias minimè redeat, sicut notauit Basil. hom. 8. Examer. & Ambros. 5. Examer. cap. 19. & Hieron. 1. contra Iouinianum. Vnde Nazian. in præceptis ad Virgines, sic de ea cecinit, prudētémque auem vocat.

Cant. 1.

—— —— – Turtur viduata marito
Extincto, gemit assiduè, luctúque requirit.
O verè sapiens volucris! —— ——

Pulchræ

Pulchræ igitur videntur genæ viduarum diuino Sponso, vel vt earum lacrymas, quibus ipse delectatur, abstergat, vel vt earum verecũdiam, quam per *genas* intelligit Honorius, custodiat, & foueat. Vnde dicitur *pater orphanorum, & iudex viduarum*. In quibus verbis illud notandum censeo, cum, qui pater est orphanorum, esse etiam maritum viduarum, sicut dicitur in Scriptura, sed fortè ideo dicitur iudex viduarum, quòd viduæ non tam marito, quàm iudice egeant, quia viduæ causa non ingreditur apud iudicem sine causa, & earum sententia, sicut pupillorum vænalis est; sicut loquitur Aug. Et hæc fortassis est ratio, cur Apostolus subiunxerit post visitationem viduarum, & pupillorum; *& immaculatum se custodire ab hoc sæculo*; quòd periculosum est pupillorum curam gerere, sine aliqua lucri emungendi macula, & viduas visitare absque læsione famæ; pluresque locos Scripturæ, quibus benigna Dei cura de orphanis & viduis declaratur, vide apud Cyprian. lib. 3. Videndúsque est hac de re Tertullian. lib. 1. ad vxorem cap. 8, vbi ita ait: De viduitatum honoribus apud Dominum vno dicto eius per Prophetam expeditum; *Iustè facite viduæ, & pupillo, & venite, disputemus, dicit Dominus*. Duo ista nomina in quantum despectui humano, in tantum diuinæ misericordiæ exposita suscepit tueri Pater omnium. Vide quàm ex æquo habetur, qui viduæ bene facit, quanti est vidua ipsa, cuius adsertor Dominus disputabit? Non tantum virginibus datum opinor, licet in illis integritas solida, & tota sanctitas de proximo visura sit faciem Dei, tamen vidua habet aliquid operosius, quia facile est non appetere quod nescias, & auersari quod desideraueris; nunquam poterit virgo felicior haberi, at vidua laboriosior. Tandémque aduertit id quod Dominus dicit de iis, qui viduis, & pupillis bene faciunt: *Venite, & disputemus*; quòd cùm Dominus sit Pater omnium, & præcipuè pupillorum, iudéxque viduarum, licentiã tribuit, vt possint de paterno iure, vel cum ipso Domino disputare, quisnã verior eorundẽ sit Pater, an Deus, an is qui pupillis iudicat, & defẽdit viduã?

Psal. 67 · Eccles. 4. · Isai. 1.

EST etiam pro hac sententia singularis locus in Prouerb. cùm dicitur: *Agrum pupillorum ne introëas, propinquus enim illorum fortis est: & ipse contra te iudicabit causam illorum*. vbi pro *propinquo*, in Hebr. est vox (גאל) *goël*, quæ significat *redemptorem, & vindicem*: sicut hoc loco multi vertunt. Et Hierem. 50. noster interpres de Deo dixit: *Redemptor eorum*; frequenter tamen hæc dictio pro *propinquo* accipitur, ideò quia, vt præcipitur in lege, cùm quis paupertate pressus apud Israëlitas venderet possessionem suam, ille qui propinquior erat, poterat venditum redimere. Vnde factum est, vt propinquior ille qui habebat ius redemptionis diceretur גאל *goël*, hoc est, *redemptor*; pro quo Latinus interpres reddidit *propinquum* hoc loco, & Leuit. 25. & Ruth. c. 3. & 4. Itaque quia hìc de agris est sermo, quibus pupillus sæpe ab impiis spoliatur, contra quos à Deo defenditur, rectè interpres vocat Deum pupillorum propinquum, talem scilicet, qui eorum agros, & possessiones tueatur, atque redimat è manibus vendicantium sibi illas iniustè: & ita non dicitur Dominus pupillorum propinquus, quia propè illis adest, iuxta illud Psalm. *Propè est Dominus his qui tribulato sunt corde*; sed quomodo


Prou. 23. · Leuit. 25. · Psal. 33.

modo consanguineus, aut frater dicitur alicuius propinquus: & ita voluit Sapiens ab iniuria pupillorum homines deterrere, dum Deum ipsorum propinquum dicit, & Dei erga ipsos curam ostendere.

Hoc insuper ostendit Philo lib. de Magistratu; cùm, vt peculiarem curam Dei erga Hebræorum gentem ostenderet, sic ait: Vniuersa Iudæorum gens locum obtinet pupilli, si cum cæteris comparetur; attamen Moyses dixit, Deum, cui gens ista se totam dicauit, eius orbitatem, & solitudinem commisereri, quandoquidem ea sola ex vniuerso hominum genere Deo pro parente tributa est.

Ex quibus constat quanta cum ratione Apostolus dixerit, *Religio munda, & immaculata visitare pupillos, & viduas.* Ideóque semper in Ecclesia vterque Magistratus, Ciuilis, & Ecclesiasticus magnam curam gessit orphanorum, & viduarum, vt testantur Orphanotrophia in vtroque Iure, atque exemptio à censu capitationis iis concessa cum viduis à Valentiniano & Valente *l. 4. de Censibus. Cod. Theodos.* Extat etiam in Actis Basilij, Ambrosij, Chrysostomi, aliorúmque Episcoporum, qui pauperum patres nominantur, & sunt, peculiari studio eos consuluisse viduis, & harum contra ipsosmet Imp. aliósue Principes patrocinium fortiter suscepisse; Clericorúmque Regularium ordo, qui Somaschini vocantur, orphanorum ex instituto curam profitetur. Et hæc de 1. cap.





CAPVT SECVNDVM.

ARGVMENTVM TOTIVS CAPITIS.





N hoc capite duo tantùm inculcat Iacobus vitanda, ſcilicet, perſonarum acceptionem, quò pauperes & humiles minimè abiiciantur, imò in omnibus foueantur, & inde amplectenda bona opera, quibus fides erga Deũ maximè elucet: & ad hæc duo capita reducuntur eo omnia, quæ in hoc toto adducit ac docet.

Verſ.1. *Fratres mei, nolite in perſonarum acceptione habere fidem Domini noſtri Ieſu Chriſti gloriæ.*

EXPOSITIO LITERALIS.



OSTQVAM B. Iacobus informauit fideles ad bene ſe habendum reſpectu ſui, hic cõſequenter idẽ facit reſpectu proximi, & oſtendit iuxta regulas Chriſtianæ fidei non agere eos, qui ſpernentes pauperes, & nihili pendentes miſeros, diuites ſolùm ac ſæculi potẽtes venerãtur, cùm à Domino toties pauperes videamus
Luc.14. commendatos, eidémque humiles ac paruulos acceptos, & laborantes vocatos ad refectionem, & quietem, omnéſque quantumuis claudos ac cæcos ad regales nuptias inuitatos. Quæ omnia oſtendunt fidei offenſionem maximam eſſe, ſi quis acceptionem perſonarum, quæ trahitur vel à genere, vel à diuitiis, vel alio humano reſpectu ſectetur: & fortè ad cõmendandam hanc

hanc communem charitatem,& omnium indiscriminatim susceptionem, præmisit hoc loco nomen, *Fratres*; & sensus est; Qui in Christum creditis, nolite ob personarum respectum quicquam malè facere, aut pauperes, aut humiles contemnere, cùm potiùs sit obtemperandum præceptis Iesu Christi Domini gloriæ cœlestis, qui eadem remunerat, eos, qui eam promerentur, non secundùm personarum acceptionem, sed secundùm meritorum gradus, & proportionem, imò eandem beatitudinem impertitur eis, qui pro eius amore aliquid pauperibus erogarunt. Particula enim (*gloria*) refertur ad Christum, sicut etiam refert Paulus eodem vsus Hebraismo. *Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi gloria*, id est, Deus gloriosus. Sic & Christus hoc in loco dicitur *gloria*, id est, gloriosus. *Ephes. 1.*

OECVMEN. verò hoc loco in eo ponit cohærentiam cum superioribus verbis, in quibus Apost. dixerat, Religionem mundam, & immaculatam præter opera misericordiæ in hoc consistere, quòd se quis immaculatum ab hoc sæculo custodiret: ideóque modò docere Apostolum, nullatenus admittendam personarum acceptionem, nam qui cum respectu, inquit Oecumen. aliquid facit, multa macula, multóque probro seipsum replet, proximum dedecore afficiens, ac seipsum etiam ante illum. Vrbana equidem, & arguta expositio; verùm non accommodata contextui; sicut nec illa quam affert D. Thomas: Nolite credere, inquit, quòd Dominus noster Iesus Christus glorietur in personarum acceptione, ipse enim contrarium fecit, qui non est personarum acceptor. Sed ille planior sensus quem posuimus. *Act. 10.*

EST autem personarum acceptor, qui propter diuitias, externum fastum, ac gloriam, aliásue huiusmodi qualitates diuites reueretur, & pauperes despicit, qui maximam offensam inurit communi fidei ac Religioni. Nam, vt dixit Chrysost. homil. 7. in epist. ad Roman. Magistratui iniuriam facit, qui eum singulorum hominum magistratum facit; & non omnium; fuissétque obruendus fluctibus Ionas, qui Deum non omnium gentium, sed Iudæorum tantùm esse voluit. Et Plutar. lib. de pietat. erga fratres ait; *fuisse quendam Græcum Agesilaum à populo mulctatum, quòd muneribus publicos Magistratus recenter creatos sibi peculiares redderet.* Præsénsque Iacobi locus similis est Petri, cùm ait: *Animas vestras castificantes in fraternitatis amore, simplici ex corde inuicem diligite attentiùs.* Quæ verba Syriacè sic habentur: *Cùm sanctificaueritis animas vestras per obedientiam veritatis, & fueritis pleni charitate absque acceptione facierum, id est, personarum, vt ex puro & integro corde vos inuicem diligatis.* Cùm enim fides, & lex Christi, charitatis lex sit, omnes ex æquo debet comprehendere, & sic nec diuitem propter diuitias eligere, nec pauperem ob inopiam despicere. *1. Pet. 1.*

§. I.

Contra acceptores personarum.

HIc locus aduersatur acceptioni personarum, seu, vt verti potest ex Græco, *acceptioni vultus*, aut, *faciei*, vt passim etiam constat ex Hebr.

& iuxta modum loquendi sacræ Scripturæ dicitur, quando in aliqua distributione non respicitur causa, sed persona, id est, conditio personæ, nihil ad prædictam distributionem faciens, ob idque is qui minùs dignus est, præfertur digniori, vt quando aliquis Prælatus beneficia, officia, vel sacros ordines omissis dignioribus confert indignis, vel minùs dignis, quia amici, consanguinei, diuitésue sunt. Vel cùm iudex sententiam pro amico, nobiliue fert, non pro eo qui ius habet; qua de re videndi Theologi in 4. distinct. 15. apud D. Thom. 2. 2. quæst. 63. Ideóque D. Hieronym. in c. 1. Malachiæ ait; Iacobum hoc loco pleniùs hoc peccatum arguere inter omnia peccata Leui, siue eorum qui ex Leui sunt Sacerdotes Dei, quòd accipiant faciem in lege, vt non causas, sed personas considerent, iustúmque, & pauperem despicientes, iniquos diuites suscipiant, vel honorent, ad
Psal. 81. quos in Psalm. dicitur: *Vsquequò iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum sumitis?* Namque, vt rectè obseruauit Ambr. epist. 82. in Ecclesia diues, & pauper, seruus, & liber, Græcus, & Scytha, honoratus, & plebeius, omnes in Christo vnum sumus, nemo præsumat, quia diues est, plus sibi deferendum, ille est diues in Ecclesia, qui pauperi, non sibi diues est. *Sanguine pretioso redempti estis*, vtique non solis pecuniosis, dictum est c. 3. epist. ad Galat. Nulla apud Deum discretio personarum est, nisi morum & vitæ, vt omnes vnius fidei meritis distinguantur, non personis. Vnde rectè Chrysost. hom. 9. In Ioan. & Cyrill. lib. 1. c. 13. Beda, Theophylact. & Euthym. ad ea verba Ioan. in c. 1. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri*; adnotarunt, significare nullam gentis, nullam personarum rationem Christum Dominum habuisse, sed omnes qui se recepissent, siue Iudæi, siue Græci, siue Barbari, siue liberi, siue serui essent, filios Dei effecisse, quia non est personarum acceptor Deus, sed in omni gente, qui timet Deum, & operatur iustitiam, acceptus est illi, dicit enim Scrip-
Rom. 3. tura: *Omnis qui credit in eum non confundetur, non enim est distinctio Iudæi, & Græci: nam idem Dominus omnium, diues in omnes qui inuocant illum, non est Iudæus, neque Græcus, non est seruus, neque liber, non est masculus, neque fœmina.*

Et ideo meritò Dauid gloriatur nihili omnino fecisse malignos homines cùm plurimi æstimaret timentes Dominum; sic enim de se loquitur:
Psal. 14. *Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus, timentes autem Dominum glorificat*; quod Hieronym. sic transtulit: *Despicitur in conspectu eius improbus, timenmentes autem Dominum glorificat.* Et hæc est ratio, cur de capite totius Ecclesiæ dicatur: *Non secundùm visionem oculorum iudicabit.* Pro quo Septuag. habent:
Isai. 11. *Non secundùm gloriam iudicabit*; docens nos ferre iudicium de meritis, non de personis, de virtute, non dignitate. Quod exposuit postea Basil. homil. 21. ex variis, vbi sic ait. Adsunt tibi ob oculos fratrum differentiæ, hic pauper, ille diues, hic hospes, alius domesticus, si iudicaueris, ne inæqualia videas, diuitem sublimem, pauperem humilem, noli in distribuendis honoribus respectus habere inæquales: est enim diues sæpe mendax, pauper verò iustus; non igitur tantùm faciem spectabis, sed occulta penitioráque considera; eum honora qui pretiosa possidet. Similiáque habet Hier.

Hier. epist. ad Saluinam de seruanda viduitate: Vnusquisqne non hominum, sed rerum pondere iudicandus est, nec diuiti obsunt opes, si eis bene vtatur, nec pauperem egestas commendabiliorem facit, si inter sordes, & inopiam peccata non caueat. Idémque docet Aug. 8. Confess. c. 4. & Ber. 2. de Considerat. sic alloquitur Papam Eugenium: Non sit in te acceptio personarum, non parui te reum peccati existimes, si facies peccatorum, & non potiùs causas iudicas meritorum. Vnde & D. Leo Serm. 10. de Quadrages. ait; Quos viles facit carnalis sapientia, nescimus quàm pretiosos spiritalis sit factura gratia. Et Chrysost. in imperfecto, hom. 22. Si diuitem honoras, propter personam ipsius honoras eum, si autem pauperem honoras, propter personam Christi honoras. Et Concione 2. de Lazaro post medium: Non moribus demus, sed homini, nec illius ob virtutem nos eius misereat, sed ob calamitatem.

NEQVE verò hoc in loco omittendus est ille in cap. 4. Canticorum, vbi Ecclesia Dei dicitur, *Fons hortorum, & puteus aquarum viuentium*, vbi Ambros. lib. de Isaac, & anima, c. 4. Exuberat, ait, vt haurire eam cominùs, & rigare eius affluentia possit hortum fluctibus abundantem, sic enim omnibus patet absque exceptione alicuius; illud namque est aduertendum, quòd sicut in horto ad omnes æquè areolas riuulus deriuatur, sic & fides, & omnia gratiæ bona, omnes fideles ex æquo amplectuntur, nullo penitùs excepto; quod etiam dixit Isai. c. 58. cùm de populo Dei ita loquitur. *Erit quasi hortus irriguus, & sicut fons, cuius non deficiunt aquæ*, sed omnibus haurientibus patens, ac præstò adest. Quod insuper videtur dixisse Balaam Num. 24. cùm ait: *Quam pulchra tabernacula tua, vt valles nemorosæ, vt horti iuxta fluuios irrigui!* Quæ quidem loca apertè ostendunt, quantam offensam in Deum committat ille, qui in Dei Ecclesia vllã excipit personam, aut præ cæteris aliquam suscipit, cùm ex æquo omnes velit amplectendos fideles.

Cant. 4.

Num. 24.

ET præterquàm quòd grauissimum peccatum sit acceptio personarum, & Deo maximè displiceat, est insuper damnanda imprudentia in huiuscemodi existimatione, dum de hominibus iudicamus, non secundùm ea, quæ propria hominum, & fidelium sunt, sed secundùm ea, qua fortuna attulit, casúsque tulit. Vnde Gregor. hom. 28. in Euang. ait: Superbia nostra nescit pensare homines propter homines, sola quæ circunstant hominibus pensat, naturam non aspicit, honorem Dei in hominibus non agnoscit. Et paulo pòst: Cùm pensamus quæ circa ipsos sunt, negligimus pensare ipsos, eo profectò quòd interiora minimè prouidemus. Quibus verbis argutè docet Gregor. acceptionem personarum oriri ex defectu nostræ cognitionis, qui dum non possumus cognoscere quid in homine sit, iudicium ferimus secundùm ea, quæ cum homine videmus. Qua in re, & in nosmetipsos, & in proximos iniurij sumus, dum præ defectu cognitionis de aliis multoties decepti iudicamus. Namque, sicut dixit Senec. epist. 37. *Quemadmodum stultus est, qui equum empturus, non ipsum inspicit, sed stratum eius ac frænos, sic & stultissimus est, qui hominem, aut ex conditione quæ vestis modo nobis circundata est, æstimat. Seruus est: sed fortasse libero animo. Seruus est: hoc illi nocebit, aliis non nocebit.* Meliùs

tamen Basilius. Quid, quæso, ab externis probas homines, præcordia verò mentémque minimè curas? si illustres in vita videris, cõsidera æs esse apparés, intus cœnosa omnia; cõtrà verò quidam intus aurum habent, exteriori testa circundatum, hoc est, thesaurum in vasis fictilibus absconditũ. Igitur respice æqualia ac plana, suũ cuique tribuens honorem. Quod idẽ docuit Ap. cùm ait: *Nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi.*

§. II.

Acceptio personarum pacem, & vnitatem scindit.

PRæTERQVAM quòd personarum acceptio non rectè cohæreat cum fide Christi, qui omnes ex æquo docuit amandos, est plerumque discordiæ & perturbationis initium; primúmque proinde murmur & veluti dissidium quod in Ecclesia Christi contigit, quãdo cor vnum erat, & quando primitias Spiritus acceperat, inde ortum habuit, quòd viduæ Græcorum despicerentur, & præferrentur Hebrææ, vt constat ex textu Syriaco, in ministerio quotidiano vel eleemosynarum distributione, sicut Chrysost. & Oecumen. id explicant: offenditur namque communis charitas singulari aliqua acceptione. Quod notauit Basil. in institut. Monach. Ser. 1. vbi agens de Religiosis conuentibus, sic ait: Porrò in eiusmodi hoc communi contubernio neutiquam patitur charitatis lex aliquas conuenire seorsum, aut amicitias, au sodalitates, si quidem nullo modo fieri potest, quin affectiones istæ, quæ in hanc magis quàm in illam propendent partem, plurimùm incommodent communi omnium concordiæ. Quamobrem æqualiter se diligere inter se omnes debent; idémque aduersùs vniuersum fratrum cœtum charitatis tenendus est modus: quòd si quis inuentus fuerit, qui maiori quadam animi propensione Monachum, fratrem, vel propinquum, vel alium quemuis quauis de causa videatur diligere, hunc castigare oportebit, vt iniurium publicæ charitati; siquidem in eo quòd quis aliquem vnum plus diligit, facilè indicat reliquos se in amore inferiores habere. Vnde illud possumus colligere cum Iacobo, non esse accipiendam fidem Christi, quæ charitate firmatur, cum iniuriis, & offensionibus charitatis. Quod prosequitur idem Basil. Reg. 19. ex fusiùs disputatis; & Reg. 34. 35. & 39. & 131. Hoc assertum nobis videmus in c. 4. lib. Iudicum, vbi pugnatura Debora cum Rege Chananæorum, ex duabus tantùm Tribubus Nephthalim, & Zabulon decem millia peditum elegit, qui primo congressu victores euaserunt. Pro victoria Debora canticum edidit, quo non solos victores commendauit, sed & alias Tribus, quæ ad bellum minimè fuêre egressæ pluribus exornat encomiis; cuius rei rationem si quæras, eleganter sanè reddit Caiet. dicens: Consentaneum fuit, vt Debora iudex in publica laude, illarum Tribuum, quæ abfuerant, pro bono pacis insereu erit: solet enim in similibus euentibus quælibet exceptio, acceptiuè communem pacem turbare.

MERITO proinde Scriptura commendat gubernandi methodum à Dauide obseruatam, dum ait: *Faciebat Dauid iudicium, & iustitiam omni populo*

pulo suo; statímque addens qua ratione iustitia fieret, & conseruaretur absque offensione, ait: *Porrò Iosaphat filius Ahilud erat à commentariis*, vbi in Heb. habetur, *erat recordator.* Pagn. verò. Tigurina, & in re simili Procopius ex 2. Reg. 20. *reuocans in memoriam.* Dicit verò Rabbi Salomon, quem sequitur Pestrus Comestor, Glossa, & Dionysius 2. Reg. 8. quòd officium eius erat repetere, seu recordari casus varios qui venerant ad Dauid, vt per ordinem expedirentur. Primus primò, & secundus secundò, & sic de aliis absque delectu, & acceptione: qua in re optimè iudicandi, & gubernandi methodus sita esse videtur: ne postremus primò exauditus, & primus tandem expeditus totius Regni pacem perturbarent, & acceptionem personarum in communi Rege, contra communem æquitatem testarentur.

Pro qua re facit quòd cùm Deus vellet benefacere Abrahæ, priùs eum separauit à Loth; Gens. 13. vt ibi bene notauit Oleaster: & locuturus familiariter cum Moyse, Exod. 24. *Operuit nubes montem, & habitauit gloria Domini super Sinai, tegens illum nube:* noluit enim Dominus populum videre quàm familiaris illi seruus esset Moyses, ne id ægrè ferret, & acceptorem personarum putarent; vt ferè ibi notauit idem Oleast. solent enim maiorum fauores inuidiam fouere, & alere: vnde Isaias cap. 50. vbi se à Deo peculiariter dilectum testatur dicens; *Dominus meus auxiliator meus*: statim subiungit, *Ecce omnes quasi vestimentum contererentur, tinea comedit eos.* Tritum verò est apud Sanctos Patres, per *tineam* intelligi inuidiam, quæ ex singulari fauore erga aliquem nata est, statim oriri.

Pro eodem argumento facit etiam ea diuisio in terra promissionis, iuxta cuiusque Tribus proportionem, quæ vt seruaretur, dixit Dominus ad Moysem: *Pluribus maiorem partem dabis, & paucioribus minorem*: quod posset Moyses facere iuxta hoc sibi impositum præceptum, adhuc tamen vlteriùs Deus addidit, vt ea diuisio fieret per sortes, sicut patet ex Scriptura. In quibus cùm incertus, & varius sit euentus, posset ampliori Tribui breuior, & strictior locus contingere. Huic tamen difficultati occurrit Lyran. & Abul. cap. 18. Iosue, quæst. 5. qui dicunt Deum peculiari prouidentia iussisse mittere tales sortes, & illarum eductionem ita ordinasse, vt maior portio maiori Tribui veniret, breuior verò minori (licèt hac re sint qui putent æquam terræ portionem cuique Tribui obtigisse, vt videre est apud Masium ad cap. 18. Iosue, num. 4.) ideo tamen voluisse, vt huiuscemodi portiones per sortes cuique Tribui obuenirent, vt omnis dissensio amputaretur: posset enim quis prætexere querimoniam in diuisionibus, dicendo eas factas fuisse ex aliquo humano respectu, vsque adeò periculosa est singularis acceptio in publica administratione. Quod probauit singularis amor Iacobi erga dilectum Ioseph.

Num. 26. *Iosue 13. & 18.*

Vnde D. Gregor. lib. 2. in lib. 1. Reg. c. 3. sic explicat eam querimoniam, quam Deus de Heli Sacerdote fecit, dicens: *Honorasti filios tuos magis quàm me, vt comederetis primitias omnis sacrificij Israël populi mei.* Filios, inquit Grego. & propinquos magis quàm Dominum honorant, qui ad sacros ordines personas eligunt, non ex conuersationis honestate, sed amore propin

1. Reg. 2.

propinquitatis, nec curant quales sint, qui ad spirituale ministerium veniunt, sed tantùm vt temporali dignitate præferant, quos carnali affectione complectuntur. Ideóque meritò Aaron Summus Pontifex laudatur, *qui dixit patri suo, & matri suæ. Nescio vos; & fratribus suis, ignoro vos*, quē locum ad nostram eruditionem sic illustrauit paraphrasis Enkeli, qui ait, *patris sui, & matris suæ non est misertus, quando rei fuerunt iudicij, faciem fratrum suorum, & filiorum non accepit.* O vtinam hunc Pontificem nostri temporis Pontifices imitarentur, & non facies suorum acciperent, pacem & vnitatem Ecclesiæ turbantes, fidem Christi offendentes, communémque æquitatem perdentes! Laudandus item Paulus Iureconsultus lib. 5. Sent. *de titul. fisc. aduocat.* dum prohibuit indigenam in propria patria officium fiscale administrare, ne aut gratiosus, aut calumniosus apud suos esse videretur.

Deut. 33.

§ III.

Contra eos qui plus quàm par sit, diuites reuerentur.

FAcit & pro nostra eruditione hoc in loco ea expositio, moralis vtique, quam D. Thom. ponit: sic enim explicat verba ista; *Nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri*: quasi velit: Nolite fidem Domini nostri in talibus rebus ponere (scilicet in potentiis, diuitiis, gratia, &c.) vt ea quasi Deos colatis: fides enim terrena omnia contemnenda docet, non adoranda, sicut dixit Clem. Alex. Orat. ad Gent Iam verò cœci homines diuites reuerentur, & potentes adorant: quo sensu potest intelligi illud Oseæ, quando in persona diuitis ac potentis dicitur: *Diues effectus sum, inueni idolum mihi.* Scio quidem communem expositionem esse quam Hierony. ibi affert, quòd scilicet sibi ipsi diues inuenerit idolum, quando & ipse diuitias veluti idolum colit. Sed fortassis non erit inepta expositio, siquis dicat iisdem verbis voluisse diuitem significare se idolū reperisse, quod sibi apponeret, vt in eo ab insipientibus adoraretur, qui in diuite diuitiarum idolum solent colere. Namque, sicut dixit Salomon, *Pecuniæ obediunt omnia.* vbi in Heb. est, *Pecuniæ respondent omnia*; nullus enim dedignatur responsum pecuniæ dominæ tribuere, cùm nemo pauperi respondeat: quod magis exponunt Septuaginta dum sic verterunt; *Pecuniæ humiliantur omnia*: sicut enim transeunti Regi omnes ciues ac clientes magna submissione reuerentiam exhibent, sic pecuniæ omnes humiliter cedunt: quod singulariter ostendit Labam, qui vt vidit armillas & inaures in manibus sororis suæ, resciuítque à quo accepisset, à seruo scilicet Abrahæ, cuius ipse consobrinus erat, non dedignatus est talem seruum appellare Domini benedictum, imò veluti dominum alloqui dicens: *Ingredere benedicte Domini: cur foris stas? preparaui domum, & locum camelis.* Non mirum quòd sic humiliatus inuitauerit eum, à quo viderat acceptas armillas & inaures. Est enim, sicut dixit Hilar. Can. 33. in Matt. in pecunia honor sæculi, qui possumus etiam addere, imò pecunia honor sæculi est.

Cap. 12.

Eccl. 10.

Gen. 24.

NOTAVIT

NOTAVIT autem Seneca epist.117.ex quo in honore pecunia cœpit esse, verum rerum honorem cecidisse, mercatoresque, & vænales inuicem factos homines; non iam quærunt, ait, quale sit quid, sed quanti. Neque enim iam de qualitate hominis, aut morum, sed de quantitate diuitiarum inquirimus, & quos diuites inuenimus præ omnibus, veluti Deos colimus: contra quos aduertit optimè Philo lib.1.de Monarchia, fuisse datum à Deo illud præceptum: *Non facietis vobis Deos argenteos, & aureos.* Videtur mihi, inquit ille, subesse præceptum auaros valde arguens, vndecumque argẽtum, & aurum sibi quærentes, & acquisitum tanquam numen recondentes in penetralibus, totam suam felicitatem acceptam illi referendo, quin & illos, qui cùm non possint proprias diuitias colere, quòd his careant, alienas mirantur, non minùs auari quàm illi priores, quos adoraturi manè ad ædes illorum tanquam ad sanctissima templa cursitant, bona petituri ab his quasi numinibus; quibus quidem possemus in memoriam reuocare id quod dixit Bernard. Serm.4.de Aduentu: Aurum, & argentum nónne terra est rubra, & alba, quam solus hominum error facit, aut magis reputat pretiosam? Et quod dixit August. lib.5.de Ciuit.cap.6. Remota iactãtia, quid sunt omnes homines nisi homines? *Exod.20.*

EST autem hac in re maxima hominum dementia, dum alios colunt, ob ea quæ propria ipsorum non sunt, & ipsorum insuper stultitia, qui in veneratione volunt esse ob illa quæ non ipsorum, sed aliena sunt. Si enim vestra sunt, inquit Bernar. vbi suprà; tollite ea vobiscum, sed homo *cùm interierit non sumet omnia.* Et D. Ambros. Serm.13.in Psalm.118. Inflat plerumque homines, & tumido ore supinat fastigium nobilitatis, & rerum affluentia sæcularium, nisi pudeat in te aliena magis, quàm propria laudari. Et D. Ignatius ep.3.ad Magnesianos, hac eadem de re loquens: Nolite errare in aliena gloria. Quod prosequitur Philo lib.de Abraham dicens: Diuitiæ generisque nobilitas, maiorum & fortunæ ista laus sunt, non ipsorum qui habent. Non est igitur cur diuites, & nobiles quasi Deos colamus, & veluti idola reuereamur, cùm Apostolus id prohibeat hoc in loco, ex sententia D. Thomæ, manifestáque ratio idem doceat. *Psal. 48.*

§. IV.

Non est acceptor personarum, qui sanctiores aliis præponit.

LICET autem hic locus prohibeat acceptionem personarum, nõ tamen eò tendit, vt qui virtute alios antecellunt, non debeant præferri aliis, qui nõ tam pollent sanctitate. Namque, sicut notauit Hugo de Sanct. Vict. de Institut. Nouitior. c.5. Meliores diligere, superiores honorare debemus, quia par contumacia est, siue in eo, qui propter inferiorem gradum in homine virtutem despicit, siue in eo, qui propter vitam inferiorem, gradum superiorem contemnit. Quod etiam prosequitur Aug. tom.2. epist.29. post medium; vbi ait: Nec sanè quantùm arbitror, putandum est leue esse pec-

catum in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Iesu Christi, si illam distantiam sedendi ac standi ad honores Ecclesiasticos referamus. Quis enim ferat eligi diuitem ad sedem honoris Ecclesiæ contempto paupere instructiori atque sanctiori? Si autem de quotidianis consessibus loquitur, quis non hic peccat nisi cùm apud seipsum intus ita iudicat, vt ei tanto melior, quanto ditior esse videatur? Hoc enim videtur significasse cùm dicit: *Nonne iudicatis apud vosmetipsos, & facti estis iudices iniquarum cogitationum?* Est proinde præponendus melior, quia tunc non accipimus personam hominis, sed respicimus ordinationem Dei; quod eleganti similitudine explicat Basil. Ser. 2. de Institut. Monach. Et prosequitur Ber. lib. 2. de Cõsiderat. Aug. 8. Confess. cap. 4. Et nos latiùs prosequemur cum Apostolo, cùm dicit Deum elegisse pauperes.

§. V.

Contra Iudices acceptores personarum.

PETIT autem ex opposito hic locus Iudices acceptores personarum, qui ac si nullam haberent notitiam fidei Christi, accipiunt personas hominum, & causas iudicant diuitum ac potentum, pauperes verò despiciunt, cùm tamen in Scriptura Iudices Dij appellentur, sicut inter alios notauit Theodoret. q. 51. in Exod. vt Deum imitentur, qui non est acceptor personarum, sed de omnibus ei cura est. Qua ratione illum solum Iudicem appellauit Clemens Alexand. 1. Pædagog. c. 2. In quam sententiam notauit
Gen. 2. Philo lib. de Ioseph, quatuor capita in quæ diuiditur fluuius ille, qui egreditur de loco voluptatis, significare quatuor Virtutes Cardinales, cúmque de Prudentia ac Fortitudine in primis duobus adumbratis, dicatur circuire peculiares terras contra Assyrios: deinde, inquit, vadit Tygris, id est, contra voluptates Temperantia. Porrò Iustitia quam nobis refert Euphrates flumen, nec oppugnat quemquam, nec circunuallat, nec habet aduersarium. Quare? quia huius (scilicet Iustitiæ) est suum cuique reddere, quolibet postposito respectu: quasi nulla peculiaris Prouincia quã perfluat, assignetur Tygridi, quia omnium Iustitia esse debet, & nulli peculiariter addici, nec vllam personam accipere. Quod ipsum etiam notauit August. loquens de eodem fluuio lib. 2. de Genes. contra Manichæum c. 10. Quibus habet similia Concione 26. in Psal. 118. dum ait; Iustitiam non posse dici bonam, vel malam, quod intelligendum esse existimo secundùm effectum, & iudicium externum; ei enim qui innocens est, dicetur bona, dum eundem absoluit, iniquus verò eam malam, & acerbam sentiet, dum ex merito punitur: & ita, sicut videndi organum omni prorsus colore caret, quo possit omnes percipere, sic & Iustitia, vt possit cuique suum reddere, & integrum ius seruare, nullam denominationem habere debet. Vnde & ea Iustitia quæ mala est, neque Iustitia est, sicut ibi notauit Aug. & Hiero. in Reg. Monach. c. de Iustitia; sic de ea ait: Patrem, vel fratrem non nouit, sed nouit

veritatem, personam non accipit, & Deum imitatur. Videndus est Ambros. Serm. 20. in Ps. 118. cùm ponderat id quod Christus Dominus dixit: *Ego non possum à me facere quicquam.* Hic, ait Ambros. personam Iudicis propositúmque suscipit. Bonus enim Iudex nihil ex arbitrio suo facit, & domesticæ proposito voluntatis, sed iuxta leges & iura pronuntiat, sicut audit, ita diiudicat, & sicut habet negotij natura, decernit. Plura hac de re habet idem Ambros. epist. 20. vbi eundem locum Ioannis explicat. Ioan. 5.

VNDE iam patet quàm ineptè deceptus fuerit iniquus ille Iudex, Pilatus scilicet, qui malam & bonam voluit habere potestatem Iudicis, dum dixit: *Nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & dimittere te?* quasi vtramque haberet potestatem Iustitiæ, cùm tamen solùm habuerit potestatem dimittendi innocentem, & cruci affigendi iniquum, alioqui, & bona simul ac mala esset Iustitia illa, imò potiùs, & solummodo mala. Ideóque Ambros. inuehitur in eum dicens: Vsurpas ô homo potestatem quam non habes, tua, Pilate, voce constringeris, tua damnaris sententia; per potestatem igitur non per æquitatem crucifigendum Dominum tradidisti; per potestatem absoluisti latronem, authorem vitæ interfecisti, mala potestas, licere quod noceat, potestas ista tenebrarum est. Namque potestas Iustitiæ nō est in damnationem, & absolutionem simul, vt scilicet, & damnare quemquam simul possit, & absoluere: sed diuisa, vt pro meritis, vel dimittere possit, vel punire. Quòd verò iniustè contra hoc fecerit Nabuchodonozor, exprobrauit filio eius Balthasaro Daniel Dei monitu, dicens: *Quos volebat, interficiebat, & quos volebat, percutiebat, & quos volebat, exaltabat, & quos volebat, humiliabat.* Quia verò filius patris vestigia sequutus, pro velle exaltabat, & humiliabat, interficiebat, & dimittebat; quòd diuisim, vel absolueret, vel puniret, secundùm Iustitiæ normam diuisum itidem est regnum ab eodem, & datum Medis, & Persis. Ioan. 19. Dan. 5.

VIDENDVS etiam pro hac re est D. August. tom. 4. q. 88. in Exodum, cùm explicat ea verba Exod. 25: *Pauperis non misereberis in indicio*; vbi sic ait: Nisi addidisset (*in iudicio*) magna esset quæstio. Sed intelligendum esset, etiamsi scriptum non esset. Sed cùm additum est, nulla quæstio est hoc esse præceptum. Ne fortè cùm iudicamus, videamus Iustitiam esse pro diuite contra pauperem, & nobis rectè facere videamur, si contra Iustitiam pauperi faueamus causâ misericordiæ. Bona est ergo misericordia, sed non debet esse contra iudicium; iudicium sanè illud appellat Scriptura, quod iustum est.

HÆC etiam fuit ratio, cur Areopagitæ, sicut refert Lucianus in Hermotimo; noctu & in tenebris iudicare solebant, ne ad dicentes respicerent, sed ad ea quæ dicerentur. Et olim, sicut refert Pierius Valer. lib. 35. ea statua, quæ Principem referret, proponebatur auersis oculis, vt Iustitiam à donis alienam esse debere, & nulla mulceri facundia oportere significarent. Nam, vt Cassiodorus ait lib. 11. cap. 32. gratanter exoluit, quod deberi iustè cognoscit, & tunc quæ oportet, fiducialiter suggeruntur, vbi non est vænalis auditus. Ideóque à recentioribus hoc loco commendatur Aristoteles lib. 1. Rhetoricorum, quòd illam partem Oratoriæ,

quæ ad commouendos affectus exposita est, condemnauerit, ne quando in delinquentis fauorem commoueret iniustè Iudicem. Videndus denique Tertullian. lib. 2. de Oratore, vbi seriò dolet, quòd multo plura homines iudicant odio, aut amore, aut cupiditate, aut iracundia, aut dolore, aut lætitia, aut spe, aut timore, aut errore, aut aliqua permotione mentis, quàm veritatis præscripto, &c. Et cùm Philosophi ita abhorruerint personarum acceptionem, constat quanto longiùs sit releganda à fidelibus, quando fides Domini nostri Iesu Christi ita dissonat à personarum acceptione.

Vers. 2. *Etenim si introierit in conuentum vestrum vir annulum aureum habens, in veste candida: introierit autem & pauper in sordido habitu.*

Vers. 3. *Et intendatis in eum qui indutus est veste præclara, & dixeritis ei: Tu sede hîc bene; pauperi autem dicatis: Tu sta illîc, aut sede sub scabello pedum meorum.*

Vers. 4. *Nónne iudicatis apud vosmetipsos, & facti estis iudices cogitationum iniquarum?*

EXPOSITIO LITERALIS.



PROPOSITIONEM generalem de non accipiendis personis probat hypothesi, seu exemplo assignato in Textu, quo iniquitatem in acceptione personarum faciliùs probet. Sed quò meliùs intelligatur hic locus, primò agemus

De conuentibus fidelium.

OLIM fiebant eo modo quem D. Clemens assignat lib. 2. Constitut. c. 59. dicens: Conuenitur in Ecclesiam singulis diebus, mane, & vespere, ad canendos Psalmos, & precationes in templo faciendas, potissimùm autem die Sabbati, & die Dominico, qui est dies Resurrectionis. Meminit autem simul diei Sabbati, & Dominici, nam in illis Ecclesiæ nascentis incunabulis lex Moysi simul cum Euangelio obseruabatur, & ideo Sabbatum cum die Dominico: postea, sepulta cum honore Synagoga, solus dies Dominicus celebrandus remansit. Conueniebat ergo vniuersa Ecclesia in vnum, vt patet ex 1. Corint. 11. & Act. 2. Vnde Paulus: *Non deserentes collectionem nostram, sicut consuetudinis est quibusdam.* Quod non ita intelligendum est, sicut voluit Sa in Annotation. ad c. 2. Act. quòd scilicet ita tunc habitarent eodem loco, sicut moris nunc est Religiosorum; id namque in tanta fidelium multitudine, & diuersitate, difficile creditu est, sicut ibi

Hebr. 10.

ibi notauit Lorinus: sed sicut diximus ex Clemente. Idque primitùs fiebat in templo Hierosolymitano, quò discipuli conueniebant, vt orarent, & prædicarent, quandiu à Iudæis id permissum est. Quando verò ab hoc sunt eiecti, & prohibiti, in honestis fidelium domibus conueniebant. Actorum enim 10. Petrus in ædibus Cornelij concionem habuit ad multos qui conuenerant, & in domo Mariæ Ioannis Marci matris congregata Ecclesia sine intermissione orationem faciebat pro liberatione Petri ex Herodis carcere. Et in Cœnaculo magno, in quo Christus sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum instituit, Apostoli perseuerabant post ascensionem cum mulieribus, & Maria matre Iesu, vbi à Christianis postmodùm ædificata fuit præclara Ecclesia, quam vocarunt Ecclesiam sanctam montis Sion, teste Metaphraste, Iuuenal. Damas. & Niceph. Et Philo Iudæus apud Euseb. lib. 2. Histor. c. 17. refert, Christianos tunc habuisse domos Deo dicatas, in quas ad peragenda sacra conueniebant. Et Clem. lib. 2. Constitut. c. 56. formam templorum sic describit: Primùm quidem sunt domus oblongæ ad Orientem versùs, naui similes, ex vtraque parte pastopluria (id est, sacraria, armariola, vel tabernacula, in quibus Eucharistia pro infirmis, vasa sacra, libri, vestésque Sacerdotales seruarentur) habentes, &c. Qua de re videndus Feuard. hoc loco. Meminit horum conuentuum Basil. hom. in aliquot Scripturæ locos, vbi sic ait; Hac de causa fit iste conuentus, ac Patres nostri has fidelium congregationes in templis statuerunt, vt quæ singulis diebus discere non valemus ob eorum penuriam, qui hæc doceant, & admoneant, singulis annis illa in communi solemnitate, ac celebritate conuenientes accipiamus, deinde ea tanquam viaticum ad reliquum tempus custodiamus. Deducti sunt autem prædicti fidelium conuentus à consuetudine Synagogæ, sicut patet ex D. Ambros. in 1. ad Cor. c. 4. vbi ostendit in his conuentibus seniores sedisse in cathedris, sequentes in subselliis, nouissimos in pauimento super mattas. Plura de his conuentibus vide apud Baronium anno Christi 57. cap. 159.

Act. 12.

De annulis seu fibulis aureis.

OLIM, teste Pierio lib. 41. annulum veteres non ornatus, sed signandi causâ circunferebant. Postea vsi sunt aureis annulis viri ac mulieres, ad modestum ornatum ac iucundum. Nam Iudas Patriarcha annulum, & armillam quam ferebat, dedit Thamâr. Et Iudith castra Assyriorum aditura sumpsit annulos, & armillas suas. Deinde vsi sunt homines annulis ad indicium nobilitatis, & rerum pro Repub. præclarè gestarum. Vnde Alexand. ab Alex. lib. 2. c. 19. testatur Romanos Legatis suis ad exteros profecturis annulum aureum, velut insigne munus dedisse. Videndus Macrob. 7. Saturnal. c. 13.

Gen. 38. *Iudith. 10.*

VERVM non est hoc loco sermo de huiusmodi annulis, sicut aliqui, teste Baronio 1. tom. decepti existimarunt, putantes à Iacobo hoc loco nobilissimum descriptum hominem, qui annulum aureum, vt egregium

nobilitatis insigne gestaret in digito, sicut hîc putat Oecumen. & candidissimo indumento esset decoratus, nam quod ad annulum spectat, non ornabatur illo manus, sed vestis. Et ita annulus in veste candida, idem erat quod aurea fibula, qua vestis præstringeretur: pro annulo enim fibulam accipi satis probat locus ille Exodi, cùm dicitur; *Stringatur rationale annulis suis.* Quod expressiùs declarat Iosephus lib. 13. Antiquitat. c. 9. cùm ait: Tum Antiochus adolescens missis literis, & Legatis ad Ionatham, socium & amicum eum nominat, & Pontificatum ei confirmat. Ad hæc aurea vasa & pocula, vestémque purpuream, & ius vtendi misit ei, nec non fibulam auream. Sed clariùs hoc habetur 1. Machab. 10. *Alexander Rex addidit adhuc glorificare Ionatham, & misit ei fibulam auream, sicut consuetudo est dari cognatis Regum.* Erat itaque apud gentem Hebræam nobilitatis insigne annulus, seu fibula aurea. Et ita intelligendus est hic locus, non verò de annulo manus, sed vestis; & ideo noster Author videtur annulum cum veste coniungere.

Exod. 28. — 1. Mach. 10.

De veste candida.

VESTIS candida olim insigne erat nobilium, vt constat apud Salomonem; *Beata terra, cuius Rex nobilis est.* Vbi in Hebr. est; בן חורים *Ben chorim*, id est, *filius candidorum.* Vnde & Christus Dominus, quando ludibrij causâ indutus est veste alba, id quidem factum est, vt irridendo quasi nobilem tractarent per ludibrium: & cùm gloriosus in maiestate apparuit, *vestimenta eius sunt alba sicut nix.* Vnde Tertullian. lib. de Resurrect. carnis, sic recenset manumissionis insignia: Famulum tuum libertate mutaueris, & vestis albæ nitore. Sicut enim olim latus clauus vestimenti genus erat, quo viri patritij, ac Senatores vtebantur. Vnde Horat. lib. 1. Serm.

—— —— *Et latum dimisit pectore clauum.*

Sic etiam & apud Hebræos vestis candida insigne erat nobilitatis. Qua de re latiùs Baronius anno Christi Dom. 34. Et multa apud recentiores in c. 4. Thren. ad ea verba; *Lacte candidiores.* Et de vestibus Salomonis ad locum Matth. 6. ibi; *Quia nec Salomon in omni gloria sua vestitus est, sicut vnum ex istis.*

Eccle. 10. — Matt. 17.

De Sedibus.

HIc locus Iacobi supponit Hebræorum morem, apud quos Reges, Magistratus, virique nobiles in sublimiori loco sedebant: idque non solùm in administratione Reipub. sed etiam in publicis conuentibus, aut disputationibus. Id enim ostendit quod in parabola de inuitatis dixit Christus Dom. intendens quomodo primos accubitus eligerent: *Amice, ascende superiùs*, ascendebatur siquidem ad illos: inferiores verò sedes ignobilioribus donabantur, ideóque dicebat Isaias: *Descendens sede in puluere virgo filia Babylon, sede in terra.* Et alibi: *Suscitans de puluere egenum, vt sedeat cum Principibus* Iterúmque: *Exaltaui te de puluere.* Locus igitur ignobiliorum

Luc. 14. — Isai. 47. — 1. Re. 2. — 3. Re. 16

rum

rum infimus erat, nobiliorum verò superior & sublimior; quod explicare videtur Ambros. in illud: *Sicut reuelatum fuerit sedenti,* &c. Hæc 1.Cor.14. traditio, inquit, Synagogæ est, quam nos vult sectari, quia Christianis quidem scribit, sed ex gentibus factis, non ex Iudæis, vt sedentes disputent, seniores dignitate in Cathedris, sequentes in subselliis, nouissimi in pauimento super mattas. Quò sine dubio respicit illud; *Est malum quod vidi sub Sole, positum stultum in dignitate sublimi, & diuites sedere deorsum.* Eccl. 10. Et ideo D. Thom. in illis verbis, *Sede sub scabello pedum meorum,* vilem locum intelligit, id est, iuxta, seu infra pedes meos, sicut illud, *Sede hîc bene,* significat commodè seu honorificè. Est igitur totus hic locus contra eos qui diuites ex solo externo apparatu pensantes reuerentur, & honore afficiunt, pauperes verò quantumuis virtute præditos contemnunt: qua in re iniquissimè iudicant, peruerséque de Christiana fide iudicare videntur.

§. I.

Contra eos qui homines ex ornatu exteriori æstimant.

CVM Iustitia distributiua iubeat pium pauperem præferri impio diuiti, maximè læditur ab iis, qui præponendum docent diuitem ob solas splendidas vestes auro, gemmísque ornatas, cùm tamen tota hominis dignitas ex interiori ornamento pensanda sit, sicut notauit Amb. lib. de Instit. Virg. cap. 3. vbi quærit cur Deus cùm cætera omnia laudauerit quæ fecit in principio, solum hominem prætermiserit; cuius rei rationem reddit in hunc modum: quia alia in specie sunt, homo in occulto, nihil in bestiis plus reperies, quàm quod videtur, in homine nihil est inferius, quàm quod videtur, qui cùm & animo constet, & corpore, hoc vtique in eo seruit quod videtur, illud autem regit, quod non videtur. Meritò alia in exordio laudantur, istius laudatio reseruatur: quid enim tam altum, & tam profundum quàm mens hominis? ideo homo laudatur, quia non in forensi pelle, sed in interiore homine. Nemo ergo se despiciat quasi vilem, nec contuitu corporis sese æstimet. Similiáque habet Chrysost. hom. 23. ad Popul: Externæ, inquit, dignitates ex signis intrinsecùs circumpositis manifestæ sunt, nostras autem ab anima notas esse docet, fidelem enim non ex solo munere videri oportet, verùm & ex vitæ nouitate.

HINC est quòd Philo libr. de insomniis, eleganter dixerit animæ pauperis indicium esse, mirari materiales diuitias, itidémque proprium hoc esse imperiti populi, & suapte natura mobilis, quíque solùm præsentibus intentus est, exuítque tum præteritorum memoriam, tum etiam in futurum spem adimit. Mirandum verò est quàm commune hoc vitium sit, quantúmque homines ducantur ab externo tantummodò apparatu: qua in re maximè placet id quod dixit Chrysost. in 1. ad Thessal. homil. 10. Incantatio, inquit, quædam est, & præstigium, quòd aurum & argentum tantopere à nobis honorantur.

SI autem velimus rationem indagare cur ſplendidas veſtes miremur, & externum cultum veneremur, ea quidem videtur eſſe, quòd terreſtria tantùm curantes, cœleſtia ne minimùm quidem perpendimus. Iure verò approbat Clem. Alexan. lib. 2. Pædag. cap. 10. Cæum Sophiſtam, qui virtutis, & improbitatis aptas deſcripſit imagines. Hanc enim, improbitatis ſcilicet, fecit candida veſte. i. ſplendida indutam, virtutem verò ſola verecundia ornatam: quæ quidem deſcriptio oſtendit virtutem non externo apparatu, apparentíue ornatu indigere, cùm ex ſe honorem perpetuò habeat comitem, ſicut dixit Hieron. in Epiſt. ad Euſtoch. Nihil verò nobis clarius poteſt oſtendere quanta cæcitate, & ignorantia noſtra hac tempeſtate homines laborent, quàm quòd veneremur externas corporis veſtes, cùm præclaras animi dotes nihili faciamus, cùm fieri optimè poſſit, vt malus homo plura bona habeat, ſicut proſequitur Auguſt. Serm. 12. de verbis Dom. cùm ita ait: Omnia quæ circà iacent oculis tuis elegantia, & pulchra, ſi tibi poſſent reſpondere, nónne & tibi clamarent, ſicut tu nos bona vis habere, ſicut & nos volumus habere bonum dominum; tacita voce interpellant contra te Dominum tuum: Ecce tanta bona dediſti huic, & ipſe malus eſt. Illúdque mirum hac in re eſt, quòd bona videntur *inſurgere* cōtra malū dominū, & iniquū poſſeſſorē, nos verò ipsū colimus propter bona quæ iniuſtè, & iniquè poſſidet, & de iniuſto domino cōqueruntur.

NEQVE in hoc tātummodo apparet inordinatum vitium, ſed inde aliud emergit non minùs vtique dolendum, quòd cum homines videant ſe in pretio haberi, & honore affici propter externam veſtium elegantiam, totam curam, & diligentiam impendunt in exornando corpore, nullam penitus in animo componendo, & quia nolunt iam virtutibus ſe claros reddere, veſtibus nobilibus indutos ſe curant oſtentare. Vnde poſſumus cum Apelle dicere, ſicut notauit Clem. Alex. 3. Pædag. cap. 10. id quod dixit cuidam ex ſuis diſcipulis, qui Helenam multo auro ornatam depinxerat: *O adoleſcens cùm non poſſes pingere pulchram, pinxiſti diuitem*: etenim homines cùm veræ pulchritudinis ac virtutis ornamenta nō aſſumant, veſtes candidas, aureum annulum habentes induunt, quarum conſpectu, & apparatu apud homines multi fiunt.

MEMINERIMVS tamen huiuſcemodi decorem, & ornatum emi potiùs quàm haberi, ſicut notauit Ambroſ. lib. de Virginib. contra immoderatum veſtium luxum. Cùm veſtes tegendi corporis, non ornandi gratiâ repertæ fuerint, ſicut notauit Athanaſ. in Exhortat. ad Monachos lib. 1. poſtquam tamen homines viderunt ex veſtibus potiùs, quàm ex moribus ſe æſtimari, totos ſed ad veſtium elegantiam comparandam dederunt. Niſi fortè ea ſit ratio, quòd defectus occultare; vitia tegere, peccata operire, turpiáque cælare veſtibus intendunt; proindéque ſi veſtes ac animus ſub haſta ponātur, & ornamenta ſplendida, ac ipſe homo venundetur, quilibet parum etiam doctus, potiùs veſtes ſibi quàm animum eligeret, cùm tamen longè aliter ſe res debuerit habere, ſicut proſequitur Clem. Alex. l. 2. Pædag. c. 10. Vt mihi, inquit, videtur, oportet id quod tegitur ex tegumento

oſtende

ostendere se esse eo melius, vt templo imaginem, & corpore animam, & veste corpus; nunc autem contrà omnino. Si corpus quidem venundetur, nunquam mille drachmas Atticas inuenerit, vnam autem vestem mille talentis ementes, se esse vestibus inutiliores & viliores arguunt.

QVAPROPTER Ephrem de vita spirituali ita ait: Noli splendido ornatu vestium gloriari, memor quomodo ouinis pellibus indutus fuerit Helias, & sacco Isaias, quali item Ioannes Baptista vsus sit. Quare non vestium splendore studeas esse conspicuus, sed per bona sanctáque opera luceat lux tua. Qua de re plura habet Seneca lib. 10. epist. 77. *Gladium bonum*, inquit, *dices, non qui deauratus est baltheus, nec cui vagina gemmis distinguitur, sed cui est ad secandum subtilis acies. Regula non quàm formosa, sed quàm recta sit quæritur. Ergo in homine nihil ad rem pertinet quantùm aret, quantùm fœneret, à quàm multis salutetur, quàm pretioso incumbat lecto, sed quàm bonus sit. Nemo istorum quos diuitiæ, honorésque in altiori fastigio ponunt, magnus est. Quare ergo magnus videtur? cum basi illum sua metiris. Paruus pumilio, licèt in monte constiterit, Colossus magnitudinem suam seruabit, etiamsi steterit in puteo. Hoc laboramus errore, quòd neminem æstimamus, eo quòd est, sed adiicimus illi, & ea quibus ornatus est, imò ex illis ipsum æstimamus, & metimur.*

SI autem velimus ad retrò sæcula recurrere, & qualiter tunc temporis homines vestimentorum cultum curarint indagare, illud statim occurrit, quod notauit D. Thomas ad cap. Genes. 37. in ea veste polymita, seu, varia, vt habent Septuaginta, quam fecit Iacob dilecto filio Ioseph; quæ tantummodo frustorum, filorum vel liciorum varietate distincta erat, splendidissima tamen pro eo tempore. Ait ergo D. Thomas: In hoc ipso, quanquam isti Sancti Patres essent diuites, apparet, quòd communiter induebant filios suos satis rusticanè, aliàs non referretur hìc tunica prædilecto specialiter data Ioseph. Vnde & Scriptura pelliceas tunicas, quas Deus primis parentibus dedit, cùm ex pellibus essent confectæ, eas tamen honoris vestes appellat. Pro eo enim quod nos habemus: *Fecit eis tunicas pelliceas*; Paraphrasis Chald. sic habet: *Fecit Dominus Deus Adæ, & vxori eius vestimenta honoris super cutem carnis suæ, & induit eos.* Quodlibet enim vestimentum olim honoratum erat, modò verò homines ex vestibus honorantur. Et ideo passim decipiuntur, quia honor ex incerto exhibetur. Quod notauit argutè Tertull. lib. de cultu mulierum, cùm ait: Iam certè improbitas honestissimis quibusque vsque ad errorem dignoscendi coæquauit. Qua de re etiam videndus Greg. homil. 28. in Euang. cùm queritur quòd iam in hominibus non homines, sed diuitias veneramur. Et contra vestimentorũ superfluitates videndus est Hier. in vita Pauli Eremit, & in epist. ad Eustoch. ad Heliodor. ad Marcell. ad Nepotian. ad Rustic. & Dialog. 1. cont. Pelag. Bern. 3. de Considerat. Chrysost. hom. 21. in Gen. hom. 50. in Matth. 60. & 68. in Ioan. homil. 7. ad Coloss. homil. 7. ad Philippens. & homil. 39. ad Pop. Ambros. lib. de Virginib. Basil. in Comment. super cap. 3. Esai. & homil. in Psalm. 45. Nazianz. aduersùs mulieres sese ambitiosiùs ornantes. Cyprian. de habitu Virginum; & lib. de bono pudicitiæ;

Genes. 3.

vbi celebrem illam affert sententiam: Mirum, inquit, negotium, mulieres ad omnia delicatæ, ad vitiorum sarcinas, auri scilicet, gemmarum, ac vestium fortiores sunt viris. Quæ verba nos etiam ad viros possumus conuertere, qui collo erecto, constrictis cruribus, totoque ligato corpore patiuntur incedere, cum nec minimum aliquid violentum admittant in satisfactionem scelerum suorum. Videndus denique Innocent. de vilit. condit. human. Qui omnes docent nullatenus curandam esse vestium multitudinem, & curiositatem, ne contra Iacobi doctrinam diuites solùm ex vestibus colamus, ac veneremur, pauperes verò in vilibus vestibus contemnentes confundamus.

§. II.

Quanti faciendi sint pauperes.

DOCET etiam hic locus nullatenus reiiciendos pauperes, aut contemnendos, cùm Christus Dominus ipsum pauperis cognomen sibi vendicauerit. Namque Propheta dixit: *Ecce Rex tuus venit tibi iustus, & Saluator, & ipse pauper*; & cùm Angelus pastores ad inuisendum eundem natum inuitat, signa paupertatis præmittit dicens: *Inuenietis infantem pannis inuolutum*; adeò pauperem vitam duxit, vt neque vbi caput reclinaret, habuerit, secúmque solam detulerit ad crucem paupertatem. Notauit hoc D. Ber. epist. 23. dicens: Nobilis reuera titulus paupertatis, quam ipse Deus ore commendans prophetico ait: *Ego sum vir videns paupertatem meam.* Super omnes regios thesauros hic vos titulus nobilitat amplius, &c. & loquens de pauperibus Dauid, ait: *Honorabile nomen eorum coram illo*: Hebr. & Chaldaicè habetur; *Pretiosus sanguis eorum coram illo*: quasi nihil magis curæ sit Deo, quàm vita & salus pauperum: ideóque eos nobis maximè commendat, cùm ipsos dominos Regni cœlorum dicit, vt eos scilicet veneremur quasi dominos. Vnde Ber. epist. 103. ait: Volo te esse amicum pauperum, magis autem imitatorem, ille gradus proficientium est, hic perfectorum. Amicitia pauperum, Regum amicos constituit, amor paupertatis Reges, *quoniam ipsorum est Regnum cœlorum.* Assertque idem Bernard. in confirmationem id quod Christus Dom. dixit: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Vides, inquit Bernar. quia magna dignitas sancta paupertas sit, vt non modò ipsa patrocinium sibi non quærat, sed & ferat indigentibus, quale est hoc absque interuentu cuiuspiam Angelorum, vel hominum, sola diuinæ gratiæ confidentia accedere per temetipsum ad vultum gratiæ, capessere summam rerum, attingere totius magnificentiæ culmen.

Zach. 9. *Luc. 2.* *Matth. 8.* *Thren. 3.* *Ps. 71.* *Matt. 5.* *Luc. 16.*

HINC est quòd in lege veteri pauperes iam vt dominos voluit tractandos, quibus sine vllo labore fructus terræ concessit ab aliis seminatos, veluti à seruis, sic enim interpretatur Aug. illud præceptum Exod. c. 23. vbi

vbi ita habetur: *Sex annis ſeminabis terram tuam, & congregabis fruges eius, anno autem ſeptimo dimittes eam, & requieſcere facies, vt comedant pauperes populi tui, & quicquid reliquum fuerit, edant beſtiæ agri.* Quorum verborum ſenſum ſic elicit Aug. q. 89. in Exodum, vt ſex annis ſeminarent, & colligerent filij Iſraël fructus agrorum, ſeptimo verò anno ſeminarent, attamen non colligerent, ſed dimitterent quidquid fuerat ſeminatum, vt pauperes colligerent, & inde alerentur; tantam enim curam geſſit Deus pauperum, vt eos in labores aliorum voluerit ingredi, & tanquam dominos abſque ſudore, labore, & cura alimoniam quaſi à clientũ,& ſeruorũ agris colligere. Exod. 23.

Est in hanc ſententiam notandus locus ille apud Chryſolg. Serm. 14. ad illa verba Pſalm. *Beatus qui intelligit ſuper egenum, & pauperem*; vbi differentiam ponit inter id quod eſt videre oculis, & intelligere mente. Subiecta, inquit, oculis, expoſita in publico non eſt intelligere, ſed videre: vis eſt intelligentiæ ſi rimetur viſcera, ſi deprehendat occulta, ſi tecta nudet. Oremus, fratres, vt ipſe nobis intelligere intelligenda concedat, qui ſe intelligi in paupere ſic demonſtrat, quòd ipſe qui cœlum tegit, ſit nudus in paupere, quòd in eſuriente eſuriat ſatietas rerum, quòd ſitiat in ſitiente fons fontium, beatus proinde ille cenſendus eſt, qui hoc intelligit, vt ſuper pauperes intelligat, eorum neceſſitatibus occurrendo, eóſque à neceſſitatibus eruendo. Quod argumentum proſequitur Ambroſ. Serm. 3. in Pſalm. 118. vbi inter alia ait. Nihil grauius, quàm vt fratres noſtros pauperes ſuperbo oculo deſpiciamus, conformes nobis intolerabili repellamus faſtidio, noſtra indignos gratia iudicantes, quia ſunt inopes, cùm paupertas faciliùs ſit Deo, quàm theſaurus acceptior. Et epiſt. 10. adeò colendos exiſtimat pauperes, vt eos paupertatis nomine ſentiat indignos. Sic enim habet: Cùm Regnum Dei pauperum ſit, quid eſſe locupletius poteſt: Similiáque habet Serm. 10. Pſal. 40.

Hinc eſt quòd apud Deum pauperes propria ſortiuntur nomina, non ſic verò diuites, vt videre eſt cap. Luc. 16. in hiſtoria diuitis epulonis, vbi optimè Caietan. Apud mundanos, ait, diuitum nomina ſciuntur, cùm de eis verba fiunt, pauperum verò nomina nec ſciuntur, nec, ſi ſciuntur, digna exiſtimantur propria appellatione, ſed ſi de aliquo eorum ſermo incidit, dicitur, quidam pauper. Totum oppoſitum eſt ſecundùm ordinem ſpiritus, & propterea diues appellatur homo quidam, pauper autem appellatur nominatim Lazarus, quod oſtendit quanti fiat apud Deum paupertas, quam ex nomine nouit, quam in manibus deſcripſit, cùm ait: *Eſuriui, & dediſtis mihi manducare*, &c. Luc. 16. Matt. 25.

Hoc idem argumentum proſequitur Philo libr. de Plantatione Noë. Nazianzen. orat. 20. & 28. Chryſoſt. homil. 48. in Matth. Vnde iam nobis poteſt conſtare quanta cum ratione Iacobus hoc loco doceat, non eſſe contemnendos pauperes, diuitibúſque poſtponendos, quos Chriſtus Dominus tanti fecit, nobíſque ſuſcipiendos ac venerandos reliquit, dicens: *Pauperes ſemper habetis vobiſcum.* Quæ promiſſio ſimilis etiam videtur alteri, qua de ſe dixit; *Ecce, ego vobiſcum ſum* Matt 26. Mat. vlt.

vsque in consummationem sæculi. Qui igitur & se, & pauperes veluti magnum beneficium reliquit in mundo, quomodo pauperes patietur abiici? & qui pauperes iudicat, hoc est, vindicat, aut absoluit, eorúmque iudex, & defensor est, quomodo ipsorum offensas inultas relinquet? quique eos nobis reliquit honorandos, quomodo non eorum repulsam vindicabit?

Vers. 3. *Nónne iudicatis apud vosmetipsos, & facti estis iudices cogitationum iniquarum?*

EXPOSITIO LITERALIS.



CCEPTORES igitur personarum, & eos qui diuites pauperibus præponunt, damnat hoc loco, ac si dicat: Non pudet vos tam peruersi, corruptique iudicij? Iudicatis siquidem iuxta iniquas cogitationes, quia non respicitis existentem, & realem personæ bonitatem, sed apparentem. Vnde Glossa, *mundus pauperem abiicit, diuitem colit, fides Christi æqua docet.* Qui igitur sic iudicant, corrumpunt iudicandi vim, sicut ait Occum. & Brixian. nullam inquisitionem facientes, vter sit honorandus, paupérne probus, an diues improbus. Corrumpũt etiam iudicãdi vim, eligentes malas cogitationes, rationique dissonas, & omittentes eas, quæ pauperes spiritu dictant esse amplectẽdos.

Psal. 25. Osee 2. LICET ergo (*indicare*) plerumque accipiatur in bonam partem, pro eo quod est sententiam pro aliquo ferre, vt patet ex Psal. *Iudica me Domine, quoniam in innocentia mea ingressus sum.* Et apud Oseam: *Sponsabo te mihi in iustitia, & iudicio*; id est, sententiam pro te feram, repellendo diabolum iniustum possessorem, qui te insidiis & malignitate superat: hoc tamen loco in malam partem sumitur; qui enim fert iudicium contra pauperes, iniquè profectò iudicat, cùm pro eis iudicet Deus, & in eorum fauorem; quod dixit Dauid: Psal. 71. *Iudicabit pauperes populi, & humiliabit calumniatorem.* Iniquæ verò cogitationes hoc loco dicuntur, quæ sunt contra rationem, sicut æqua cogitatio dicitur, Iob. 35. quæ est iuxta dictamen rationis. *Nunquid æqua tibi videtur tua cogitatio?* vbi Vatabl. *An hoc iustum esse putas, quod iudicasti?*

COMPLVTENSIS verò lectio hoc loco habet: *Nónne diiudicati estis in vobisinetipsis?* Quasi velit Apostolus: Qui immeritò, & contra rationem præponitis diuites iniquos pauperibus probis, nónne iudicati estis ab interna cõscientia, & ab eadem damnati tanquam impij iudices, qui postpositis rectis cogitationibus iniquas elegistis? Quem sensum amplectuntur aliqui ex recentioribus, qui sic exponunt: Nonne vos coarguit, & surdo verbere flagellat propria conscientia, quòd plus moueant vos externæ vestimentorum pompæ, quàm virtutes? Vnde Basil. homil. 21. quæ est in aliquot Scripturæ locos: Si iudicaueris, ne inæqualia videas, ne videas diuitem sublimem, pauperem humilem, &c. quæ prosequitur in hanc sententiam.

§. I.

§. I.

Contra eos qui iudicant secundùm visionem oculorum, & externam apparentiam.

FACIT hic locus contra eos qui secundùm externam faciem de rebus iudicant, qui ferè semper decipiuntur, imitantes Pharisæum, contra Dominum, & Mariam iniquè iudicantem, & primam etiam mulierem, quæ *vidit pomum quòd esset pulchrum, & ad vescendum suaue*; poterat quidem iudicare oculis esse pulchrum, non tamen de illius suauitate potuit rectè iudicare, ideóque de ea secundùm visionem oculorum iudicante sic ait Ambros. lib. de Paradiso cap. 13. Infirma author iudicij, quæ de eo quod nondum gustauerat, iudicabat: & ideo non facilè, nisi siquid diligentiùs pertractauerimus, quod interiori probauerimus affectu, videtur opus aliquod esse sumendum. *Luc. 7.* *Genes. 3.*

IMITANTVR insuper istiusmodi homines Iosue, & Principes Israël, qui secundùm vestes, & calceamenta Gabaonitarum eosdem iudicantes, nec os Domini interrogantes, ab eisdem decepti sunt. Vnde Christus Dominus dixit: *Nolite iudicare secundùm faciem.* Super quæ verba sic ait Chrysost. homil. 48. in Ioan. Hoc non illius sæculi hominibus tantùm dictum est, sed & nobis, nullus sit nobis respectus an pauper quis sit, an diues, rem ipsam inuestigemus. Eleganter autem ibi August. tract. 30. in Ioan. tom. 9. ait: Hoc quod Dominus notauit hoc loco, euadere in hoc sæculo, magni laboris est, non personaliter iudicare admonuit quidem Dominus Iudæos, admonuit & nos. Et Dauid contra sic iudicantes ait: *Vsquequò iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum sumitis:* Vbi Agellius ita habet; Dignitatem, potentiam, opes, etiamsi cum scelere coniuncta sint, magni penditis, iustitiam, innocentiámque, si his ornamentis careat, contemnitis. Facit etiam id quod notauit Hieronym. lib. 2. in Isai. vbi ait. Cauendum est, ne iustitiam iusti pro inopia despiciamus; quod & in epistola Iacobi præcipitur, ne honorantes impios diuites, & despicientes sanctos pauperes, fiamus iudices iniquitatis. *Iosue 9.* *Ioan. 7.* *Psal. 81.*

NEC minùs rem conficit Epictet. in Enchirid. c. 59. qui contra iniquos iudices sic ibi argumentatur: *Hi sermones non congruunt. Ego sum ditior te, ego igitur melior sum. Ego sapientior te, igitur melior te. Hi autem magis congruunt: Ego te ditior sum, mea igitur possessio, quàm tua melior est. Ego te sapientior, mea igitur oratio, quàm tua melior. Tu vero neque possessio es, neque oratio.* Conqueritur etiam Ambros. de hoc iniquo iudicio, 2. Offic. cap. 1. vbi inter alia ita habet: Hoc malum iamdudum humanis influxit mentibus, vt pecunia honori sit, & animi hominum diuitiarum admiratione capiantur, quod ex debilitate iudicij prouenit, cùm secundùm faciem iudicent, non secundùm rem.

ADEO autem hoc iniquum iudicium auersatus est Moyses, sicut Origen. & Philo notarunt lib. de Gigantib. vt laudatas, elegantésque artes,

picturam scilicet, atque statuariam è sua Repub. reiecerit, quòd veritatem, inquit, mendaciis vitient, illudentes per oculos animabus facilibus & credulis. Ostendunt namque nobis armatum militem, leonem aduncis, & acutis vnguibus hominem dirumpentem, cùm tamen neque miles, neque leo adsit, sed inanimes imagines, quæ iudicantem secundùm visum fallere possunt. Cui defectui volens occurrere Christus Dom. dixit, vt essemus *ad instar serpentium*, ne scilicet facilè deciperemur. Quæ verba sic exposuit Ber. epist. 327. Nec nouum, inquit, nec mirum est humanum animum posse fallere, vel falli, cauendum est hoc, & illud, quia vtrobique periculum; ad vtrumque cautelam nobis apposuit magni consilij Angelus, quando dixit: *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ*; vt nec simplicitas decipi, nec prudentia decipere possit. Hæc Bern. Aliis igitur simus columbæ, ne eis noceamus, nobis verò simus serpentes, vt prudentia iniquas discernamus cogitationes, ne ab eisdem penitus obruamur. Veræ namque cogitationes, & rationi conformes sunt, quæ præcipuum locum debent obtinere, imò & in nobis ipsæ debent ferre sententiam. Ideóque Brixian. & Caietan. hoc loco legunt: *Et non diiudicati estis in vobismetipsis.* Quibus verbis videntur innuere præcipuum in nobis iudicem debere esse rationem, nósque ipsos iuxta dictamen rationis sententiam pronuntiare.

Mat. 10.

Vers. 4. *Audite, fratres mei dilectissimi, nónne Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & cohæredes Regni, quod repromisit Deus diligentibus se?*

EXPOSITIO LITERALIS.

ADHVC est in probatione superioris sententiæ, pauperes scilicet non esse despectui habendos, cùm Deus eosdem honoret, extollat, & in Apostolos, Euangelistas, & amicos, & fratres elegerit, eosdémque amplissima, & constantissima fide ditauerit, eisdem cœlorum mysteria reuelauerit, *abscondens ea à sapientibus & prudentibus*; & denique eos in consortes gloriæ, atque Regni sui cohæredes adoptauerit: sic enim *terribilis Dominus in consiliis super filios hominum*, ex primis nouissimos, & ex nouissimis primos facit, quia viæ illius, ac cogitationes non sunt vt nostræ; ideóque Paulus ait: *Videte vocationem vestram, fratres, quoniam non multi sapientes secundùm carnem, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, vt confundat sapientes.* Quod prosequitur August. 22. de Ciuit. c. 5. & Serm. 59. de verb. Dom. & tract. 7. in Ioann. vbi aduertit, quòd licèt Christus Dom. laudauerit Nathanaëlem, ipsum tamen in numerum Apostolorum non asciuit. Intelligere, inquit, debemus ipsum Nathanaëlem eruditum & peritum legis fuisse. Et quia eruditus & peritus legis erat, non est electus ad Apostolatum. Volebat autem Dominus eligere idiotas, vnde confunderet mun

Matt. 11. Psal. 65. Matt. 10. Esai. 55. 1. Cor. 1. Ioan. 1.

mundum. Et Cyrillus Alexand. ait: Studiosissimum Scripturarum virum diligentissimúmque cognouerat Christus Dominus. Sic etiam & olim in Patriarchas & duces pastores elegit, vt constat Gen. 41. Exod. 3. in Reges & Imperatores, agasones, & rusticanos cooptauit, vt constat 1. Reg. 9. & 10. & 3. Reg. 19.

QVID autem sit, *eligere diuites in fide*, exposuit Aug. lib. 1. de Prædestinat. Sanctorum c. 17. vbi ait, idem esse eligere diuites in fide, quòd facere diuites & hæredes: quæ expositio maxime placet iis Theologis, qui ex hoc loco colligere volunt electionem ad gloriam fuisse ex meritis præuisis.

HANC tamen Augustini expositionem pro se etiam adducunt ij qui volunt electionem prædestinatorum antecessisse præuisionem meritorum, dicúntque hæc verba Iacobi ex mente Augustini ita esse intelligenda: Elegit pauperes diuites in fide, hoc est, elegit pauperes, scilicet antequā quicquā boni vel mali egissēt, vt eos faceret diuites ex sua electione, & pietate.

DICIT deinde eos elegisse, vt cohæredes faceret Regni. Loquitur autem Apostol. de Beatitudine, quæ nomine *hæreditatis* intelligitur, & filiatione adoptiua ad nos pertinet: & cohæreditas intelligi debet respectu Christi Domini, qui cùm sit Filius Dei naturalis, est hæres Dei, & nos cum ipso cohæredes, qui etiam filij sumus non naturâ, sed adoptionis gratiâ, Christúmque Dom. fratrem habemus, & confratres eius sumus: tales enim nos vocare dignatus est dicens; *Vade ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum*; & non est confusus multos habere fratres, & cohæredes. Ioan. 20. Hebr. 2.

VOCAMVR ergo cohæredes Christi pro nobis mortui, quatenus hoc ipse meruit, vt quam habebat naturalem gloriam, nos acquireremus, vt hæreditariam .i. morte eius comparatam, qui etiam per eandem mortem nos comparauit in hæreditatem, & possessionem. Vnde patet connexio verborum Apostoli: *Elegit pauperes diuites fieri*, in fide scilicet, & gratia, cui vt fructus semini respondet gloria, quæ est hæreditas.

ILLVD scio in hac hæreditate difficile; cur possit dici hæreditas à nobis possessa, cùm pater nullatenus decesserit? Quod soluit D. Thom. in c. 8. ad Rom. lect. 3. dicendo, non debere Patri conuenire illam conditionem, vt decedat, quoniam hoc conuenit iis tantùm bonis quæ à pluribus simul haberi non possunt. Vel secundò soluitur difficultas, dicendo quòd accesserit mors ipsius Dei, non quidem secundùm propriam naturam, quia ipse non moritur, sed secundùm communicationem idiomatū, vt quia Christus idem est homo, atque Deus, dicatur Deus mortuus, quia homo; & vbi testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris. Hebr. 9. Verùm, vt sic, qui Deo frueretur tanquam hæreditate, non rectè intelligeretur Deo frui, vt mortuus denominatur Deus, & hæc denominatio supponit prô Filio Dei. Vnde in *hæreditatis* nomine illud solùm spectandum est, quod perfectionem importat, nempe omnia bona Patri nostri Dei possidere seclusa imperfectione, vt mors scilicet Patris interueniat, sicut optimè notauit Caietan.

DICITVR tandē Regnū repromissū, ait D. Thomas, quia Deus promisit per

per Prophetas, & repromisit per Apostolos, insupérque dicit repromissum Regnum diligentibus se, quia dilectio sola diuidit inter filios Regni, & perditionis.

§. I.

Proponuntur rationes, cur Deus pauperes elegerit, vt eis bona gratiæ communicaret.

PRIMA.

Vt ostenderet omnipotentiam suam.

1. Cor. 1. POSTVLAT hic locus, vt aliiquas congruentias assignemus, siquidem rationes nequimus proponere, cur Deus pauperes, & stulta mundi ad fundandam Ecclesiam suam elegerit. Primáque sese offert petita ex eo quod notauit D. Thomas 1. p. quæst. 45. & 1. cont. Gent. c. 44. eo scilicet esse maiorem virtutem alicuius agentis, quo de minori potentia materiæ formam aliquam extraxerit: cúmque ad docendas Gentes, prædicandum Euangeliũ, & ostendendas diuitias bonitatis Dei nullum ineptius appareat medium quàm ipsi pauperes, & abiecti homines, ideo ad ostensionem infinitæ virtutis tales ad hoc munus assumpsit, & elegit Deus; quod notauit Theodoret. q. 11. in Exod. vbi quærit, cur cùm Dominus Moysis ministerio sit vsus, eum exilis vocis, & tardioris linguæ fecerit; & respondet, quoniam istud potentiam diuinam magis illustrabat: quemadmodum enim piscatores, publicanos, & cerdones veritatis Prædicatores, & Doctores pietatis creauit, sic per vocem infirmam, & linguam tardam confudit sapientes Ægypti. Est etiam in hanc sententiam locus apud Aug. tom. 10. Serm. 1. de Cruce, & Latron. vbi quærit, cur Christus Dom. secum detulerit in cælum Latronẽ cum eo ob propria scelera crucifixum, Apo. 21. quod videbatur dedecere immaculatam illam Ciuitatem in quam *nihil immundum & coinquinatum intrat*? Hoc fecit, inquit August. sacratissimam ingrediens patriam, non conculcans Paradisum istius pietatis opere, sed honorans, neque confundens Latronis introitu, sed illustrans, honor namque Paradisi est talem Dominum habere, qui etiam Latronem dignum facere posset Paradisi deliciarum. Similiáque habet tractat. 7. in Ion. & nos postea plura dicemus. Vt igitur Deus diuitias bonitatis suæ ostenderet, pauperes elegit; quod etiam notauit Philo lib. de Victimis, cùm ponderat, cur Deus susceperit defendendos pupillos, & viduas. Quibus habet similia lib. de creatione Principis; & Plato in Mænon. Videndúsque omnino Tertullianus libro ad vxorem.

SE

SECVNDA.

Vt pauperes se cognoscendo, diuinam bonitatem recognoscerent.

SECVNDA congruentia eligendi pauperes, ea esse videtur, quia cùm eos elegerit, vt diuites in fide, & principes suæ Eccles. constitueret, noluit vt aliquid sibi in tali electione attribuerent, sed totum in diuinam bonitatem refunderent, si, scilicet, meminissent vnde fuerint assumpti. Quod argumentum prosequitur Aug. 22. de Ciuit. Dei c. 5. & Serm. 59. de verb. Dom. vbi ait: Noluit eligere Senatores, sed piscatores: sciebat enim si eligeret Senatorem, fore vt diceret Senator: Dignitas mea electa est; si Philosophum, diceret: Eloquentia mea electa est. Dicit autem Christus: Veni tu pauper, sequere me: tu nihil habes, nihil nosti, sequere me. In quam sententiam notauit Theodoret. q. 16. in Exod. vocasse Deum Moysem de rubo, vt eum populi Israëlitici liberatorem constitueret, insimul & Legatum ad Pharaonem, in cuius conspectu admiranda prodigia erat patraturus, ad manus, virgæque protensionem; dixisseque illi: *Mitte manum tuam in sinum tuum, quam cùm misisset in sinum, protulit leprosam instar niuis.* Ait ergo Theodoret. Legislatoris manum infecit lepra, & quæ admiranda illa perpetrarat, cùm priùs fuisset leprosa, signis diuinis inseruiuit, & elementa mutauit. Quæ res Moysem etiam admonuit non superbire debere, sed agnoscere naturam cum recordatione dextræ priùs infectæ, vt scilicet totum postea diuinitùs sibi concessum agnosceret, neque alicui elationi tribueret locum. Exod. 4.

IN quam sententiam videtur dixisse Salomon: *Oculi sapientis in capite eius*: quæ verba sic intelligit Caietan. vt significent, quòd sapiẽtis oculi videant proprium caput reflexè, tanquam in speculo, eo quòd primùm noscat seipsum; quod magis adhuc innotescet, si aduertamus nomine (*capitis*) in sacra Scriptura rei principium, primáque primordia multoties intelligi. Patet ex eo loco Ps. *In capite libri scriptum est de me.* i. initio statim libri, vt explicat ibi Titelman. & alij. Sic & illud Amos: *Quapropter nunc migrabunt in capite transmigrantium.* Quod ibi exposuit Hierony. in hunc modum: Qui primi sunt diuitiis, primi captiuitatis iugum sustinebunt. Sic & fons Paradisi diuidebatur *in quatuor capita* .i. in quatuor fluuiorum initia. Sic & *columnarum capita* dicuntur summitates earum. Oculi igitur sapientis iuxta hunc sensum in capite eius sunt, quia initia propria contemplatur, & vnde inceperit & creuerit, intuetur, quò diuina beneficia superaddita meliùs recognoscat, & quod in se agnoscit bonum, Deo attribuat. Eccl. 2. Psal 39. Cap. 6. Gen. 2. Exo. 26. & 36. & 3. Reg. 7.

NE autem id faceret recèns creatus Episcopus ex Iudaismo, pertimescẽs Paulus prohibet eligi neophytum. *Ne elatus*, inquit, *in superbiam incidat, & in iudicium diaboli.* Quod iudicium, inquit D. Hierony. lib. 2. in Isai. nullum est aliud nisi superbia; & ita sensus verborum est: Non eligatur recens, seu paruulus in fide, ne idem illi contingat quod diabolo, qui oblitus se ex nihilo paulo antè fuisse productum nobilem, sapientem, & gratia ornatum, cùm id totum Deo deberet referre, eidem voluit coæquari, simi- 1. Tim. 3. Isai. 14.

lisque Altissimo ad Aquuilonem sedere: solent enim insipientes cùm subitò euehuntur, oculos non in capite habere, id est, in principio, sed potiùs in pedibus, vt cæteros despiciendo conculcent, & quò ascendere possint, conspiciant. Vnde Bern. ad Eugen. 2. de Considerat. sic ait: Quàm opportunè cum eo qui es, etiam quod antè eras, consideras, & adhuc quod eras, & non minùs hoc es, quàm quod factus es pòst, fortè & magis: denique illud natus es, mutatus hoc, non in hoc mutatus, non reiectum illud, sed istud adiectum, quod quidem factus, non natus es! Quid tibi horum videtur ad te principalius pertinere, quod factus, an quod natus? Nónne quod natus? Salubris copula, vt cogitans te summum Pontificem, attendas pariter vilissimum cinerem non fuisse, sed esse.

Mat. 17. Ioan. 15. Et hæc fortassis fuit ratio, cur semel, atque iterum Christus Dom. dum de suprema suæ Ecclesiæ dignitate cum Petro loquitur, parentis ipsius Petri meminit, quò magis commendaret Petro, vnde à Christo Dom. ad dignitatem tantam fuerit promotus, ne postea sui obliuisceretur, & in iudicium diaboli incideret. Vidénsque Dauid, quàm vtilis huiuscemodi recordatio esset ad cauendam superbiam, & humilitatem seruandam, dicebat: 1. Pa. 17 *Quis ego sum, Domine Deus, & quæ domus mea, vt præstares mihi talia? Sed & hoc parum visum est*, &c. Quæ verba ponderans D. Chrysost. hom. de iisdem, tom. 1. sic ait: Non erubuit quod erat, vt esset quod non erat, inde cunctæ potentiæ ascendunt, id est, totum posse, &c. quæ prosequitur in hanc sententiam.

Sic similiter recordatus Iacob prioris paupertatis, posteriores diuitias tali memoria seruandas rectè putauit, dum dixit: Gen. 32. *In baculo meo transiui Iordanem istum, & nunc cum duabus turmis egredior, erue me de manu fratris mei Esau, quia valde eum timeo.* Am. c. 1. Sic itidem & Amos initio suæ Prophetiæ vilem, & abiectum pastorem se fatetur dum ait: *Verba Amos qui fuit in pastoribus Thecue*; vt simili recordatione se gratum Deo profiteretur, & Prophetiæ donum per humilitatem custodiret. Ideóque Laodicensis Episcopus acriter à Deo reprehenditur, quia propriæ vilitatis oblitus, de diuitiis spiritualibus gloriabatur: Apoc. 3. *Dicis, quia diues sum, & locupletatus, & nullius egeo, & nescis quia tu es miser, & miserabilis.*

Ipse igitur Deus qui talem recognitionem propriæ vilitatis in suis exigit, ideo pauperes elegit diuites in fide fieri, vt scilicet diuitias à Deo acceptas cognoscerent, proindéque super paupertatem cognitam clariores redderentur, & ne postea spectaculum mundo facti, à se oculos auertentes, excordati superbirent, & superbientes præ inani gloria auolarent. Qua 1. Co. 4. de re Bernard. Serm. 31. ex paruulis, eleganter exponit illud Pauli: *Spectaculum facti sumus mundo & Angelis, & hominibus*; dicens: Si ita oculi omnium in nos, nostri quò abierunt? Aut quare soli ipsi recesserunt à nobis? A dextris siquidem, & à sinistris tanto studio circunspecti, soli dissimulamus inspicere vitam nostram, soli nosmetipsos negligimus intueri. Multi namque si seipsos intuerentur, & quales à Deo fuerint electi, meminissent, non tam sibi placerent, quàm Deo; nec sui obliti Deo omnino displicerent.

TERTIA.

Quia paupertas propinquior, & vicinior cælo est.

CVM nihil in terra melius, nihilque cœlo vicinius paupertate poterit reperiri, proinde Deus pauperes elegit ad diuitias gratiæ eis communicandas, cohæredésque Regni cœlorum ipsos faciendos: quam paupertatis excellentiam notauit Grego. epist. 5. Nihil, inquit, in hoc mundo appetens, nihil pertimescens videbar mihi in quodam vertice stare, ita vt in me penè impletum crederem, quod pollicente Domino ex Isaia didicissem: *Sustollam te super altitudines terræ.* Super enim altitudinem terræ sustollitur, qui & ipse quæ alta, & gloriosa præsentis videntur sæculi, per mentis despectum calcat. Illud autem mihi ostendit modus loquendi Gregorij, quòd sicut is qui aliquid pedibus calcat, ita illi superponitur, vt superior inde euadat: sic is qui diuitias, & optima quæque terræ calcat, eisdem pro calceamentis vtitur, quibus superior & eminentior redditur, sicut dixit Ambros. de Obitu Valentiniani; & per consequens vicinior cœlo apparet, eíque potest meritò competere illud; *Quàm pulchri gressus tui in calceamentis filia Principis!* Vnde Gregor. Nyssen. lib. de Beatitudinib. c. 1. Si ad suprema nos accedere oportet, ab iis quæ deorsum trahunt inopes simus, vt in supernis versemur. Et D. Hieronym. in epist. ad Exuperium: Proiice sarcinam sæculi, nec quæras diuitias, nudus & leuis ad cœlum euola, ne alas virtutum tuarum auri deprimant pondera. Et Bern. Serm. 4. de Aduentu, notauit, quàm celeriter pauper euolet ad cœlum, quámque proximus eidem sit, vel etiam dum in terra commoratur: ad illud namque Psal. *Pennæ columbæ deargentatæ*; sic habet. Magna quædam penna est paupertatis, qua tam citò volatur in Regnum cœlorum; nam in aliis virtutibus quæ sequuntur, promissio futuro tempore iudicatur, paupertati non tam promittitur, quàm datur.

Cap. 58.

Cant 7.

Psal. 67.

HINC est quod notauit Ambros. lib. 2. de Iacob & vit. beat. c. 9. Patriarcham Iacobum moribundum pedes suos ad lectum collegisse, & sic animam efflasse; quasi se præsentibus rebus subducendo. Probat insuper præsens institutum id quod Philo notauit lib. de Plantione Noë, dicens: Quis potest dicere; Ipse mihi solus est Deus, nisi qui nullam istarum inferiorum rerum amplectitur? proinde pauperes elegit sibi Deus, quibus se communicaret, & diuitias gratiæ elargiretur, ostendens insuper in hac electione magnum pretium paupertatis. Quod dixit Bern. Ser. 1. de Vigilia Natiuit. Paupertas, inquit, non inueniebatur in cœlis: porrò in terris abundabat hæc species, & nesciebat homo pretium eius: hanc itaque Dei filius concupiscens, descendit vt eam eligat sibi, & nobis quoque sua æstimatione faciat pretiosam.

QVARTA.

Quia Deus paupertati debitor est.

IIs igitur qui se omnibus præsentis sæculi rebus abdicarunt, debita quidem est Dei participatio, & electio. Quod notauit Ambros. Serm. 51.
Matt. 17. de Iuda proditore, cùm affert rationem, cur Christus Dominus voluerit pretio venditionis suæ emi agrum in pauperum sepulturam, quasi etiam ipsis pauperum corporibus Deus debitor censeretur. Illius, inquit, figuli qui hominem plasmauit, ager Christi sanguine emptus est peregrinis, qui erant sine domo, sine patria, & toto orbe exules iactabantur, vt requies Christi sanguine proderetur, vt quibus non est in mundo possessio, iis in Christo sit sepultura; istos autem peregrinos quos esse dicimus, nisi deuotissimos Christianos, qui renunciantes sæculo, & nihil possidentes in mundo, in Christi sanguine requiescunt? Christianus enim qui mundum non possidet, hic totum possidet Saluatorem, qui se à carnalibus vitiis tanquam peregrinum, & alienum custodierit, is Christi requiem mercatur. Hinc est quòd Tertull. lib. 4. contra Marcion. cap. 14. loquens de prædicatione Christi, aduertit à paupertate suam exorsum fuisse doctrinam.
Mat. 5. Qui à consolatione pauperum, inquit, & esurientium, & flentium exorsus est, statim se illum repræsentare gestiuit, quem demonstrauerat per
Isai. 61. Isaiam cap. 61. *Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me, ad euangelizandum pauperibus*; quibus sc. maximè debitor est Deus, cùm omnia propter ipsum reliquerint in mundo, quod negotiationem appellauit Nazianz. vt mox dicemus. Vnde etiam Nazian. in tract. de Beatitud. Felix qui Christum fortunis omnibus emit. Similiáque habet Orat. 28. & Orat. 18. vbi ait: Hæc negotiatio præstantissima, qua breuia & fragilia bona cum sempiterna gloria commutantur. Videndúsque hac de re est Prosper lib. 2. de vita Contempl. c. 16. Bern. Serm. 24. in Cant. Hieron. epist. ad Heliodorum. Gregor. 4. Moral. c. 30. August. Serm. vlt de Diuersis, cùm ait: Quid est gloriosius homini, quàm sua vendere, & Christum emere? Meritò proinde ij qui mundi bona contemnentes, præ omnibus diuitiis Deum sibi elegerunt, ab eodem eliguntur diuites fieri in fide.

QVINTA.

Quia paupertas sola ea quæ Dei sunt, curat.

PROPTEREA etiam videtur Deus pauperes elegisse ad fundandam Ecclesiam, ad annunciandum Euangelium, & vt eis communicaret diuitias fidei, quia, sicut hoc loco optimè aduertit Oecumen. cùm non distrahantur circa res mundi, vbi accesserint ad fidem magis strenui redduntur, ac operi magis insistentes. Liberum verò animum ad exequendum viri Euãgelici munus probat optimè Chrysost. esse necessarium lib. 2 aduers. vituper.

vituper. vit. Monast. in hunc modum: Vnde enim, vel ex qua causa ei nocere potest aliquis? pecunias ille non habet, vt damnum metuat, patriam non habet, vt exilium sibi aliquis intentet, gloriam non metuit, vt dedecus timeat; vnum reliquum est mors, sed eam qui intulerit, non modò non lædet, aut aliquo afficiet mœrore, verùm summa illi conferet emolumenta; & ita liber, & expeditus est animus, vt Deo in omnibus obsequatur, & vt nunquam à charitate Dei cum Paulo possit separari. Rom. 8.

HANC etiam aptitudinem ad Dei obsequium, in pauperibus significatam intelligo, in eo quòd Moyses agens de profectione populi Israelitici ex Ægypto, ad Pharaonem dixit: *Cuncti greges pergent nobiscum, non remanebit ex eis vngula*; ne scilicet aliquid de rebus sæculi apprehendere illa posset, aut inde detineri, ad quod vel minima vngula sufficit. Namque, sicut notauit Ephrem de linguæ malo, aliisque vitiis; contingit vt auis in laqueum incidens, minima capiatur vnguicula, alarum vires franguntur, ac debilitãtur ob vnguem vilem, & cùm totum corpus sit extra laqueum, totum tamen retinetur. Cui consonat id quod dixit Ber. Ser. in illud; *Beatus homo qui inuenit sapientiam.* Non æstimemus pretium, sed impedimentum consideremus. Anima igitur quæ nihil omnino reliquit in Ægypto, Dei Ecclesiæ aptissima est, Deóque potest dignum offerre sacrificium, libera ab ergastulis, quæ ipsam possent irretire, & in solitudine, Dei quietem impedire. Vnde Greg. 18. Mor. c. 25. Quid quietius, quàm nihil huius sæculi appetere, aut habere? Et Ber. super *Ecce nos reliquimus omnia*: Hæc fugiendarum, inquit, causa diuitiarum præcipua est, quòd aut vix, aut nunquam sine amore valeant possideri, limosa siquidem & glutinosa nimis non modò exterior, verùm etiam interior substantia nostra videtur, & facilè cor humanum omnibus quæ frequentat, adhæret. Quò ergo diuino operi essent insistentes Dei ministri, à rebus mundanis abstractiores elegit. Exod. 10.

OSTENDIT autem quàm ineptus sit rebus cœlestibus tractandis & assequendis locus optimus in lib. Num. vbi duæ Tribus, Ruben scilicet & Gad, ac dimidia Tribus Manasses Moysem precantur, vt eis facultatem tribuat in ea regione ante ingressum promissæ terræ remanendi. Quid ergo homines post tot labores perpessos, tot viæ annos transactos, ab ingressu fœlicissimæ terræ à Deo electæ, & promissæ potuit in limine ipsius retardare? audiamus. *Habemus*, inquiunt, *iumenta & pecora multa nos serui tui, ne nos facias transire Iordanem, ecce citra Iordanem terra regionis vberrima est ad pastum animalium*, &c. Vides eos nihil prorsus sibi, multùm pecoribus deferentes, nisi fortè nomine brutorum veniunt intelligendi; vsque adeò enim similium hominum animus consueuit brutrescere, vt soli pastui intentus cœlestia nec curet, nec appetat, instar illius diuitis, qui animam ad cibum, & potum inuitabat, *Anima mea, comede, & bibe*, quasi spiritus possit bonis sensibilibus, & corporeis vesci, & ali. Ideo D. Greg. 23. Moral. c. 10. de his hominibus ait; Qui iumenta multa possident, Iordanem transire refugiunt, quia quos multa mundi impedimenta occupant, habitationem cœlestis patriæ non requirunt, nec Sanctorum sortem expectant dicente Paulo, Num. 32. Luc. 12.

Animalis homo non percipit quæ Dei sunt. Hoc itaque solet contingere iis qui congregandis fortunæ bonis, iisque seruandis omnimodè sunt intenti, vt illis regio, & bona cœlestia in posterum possidenda minimè veniant in mentem: sed infima hæc bona diligentes, illis perpetuò curent adhærere. Vnde Philo lib. de Opificio Mundi, aduertit Deum post creata omnia, hominem tandem produxisse paratis omnibus quæ illi ad vitam necessaria erant. Mox, inquit, vt natus est homo, paratum inuenit quidquid ad vitam opus erat, vt futura disceret. Noluit enim Deus, quem ad sui contemplationem condiderat, in necessariis conquirendis diuagari, & à Dei obsequio diuelli.

Exod. 25. HOC ipsum adumbratum videtur Exod. 25. in Cherubinis quos Deus in Propitiatorio iussit apponi, vt expansis alis operirent Oraculum, qui respiciebant se mutuò versis vultibus in Propitiatorium; mirum vtique quòd non Seraphinos, nobiliores siquidem spiritus, iusserit Dominus apponi, sed Cherubinos, plenos vtique scientiæ, sicut decet Euangelicos viros: sed illud mirabilius, quòd Salomon fecit in domo Sancti Sanctorum duos alios Cherubinos, qui extensas habebant alas, faciésque eorum erant versæ ad exteriorem domum. Illi etenim Cherubini quos Deus elegit ad docendam fidem Euangelij, & Dei notitiam euulgandam, versos vultus habebant in Propitiatorium, solúmque Christum & ipsius honorem, & cultum respiciebant, pauperes siquidem erant, & vt tales à Deo electi, vt diuites essent in fide, nihilque terrestre inquirebant vel admittebant. At verò labentibus annis, decursúque temporis alij Cherubini in domo Sancti Sanctorum visi sunt, qui facies conuersas habent in exteriorem domum, id siquidem tantummodo intuentur quod eis vtile quæstuosúmve per fores Ecclesiæ ingredi potest, vel si exteriùs euocentur à Regibus & Principibus, & proprium tantummodo commodum curant.

2. Par. 3

QVI verò pauperes elegit, quia suæ Ecclesiæ aptos ministros inuenit, tanquam reprobos ab Ecclesia sua reiicit auaros, ac diuites, & contra eos zelo & flagellis armatur. Vnde D. Aug. lib. 1. Retract. 13. retractat, & corrigit quod aliquando dixerat, scilicet, Christum Dominum nihil fecisse vi, sed omnia suadendo, & monendo. Cùm enim hoc diceret, fatetur nondum sibi occurrisse eum locum Euangelij, quando Christus Dominus *fecit flagellum de funiculis, & eiecit è templo omnes ementes, & vendentes*, quæ vniuersalis loquutio videtur etiam ipsos Sacerdotes & Pontifices tangere, quorum auaritia ea sacrilega venditio fiebat in templo, sicut docet Cyrill. lib. 2. in Ioan. c. 27. Extátque in hanc sententiam epistola Pij I. summi Pótificis asserentis Sacerdotes vendentes fuisse eiectos. Et similia habet Iulius primus epist. contra Orientales Episcopos pro D. Athanasio. Vnde probabile valde est hanc negotiationem fuisse Sacerdotum, quam mihi maximè probat zelus, & ira Christi Domini: qui enim pauperes elegit ad Ecclesiam suam, Sacerdotes auaros ferre non posset. Vnde ab eorum reprehensione exorsus est suam prædicationem, & ferme moriens illud ipsum vitium reprehendit; alius est enim ingressus in templum, cuius meminit Ioannes,

Ioan. 2.

ab eo

ab eo quem refert Matthæus. In vtroque autem Christus Dominus armatus est contra auaritiam, & in primo ingressu impudentes eos ostendit, in secundo autem, latrones dixit. Qua de re videndus est Bernar. 1. de Considerat. vbi multa de hac re habet, & Serm. 7. de donis Spiritus sancti, & Ser. 10. super Cant.

SEXTA.

Paupertas capacior ad accipiendas diuitias gratiæ.

EA insuper videtur congruentia in hac pauperum electione, quia, scilicet, cùm eosdem vellet Deus diuites reddere opulentissimis fidei diuitiis, non inuenit capaciores animos ad easdem accipiendas, quàm pauperum, qui omnia mundi bona contempserunt, ad supernaturalia tantummodo anhelantes. Quod videtur dixisse Chrysost. hom. 2. ad Pop. In omnibus, inquit, philosophemur, & nihil nobis inopia lædere poterit, quin clariores reddet, & omnibus diuitibus copiosiores: quid enim, dic mihi, Elia pauperius? sed propterea omnes diuites vincebat, quoniam pauper hic erat, ipsam verò paupertatem ex mentis opulentia elegit, quoniam enim omnem pecuniarum copiam animi sui magnitudine esse putauit inferiorem, nec philosophia sua dignam, ideo tantam pauperiem amplexatus est, maximas tamen diuitias discipulo reliquit; sicut rectè ponderat Ambr. epistola 10. quæ pro hac re videnda est.

Hoc etiam notauit Anselm. explicans ea verba Pauli, *Nihil habentes, & omnia possidentes*; vbi sic ait: Estote tanquam nihil habentes, id est, mentis despectu cuncta quæ habetis pro nihilo ducentes, & tali cogitatione sitis omnia vestra possidentes, quia tunc mens vestra per hæc non tenebitur in imis. Videndúsque pro hac re erit Bernar. Serm. de Natiuit. beatæ Mariæ, cùm admodùm subtiliter exponit ea verba Sponsæ. *Sub vmbra illius quem desideraueram, sedi.* Non ait, inquit Bernar. sub vmbra eius quam desideraueram, sed, sub vmbra illius quem desideraueram, sedi neque enim ipsius expetierat vmbram, sed ipsum profectò meridiem, lumen plenum de lumine pleno. Quibus verbis illud docet Bernardus eam animam, quæ in se thalamum præparauerat diuino Sponso, nihil de vmbris inanium rerum habuisse, imò quo magis omnia terrena conculcabat, aptior & capacior diuino Sponso fruendi reddebatur. Quod etiam dixit Senec. epist. 8. *Nemo alius est Deo dignus, nisi qui opes contempsit: & ideo olim Flamini Diali non modo tangere hederam criminosum erat, verùm etiam nominare*; quia cùm per hederam, tenacitatem, & terrestrem adhæsionem veteres indicauerint, vt videre est apud Pier. Valer. lib. 51. nolebant virum Deo dicatũ, re, vel cogitatione inescatũ deprehẽdi, quò meliùs Deo sisteretur, & ipsius cũmunicationẽ participaret. Et hæc fuit ratio, cur Sancti Patres Christianam paupertatem diuitẽ appellent, vt videre est apud Naz. Orat. 20. vbi de sancto Basilio ait: Diuitiæ illi erant, nihil habere. Et apud Leonem Serm.

Cant. 2.

Serm. 4. de Quadrages. cùm ait: Christiana paupertas diues est, quia plus est quod habet, quàm non habet, nec pauet in isto mundo indigentia laborare, cui donatum in omnium rerum Domino omnia possidere: pauperes proinde elegit diuites fieri in fide, quia hi solùm fidei diuitias capiebant, quia amplum, & liberum animum habent omnia despicientem.

§. II.

Virtutes sunt veræ diuitiæ.

ILLVD deinde cum Dionys. hoc loco libet annotare, dixisse, scilicet, Iacobum, Deum elegisse pauperes, vt eosdem diuites in fide redderet, quò intelligeremus solas virtutes, quarum fundamentum est fides, esse
1. Tim. 6. veras diuitias, vnde Paulus dicebat Timotheo: *Præcipe diuitibus huius sæculi, non sublime sapere, sed bene agere, & diuites fieri in bonis operibus.* Quod argumentum prosequitur Bernard. Serm. 4. de Aduentu, dicens. Quid vobis cum terrenis diuitiis, & gloria temporali, quæ nec veræ, nec vestræ sunt? Veræ ergo diuitiæ, non opes, sed virtutes, quas secum conscientia portat, vt in perpetuum diues fiat. Et Greg. homil. 15. in Euang. Solæ diuitiæ sunt quæ nos diuites virtutibus faciunt. Similia habet Ambrosius lib. 3. epist. 10. ad Simplicianum. Verè, inquit, diues qui in conspectu Dei potest diues videri, in cuius conspectu terra exigua mundus ipse angustus est, sed solùm illum Deus diuitem nouit, qui sit diues æternitati, qui non opum, sed virtutum fructus recondat. Idem ferè habet Augustinus libro 2. de Lib. arbit. cap. 19. & Clem. Alexan. 6. Stromat. Veræ, inquit, diuitiæ, est abundantia in iis quæ sunt ex virtute actionibus, paupertas autem est inopia in moderatis actionibus. Et Chrysost. homil. 47. ad Pop. Vestes, & aurum, & argentum, hæc quidem sunt vermium pensa, virtutem autem indutus talem habet vestem, quam non tantùm tinea, verùm & mors ipsa lædere nequit; & meritò, non enim hæ animæ virtutes ex terra originem trahunt, sed sunt fructus spiritus, &c. Videndus etiam lib. 2. cont. vituper. Vit. Monast. & homil. 81. in Matth. & homil. 13. in Genes. & Euthym. in cap. 12. Lucæ. Meritò ergo Iacobus eos quos Deus elegerat, vt eis communicaret dona gratiæ, & virtutes, diuites futuros dicit, cùm virtutes sint veræ diuitiæ.

§. III.

De hæreditate Regni cælestis, & de eius promissione.

DICIMVR deinde cohæredes Regni promissi, & hæreditatis gloriæ, quam nullus totaliter, singuli pro meritis, atque prout inter filios alius alio eidem patri est charior, gratiórque, accipiet; superest tamen & redundat locupletissima, differunt namque maximè hæreditates hominum, ac Dei, sicut notauit Aug. Ser. 13. de verbis Apostoli Serm. 119. de

Tem

Tẽpore & in Ps.136.& 149. vbi ait:Relinquit homo filiis suis hæreditatẽ non possidet cum filiis,& tamẽ magnũ se facit,& gratias sibi agi desiderat, quia voluit dare quod non possit auferre, moriens enim tolleret secum, puto,quia si posset,nihil hic filiis suis dimisisset.Hæredes Dei sic sunt, vt ipse Deus sit hæreditas nostra, hæc hæreditas nõ minuitur copia possessorum,non fit angustior numerositate cohæredum,sed tanta est multis, quãta paucis,tanta singulis,quanta omnibus,non talis te fecit hæredem, cui mortuo succedas,sed cum quo in æternum viuas.Et Ambros.in Psal. 118. Omnes possident, nec minuitur hæredi quicquid ab hæredibus vendicatur,manet emolumentum integrum,& eo magis singulis crescit,quo pluribus fuerit acquisitum.Alia conditio est hæreditatis humanæ,si diuisa fuerit,emolumenta minuuntur,& hæredis est damnum,ascriptio hæredis,indiuisum Regnum Christi est,indiuisa hæreditas,quomodo fieri poterat, vt diuisa esset hæreditas, cùm hæreditatis fructus sit indiuisus? solida ad singulos Christi dona perueniunt,omnes habent, & nemo fraudatur.

Et ideo inter hæredes nulla omnino dissensio,æmulatio,aut inuidia reperietur.Namque,sicut notauit Ber.epist.103. quænam inuidiæ causa potest esse,vbi sortium magnitudini consortium multitudo nihil detrahit? Ideóque singuli beati de propria visione,& hæreditate, & de aliorum bonis itidem gaudebunt,vt dicit Aug.tract.67. in Ioan.& Gregor.4.Moral.c. 42. Charitas enim patriæ omnia bona fecit communia;qua in re dicũtur à Theologis omnes beati æquales:sed illud omnino notandum,hoc gaudium quod ex natura rei comitatur beatitudinem essentialem,veluti passio, datúrque iuxta mensuram beatitudinis,non esse in omnibus æquale intensiuè,proindéque beatiorem magis gaudere de sua beatitudine, quàm minùs beatum de sua gaudeat,quia gaudebit ex qualitate intẽsiori,insuper & beatiorem, & qui clariùs videt Deum, perfectiúsque hanc hæreditatem acquisiuit, intensiùs gaudere de beatitudine,& hæreditate alterius, quàm ille alter de sua beatitudine gaudeat, propter idem fundamentum, quia scilicet gaudet ex qualitate intensiori, quæ prærogatiua in solis cohæredibus Christi potest reperiri,vt scilicet vnus plus gaudeat,ac lætetur de bono, & de gloria alterius, quàm ille alter de propria gloria lætetur.

De qualitate autem huius hæreditatis audiendus est Bern. Serm. de triplici genere bonorum. Quæ est, inquit, copia vbi nihil quod nolis sit, totum sit quod velis? & Serm. de nimia fallacia præsentis sæculi: In remuneratione torrens est voluptatis,& fluminis impetus, flumen planè est, sed quod affluat, non quod fluat, vel effluat,flumen vocatur, non quod transeat,vel pertranseat,sed quod abundet. Et Serm. de verb. Apost. *Non est regnum Dei*, &c. notat id quod Dauid dixerat: *Memor fui Dei, & delectatus sum:* Psal. 76.
Quid faciet,inquit,in præsentia,qui in sola memoria delectatur? & Serm. in Festo S.Martini:Non sine causa, inquit, cœlum dicitur, quia planè eximium quid celatur in eo, celatur,inquam, sed non negatur, videre enim nobis datur in terra ipsam cœli exteriorem pulchritudinem,non adire,videmus patriã,sed à longè salutamus,adoramus illas delicias, nõ gustamus.

Videndus etiam Chrysost. homil. 14. in epist. ad Roman. vbi postquam multa dixit de cœlesti beatitudine, ait: Ne quis mihi gehennam hic obiiciat; nam omni gehenna grauius est ab hac gloria excidere, innumeris suppliciis peius est ab hac sorte alienari.

MAGNITVDO verò huius hæreditatis tanta est, vt vel vnius diei fruitio comparari cum passione omnium tormentorum possit. Quod etiam dixit Aug. Serm. 2. de omnibus Sanctis; & Ber. Ser. 1. de iisdem. Videndus item idem Aug. 3. de liber. arbitr. ad fin. Tanta iucunditas lucis æternæ, inquit, vt etiamsi non liceat amplius in ea manere, quàm vnius diei mora, propter hoc solum innumerabiles anni huius vitæ pleni deliciis, & circũfluentia temporalium bonorum rectè meritóque contemnerentur.

HANC ergo hæreditatem repromisit Deus diligentibus se: necesse siquidem fuit promitti, ac repromitti præmium, quò Deum diligeremus, cùm tamen eundem gratis amare debeamus. Namque, sicut rectè dixit Anselm. lib. de Mensur. Crucis, §. 6. Si aliquid gratis amare volumus, vbi meliùs quàm in te amorem nostrum locabimus? Et D. Leo Ser. 5. de Ieiunio septimi mensis: Rationalis animus, qui sine dilectione esse non potest, aut Dei amator est, aut mũdi, in dilectione Dei nulla nimia: in dilectione mundi cũcta, sed noxia. Et Clem. Alex. 4. Stromat. Si quis, ait, seipsũ diligit, diligit Dominũ, & cõfitetur Dominum, vt suam seruet animam. Et Bed. in 1. Ioan. c. 2. Quisquis Deum non amat, profectò ostendit quia quàm sit amabilis non nouit, quàm sit suauis Dominus, & dulcis, gustare, ac videre nõ didicit.

QVONIAM verò, & hæc ratio bonitatis diuinæ non sufficiebat ad hoc, vt homines Deum diligerent, voluit ipse eosdem priùs diligere, vt sic saltem redamaretur ab eis. Quod dixit Guarric. Serm. 2. de Annunciat. Quid sic, inquit, hominem excitare potest ad amorem Dei, quàm præueniens hominem amor Dei? Meliùs August. lib. de catechizandis rudib. c. 4. Si amare pigebat, saltem redamare non pigeat. Nulla est enim maior ad amorem inuitatio, quàm præuenire amando, & nimis durus est animus, qui dilectionem, si nolebat impendere, nolit & rependere. Vnde Chrysol. Ser. 70. sic clamat. O homo redi ad Deum, sic amatus à Deo, & ad illius gloriam da totum te, qui se totum propter te ad suam deduxit iniuriam, &c. Videndus item Bern. de diligendo Deo, vbi sic habet: Multùm meruit à nobis, qui & immeritis dedit seipsum nobis; quid enim melius se ipso poterat dare, vel ipse? Ergo si Dei meritum quæritur, illud est præcipuum, quia ipse prior dilexit nos, dignus planè qui redametur, præsertim si aduertatur quis, quos, quantúmque amauerit, &c. quæ prosequitur. Similia habet Serm. 9. in Psal. *Qui habitat*, vbi ait: Non aliter pro amicis Christus mortuus est, nisi pro acquirẽdis, aut potiùs pro iam amicis, etsi nõdũ quidem amãtibus, sed tamẽ iã amatis. Ideóque Paulus dixit; *charitas Christi vrget nos*; videtur enim ipsa Dei dilectio præueniẽs nos admodũ vrgere, vt eãdẽ illi soluamus redamãdo. *2. Cor. 5.*

QVIA verò vidit nec præueniendo hominem dilectione, posse ab eodem amorem extorquere, addidit beneficia, & promissiones Regni, & hæreditatis diligentibus. Hæc est enim lex Adam, Domine Deus, vt beneficiis

elicia

eliciatur amor, nutriatur, & augeatur. Quod etiam in paterno amore qui naturalis admodùm est, notauit Theodoret. quæst. 77. in Genes. in eo quòd Isaac rusticanum & impium Esau diligebat ob munera ab eodem patri illata. Auxit, inquit, amoris occasionem, quòd officiosus erat patri; venatio enim illius ei erat cibus. Hac igitur de causa addidit Deus promissiones iis qui ipsum diligerent, quò faciliùs ab eis dilectionem eliceret. Vbi illud necessariò venit notandum, quod dixit Anselm. loco superiùs cit. vbi Deum sic alloquitur: Si aliquid amare volumus pro muneribus, quãto plura dabis, & quãdo plus promittis, tãto magis gratis amari mereris. Genes. 25.

Ex hoc verò loco colligunt Theologi, promissionem Dei interuenire in operibus iustorum, necessariam vtique aliquo modo ad exactam rationem meriti. Cùm enim Deus sit supremus Dominus, à nemine potest obligari, nisi ipse velit, & promittat: quo sensu dixit D. August. 1. Confess. c. 4. Reddis debita nulli debens, vtique sine promissione, & voluntate tua. Similiáque habet Ser. 16. de verb. Apost. & est sententia Concil. Senonens. c. 16. in Decret. fidei; vbi dicit iustitiam nostrorum meritorum non fundari in absoluta condignitate, sed magis in gratuita, & liberali repromissione. Quod etiam significat Concilium Moguntinum c. 8. & Trid. sess. 6. cap. 16. quatenus dicit iustos debere sperare vitam æternam, tanquam hæreditatem filiorum, & tanquam mercedem ex Dei promissione bonis operibus, & meritis reddendam: ideóque Paulus dixit; *Ei qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum.* Videndus. August. tract. 3. in Io. & in Ps. 83. Cyprian. de Opere, & Eleemosyna, in fin. Chrysost. ho. 3. in Mat. Fulg. lib. 1. ad Moni. in Præfat. Ber. de gratia, & libero arb. Rom. 4.

Vers. 6. *Vos autem exhonorastis pauperem. Nónne diuites per potentiam opprimunt vos, & ipsi trahunt vos ad iudicia?*

Vers. 7. *Nónne blasphemant bonum nomen, quod inuocatum est super vos?*

EXPOSITIO LITERALIS.



COLLIGIT Apost. grauitatem peccati quod committunt ij qui pauperes contemnunt postquam ostendit quanti eos Deus fecerit, deinde duplici interrogatione vrget, reprehendit, & conuincit deprauatos diuitum mores, vt inde concludat nullam omnino subesse causam, ob quam pauperibus præferri debeant, simúlque ostendit quos diuites reprehendat, crudeles scilicet, & tyrannos, qui nec Deum timent, nec homines reuerentur, qui diuitias suas Christo præponunt, pauperésque rebus spoliant, & sine culpa accusant tanquam maleficos, & salutiferum nomen Iesu blasphemant, eósque qui illud inuocant, persequuntur, quod Apostolorum temporibus plures Gẽtilium, & maximè Iudæorum Proceres fecisse constat ex Act. c. 4. 5. & 7. ex epist. ad Hebr. c. 10. & ex 2. epist. ad Thessal. c. 2.

Id ergo quod nos habemus; *Exhonorastis pauperem*, Complut, & Oecum. legunt, *Contemptui habuistis pauperem*. Quod Beda existimat intelligendum de illo cui dictum est, *Tu sta illic*, cùm tamen habenti annulum aureum dictum sit: *Tu sede hic bene*. Quæ fuit expositio Aug. epist. 29. & habet Interlinear. Id autem quod dicitur, *per potentiam opprimunt vos*, bene exposuit Vatabl. dum transtulit; *Tyrannidem exercent in vos*; & Interlinear. Auferendo bona, & verberando, & ipsi trahunt vos ad iudicia. i. sine culpa faciunt vos condemnare in iudiciis. *Blasphemant* autem *bonum nomen*, scilicet Christi Iesu salutiferum, *quod inuocatū est super vos*, ad protectionem vestram.

Est autem in his verbis Hebraismus, qui significat appellari & nuncupari nomine alicuius. Vnde Iacob de filiis suis dixit: *Vocetur nomen meum super vos*, id est, vocemini & nominemini filij mei. Et apud Isai. mulieres dixerunt: *Inuocetur nomen tuum super nos*, id est, dicamur vxores tuæ. Et apud Nehemiam, *Inuocatum est nomen tuum super me*, id est, tuus Propheta, & seruus appellor.

Gen. 28. Cap. 4. & 7. Cap. 15.

Potest igitur referri hic loquendi modus ad appellationem nominis secundum quam fideles dicebantur Christiani à Christo Domino, sicut Platonici à Platone, ait Lyran. Tertull. verò in Apologet. c. 3. & Lactant. lib. 4. c. 7. docent hoc nomen dici ab vnctione, quibus suffragatur Aug. 20. de Ciu. Dei c. 10. dicens: Omnes Christiani dicimur propter mysticum chrismaquo vngimur. Adhuc tamen hoc nomen respicit Christum vnctum oleo diuinitatis. Vbi non est omittendus Amb. Ser. 12. in Psal. 118. dum ait: Christianum dum dico, perfectum dico, in Christo enim plenitudo dignitatis est, cuius nomen vsurpas, qui vocabulum geris, interpretationem vocabuli perfectionémque cur refugis?

Potuit etiam nomen Christi super fideles inuocari, quia ab ipsis tanquam omnipotentis Dei omnipotens Filius, ac consubstantialis suppliciter inuocatur, iuxta illud Isai. *Ipsum gentes deprecabuntur, in ipsum gentes sperabunt*. Et Pauli: *Sanctificatis in Christo Iesu, vocatis Sanctis cum omnibus qui inuocant nomen Domini nostri Iesu Christi*. Qui est etiam modus loquendi Dauid; *Samuel inter eos qui inuocant nomen eius*. Et lib. Genes. *Iste cœpit inuocare nomen Domini*.

Cap. 11. 1. Cor. 11 Psal. 98. Cap. 4.

Nomen igitur Christi inuocatum erat super fideles ad ipsorum protectionem, sicut modò etiam est. Vnde quotidie cum Hierem. solemus dicere: *Tu autem in nobis es Domine, & nomen sanctum tuum inuocatum est super nos*. Mulctabant igitur Iudæi, & diuites Gentiles eos qui Christo seruiebant, iudiciali sententia, vel etiam nullo expectato iudicio, Christianorum bona diripiebant, vt præter alios meminit ex epistola quadam Melitonis Episcopi Sardensis in Asia, Euseb. lib. 4. Hist. cap. 25. & nomen Christianum, teste Iustino Apolog. 1. & 2. sufficiebat, vt reos constitueret. Quod etiam prosequitur Tertullian. in Apologet. cap. 2. vbi inter alia sic habet: Solùm id expectatur, quod odio necessarium est, confessio nominis, non examinatio criminis, sufficiebat enim, vt quis se confiteretur Christianum, ad hoc vt acerbissimo supplicio afficeretur.

Hier. 14.

§. I.

§. I.

Qualiter diuites & potentes sæculi erga pauperes se habeant.

MIRVM equidem iudico, & notatu dignum censeo, quàm malè audiant in sacra Scriptura diuites & potentes. Diuitiæ namque, sicut notauit Greg. nec bonæ ex se, nec malæ sunt. Non est, inquit ille 17. Mor. c. 17. census in crimine, sed affectus. Quod exposuit apta similitudine Clem. Alex. 3. Pædag. c. 6. cùm ait: Diuitiæ sunt serpenti similes, quem si quis nescit inoffensè eminùs accipere, bestiam sine periculo summa cauda apprehendens, ea manu circumplicabitur, ac mordebit. Pulchrè callent serpentum instar repentes diuitiæ, dum peritè, vel imperitè apprehenduntur, inhærere, & mordere: sed siquis se præbens magnificum, rectè, & scienter eis vtatur, cùm verbi carmine bestiam detraxerit, ipse manserit illæsus.

CVM ergo hoc ita sit ferè semper, in Scriptura diuites iniqui, & per tyrannidem pauperes opprimentes nobis proponuntur. Ideo Amos dixit: *Væ qui opulenti estis in Sion*; vbi Septuaginta habent: *Væ spernentibus in Sion*, Cap. 6. statim namque vt aliquis est diues, cæteros aspernatur, & pauperes inhonorat. Et Paraphras. Chald. eo in loco ita habet: *Væ qui estis de gentibus*; diuites enim sic viuunt, quasi de gentibus quæ ignorant Deum, essent. Et apud Cap. 12. Iob. ea verba, *Abundant tabernacula prædonum*; intelligit D. Thomas de diuitibus, qui in res alienas irruunt. Iterúmque apud eundem: *Nec cognouit tyrannum*; Cap. 34. Rabbini dicunt significari diuitem. Quod etiam dixit Micheas, cùm de primoribus & diuitibus Reipub. sic ait: *Qui optimus in eis est, quasi* Cap. 7. *paliurus est*: quod sic eleganter exponit Hieron. Paliurus pungens & retinens, pungens appropinquantem sibi, & adunco dente conprehendens. Quod ideo mihi videtur dixisse Hieronym. quia diuites præterquàm quòd verbis iniuriosis pungunt, insuper adunco dente aliena diripiunt, & apprehendunt.

PRO quo instituto est optimus locus apud Iob. cùm Baldad de tyrannide superuenturæ mortis sic ait: *Calcet super eum quasi Rex interitus*; vbi Sep- Iob. 18. tuag. habent: *Teneat eum necessitas causa Regali*. Aquila verò sic interpretatur: *Incidat ei ἀνυπαρξία*, id est, *fortunarum spoliatio à Rege illi contingat*. Quasi nihil aliud habuerit ad significandam tyrannidem, & crudelitatem aduenientis mortis, quæ nulli omnino parcit, subitóque rebus omnibus spoliat, quàm si eam conferret cum tyrannide præpotentis viri aut Regis. Vnde Nicetas dixit: Rectè significatur in homine Rege, nam illo nihil crudelius. Qua de re videndus Greg. 15. Moral. c. 12.

IDIPSVM etiam ostendit Amos, quando per vncinum pomorum ei Amos 8. fuit ostensa Nabuchodonosoris tyrannis, sicut ibi exponit D. Hiron. Idem Propheta nobis exposuit modum, quo se habeant diuites erga pauperes, Amos 2. cùm dixit: *Super tribus sceleribus Israël, & super quatuor non conuertam eum, pro eo quòd vendiderit pro argento iustum, & pauperem pro calceamentis.* Hoc ipsum ostendit Caiet. cùm expendit diuitias appellari *mammonam iniquitatis*,

Luc. 16. eo quòd raræ sint quæ secum iniquitatem non afferant.

QVIA verò locus Amos obscurus est, pro eius expositione illud prænotandum, quòd cùm Deus omnia hominum peccata, nisi pœnitentiam egerint, seuerè puniat: est tamen quoddam peccati genus quod hanc punitionem trahit, vocat, & accelerat, illud scilicet, quod contra pauperes & imbecillos inferiores à potentioribus committitur, quale est hoc, de quo in præsenti agit Amos; deinde proponendæ sunt expositiones aliquot, quia plures circũferuntur, & quid nobis probabilius videatur ad præsens institutum eliciendum. Etenim difficultas consistit in iis verbis; *Pro eo quòd vendiderit iustum, & pauperem pro calceamentis.* Quidam enim authores nimiùm acres in disputando contra Iudæos, dicunt, iustum, de quo hîc est sermo, esse Christum Dominum, quem Iudæi pro vili pretio vendiderunt: primúsque author huius sententiæ fuit Rabbi Samuel in epist. ad Rabbi Isaac c. 6. in Bibliothec. Patrum, tom. 5. cui mordicùs adhæret Petrus Galatin. 4. de Arcanis Catholicæ verit. c. 24. & Adrian. Finus lib. 6. cui titulus est, *Flagellum Iudæorum*, c. 42. Ex eo tamen displicet hæc sententia, quia Hierony. qui allegoriis gaudet, nihil simile dicit, nec Theodoret. nec Ruffin. insuper quia hæc Prophetia non pertinet ad duas Tribus, quæ Christum crucifixerunt, sed ad decem, quæ multo ante eius aduentum captiuæ ductæ sunt: licèt enim ex aliis Tribubus plerique accesserint, adhuc tamen duarum Tribuum gens cæteros excedebat, & quia numerati sunt semper, Iudas dicti in Prophetis, quatenus secernitur ab Israël.

LYRANVS deinde sequutus Rabbi Salomonem, exstimat venditum iustum pro calceamentis, quasi coactus fuerit pauper ad diruendam clausuram, id est, sepem vel maceriem, quæ erat inter vtriusque possessiones, vt vna fieret possessio, integráque maneret diuiti. Quæ expositio iam ostendebat qualiter diuites opprimant pauperes, quod ait Iacobus in præsenti, & quanti Deus faciat talem oppressionem: illi tamen obstat nostra translatio, quæ etiam est Septuag. Hierony. & omnium recentiorum. Enimuerò vox originalis passim in Scriptura *calceamentum* significat, & numerus dualis *calceorum*, qui in Hebræo habetur, eandẽ refutat expositionem, nec potest ex sacra Scriptura probari, vocẽ hanc aliquãdo *maceriẽ* significare aut *sepem.*

THEODORET. ergo videtur sentire, pauperes à potentioribus spoliatos vsque ad calceos. Eius siquidem sunt hæc verba: Nec calceos quidem pauperum lucrifacere recusarunt, qui extremum hominibus vsum præbẽt. Quo argumento probat Amos peiores esse Israëlitas Tyriis & Gasiis. Nã si illi Israëlitam iustè, siue iniustè vẽdebant Idumæis, Israëlitæ proprios fratres diripiebant, & nudabant, quod extremumnequitiæ est: & ideo persistit Propheta in ostendenda crudelitate diuitum in pauperes, *qui conterunt super puluerem terræ capita pauperum, & viam humilium declinant*: quæ verba ostendunt potentiores magna ignominia affecisse pauperes, qui ab eis indignis modis pessundabãtur, nã pauperũ capita conspiciebãtur puluere conspersa, eo quòd iactati à superioribus diuitibus, eorúmue famulis, sæpe terrã ferire cogebantur, & raptos pulueres capillis auferre, & sordes cõtra here.

here. Puluerem autem oppressionis, & sordiditatis signum esse constat apud prophanos authores, vt videre est apud Homer. Iliad. 3. & Psaltem. *Quoniam humiliata est in puluere anima nostra, conglutinatus est in terra venter noster.* Psal. 43.
Ideóque additur, *viam humilium declinant*, id est, commune ius libertatémque vendunt, ita vt in omni re inferior sit semper causa pauperum. Vnde Chaldæus habet, *& iuri obscuriorum aduersantur.* qua etiam significatione sumitur *via* apud Iob. *Subuerterunt pauperum viam.* Qui totus locus Prophetæ Cap. 24.
ostendit quomodo diuites opprimant & inhonorent pauperes.

Hoc insuper etiam ostendit locus ille Genes. vbi proponens sacer Textus causam diluuij sic ait: *Videntes filij Dei filias hominum*; vbi Paraphras. Chald. Genes. 6.
habet, *filij potentum*: quod etiam habet Symmachus, teste Hieronym. in Tradition. Hebr. Et tunc sensus erit: Per potentiam & tyrannidem procerum filij acceperunt mulieres, quas volebant, quibus pro libito abutebantur. In quam sententiam notauit Ambr. lib. de Nabuthe c. 4. id quod de Achab refert Scriptura, mœstum scilicet, quia non potuit auferre vi- 3. Reg 21.
neam Naboth, non manducasse panem suum. Quoniam, inquit Ambros. quærebat alienum, non manducauit panem suum, etenim diuites magis alienum panem, quàm suum manducant, qui raptu viuunt, & rapinis sumptum exercent suum. Hæc Ambros.

Nec mirum quòd diuites alienum pauperum panem quærant, & comedant, cùm pauperibus veluti pane vescantur, ipsorúmque famam, noménque corrodant. Quod dixit Dauid, cùm ait: *Qui deuorant plebem meam,* Psal. 52.
vt cibum panis. vbi D. Hilar. Comedunt operarij iniquitatis populum Dei, vt cibum panis, qui Sanctorum iniuriis viuunt, quos vexatio Prophetarum, & vastatio Ecclesiæ, & omnis iniquitatis delectat operatio, comedunt quoque qui eum obtrectationis morsu dilacerant, & cætera quæ prosequitur in hanc sententiam.

Hoc etiam ostendit locus libr. Iud. 17. vbi de quinque viris ex Tribu Iudic. 17.
Dan ita dicitur; *Euntes igitur venerunt Lais: videruntque populum habitantem in ea absque timore, securum, & quietum, nullo ei penitus resistente, magnarúmque opum*, &c. Vbi vides populum securum, & quietum, quia nullus ibi erat qui resisteret, vímque inferret præ magnitudine opũ, soli enim qui iis abũdant, aliis resistunt, & pauperibus se opponunt. Vnde Nazianz. de suis Sermonibus ad Iulianum, sic ait: Ne diuitias nostras cum aliorum lacrymis misceamus, à quibus tanquam rubigine, & tinea consumantur, aut, vt Scripturæ verbo vtar, euomantur. Vbi Nicetas dicit esse allusionem ad cap. 20. Iob. vbi dicitur. *Diuitiæ quæ iniustè colliguntur, tandem euomentur.* Sicut Iob. 20.
enim ille, ait Nicetas, qui noxiũ aliquẽ cibũ pariter cũ vtili miscuit, vtrumque solet euomere, sic qui diuitias cum lacrymis pauperum coniunctas comparat.

Et D. Saluianus Massiliens. Episcopus sumpta occasione ex præsenti Iacobi loco suæ tempestatis mala in nobilibus sic deplorat lib. 3. & 4. de Iudicio & Prouident. Dei: Grande hoc, inquit, testimonium Apostoli est, nisi fortè immunes se ab eo nobiles putent, quia sunt soli diuites

nomina

nominati:sed autem iidem sunt nobiles, qui & diuites,aut si sunt diuites præter nobiles,sunt tamen & ipsi quasi nobiles. Quis autem est vel nobilium,vel diuitum horrens crimina?quis est aut innocentiam seruans, aut à cunctis sceleribus manus abstinens?aut vllus immunis est vel ab homicidio,vel à stupro?quis aut humano sanguine non cruentus,aut cœnosa impuritate non sordidus?Quotusquisque iuxta diuitem pauper, aut intactus, aut tutus est? vt pauci illustrentur,mundus euertitur, vnius honor Orbis excidium est, &c.

VNDE iam possumus ad præsens argumentum explicare locum illum apud Oseam,cuius suprà meminimus: *Diues effectus sum,inueni idolū mihi*,seu, *inueni vim mihi*, statim enim atque aliquis diues effectus est, illicò inuenit vim,& tyrannidem quam pauperibus possit inferre:cui consonat & ille locus Psalm. *Ecce loquentur in ore suo, & gladius in labiis eorum, quoniam quis audiuit?* vbi Chaldaicè ita habetur: *Labiis suis dicunt* (scilicet diuites) *præualebimus;quoniam quis ille qui audiat,& puniat?*Ideóque Plato lib. 5. de Repub. & Dialog.de Iust.impossibile iudicat valde diuitem,valde probum esse,& virtutem ita à diuitiis discrepare, quasi vtraque in lance stateræ sint posita, sempérque in contrariam partem declinent. Vnde eos sic alloquitur Ambros.suprà c. 3. Iniuriam vestram putatis, siquid pauper habeat, quod dignum possessione diuitis æstimetur, damnum vestrum creditis quicquid alienum est,vniuersis creatus est mundus,quem pauci diuites vobis defendere conamini.Qua de re videndus est Chrysost.homil.13. in 1. ad Corin. & hom.14.in epist.ad Rom.vbi contra eos qui mendicos inhonorant, sic ait:Si quando accesserit qui obolum petat,confestim conuiciamur, obiurgamus,impostorémque vocamus.Non horres,ô homo, quòd pro pane qui petitur,impostorem vocas?Nam etsi imposturam is tibi faceret, nihilominus tamen vel ob idipsum illius misereri debebas,eo quòd fame premente impostoris coactus sit subire personam: si petierit argentum, aut aurum, rationem habebunt quæ suspicaris,si verò pro necessario te accesserit,quid quæso intempestiuè philosopharis?Et hom.36.in Matth. ait: Dare misericorditer non vis,quid igitur criminaris,quid tribulas calamitosam, atque miseram animam?refugit ille ad manus tuas,ceu in tranquillum portum, cur tu omnium fluctuum vim in illum cōcitas,& maioris hyemis sibi reddis procellas?

Cap. 12.

Psal. 58.

ILLVDQVE hoc loco deplorandum, diuites scilicet, qui occasionem habent subueniendi pauperibus,eosdem persequi,opprimere, & inhonorare.Quod videtur notasse D.Ferrandus Carthagin. Eccles. Diac. ad quem scripsit D.Fulgentius,cuius meminit Tritthemius,& Isidor. in Parænes. ad Reginum,in 4.Reg.cùm dicit: Eleemosynarum sacrificium quis ita posset offerre,sicut dux optimus,cui magnitudo potestatis abundantes præbet occasiones misericordiæ tribuendæ? Potentiorum est facilitas eleemosynarum,&c.Bernard.epist.103.Hoc vestram ornat,coronat,nobilitat dignitatem, si quem ministerium prohibet esse pauperem, administratio probet pauperum amatorem.

§. II.

§. II.

Quomodo se habeant Sancti in diuitiis, & potestatibus erga pauperes.

NON est autem hæc Iacobi doctrina sine exceptione intelligenda, quasi omnes vbique diuites pauperes opprimant, & inhonorent: sunt enim qui eorum curam gerunt, & ne in aliquo defraudent, maximè curãt; quod de se dixit Iob. *Si leuaui super pupillum manum meam, etiam cùm viderem me in porta superiorem.* Super quæ verba Greg. 21. Moral. c. 15. sic scribit. Sancti viri quia cum personis minoribus, & contentionum negotia subeunt, dum grauare vel in minimis timent, ipsi contra iustitiam grauari nequaquam refugiunt. Et eodem lib. c. 10. in confusionem potentum ac superborum ait: Sancti viri cùm præsunt, non in se potestatem ordinis, sed æqualitatem conditionis attendunt, nec præesse gaudẽt hominibus, sed prodesse sciunt, quòd antiqui patres nostri non tam Reges hominum, quàm pastores pecudum fuisse memorantur. Et cùm Noë Dominus filiisque eius diceret: *Crescite, & multiplicamini*; subdit, *& terror vester, ac tremor sit super cuncta animalia terræ*: non enim ait, super homines, qui futuri sunt, sed, *sit super cuncta animalia terræ*: homo quippe animalibus, non autem cæteris hominibus natura prælatus est, & idcirco dicitur, vt ab animalibus, & non ab homine timeatur, quia contra naturam superbire est, ab æquali velle timeri. Vide, vt timebat Dauid pauperum, & inferiorum panem comedere, qui nec oblatam aquam à militibus voluit haurire. Et quomodo non largiretur necessaria, qui in necessitate positus, sitique enectus, aquam in qua milites afferenda laborauerant, degustare noluit? Pro qua re videndus Ambrosius in Apolog. Dauid c. 4. vbi hoc factum Dauidis expendens, sic ait: Prospexit ne cui Regum bibendi vsus alienis periculis quæreretur, & piè vulnus conscientiæ ostendit, quòd aqua tot virorum quæsita sanguine, suauitatem bibendi habere non posset, quæ propositæ mortis horrore constaret. Ad instar proinde horum se debent habere Christiani fideles, quibus Deus bona suppeditauit: ideóque fortè pauper Lazarus in sinu diuitis Abrahæ ostensus est, vt nobis inculcatum crederemus sinum, ac domum diuitum, proprium debere esse locum, & habitaculum pauperum; ideo itidem, & Iacobus in præsenti ostendit qualiter iniqui diuites se habeant erga pauperes, vt iusti diuites intelligant longè aliter ipsorum necessitatem, vitam, & honorem curandum esse.

Cap 30.

Genes. 9.

2. Reg. 23

§. III.

Christiani vita debet nomini correspondere.

ILLVD etiam monet hic locus, quòd si impij, hæretici, & pagani absque occasione nomen bonum Iesu Christi, *quod inuocatum est super nos*, & à quo dicimur Christiani, blasphemant, cauere debemus, summáque diligentia

curare, ne ansam præbeamus corruptis moribus, & impia viuendi ratione, blasphemandi nomen Domini, & illudendi nomẽ Christiani, quod à Christo deducitur, in eo qui nihil omnino de doctrina & imitatione Christi habet. Vnde August. lib. de vit. Christian. tom. 1. Tu Christianum illum putas, cuius nunquam pane vllo saturatur esuriens, cuius potu nullius sitis extingitur? &c. Absit vt huiusmodi Christianus dicatur; Christianus est qui
1. Ioan. 2. Christum in omnibus imitatur, sicut scriptum est: *Qui dicit se in Christo manere, debet, sicut ille ambulauit, & ipse ambulare.* Et Chrysost. Orat. 5. cont. Iudæos: Christianus es, ideo hoc nomen accepisti, vt Christum imiteris, eiúsque legibus operum exhibitione pareas. Similiáque habet hom. 4. in Matt. Oportebat, inquit, vniuscuiusque fidem non locis, sed moribus indicari. Nam sæcularium decora dignitatum ab extrinsecùs positis cernũtur insignibus, fidelis non modò à communione mysterij, verùm etiam de nouitate vitæ debet agnosci: fidelem enim Solem esse conuenit, & luminare mũdi. Pluráque habet hom. 13. in 1. ad Corin. & Aug. enarration. 2. in Psal. 25.
Ps. 25. ad ea verba: *In Ecclesiis benedicam te Dominum*; vbi ait: Hoc est benedicere Deum in Ecclesiis, fratres, sic viuere, vt per mores cuiusque benedicatur Deus. Sed proh dolor! nunc ob Christianorum scelera nomen Domini tota die blasphematur; ideóque meritò Bern. Serm. de Conuers. Pauli ait: Nunc
Psal. 37. persequuntur Christum qui ab eo vtique Christiani dicuntur. *Amici tui, & proximi tui aduersùm te appropinquauerunt, & steterunt.* Coniurasse videtur contra te vniuersitas populi Christiani, à minimo vsque ad maximum, *à planta pedis vsque ad verticem non est sanitas vlla.* Similia habet Serm. ad Pastor. in Sy-
Isai. 38. nod. Meritò, inquit, clamat Ecclesia Sancta hodie: *Ecce in pace amaritudo mea amarissima.* Multis modis persequutus est Ecclesiam diabolus, sed nunquam grauiùs, quàm hodie, quia nunquam fuit maior perditio Christianorum. Ecclesiam incipientem persequutus est per Tyrannos, proficientem per Hæreticos, iam lætam, & florẽtem prosequitur per motus illicitos. Fuit ergo amaritudo Ecclesiæ amara quidem in persequutione Tyrãnorum, amarior in versutia Hæreticorum, sed amarissima hodie per prauitatem desideriorum.

Hi igitur qui Ecclesiam ad extremum amaritudinis deducunt, indigni profectò sunt qui Christiano nomine censeantur, quandoquidem à diuo dictum est Hieronymo, non esse Christianum, sed potiùs Ciceronianum quod frequenter lectioni Ciceronis incumberet; vt testatur id ẽ Hieronym. epist. ad Eustoch. de Custod. Virginit. Et qui super se Christi nomen inuocant ad protectionem, deberent inuocare & ad imitationem. Vnde & Christus Dom. illis qui de Abraham Patrẽ gloriabantur, dixit: *Si filij Abrahæ*
Ioan. 8. *estis, opera Abrahæ facite.* Et Ber. 2. de Considerat. Si filius es Prophetarum, vendica tibi nobile genus simillimis moribus.

Timeo proinde ne qui inaniter nomen Christi super se inuocãt, Christi præcepta non exequentes, neque Christum imitantes, potiùs inuocent ad acerrimum supplicium, sicut notauit Cyrill. Hierosolymit. apud August. tom. 2. epist. 206. vbi ait tantùm differre inter Christianorum pœnas,
&

& Paganorum in inferno, vt Paganorum cruciamenta respectu eorum, quæ falsi Christiani, & peccatores sustinent, sint quasi nulla, quanquam ineffabilia sint, nec à viuentibus cogitabilia. Qua de re videndus August. epist. 105. ad Sixtum Presbyterum. Et Concione 2. in Psal. 30. Orig. hom. 3. in Hierem. & hom. 5. in Ezechiel.

SIC ergo debemus viuere, super quos bonum nomen Christi inuocatum est, vt qui ex aduerso sunt, nihil habeant malum dicere de nobis, sed simus, *sine querela simplices filij Dei in medio nationis praua & peruersa*, Patrem Christum, qui nos genuit verbo veritatis, vita & operibus referentes. Philip. 2.

Vers. 8. ***Si tamen legem perficitis Regalem secundùm Scripturas; Diliges proximum tuum sicut teipsum, bene facitis.***

Vers. 9. ***Si autem personam accipitis, peccatum operamini, redarguti à lege quasi legis transgressores.***

EXPOSITIO LITERALIS.

NE verò ex tradita Apostoli doctrina quis vellet inferre, diuites omnino odiendos tanquam inimicos Christianorum, aut contemnendos, excusationémue vellet prætexere in eis præferendis ex lege Dei, quæ proximum, imò inimicum iubet diligere, subiungit hæc verba; quasi dicat: Si diuites honore præuenitis, eo quòd Dei imaginem referant, vel propterea quòd legi diuinæ de proximi dilectione studetis obedire, vehementer id probo, & laudo, cùm videam eosdem vos persequi & odisse. Ille autem veraciter charitatem habet, sicut ait D. Gregor. hom. 27. in Euang. qui amicum diligit in Deo, & inimicum diligit propter Deum; sin verò (quod magis crediderim) eos reueremini ob vestium splendorem, bonorúmque affluentiam, grauiter in ipsam quam obtenditis legem delinquitis, quæ iubet proximum diligere; pauper verò proximus vtique est.

LEGEM igitur Regalem appellat hoc loco legem diuinam, in Veteri ac Recenti Testamento multoties latam, ratámque habitam. Deut. 5. Leuit. 19. Exod. 20. Matth. 12. & 19. Luc. 10. quæ ideo Regalis appellatur, vel quia est præceptum charitatis, quæ inter & supra cunctas alias virtutes, velut Regina incedit, eísque formam, & vitam impertit: vel ab effectu, quia Reges facit, vt ait D. Thom. Vnde dicitur: *Fecisti nos Deo nostro Regnum & Sacerdotes*. Et: *Vos estis Regale Sacerdotium*; vel ab authore, quia Rex Regum eam proprio ore promulgauit Matt. 20. vel quòd sine diuerticulis instar viæ Regiæ omnibus pateat plana, recta, æquabilis. Ita Carth. & alij. Apoc. 5. 1. Pet. 2.

GLOSSA verò *Regiam* putat ab excellentia quam inter cæteras leges sortitur. Ex quibus iam patet reiiciendum Caietanum hoc loco, dum

propterea Regalem existimat dictam, quia Reges terræ respicit, qui Præfectos, vel nuncios, vel sibi gratos honorandos iubent, quasi dixerit Apostol. Si propterea diuites honoratis, vel quia sunt præfecti à Rege, vel quia sunt nuncij Regis, vel quia sic statuit Rex, vt patet de Mardochæo, bene facitis hanc Regalem legem obseruantes: quæ expositio prætérquàm quòd sequentibus verbis improbatur, quæ legem hanc traditam in Scriptura ostendunt, conuincitur præterea ex Textu Syriaco, qui habet; *Legem Dei.*

Esther. 6.

SI igitur *hanc legem perficitis.* i. perfectè impletis, prout in Scripturis sanctis docetur, ac continetur, maximéque, vbi dicitur: *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum*; vbi nomine (*proximi*) intelligitur omnis homo; ex Augu. epist. 52. ad Maced. & 1. de doct. Christ. c. 30. Insupérque Angelos comprehendit, vt etiam habet D. Thom. Matt. 22. & 2. 2. q. 26. art. 10. Excluduntur tamen iis homines, & Angeli, qui æternis flammis sunt mancipati; ex D. Thom. sup. art. 11. *Sicut te ipsum.* i. spiritualiter, desiderando ei dona gratiæ, ac virtutum in via, donáque gloriæ in patria: imò & cooperando ei ad ista pro posse. Cætera quoque misericordiæ opera tam corporalia, quàm spirititualia ei impertiendo pro viribus, tempore opportuno, exigente rationabili causa. *Bene facitis.* i. non ita dico diuites non esse præferendos, quasi sint odiendi, aut contemnendi, sed eorum dilectio ordinatè est exhibenda saluo ordine charitatis & æquitatis. *Si autem personas accipitis*, iuxta sensum prahabitum, *peccatum operamini*, *faciendo contra praeceptum Dei*, *redargutì à lege*, quia eadem lex redarguit eos; insupérque ea, quæ dicit: *Nulla erit distantia personarum, ita paruum audietis, sicut & magnum:* & iterum; *Non consideres personam pauperis nec honores vultum potentis.*

Deut. 6. Leuit. 19.

Deut. 1.

Est autē hæc redargutio intelligenda ex doctrina Christi, qui dixit: *Nolite putare, quia ego accusaturus sum vos apud Patrem, est qui accusat vos Moyses,* & iterum: *Qui spernit me, & non accipit verba mea, habet qui iudicet eum, sermo quem loquutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die.* Cùm enim lex Dei sit norma, & regula iuxta quam debemus operari, ea iudicabit de nostris defectibus, insimúlque de iis testimonium feret. Ideo enim toties à Dauide testimonia appellatur.

Ioan. 5. *Ioan. 12.*

PARTICVLA autem (*quasi*) veritatem hoc loco indicat, non similitudinem tantùm, quemadmodum & Ioannes dixit: *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti.* Ista quippe acceptio personarum in lege Mosaïca, atque Euangelica prohibetur. Et ita qui in ea delinquit, reuera transgressor est, & non quasi transgressor per similitudinem solùm.

Ioan. 1.

§. I.

Regia virtus charitas, dum amicos & inimicos diligit.

LEGEM Regalem perficere, hoc loco idem est, atque eam obseruare: videtur enim perfectio legis esse ipsius obseruatio, imperfecta enim & veluti inanis est ante obseruationem: qua fortè ratione dixit August.

Aug. lib. quæst. Veter. & Nou. Tastament. q. 102. Lex inter ipsa primordia sensum suum planè ostendit; etenim dum incipit obseruari, veluti sensum, & vitam incipit habere. Et in hoc sensu etiam intelligo id quod dixit Philo lib. de Ioseph. Leges medicis similes sunt in ciuitate, quia sicut bonitas, & scientia medici ex eo maximè pendet, vt credatur, eique ægroti obediant, quò remedia effectum sortiantur: Sic etiam leges inde maximè probantur, & perficiuntur, si exequutioni mandentur, ipsisque obtemperetur. Sicut insuper medici præscriptum ordinem contemnimus, de cuius peritia nullam ferè concipimus opinionem; sic & illius legis iussa reiicimus, cuius perfectioně nullā prorsus existimamus. Vnde Tertul. in Apolog. Suspecta est lex quæ probari nō vult, aut quæ probata si fuerit, nō dominatur.

REGALIS igitur appellatur à Iacobo lex diligendi proximum, ab ipsa charitate, quæ forma & Regina cæterarum virtutum est; insupérque mater dicitur earundem à D. Laurentio Iustiniano lib. de Ligno vitæ, c. 3. Et ideo tanquam mater studiosa solicitudine ad cuncta virtutum facta dilatatur, proindéque dicitur *plenitudo legis*. Et licèt à duobus præceptis incipiat, ad innumera se extendit, sicut ait D. Greg. 10. Moral. c. 4. qua in re se maximè Reginam indicat. Vnde Bern. de ea dixit Ser. 83. in Cant. Vbi venerit, cæteros in se omnes traducit, & captiuat affectus. *Rom. 13.*

DEINDE ab effectu, quia Reges facit, dum filios Dei constituit eos, qui charitatem habent. Vnde Ioannes dixit: *Omnis qui diligit, ex Deo natus est.* Qua de re videndus Cyprian. lib. de Patient. vbi ostendit qua ratione charitas nos filios Dei constituat. *1. Ioan. 4.*

EST etiam Regalis hæc virtus, quia magnanima, dum amicos, & inimicos capere potest, ac diligere. Vnde Cyprian. lib. de Zelo, & Liuore; illud Pauli, *Charitas patiens est,* legit ipse, *Charitas magnanima est,* id est, omnes capit. Regium certè animum ostendit Dauid, dum ex charitate pepercit Saüli, quod agnoscens ipse Saül dixit: *Nunc scio quòd certissimè regnaturus sis, & habiturus in manu tua Regnum Israël.* Quam etiam latitudinem cordis erga proximum ostendit, dum ægrè ferens Abisai, quòd Dauid parceret Semei, respondit: *Quid mihi & vobis filij Seruiæ, cur efficiemini mihi hodie in Sathan? ergóne hodie interficietur vir in Israël? an ignoro me hodie factum Regem?* quasi dedeceret Regem quemquam odisse, & non potiùs omnes paterno amore complecti. D. Bernar. verò super hæc verba sic ait Serm. 34. in Cant. O verè hominem secundùm cor Dei, qui se vlciscenti potiùs, quàm exprobranti succensendum putauit! *1. Cor. 13.* *1. Re. 24.* *2. Re. 16.*

ET hæc fortè erit ratio, cur in genealogia Christi cùm plerique qui fuêre Reges nominentur, nullus tamen Rex appelletur, sed proprio vocetur nomine, solus tamen Dauid dicatur Rex. *Genuit Dauid Regem. Dauid autem Rex.* Qui enim amicos, & inimicos Regio amplectebatur amore, & omnes indiscriminatim, vt sibi proximos diligebat, is meritò Rex & fuit, & dicitur. *Matth. 1.*

REGIVM etiam animum videre est in Iosepho Prorege, qui fratres conuiuio excepit, singulísque proferri iussit stolas binas, immemor iniuriæ, *Gen. 45.*

Gen. 38 soliúsque charitatis memor. Quod perpendens Rupertus lib. 9. in Genes. c. 13. sic ait. Inimicis suis qui inter edendum vendiderant eum (*sedemes enim vt comederent panem, viderunt viatores Ismaëlitas de Galaad*) inimicis inquã suis, qui manducando esurientem vendiderant, cibum dedit & potum, & eis à quibus tunica talari polymita nudatus est, ecce binas singulis dedit

Gene. 45. stolas. Regius equidem animus à Regia virtute charitatis quæ coronas Regni in patria etiam imponit. Etenim inimicorum amor animum solet magnum Regiúmque reddere; vnde Didymus, Chrysost. & Euthymius obseruant in Psal. 4. dilatationem cordis postulari, & magnanimitatis donũ, ac latitudiuem charitatis, qua etiam inimici ab eo diligerentur. Quod notarunt ibi Haymo & Remigius. Quantumque enim charitas in subeunda

Ioan. 11. morte pro Deo probari videatur, quia *maiorem nemo hac dilectionem habet*: notauit tamen acutè, & doctè sanè Euseb. Emyssen. homil. de Sancto Stephano, quòd Stephanus in Martyrio actum dilectionis inimicorum exhibet quasi aliquid maius, dum pro impiis, ait, Deo plenus exorat, etiam de alieno peccato iustitiam suam cumulat: intelligemus, inquit, quantum bonum sit dilectionis, quæ commendare adhúc potest passionem.

Nisi fortassis ea tandem sit ratio cur charitas dicatur Regalis, quòd nunquam veluti serua laborem sentit, sed vt domina voluptatem habet, quod prosequitur August. tract. 65. in Ioan. cùm ait: Quàm mirandi generis mors est, cui non satis fuit non esse in pœnis, nisi esset insuper in deliciis! & tract. 9. in 1. Ioan. Charitas, inquit, non est amarus exactor, vbi charitas est, & qui exigit, dulcis est à quo exigitur. Quod significatum videtur in Samsone, quando ad Philistæam dilectam profectus, leonem interemit, posteáque dum in patriam remearet, in ore demortui leonis fauum mellis inuenit, quia amor quæcumque difficillima sunt, dulcia & suauia solet reddere.

§. II.

Charitas inimicorum proprium symbolum fidei Christianæ.

Appellatur etiam hæc lex de diligendo proximo quantumuis infenso, & inimico, quales ostendit diuites in pauperes Christianos,

Ioan. 13. & 15. Regalis ab authore & renouatore Christo, qui eam suam, & nouam legem ea ratione dixit. Vnde Tertull. lib. de Pat. dixit: Dilectio est summum fidei Sacramentum. Et lib ad Scapulam c. 1. dilectionem dixit propriam bonitatem Christianorũ; & c. 2. Apologet. Christianus nullius est hostis. Vnde Cyprian. tract. de simplicit. Prælator. Hoc vnitatis Sacramentum, hoc vinculum concordiæ inseparabiliter cohærentis ostẽditur, quãdo in Euangelio tunica Domini nostri Iesu Christi non diuiditur omnino, nec scinditur, sed integra vestis accipitur, Sacramento quippe vestis declarauit fraternam Ecclesiæ vnitatem. Quis ergo sic est sceleratus, vt credat scindi posse vnitatem Ecclesiæ indumentum Christi? Similiáque habet August. tract. 65. in Ioan. vbi ait: Charitas symbolum peculiare, & proprium fidelium

lium est. Sicut verò omnes scientiæ propria habent principia, sic & dilectio inimicorum est proprium principium Christianæ disciplinæ; sicut notauit Brixian. ad ea verba Christi Dom. *Diligite inimicos vestros*; vbi notandum venit id quod aduertit Nazianz. Orat. 1. contra Iulian. in fine. Nihil scilicet præclarius, ac præstantius, quàm quod aliis scelerum fines (sc. mortes) iuxta legem vindicantibus, nos principia (sc. desideria occidendi) quoque ipsa punimus. Matt. 5.

Cvm ergo Christus Dom. sit lux mundi, voluit eum illustrare in ordine, & modo charitatis: sicut autem noctu, vel dum nebulosus adest dies, ea quæ à nobis remotiora sunt, nequaquam perspicimus, sed ea tantùm quæ nobis proximiora, & præ manibus adsunt, sic ante aduentum veræ lucis non videbant homines, vt diligerent, nisi sibi coniunctos, vel consanguinitate, amicitia, aut peculiari aliqua ratione; & iuxta hunc sensum intelligunt aliqui non de Ecclesia, sed de Synagoga illud: *Soror nostra paruula est, & vbera non habet*; quia nondum maternam charitatem erga omnes exhibebat, sed solos fratres, & filios Abrahæ diligebat, quod etiam dixit Paulus: *Cum essem paruulus, sapiebam vt paruulus, loquebar vt paruulus*; æmulatórque paternarum traditionum solos Iudæos diligebat, Christianos persequebatur. Postquam verò factus est vir, euacuās quæ erant paruuli, debitorem se confitebatur omnibus hominibus, eúmque solicitudo omnium Ecclesiarum premebat, quia tunc iam illuminata erat charitas; sicut eleganter dixit Ambrosius lib. de Isaac, & anima, cap. vlt. Ioan. 8. Cant. 8. 1. Cor. 13.

Vnde cùm Christus Dom. loquutus est de amplitudine charitatis, eandem ad inimicos vsque dilatauit: addidit enim; *Estote perfecti, sicut & Pater vester*. Quæ verba ponderans Cyprian. lib. de Patient. dixit: Quæ gloria est similem Deo fieri? Et Ambros. Serm. 10. Si te, inquit, non læsit frater, obsequium meretur, vt diligas; quòd si forsitā læsit, magis obsequium meretur, vt vincas. Hæc enim nostræ Christianitatis summa est, in eáque similes Deo Parenti efficimur. Vnde Dei Filius in cruce pendens, pro se orans, quasi extraneus dicit: *Deus, Deus meus, vt quid dereliquisti me*? At verò cùm pro occisoribus orauit, Patrem inuocat; *Pater ignosce illis*. Orare enim pro inimicis, eosdémque diligere, actus propriusest Filij Dei, qui ipsum adeò pulchrum in ipsa sui depositione decoris reddidit, vt dixerit Aug. Serm. 50. de verb. Dom. in hoc maximè innotuisse cæcitatem Iudæorum, dum ipsum pulcherrimum pro inimicis orantem non agnouerunt. Ille, inquit, qui vos quasi fœdos tolerauit, qui pro vobis formosus orauit; *Pater ignosce*, &c. Est denique optimus pro hac re locus apud Lucam c. 6. vbi villicus iniquitatis diffamatus apud Dominum suum, quasi dissipasset bona illius, iussus rationem reddere, conuocatis debitoribus debitum ab vnoquoque ita remissè exigebat, vt ex centum cadis olei, quinquaginta tantùm acciperet; mox laudauit Dominus villicum iniquitatis, quòd prudenter fecisset, idque mirum cùm ipse parum diligenter se habuerit, cùm dimidium remiserit. Quæstionem soluit Bern. epistola 257. Iustè, inquit, laudatus est qui Domino suo rerum maluit, quàm personarum iacturam facere, & quia dignus Matth. 5. Matt. 27.

est,

est,qui sic operatur mercede sua, vno tali opere quos ille retinuit seruos, hic fecit amicos.

§. III.

Regalis & communis via charitatis.

DICITVR etiam lex charitatis Regalis, quia sine diuerticulis instar Regiæ viæ omnibus plana, & aperta patet, omnibúsque communis est,vnde Paulus dixit: *Ambulate in dilectione.* Et Aug.de hac via intelligit ea verba Ps. *Latum mãdatum tuum nimis*;quod etiam habet epist.121. ad Probam;& in Ps.103.& ante eum Ambr.Ser.12.in Ps.118. vbi ait. Quàm latum est mandatum charitatis! omnes vtique effectu inclusit, qui non exclusit inimicos.Iudæi & Gentiles vix suos diligunt,Christiano etiam inimicos non licet non amare.Et Tertull.in Apologet. Si inimicos iubemur diligere,quem debemus odisse?Item,si lege vicem referre prohibemur, ne de facto pares simus, quem possumus cædere?Similiáque habet Chrysost. hom.44.in Act.Apost.& multa Ber.in Ps. *Quis ascendet.*

Ephes.5. *Ps.118.*

ILLVDQVE in hac Regali lege mirum, quòd omnes velut seipsum iuxta eam quisquis debet diligere,miserans plerumque non deliberans,sicut de Samuele pro impio Saüle anxio dixit Ber.epist.12.qui etiam de Dauide addidit.Fundebat lacrymas Dauid filio parricidæ,etsi non profuturas,pias tamen.Respicit enim charitas rationem proximi, non odij causam contemplatur;ideóque Christus Dom.proditorem amicum appellat, quia ipsum adhuc diligebat, & ex dilectione denominabat amicum ; sicut dixit Gregor.3.Moral.c.14. Dignum est vt à nobis non ex sua nequitia, sed ex nostra beneuolentia amici nominentur.

1.Reg.16. *2.Re.19.* *Mat.26.*

NORMAM verò ac regulam istius dilectionis addit Apost. ex sacro Textu (*sicut te ipsum*) quod expendens Naz. Orat. 1.contra Iulian.ait de fidelibus,apud quos lex & norma amicitiæ quisque ipse est;atque eadem proximis velle,quæ sibi ipsi.Et Orat.16.Nec magis gaudendum nobis est quòd commoda valetudine vtimur,quàm lugendum quòd fratres misera & afflicta. Voluit namque supremus legislator in suæ Ecclesiæ ædificio, cuius murum igneum esse voluit,iuxta illud Zachariæ: *Ego ero ei murus ignis*, viuos lapides inuicem connecti dilectionis glutine,ardentíue calce.Is enim paries in lapide angulari adunatus diutiùs permansurus cohærentiam & viuam vnionem lapidum viuorum exigit.Sic enim appellauit Petrus fideles 1.Can.c.2.Iam verò lapides vt in parietem consurgant, inuicem coaptantur etiam per scissuras,& quò meliùs cohæreant,franguntur,inuicémque onus portant.Quod etiam dixit Paulus: *Charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Author verò operis imperfecti in Matt.hom.7.Sicut in corporali,inquit,ædificio lapis ad lapidem cæmento mediante constringitur, sic in ædificio Ecclesiæ Christianus ad Christianum charitate mediante connectitur.

Zacha.2. *1.Petr.2.* *Coloss.3.*

QVOD

QVOD si deficiente charitate hæc cohærentia,& vnio dissoluatur, facilè corruet ædificium,pariésque dissoluetur. Vnde veluti supplicium minabatur id Deus Regno Israël cùm dixit: *Ponam Samariam sicut aceruum lapidum in agro,cùm plantatur vinea*;quò,scilicet, citissimè Regnum illud dilaberetur, in nihilum prorsus redactum;sicut enim soluti, nec conglutinati lapides, quantumuis in aceruum cumulentur,& erigantur,facilè tamen corruunt, cùm alter alteri minimè adhæreat,sic Respublica ac Regnum,vbi ciues inuicem non diliguntur, nec charitate conglutinantur, facilè dissoluitur, & finitur. Vnde Chrysost.hom.5.ad Pop. Si sint vnanimes duo, vel decem,non vnus iam vnus est,sed decuplus eorum quisque fit,& in decem vnum inuenies,& in vno decem,siue inimicum habeat,vnum offendens tanquam decem offenderit,indiguit vnus,sed non est in egestate,horum quisque viginti manus habet,& oculos viginti,&totidem pedes, non enim suis tantùm oculis intuetur, verùm & alienis,non suis tantùm, verum & illorum manibus operatur, non enim ipse tantummodo pro se, verùm & illi pro eo curamgerunt; vidisti charitatis excellentiam, qualiter vnum inexpugnabilem reddit, & multiplicat, &c. Mich. 2.

NEQVE verò hoc tantummodo est in ordine ad mutuam defensionem, &conseruationem,sed etiam ad obsistendum diabolo, illíque bellum inferendum;quod notauit D.Gregor.hom.8.in Ezechielem, vbi ponderat ea verba Cant.6. cùm de Sponsa dicitur, *Terribilis, vt castrorum acies ordinata.* Cant 6. Quid est,inquit,quòd ab hostibus, vt castrorum acies sit timenda?non magno vacat intellectu comparatio, & idcirco est subtiliter intuenda: scimus enim quia castrorum acies tunc hostibus terribilis ostenditur, quando ita fuerit constipata,atque densata, vt in nullo loco interrupta censeatur.Et nos ergo cùm contra malignos spiritus spiritalis certaminis aciem ponimus,summopere necesse est,vt per charitatem semper vniti atque cõstricti,nunquam interrupti per discordiam inueniamur, quia si quælibet opera in nobis bona fuerint, si charitas desit per malum discordiæ, locus aperitur in acie,vnde ad feriendos nos hostis valeat intrare.Videndus Ber. de modo bene viuendi c.41.vbi ait:Nihil æquè molestum dæmoni,vt concordia;si enim de ieiunio agatur,ipse nunquam comedit,si de vigiliis, non dormit, si de paupertate,nihil habet,si de continentia,hæc est ei naturalis: concordiam ægerrimè fert teneri in terra,quam ipse non potuit seruare in cælo.Similiáque habet Ser.2.de Septuages.

MIRVM tamen videbitur,quòd is qui pacis, & dilectionis est author, inimicitiarum itidem fuerit,dum dixit: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum,& semen illius*;idque non tantùm quoad propensionem,aut occultas inimicitias;sed actuales,apertas, & in nocendi conatum erumpentes.Quod exponens Oleast.ait: Vides Deum discordiæ esse authorem, vt discas non esse minoris virtutis malos amicos,seu illorum amicitiam dissoluere,quàm bonam fouere.Ideóque Chistus Dom. dixit; *Non veni pacem mittere,sed gladium*;& Dauid. *Disperge illos in virtute tua.* Namque, sicut dixit Cyprian. de singularitate Clericor. indubitanter meliora sunt odia, quæ Genes. 3. Matt. 10. Psal 58.

dum separant, neminem maculant. Et Aug. initio Cōcionis 2. super Ps. 36. Duo mali vix se patiuntur, & quando se videntur diligere, conscientiā sibi debēt, non amicitiam, tūc secū concordant, quando in perniciē iusti cōspirant, non quia se amant, sed quia eū qui amandus erat, simul oderūt. Et Ber. Ser. 24. in Cont. Ineunt familiaritatē ad maledicendū, concordes ad discordiā, cōciliāt inter se inimicissimas amicitias. Et sicut ait Philo lib. de Cōfusione linguarū; nihil inter eos conuenit, nisi quòd pariter discrepant, idem & in febribus vsu venit. Nā & quotidiani, & tertiani, & quartani, vt medicorum filij vocant, circuitus, statas horas habent, nocturnas, diurnásque, & eūdē semper seruant ordinē, vt felicitatē perdant vitæ vnitæ & ordinariæ.

Cap. 6. VNDE de huiusmodi viris dixit Hierem. *Vt æs & ferrum vniuersi corrupti sunt.* Quem locum sic optimè interpretatur Brixianus: Æs siue chalybs coniungitur ferro, vt ex eo fiant arma, sic alter alteri adhærent ad faciēda mala. Hieron. verò sic ibi exponit: Ex mutua malorum vnione nihil nisi perniciosum hominibus erumpere potest. Pro qua re videndus est Greg. 34.
Iob. 41. Moral. c. 2. cùm ponderat ea verba Iob. cap. 41. vbi ait; *Membra carnium eius cohærentia sibi*: quæ verba dicit de dæmone, cuius carnes asserit esse reprobos omnes, inter quos maior est vnio, quàm inter fratres, nam fratres inter se separantur, membra verò carnis realiter vniuntur. Videndus item Hieron.
Iob 41. vbi explicat illud eiusdē Iob. *Corpus illius quasi scuta fusilia compactum squamis*, &c. Corpus, inquit, diaboli omnes consortes eius intelligēdi sunt, quos tāta consensione, atque conspiratione Deus dicit illi coniunctos, vt indissociabili connexione sint eidē copulati. Quod etiam ostenditur in seditione
Num. 16. Core, Num. 16. vbi cùm Moyses ad tabernaculi ostiū se reciperet, vt Deum pro omnibus precaretur, ait: *Fortissime Deus, num vno peccante, contra omnes ira tua deseuiet?* vbi aduertit Oleast. Quomodo vno peccante, si tam multi peccarunt? Etenim Core, Dathan, & Abiron surrexerunt contra Moysem, aliique filiorum Israël ducenti quinquaginta. Dissoluendáque videtur difficultas, si dicamus iniquos homines ad patrandum scelus ita de more inter se conuenisse, ac si vnus tantummodo homo esset.

VTINAM ergo charitatis legis, & mutuæ per dilectionē vnionis author, inimicitias ponat inter huiuscemodi amicitias. liberámq; viam iustis aperiat, quæ prædonibus vnitis scatet, è quorum manibus haudquaquam quis
Act. 23. potest euadere. Vnde notauit Gregor. 34. Moral. c. 3. Paulum non potuisse euadere, nisi quando vnio malorum dissipata est, diuisis, scilicet, Pharisæis & Sadducæis: Soluta est, inquit Greg. multitudo in duas partes, & Paulo via ereptionis aperitur, quia quem turba tumultuantium vnita constrinxerat,
Ioan. 8. diuisa laxabat. Ideo etiam & Christus Dom. vt euaderet vnionē conspirantiū contra ipsum, volentiúmque eū lapidare, abscōdit se; & alibi per miraculum horum medium transiuit. sicut notauit Orig. homil. 19. in Luc. Infatuet igitur Deus eorum consilium, & confundat linguam, sicut eam con-
Gen. 14. fusionem linguarum interpretatur Philo lib. de Confusione linguarum: ac si diceret, inquit, muta, surdáque faciamus vitia singula, vt nec loquendo, nec assentiendo damnum inferant.

§. I V

§. IV.

Debet fidelis deligere proximum, sicut seipsum, & agitur contra proprium inordinatum amorem.

CVM ex diuina charitatis lege teneatur quisque proximum diligere, sicut seipsum, id est, ad id, & propter id, atque eodem fine & animo, quo seipsum diligit, seu similiter ac se diligit, sicut notauit D. Thom. 2.2.q. 44.art.7. Non est intelligendum, ait, sicut seipsum, quantùm ad hoc quòd aliquis proximum sibi æqualiter diligat, sed similiter sibi, vnde Caietan. Mat.22. Non dicit, diliges proximum quantùm teipsum, sed sicut teipsum. Quod etiam explicat D.Th. 2.2.q.26. art.4. & 5. Hæc verò dilectio à duobus præceptis deriuatur, sicut notauit Greg.10. Moral.c.14. Scilicet, quòd ab alio tibi odis fieri, vide ne tu alteri facias. Et ipsa veritas Matth. 7. *Quæ vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis*: quibus duobus per vnum malitia compescitur, per aliud benignitas prorogatur, vt malũ quod pati non vult, quisque non faciens cesset à nocendi opere; & rursum bonum quod sibi fieri appetit, impendens erga vtilitatem proximi exerceat: sed hæc duo dum solicita intentione cogitantur, cor ad innumera virtutum ministeria tenditur. Similiáque habet hom. 38. in Euang. Matt. 7.

NEMO tamen istius legis iam memor extat, sed quisque seipsum tantùm, suáque diligit, nisi fortè existimet à seipso deceptus, nihil sibi proximius quàm seipsum, & proinde legẽ de diligendo proximo obseruare, dum se tantùm diligit; *Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Iesu Christi*, & salutis proximorum. Vnde possent de proximis interrogati cum impio Caino respondere: *Nescio, nunquid custos fratris mei sum ego?* Quid enim de proximis possunt respondere, qui ipsorum dolores, & ærumnas non curant, indigentiæ non subueniunt? imò cum stulto Nabal dicunt: *Tollam ergo panes meos, & aquas meas, & carnes pecorum, quæ occidi tonsoribus meis, & dabo viris, quos nescio vnde sint?* Et cum filiabus Labani tandiu in domo Patris manent, quandiu aliquid emolumenti in ea habent, postea verò interrogati, an velint patri adhærere dicunt; *Nunquid habemus residui quicquam in facultatibus, & hæreditate domus Patris nostri? Omnes* denique *diligunt* sola *munera*. Vbi D. Hieronym. lib.1. in Isai. Non dixit, accipiunt; hoc enim sæpe necessitate fit, sed qui non putant amicos, nisi à quibus dona perceperint, nec os considerant amicorum, sed manus; de quibus optimè Bernard. epist. 185. Das ingratis, das immeritis, siquidem tua, non te diligunt, imò certè nec te, nec tua, sed quæ sua sunt, quærunt. Phil. 2. Gene. 3. 1. Reg 25. Gen. 31. Isa. 1.

QVAM exitiosus autem sit huiuscemodi amor, dixit Clem. Alexand. 6. Stromat. in hunc modum. Nimius amor sui est semper quibuslibet causa omnium malorum. Et Chrys. hom. 20. in epist. ad Ephes. Execrandum hoc verbum, meum, & sceleratum à Diabolo est inuentum. Quod optimè expressit D. Saluianus libr. ad Ecclesiam: Nunquid est vllus hominum, qui non omnia, quæ fecit, vel salutis suæ, vel certè vtilitatis gratiâ faciat? Ne-

mo, opinor. Omnes enim ad effectum, atque appetitum vtilitatis suæ, naturæ ipsius magisterio atque impulsione ducuntur. Non solùm autem omnium malorum causa est amor proprius, sed præcipuè abolendæ charitatis in proximos. Cùm enim meum, & tuum, frigidum sit verbum, sicut optimè dixit Chrysost. Orat. de sancto Philogonio tom. 3. Meum, inquit, & tuum frigidum illud verbum, & quidquid est malorum in vitam nostram inuehens, innumeráque gignens bella, ardori charitatis opponitur, eundémque extinguit. Deinde, cùm ex sententia Gregorij homil. 5. in Euang. quicquid in hoc mundo nobis concupiscimus, hoc proximis inuideamus, quî fieri potest, vt proximi amori locus supersit, cùm omnia nobis optemus, & sola nostra quæramus? Contra quos nihil durius proferre possumus quàm id quod D. Maximus Centuria 5. cap. 14. ait, sc. diligere proximum supra seipsum, maximè proprium esse legi gratiæ. Vide igitur qualiter redarguendi sint à lege, qui nihil nisi se diligunt, quanto magis supra se?

ADEOQVE hoc vitium inoleuit, omniúmque irrepsit animis, vt inde liceat cuique inferre decrepitam mundi ætatem, & morientem iam mundum: sicut enim initio nascentis orbis, dúmque adhuc infans esset, ad instar infantis primus homo oblatione pomi vetiti deceptus est, spoliatúsque originalis iustitiæ bonis, deinde adolescens mundus ardore libidinis æstuans, aquarum inundationem postulauit, postea in virili ætate, viribus, armísque colluctatus, dominandíque cupiditate correptus, nobis proponitur libris Iudic. Reg. ac Machab. quasi singula vitia singulas ætates comitentur, & cuilibet statui respondeant proportionata vitia; modò dum mundus senio confectus, oculísque caligans, se solummodo videt, ad séque omnia attrahit, & refert moribundus, veluti senex morti proximus vestes, & operimenta colligit: sic itidem in se collectus mundus, se tantùm diligit, imò se minimè diligit, quin potiùs odit; qui enim malè amat, proculdubio odit, sicut dixit August. tractat. 50. in Ioann. qui etiam lib. quinquaginta homil. hom. 37. sic ait: Primùm disce amare Deum, deinde teipsum, post hæc, dilige proximum sicut teipsum.

Genes. 6.

PVTANT homines nonnulli legitimo ordine se amare, quando res alienas rapiunt, quando se inebriant, quando per diuersas calumnias iniusta lucra conquirunt; isti tales audiant Scripturam dicentem: *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam.*

Psal. 10.

DEINDE maximum in se exercet odium, dum sibi quisque adimit potestatem Deum adeundi, truncósque reddit pedes ad currendam viam, perueniendúmque ad promissum brauium. Namque, sicut dixit Augustinus in Psalm. 33. Pedes tui charitas tua est, duos habeto pedes, noli esse claudus. Qui sunt duo pedes? duo præcepta dilectionis Dei, & proximi. Istis pedibus curre ad Deum. Istos proinde pedes sibi misero aufert, qui seipsum solummodo diligit, & omnia alia propter seipsum. Pro qua doctrina facit etiam id quod dixit August. in Psalm. 140. Amor iste tartareus est, viscum habet, quo deiiciat in profundum, non pennas, quibus leuet in cœlum.

§. V.

§. V.

Quomodo lex redarguat trangressores.

DOCET etiam Apostolus hoc loco diuinæ legis opus esse nos coarguere,& damnare de peccato acceptionis personarum,cùm ipsa præcipiat quemlibet proximum, quasi nosmetipsos diligere. Quod etiam dixit Ambr.lib. de fuga sæculi c. 7. Lex factum damnat. Et Chrysost. homil. 11. in epist. ad Rom. Ipsa quidem lex redarguit prætergressionem, gratia autem soluit. Vnde notauit Alcuinus, & D. Hieronym. sæpe à Dauide in Psalm. 118. præcepta Dei testimonia appellari, vt homines intelligant, inquit, Hier. se coram testibus deliquisse; lex enim Dei testimonium perhibet contra præuaricatores; quo sensu dixit Christus Dom. Moysem accusaturum Iudæos, quia scilicet ex ipsius libris sint conuincendi in iudicio de incredulitate Messiæ, & de præuaricatione præceptorum. *Ioan. 5.*

FACIT etiam & ille locus Deut. quando *Deus apparuit de monte Pharan,& in dextra eius ignea lex.* vbi Caietani interpres sic existimat vertendum, *à dextris eius ignis,& lex*, non quasi Deus in sua dextera habuerit legem, & ignem, sed apparatus Iudicis describitur eo in loco, cuius alius minister legẽ deferebat, alius verò ignẽ, vt intelligerẽt delinquẽtes diuinã animaduersionem per ignẽ significatam, proindéque legis obseruationẽ curarent. *Deut. 33.*

POSSVMVS etiam & huius redargutionis à lege aliam rationem assignare, quia si leges dicuntur medici à Philone suprà relato, si viri consiliarij à Dauide; namque vbi nos habemus. *Testimonia tua meditatio mea est, & consilium meum iustificationes tuæ.* Felix transtulit: *Mandata tua solatia mea,& iustificationes tuæ viri consilij mei.* Cùm verò & medici, & consiliarij in vtilitatem eius qui eos vocat, dirigantur: vnde Salomon dixit; *Si seruaueris mandata, seruabunt te*; qua quidem in re cordati Pharisæi, si sic etiam in obseruando essent,mandata Decalogi complicantes, & ligantes, in fronte quasi custodiam, & munimentum sui habebant, vt Hieron. annotauit; Phylacterium enim ex proprietate sua custoditorium est, conueníтque in legem quæ nos custodit, vt non in capite solùm, sed etiam in corde sit. Inde ergo est quòd redarguat eos qui legem non seruant. In quam sententiam videndus est Hier.tom.1.epist. ad Celantiam, cùm ita ait: Quid tam superbum, ingratum,&c. quàm illius præcepta despicere, qui ideo aliquid imperat,vt causas habeat remunerandi? neque enim obsequij nostri Deus indiget, sed nos illius indigemus imperio: *mandata eius desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum, in custodiendis illis retributio multa.* Idcirco illa immensa bonitas Dei offenditur, quia eam per tanti etiam præmij detrimenta contemnimus.Similiáque habet D. Greg. 8. Mor. c. 9. vbi ostendit legis obseruantiam in nostram, non legislatoris vtilitatem cedere,ideóque existimat dictum à Iob, *quid faciam tibi?* Ostenditur, inquit, quia hæc ipsa bona,quæ agere præcipimur,non præceptori, sed nobis prosunt. Vnde Salomon ait, *Donum bonum tribuam vobis.* vbi propriè ex Hebr. *doctrinam*, aut *Psal 118.* *Prou. 7.* *Iob. 7.* *Prou. 4.*

legem tribuam vobis, quia singulare donum Dei est, quod custodientibus maximè prodest, ideóque Dauid maximam voluptatem iusti, & delectationem in lege Domini asserit; pro eo enim quod nos habemus, *in lege Domini voluntas eius*, Hebraica veritas, voluptatem & delectationem sonat, quam iustus habet, dum obseruat legem Dei, quæ tota nobis proficua est, & vtilis. Ideóque meritò nos redarguit, dum contra eam delinquimus, quia in re nobis maximè nocemus.

Vers. 10. *Quicumque autem totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus.*

Vers. 11. *Qui enim dixit, Non mœchaberis, dixit & , Non occides. Quòd si non mœchaberis, occides autem, factus es transgressor legis.*

EXPOSITIO LITERALIS.

NE alicui leue peccatum videretur acceptio personarum, & defectus in charitate circa proximum, neue aliquis diceret, etsi honoratiorem locum diuitibus præstaret, ob id tamen se legem non transgredi, ex eo, quia pauperi non detraxit, aut quid incommodi intulit; respondet Apost. potiùs esse transgressorem totius legis, & contēptorē authoris eiusdē esse reputandum.

PRIMA igitur difficultas huius loci posset versari in explicando quid intelligat Iacobus hoc loco per legem. *Legis* namque nomen in sacris literis non est angustum, vt tantùm sumatur pro ea ratione, quæ iubet facienda, & contraria prohibet, sed sumitur etiam pro ea parte, quæ mores vtcumque instruit, vitámque informat; qua ratione lex complectitur alios etiam libros præter Pentateuchum, quos Christus legem appellat; *Nónne*
Ioan. 10. *scriptum est in lege vestra; Ego dixi, Dij estis?* & iterum: *Vt compleatur sermo qui in*
Ioan. 15. *lege eorum scriptus est; Odio habuerunt me gratis.* Quæ loca ex Dauide sumpta sunt. Et Paulus proferens testimonium ex Genes. ait: *Qui sub lege vultis*
Galat. 4. *esse, legem non legistis? Scriptum est enim, quoniam Abraham duos filios habuit;* & quod Isaias scripsit, ait in lege scriptū esse, *quoniā in aliis linguis, & labiis aliis loquar*
1. Cor. 14 *populo huic.* Vnde Greg. Nyss. Præfat. in Cant. Magnus Apostolus, inquit,
Esai. 28 legem dicens, spirituale legis nomen comprehendit, etiam historicas narrationes, adeò vt vniuersa à Deo inspirata Scriptura sit lex iis, qui ipsam legunt, non solùm per præcepta, sed etiam per historiam erudiens, & ad cognitionem mysteriorum, & sinceram vitæ institutionem. Hoc tamen loco strictiùs sumitur lex, prout solùm comprehendit Decalogi præcepta.

SECVNDA huius loci difficultas oritur ex multis variísque eius interpretationibus: iámque suo tempore August. de eo sic ait epist. 29. ad Hieron. Quæro, & per Deum obsecro, vt exponas mihi quod multis existimo profuturum, quomodo accipiendum quod in epistola Iacobi scriptum est.

est. *Quicumque totam legem seruauerit, offendat autem in vno,* &c. Singulas proinde referemus expositiones, vt cuique liceat quam maluerit, probare.

Prima est Augustini cit. epist. 29. quem sequitur Beda, probat Oecumen. & alij. vt sit sensus: Qui delinquit contra charitatem, in qua comprehenduntur omnia præcepta, reus vtique fit omnium.

Hæc expositio in eo potest fundari, quia antea loquutus fuerat Iacobus de Regali lege charitatis; & pro ea facit id quod dixit Gregor. hom. 27. in Euang. Præcepta Domini multa sunt, & vnum. Multa per diuersitatem operis, vnum in radice charitatis, dixerátque, omnia vnum præceptū sunt, quia quidquid præcipitur, in sola charitate solidatur. Idémque Aug. Serm. 61. de Tempore, circa præsentem locum sic ait. *Qui offenderit in vno.* Quid est hoc vnum, nisi quod suprà diximus, *Mandatum nouum do vobis, vt vos inuicem diligatis?* Quid est hoc vnum, nisi quod Apostolus dicit; *Omnis lex in vno sermone completur; Diliges proximum tuum, sicut teipsum?* Vnde sequitur, vt qui vnum aliquod præceptum violat, cōsequenter violet charitatem; quemadmodum pulchrè docet Author operis imperfecti in Matth. hom. 35. Sicut, inquit, miles, si toto corpore fuerit armis vestitus, & vnam partem habuerit nudam, nihil ei prodest, quòd toto reliquo corpore fuerit ferro vestitus, si per illam partem sagitta eum percusserit, sed sic cadit, quemadmodum si totus fuisset nudus: & sic Christianus, si iustitiam fecerit, & in vno peccauerit, similiter peccator statuitur, ac si semper peccasset. Similem etiam doctrinam habet Greg. lib. 19. Moral. c. 16. quam ex hoc loco Iacobi confirmat, & ex illo Ecclesiastici 9. *Qui in vno peccauerit, multa bona perdet.* In quam sententiam etiam facit Hieron. relatus hîc à D. Thom. qui ait: Vbi est charitas, quid est quod possit abesse? vbi non est, quid est quod possit prodesse? Hanc denique sententiam sequitur Innocentius III. Serm. 1. in Dominic. 2. post Pascha. Reus itaque fit omnium præceptorum qui peccat contra charitatem, à qua pendent omnia Dei præcepta.

Ioan. 15.

Secvnda expositio est D. Hieronymi lib. 6. in Isai. vbi asserit fieri omnium præceptorum reum, qui vnum aliquod præceptum infringit, quod sic prosequitur. Dauid dicebat. *Benedic anima mea Domino, & omnia interiora mea nomen sanctum eius.* Quomodo enim cithara non emittit vocalem sonum, atque compositum, si saltem vna chorda rupta fuerit, sic spiritualis venter Prophetæ, si vna in eo virtutum chorda defuerit, non poterit melos dulce resonare. Philosophorum quoque sentētia est, hærere sibi virtutes, & Apostoli Iacobi, cui vna defuerit, huic omnes virtutes deesse. Quæ sententia potest confirmari ex ratione legis ex Hebr. Nam nomen *legis* תורה *Thorah,* quidam deducunt à radice תור *Thur,* quod est explorare, aut circumquaque lustrare, & obsidere, quia lex vniuersa est diligenter exploranda, & circunquaque custodienda & obseruanda, ne quis in vno offendat: cùm enim præcepta omnia legis connexa sint, in vna offendens, fit & omnium reus. Vnde Basil. *De oper. infructuos. nō communic.* Iniquus, inquit, est omnis qui legem ex parte seruat, vel qui vnum tantùm neglexerit mandatum, vnum, inquā, quāuis minimū, si desideratur in lege tota, excidisti lege. Fauéntque huic

Psal. 10.

huic expositioni aliqui recentiores hoc loco, qui dicunt, *factus est omnium reus*, quia nihil ei prodest reliqua seruasse, si vnum non seruat.

TERTIA expositio est Thomæ, Catrensis, & Carthusiani, qui dicunt quòd offendens in vno sit omnium reus, non absolutè, & simpliciter, sed quodammodo, quatenus scilicet omnium bonorum operũ præcedentium
Ezec. 18. meritis priuatur, iuxta illud Ezech. *Si auerterit se iustus, & fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ, quas fecerat, non recordabuntur*; & iterum. *Qui in vno peccauerit, multa bona perdet.*

QVARTA expositio, quam velut propriam ponit Caietan. & dicit esse literalem intentámque ab Apostolo, est D. Hieronymi Dialog. 1. cont. Pelag. Eam habet Glos. & sequitur D. Thom. 1. 2. q. 73. art. 1. quòd, scilicet dicatur reus omnium, eo quòd in Deum peccet qui totius legis author est, quíque contemnitur. Ille verò qui eum contemnit in vno, quantùm est ex se, in omnibus videtur contempsisse, sicut qui dissentit vni articulo fidei, omnibus dissentire videtur, fidémque amittit, & quòd omnia præcepta tunc non infregerit, vel fuit, quia defuit occasio, vel ex alio humano respectu.

VLTIMA expositio est Lyrani & Titelmani, & facit hunc sensum. Qui in vno peccauerit, factus est omnium reus, incurrendo pœnam damni, quæ est carentia diuinæ visionis, & incurritur per quamlibet transgressionem legis Diuinæ, quæ in omnibus peccatis æqualis est, pœna scilicet damni. Quanquam pœnam sensus incurrat grauiorem, qui plures transgressiones committit. Quòd verò de pœna damni intelligatur hic locus, litera sequenti ostenditur, quæ ait: *Qui enim dicit; Non mœchaberis, dixit &, Non occides*, &c. In qua expositione illud notandum velim, quod etiam cæteris expositionibus conuenit, optiméque aduertit Bellarmin. lib. 1. de amiss. grat. c. 12. longè aliter accipere Apostolum hoc loco *offensionem*, atque cap. 3. cùm ait: *In multis offendimus omnes*; hîc enim de offensione criminali, vbi verò de veniali loquitur, ideóque hîc addit; *Factus est omnium reus*. Ibi verò subiungit; *Qui autem non offendit in verbo, hic perfectus est vir*: quo quidem additamento declarauit se de ea offensione loqui, quæ perfectioni, non necessariæ integritati opponitur.

ILLVD etiam cum August. & Hieronym. aduertendum est hoc loco, neminem scilicet ex eo posse rectè colligere omnia peccata æqualia, vel paria esse; quod fuit Stoicorum paradoxon, vt apparet ex Cicer. in 3. Paradox. Posteáque fuit hæresis Iouiniani proscripta, & damnata ab eodem Aug. lib. de hæresib. cap. 82. & epist. 29. & à D. Hieronym. lib. 2. contra eundem paulo post medium.

VNDE miror quòd Castro lib. 12. v. *Peccatum*, hæresi 8. neget notã fuisse Hieronymo hãc hæresim, cùm etiã Aug. dicta epist. laudet Hiero. quòd eum errorem Iouiniani doctè confutauerit. Etenim Christus Dom. disertè con-
Matt. 5. firmat quædam peccata aliis esse grauiora, cùm ait; *Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio, qui dixerit Raka; reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis.* Quod insuper probatur ex Mat. 12. Io. 19. & Deut. 25. Ezech. 9.

1. Ioan.

1.Ioan.5.Ex Patribus videndus Nazianz.in Carmine ad Virgin.Orig.hom. 5.in Leuit.& Hieron.in c.9.Ezech.& in epist.ad Celantiam. Qua de re videndi recentiores Theologi cum D.Thoma 1.2.q.73.art.2.

§. I.

Quæ mala per peccatum incurramus.

HIc locus ad nostram eruditionem, miseram peccatoris conditionem ob oculos proponit,qui quolibet mortali peccato reus gehénæ redditur,bonáque supernaturalia gratiæ amittit,excepta fide & spe, dummodo contra has virtutes non delinquat. Præcedentia insuper merita mortificat,ita vt nihil ei tunc possint prodesse: quo sensu possumus intelligere illud Oseæ, *Maledictum,& mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt.* Vbi enumerans peccata illius populi, eleganti similitudine ostendit eorundem effectum,quòd scilicet,sicut aquæ cùm sese aluei nō capiunt,per ripas,& loca vicina expanduntur,& quicquid seminatū,natúmque fuerat,operiunt;& demoliūtur, sic quodlibet enumeratum peccatum, quicquid seminatum, & natum fuerat, destruit. Est enim peccatum veluti illa abominatio desolationis stans in loco sancto;ideóque Dauid iniquitatem odio habens,eandem abominabatur. Stans igitur abominatio peccati in loco sancto,anima scilicet, quæ ante peccatum admissum locus sanctus erat;*templum Dei estis vos*,ait Paulus.Et Clem. Alex. 7. Stromat.animam iustam altare Dei dixit.Sic enim habet: Aram autem verè sanctam iustā animam.Omnia igitur bona animæ sanctæ hæc abominatio desolationis demolitur & perdit.Vnde Bernar.5.de Considerat.cap. 10.Peccato redacti in nihilum,iteratò creati sumus.Et Serm. de Triplici cohærētia vinculorum; *Ego ad nihilum redactus sum,& nesciui*,verè ad nihilum,i.ad peccatum.

Cap. 4. *Mat. 24.* *Psal. 18.* *1.Cor. 6.* *Psal. 77.*

QVA in re similes videntur peccatores Nazaræis antiquis, qui votum ad tempus emittentes,si viso mortuo ante vltimum diem sui voti polluerentur,ad primum denuò recurrebant.*Dies priores*,inquit Textus, *irriti fiant, quoniam polluta est sanctificatio eius:* ac si non perseuerasse in obseruantia legis,idem foret ac non inchoasse,vt bene ibi exponit Rabanus, qui affert illud Ezech.vbi dicitur: *Cùm conuersus fuerit iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem,omnes iustitiæ eius obliuioni tradentur.*Et D.Hieron.lib. 6. in c.15. Isai. explicans illa verba: *ad torrentem Salicum ducent eos*,ait: Peccatores ducuntur ad vallem Salicum,vt nullus in eis fructus remaneat: hanc enim seminis harum arborum esse naturam dicunt, vt qui illud in poculo hauserit,liberis careat,fructu,scilicet,bonorum operum.Multáque hac de re habet Hieronym.lib.7.& lib.17.in Isai.& lib.1.in Thren.& August. tract. 1.in Ioann. vbi ait,nihil fieri homines cùm peccant. Quod etiā prosequitur D.Thom. in illud Pauli: *Si charitatem non habuero,nihil sum.*

Num. 6. *Ezec. 33.* *Isai 15.* *1.Cor. 13.*

HINC est quòd D. Ambrosius per admirationem,& exaggerationem interpretatur illud quod dixit Deus Adamo. *Vbi es?* Sic enim habet libr.de *Genes. 3.*

Parad.c.14.Non locum quærit, qui nouit arcana;non in quo loco quæro: sed in quo statu, quò te perduxerunt peccata tua? Vnde Chrysol.Serm.2.
Luc.15. de Prodigo, explicans illud quod Lucas ait; *In se reuersus*, ait: In se redit qui à se antè recesserat, & Sermon.5. Cùm in se non esset, non erat secum. Videtur enim extra se ferri, mentémque & intellectum egredi,qui pro vili & commutabili bono,tot simul bona amittit, & tot malorum fit reus.Pro qua sententia est etiam videndus Gregor.8.Moral.cap.10.
Matt.9. cùm ponderat id quod Christus Dom.dixit cuidam quem curauerat;*Vade in domum tuam.*Quia nimirum dignum est,vt peccator post veniam ad mentem suam redeat,extra se per inobedienttam missus,mentis suæ locum perdidit. Cùm ergo per quodlibet peccatum tot bona amittantur, quæ non posset amittere,qui rectæ mentis compos esset:cúmque reatus æternæ pœnæ incurratur,summopere curandum est,vt omnia seruemus quæcumque
Galat.5. nobis Deus mandauit. *Debitores* enim *sumus vniuersæ legis faciendæ*;cùm is qui in vno offendit,statim omnium reus fiat.

§. II.

Vitanda transgressio legis ratione ingratitudinis.

NON est tamen omittenda hoc loco ea expositio quam affert August. lib.de vera & falsa pœnitentia cap.14.quòd is qui offendit in vnum
Matt.18 præceptum,fiat omnium reus,propter ingratitudinem;quam expositionem affert Magister in 4.distinct.16.Sicut enim parabola de seruo debitore docet,omne debitum aliàs etiam dimissum,& condonatum, repetitum fuisse à seruo nequam,qui beneficij accepti oblitus,& domino ingratus, noluerat parcere,& misereri conseruo suo roganti:dignus namque censetur ingratus seruus,qui diuinis beneficiis spolietur, & maiori supplicio afficiatur.Sumit enim nouum peccatum incrementum ex ingratitudine prioris remissionis, quanuis remissorum non redeat reatus, vt sanior habet doctrina.Proindéque Ioan.5.monet sanatum Paralyticum.*Ecce sanus factus es,*
Ioan.5. Eccl.27. *iam noli peccare,ne deterius tibi aliquid contingat.*Et Ecclesiastic.ait:*In duobus contristatum est cor meum:& in tertio iracundia mihi aduenit.Vir bellator deficiens per inopiam,& vir sensatus contemptus,& qui transgreditur à iustitia ad peccatum, Deus parauit eum ad rompheam.*Et iterum:*Qui baptizatur à mortuo,& iterum tangit eum,*
Eccl.34. sc.rediens ad peccatum:at ibi exponit Interlinearis,*quid proficit lauatio illius?* (quasi dicat:nihil,vt ibi Lyran.nam immundus efficitur sicut antè;) *sic homo qui ieiunat in peccatis suis:& iterum eadem faciens,quid proficit humiliando se?* quem locum ad hoc propositum exponit Rabanus ibi;& Gregor.in Psalm.4.pœnitent.& lib.1.epist.39.

ET pro hac re est Aug.vidédus lib.de fide & operib.c.25.Ser.84.de Temp. Ser.12.de verb.Dom.& Ser.112.Cócione 2.super Ps.80.Ioannes Collator,
Luc.11. Matt.12. Collat.5.c.25.Chrysost.hom.44.in Matt.cùm ponderat reditum Spiritus maligni ad eam animam quam reliquerat diuina gratia, afferentis secum septem spiritus nequiores se.

DE

DEBET igitur peccator introductus in promissam gratiæ terram, secum expendere vnde exierit, & ad quæ bona admissus sit, ne ea tandem amittens, maiorum suppliciorum fiat reus. Namque, sicut dixit Aug. Ser. 67. de Tempore, semper Dei beneficia quæ nullis præcedentibus meritis nobis collata sunt, cogitamus, peccata nostra nobis aut non dominantur, aut si fortè subrepserint, citò per pœnitentiam corriguntur: ad quam recordationem facit locus ille Iosue: *Tulit lapidem pregrandem* (is autem erat Iosue 14.
ex illis qui fuerunt desumpti ab alueo Iordanis siccato) *posuitque illum subter quercu quæ erat in Sanctuario Domini.* Quòd siquis statim obiiciat, fieri non posse vt in Sanctuario Domini esset quercus, cùm Deus dixerit in Deut. *Non plantabis lucum, & omnem arborem frondosam iuxta altare Domini Dei tui.* Cap. 16.
Omissis aliis solutionibus, in præsenti argumento sufficiet ea quam affert Lyran. sequutus de more Rabbi Salomonem. Obseruat igitur vocem Hebræam האלה *Allah*, æquiuocam esse, & significare cùm quercum, tum limen: quando ergo dicitur, *posuit lapidem subter quercum*; Lyranus intelligit *subter limen*; & ita existimat legendum. Iuxta hunc igitur sensum ideo Iosue posuit lapidem allatum ex Iordane, qui ad promissam terram præbuit ingressum, vt filij Israël ingredientes Sanctuarium recordarentur diuini beneficij, per talémque recordationem à Deo in ea terra sibi concessa conseruarentur. Sic etiam & reconciliatus peccator meminisse debet vnde exierit, ne tandem à gratia excidat, & per ingratitudinem fiat denuò omnium reus.

§. III.

Summa cura custodienda est qualibet virtus, propter mutuam earum connexionem.

THESAVRVM ergo in vasis fictilibus portantes vigilare debemus, 2. Cor. 4.
ne quando in latrones incidamus, à quibus spoliati omnibus bonis, Luc. 10.
plagis insuper afficiamur. Sed omnem curam subinferentes ministremus in fide nostram virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis. Cùm enim omnes virtutes inter se connexæ, & concatenatæ sint, vt ostendit Ambros. lib. 5. in Luc. c. de Beatitudine. Hierony. in c. 5. Isai. & in c. 56. & lib. 1. contra Pelag. Aug. lib. 6. de Trinit. cap. 4. & epist. 29. Bern. 1. de Considerat. c. 6. Scholastici Theologi cum Magistro in 3. distinct. 36. & recentiores cum D. Thom. 1. 2. q. 65. quod etiam sequuti sunt Philosophi, vt patet ex Plut. Orat. 1. de fortuna Alexandri, cùm ait: *Stoicum decretum est, quidquid agit sapiens, omnibus cum virtutibus agere, & vnamquamque virtutem primas obire partes, reliquas autem socias omnes sibi perficiendæ rei asciscere.* Quod etiam dixit Seneca epist. 68. *Cùm aliquis tormenta fortiter patitur, omnibus virtutibus vtitur, fortasse cùm vna in promptu sit; & maximè appareat patientia. Cæterùm illic est fortitudo, cuius patientia, & perpessio, & tolerantia rami sunt, illic est prudentia, sine qua nullum*

initur consilium, illic est constantia, illic est diuiduus ille comitatus virtutum, &c.

VNDE rectè colligit D. Ambros. loco citato, qui vnam habet virtutem, cæteras omnes habere, sicut & qui vnam offendit & amittit, cæteras cōsequenter lædit, & amittit. Neque enim vnaquæque virtus verè est virtus, ait Gregor. 1. Mor. cap. 19. si mixta aliis virtutibus non est, &c. quæ latè in hanc sententiam prosequitur.

CAVENDVM proinde & vigilandum nobis est, quò virtutum chorum in nobis custodiamus, imò & à nobis. Pro qua re videndus est Aug. Genes. 2. lib. 8. de Genes. c. 10. cùm quærit, cur Scriptura dixerit; *Posuit eum*, sc. Adam, *Deus in Paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret*, cùm nullus alius extiterit, à quo tunc temporis posset Paradisus custodiri? & respondet; Paradisum custodire posset non aduersùs improbos aut inimicos, qui nulli erant, sed eundem Paradisum ipse sibi custodiret, ne aliquid admitteret, quare inde mereretur expelli.

Vers. 12. *Sic loquimini, & sic facite, sicut per legem libertatis incipientes iudicari.*

EXPOSITIO LITERALIS



HVCVSQVE instruxit fideles ad exhibitionem honoris debiti, modò instruit ad opera misericordiæ exhibenda, de quibus latè agit. Sensum igitur præsentium verborum optimè attigisse videtur D. Thomas hîc, quasi dicat Apostolus: Ne ergo sitis transgressores legis, sic loquimini, scilicet, verba charitatis, & sic facite, scilicet, opera pietatis. Non enim sufficit pietas & charitas in verbis, nisi etiam sit in factis, idque meliùs facietis, si attendatis fore vt statim sitis iudicandi (id enim significat, *incipientes iudicari*) per legem Euangelicam quæ libertatis, est ob rationes iam dictas, & quia caret respectu personarum, sicut optimè notauit hoc loco Oecumen. Iudicandi igitur estis per legem Euangelicam, secundùm quam dicet supremus Iudex: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum à constitutione mundi: esuriui enim & dedistis mihi manducare.*; *reprobis autem dicet*: : *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius: esuriui enim, & non dedistis mihi manducare.* Matt. 25.

§. I.

Debent verba fidelis erga proximum maximam charitatem redolere.

HIc locus in primis admonet, verba nostra ad proximos indigentes secundùm charitatis leges esse proferenda, quod dixit Author Ecclesiastici. *Congregationi pauperum affabilem te facito*, vbi rectè Glossa: decet Christianum æqualibus & inferioribus affabilem esse & mitem, senioribus humilem; & iterum: *Nonne ardorem refrigerabit ros? sic & verbum melius quàm datum? Nonne ecce verbum super datum bonum?* ipsúmque optima similitudine expressit

Eccles. 4.

Eccl. 18.

pressit Salomō cùm dixit: *Sicut vitta coccinea labia tua*; vbi videtur fieri allusio ad eam vittam, siue funiculum (sic enim plerique ibi legunt) quo phlebotomus ante venæ scissionem, brachium astringit, quo ita venas præparat ac disponit, vt etiam antequam phlebotomon accedat, venáque scindatur, ipse sanguis sponte erumpere, vltróque egredi videatur: Sic & ea verba quæ charitate sunt plena, proindéque coccinea, ita astringūt audientem, ita animum vndequaque ligant, vt vel etiam ipsum sanguinem, per quem vita significatur, & in quo consistit, præfūdere cogatur qui ea audit. Laudat igitur Salomon in anima, quæ Christi Sponsa est, labia charitate plena, diuinóque igne rubentia, quæ proximum audientem ligant, & vsque ad sanguinis effusionem obligant. Nihil enim sic primò internum animum ostendit, quàm lenia verba, vt qui in necessitate constitutus, remedium petiturus ad alium accedit, primo veluti vestibulo iam libentissimo animo suscipiatur. Vnde D. Ambr. lib. 2. de Abraham c. 1. Mens in sermonibus nostris habitat, & gubernat verba nostra, & vis eius ac disciplina in sermone elucet, & bonus paterfamilias à primo illo vestibulo domus æstimatur. Ita etiam de sermonibus nostris, mens nostra perpenditur, adeóque iudicat egens ac pauper frater se libenter suscipiendū, qui in primo limine verbis, scilicet, charitate feruidis suscipitur, & iam iam ditatur. Cant. 4.

In hoc sensu Christus Dom. dixit: *Bonus homo de thesauro suo profert bonum.* Nam cor thesauro simile est, in illóque aurea & argentea verba concipiuntur & conflantur, indéque ad leuandas egentium miserias proferuntur. Videndus pro hac re Chrysost. hom. 38. in Matt. cùm ita habet: Siquis lapide percussus, cæteris omnibus relictis ad genua tua sanguinolentus confugiat, alióne tu vulnere caput eius percuteres, & vulneri adderes vulnus? Nequaquam profectò; sed potiùs priori vulneri medelam adhibere contenderes. Cur igitur oppositum in pauperes facis? An ignoras quantùm prodesse iucunda, & quantùm obesse dura possit oratio? similiáque habet hom. 21. in epist. ad Rom. vbi inter alia sic habet: Quomodo ad Deum dicis; Miserere mei? quomodo peccatorum veniam petis, qui ei conuiciaris, qui tibi nihil peccauit, pœnámque pro fame, tantáque necessitate exigis? Non erigis iacentem, ecquid deiicis? non succurris paupertati, quid conteris? Similiáque habet hom. 22. in eandem epistolam, multáque habet hom. 36. in Matt. & hom. 51. vbi probat, nos verbis posse efficere opera misericordiæ. Videndus hac de re Greg. 21. Moral. c. 14. vbi acriter agit in eos qui contumeliosè respondent egentibus. Luc. 6.

§. II.

Verba nostra debent comitari opera misericordiæ in egenos.

QVONIAM verò simulata est ea dilectio quæ in sola voce ac verbis posita est, vnde Ioann. dixit: *Filioli, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate*: addit Iacobus, *sic facite*, quasi dicat. Iuxta normam charitatis 1. Can. c. 3.

proximo loquimini, & iuxta eandem facite, ne quod luxuriat in flore sermonis, teneatur & hebetetur in fructu, sicut dixit Ambr. Ser. 12. in Ps. 118. Et, sicut ait, Greg. 21. Moral. cap. 14. dilectio nostra semper exhibenda est, & veneratione sermonis, & ministerio largitatis, in cuius rei significationem videtur omnium rerum Creator dixisse vt fierent ea quæ fecit: *Ipse dixit, & facta sunt*; & postquam ea condidit, eadem benexit, fecit, inquam, & loquutus est. Cuius rei rationem possumus petere à Tertull. 2. contra Marcionem c. 4. cùm ita habet: Sic benedicebat quæ benefaciebat, vt tibi totus Deus commendaretur bonus & dicere, & facere. Voluit itaque pientissimus Dominus in ipso Creationis limine, & verbis declarari bonus, & operibus ostendi, vt eum etiam imitaremur & bene loquendo, & benefaciendo fratribus.

In quam sententiam facit id quod notauit Philo lib. de Decalogo; dixisse scilicet Scripturam, quando Deus dedit legem populo. Vniuersus populus videbat vocem apertissimè, magna enim vox auditur; Diuina visu percipitur. Quare? quia quæcumque Deus dicit, non verba sunt, sed opera, quorum iudicium non tam est penes aures, quàm penes oculos. Ex qua notatione Philonis illud colligimus, Deum verbis opera adiungere solere; verbáque operibus induere, ideóque cùm proprium sit verborum auribus percipi, verba Dei eo quòd nunquam ab operibus sciungantur, ratione operum dicuntur videri, potiùs quàm audiri. Voluit enim Deus nos instruere, vt quantùm possemus verbis opera coniungere niteremur. Quibus similia habet lib. de migratione Abrahæ. *Exod. 20.*

Facit etiam ad præsens institutum ordo, quem Sponsa sequuta est in commendando Sponso. Statim enim atque laudauit Sponsi labia, continuò manus eiusdem commendauit; sic enim habet: *Labia eius lilia distillantia myrrham primam, manus eius tornatiles aurea.* Verba namque Diuini Sponsi perpetuò operibus coniunguntur, ideóque idem est loqui in Deo ac operari. Ad imitationem ergo Dei admonet Iacobus vt iuxta charitatis legem loquamur & faciamus, vóxque ac manus nostræ electi Iacob reperiantur esse, quò in Iudicio extremo diuinam benedictionem promereamur accipere. *Venite benedicti Patris mei.* *Cant. 5.* *Matt. 25.*

Hoc ipsum docuit Hierony. in reg. Monach. c. de charite. vbi per occasionem explicat illud Pauli, *hospitalitatem sectantes*; quod ipse legit, & ita habet vox Græca; *Hospitalitatem persequentes*: vt non leui, vsitatóque sermone, & (vt ita loquar) summis labiis hospites inuitemus, sed toto mentis ardore, & pectoris charitáte teneamus, quasi auferentes secum de lucro nostro atque compendio. *Rom. 12.*

Illud tandem hoc argumentum concludet, quod dixit Dauid de ore ac verbis sancti viri: *Os iusti meditabitur sapientiam.* vbi Hebr. habetur; *Os iusti fructificabit*, vel *propagabit.* Verba enim iusti inania, & sterilia non sunt, sed simul cum fructu bonorum operum egrediuntur: vtpote qui secundùm legem charitatis, & loquitur, & facit. *Psal. 36.*

§. III.

§. III.

Quantũ conducat ad bene operãdũ recordatio extremi Iudicij.

QVo faciliori autem ratione verbis opera adiungamus, faciamúsque ea quæ loquimur, vrgens proponit motiuum extremi Iudicij, in quo secundùm legem debemus iudicari: reuerà enim nihil tam efficax ad retinendos homines in officio quàm vltimi Iudicij attenta consideratio. Vnde Dauid: *Dixi iniquis, nolite iniquè agere, & delinquentibus, nolite exaltare cornu, quoniam Deus Iudex est.* Psal. 78. Notauítque Origen. hom. 5. in Psal. 36. ea verba Dauidis superiùs allegata, *Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium.* Psal. 36. Duplici modo, inquit, lingua iusti intelligitur loqui iudicium, siue pro eo quòd omnia recto iudicio, & cum deliberatione, & consilio loquitur, vel quòd semper de futuro Iudicio loquitur iustus, vt commonens semper vel semetipsum, vel qui se audiunt. Et Basil. hom. in Martyrem Iulitam, & in Psal. 32. Quando peccandi tibi libido incesserit, veniat quæso in mentem horrendi iudicij Christi recordatio, vbi excelso sublimíque solio ille Iudex præsidet, omnis verò creatura astabit tremebunda, aderunt terrifici dæmones, &c. Et Chrysost. Serm. aduersùs impios Hæreticos: Quando loqui incipio de consummatione sæculi, & de secundo Christi Aduentu, horrore corripior & obstupesco, nam etsi cuncta opera Domini admirabilia sunt, & magna atque tremenda; at consummationis, & secundi ipsius Aduentus mysterium, omnem sermonem ac mentem cogitationémque excedit. Et Serm. in illud Isai. *Si volueritis,* &c. ad finem tomi 1. Quis potest cogitare peccatum, qui supplicium cogitando veretur? & hom. 38. in c. 5. Ioan. Hoc Iudicium semper præ oculis habeamus, ita semper virtuti vacare poterimus, nam sicut qui diei illius obliuiscitur, tanquam fræno abiecto in præcipitium defertur; *Inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore:* & causam affert; *Auferuntur iudicia tua à facie eius:* ita quem continuus hic percellit timor, Psal. 5. modestè viuendi viam ingreditur.

Videndúsque est D. Hier. epist. ad Florent. August. lib. 6. Confess. c. 16. lib. Soliloquior. c. 14. & Serm. 35. de verbis Apostoli. Nec omittendus Nazian. Orat. 15. dum ait: Formidabile illud tribunal erit, magísque etiam iustum quàm formidabile, imò, vt rectiùs dicam, idcirco formidabilius, quia iustum. Quid responsi dabimus, cùm præter beneficiorum multitudinem, quibus acceptis ingrati permansimus, plagas etiam insuper nobis probo vertet, ac medicinæ genera, quibus sanati non sumus, recensebit? Et Gregor. 14. Moral. c. 30. Cùm in illo tremendo examine Iudex sederit, videri potest, placari non potest, quia facta prauorum, quæ diu sustinuit tacitus, simul omnia reddet iratus. Et D. Bernard. epist. 1. ad Robertum. expendens id quod Dauid dixit: *Cùm accepero tempus, ego iustitias indicabo;* ait: Psal. 74. Quid faciet de iniustis iudiciis, qui ipsas quoque iustitias iudicabit? Illo verò loco nomine (*iustitiæ*) debemus intelligere ea quæ perfectissima nobis in vita esse videtur, sicut notauit Greg. 5. Moral. c. 8. dũ dixit: Sæpe ipsa iustitia nostra

nostra ad examen diuinæ iustitiæ deducta, iniustitia est, & sordet in districtione Iudicis, quod in æstimatione fulget operantis. Vnde Paulus; *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum*: qui causam mox insinuans ait, *Qui autem iudicat me, Dominus est*. Similia etiam habet 9. Mor. c. 10. & cap. 14. & Aug. 2. Confess. & 6. Confess. c. 6. & c. 13. Bernar. Serm. 54. in Cant. vbi affert illud Sophoniæ: *Scrutabor Hierusalem in lucernis*; intelligit verò per (*Hierusalem*) viros iustos, & perfectos, quorum opera Deus sigillatim inquiret. Quid tutum, inquit Ber. in Babylone, si Hierusalẽ manet scrutinium? Hæc igitur qui pauet, cauet: nam qui negligit, incidit, sicut dixit idem Bern. Serm. de Conuers. ad Cleric. c. 5.

1. Cor. 4.

Cap. 1.

MODVM autem cauendi apposuit Aug. lib. 50. hom. hom. vltima, dicens: Si timet homo quòd oportet nos præsentari ante tribunal Christi, ascendat ipse aduersus se tribunal mentis suæ, constituat se ante seipsum, loquatúrque & operetur, quasi per legem libertatis incipiens iudicari, vt docet Iacobus. Sic enim fiet vt postea non diiudicetur. Aduertit autem idem Augu. Serm. 120. de Temp. magnam iam peccati pœnam esse, memoriam futuri Iudicij perdidisse.

Vers. 13. *Iudicium enim sine misericordia illi, qui non facit misericordiam; superexaltat autem misericordia iudicium.*

EXPOSITIO LITERALIS.



REDDIT rationem Apostolus, quare erga proximum debeamus loqui, & operari, quasi mox iudicandi à Deo iuxta charitatis legem. In extremo namque Iudicio quando magis necessaria erit misericordia, illi tantùm concedetur qui misericorditer se in fratres habuerit. E contrà verò qui nullam misericordiam præstiterit, nullam à Deo Iudice liberatricem misericordiam consequetur. Tunc enim primas partes obtinebit, superiórque euadet misericordia.

4. Re. 25. IVDICIVM igitur in Scriptura significat sententiam, 4. Reg. 25. *Apprehensum Regem duxerunt ad Regem Babylonis in Reblatah, qui loquutus est cum*
Hierem. 1. *eo iudicium*. Hierem. 1. *Loquar iudicia vera cum eis super omnem malitiam eorum*. Dubium igitur est quid significet hoc loco, *iudicium sine misericordia*. D. Thomas intelligit iudicium damnationis, id est, iudicium absque misericordia liberante, & absoluente, sicut loquitur Caiet. hîc. Ille qui non
Mat. 18. fecerit misericordiam, sicut contigit seruo illi, qui non est misertus conserui sui. Et ita hoc iudicio sumpto etiam pro damnatione, & supplicio per sententiam Dei illato, carebit misericordia saluatrice, non tamen omnino carebit misericordia, quia reprobi adhuc citra condignum puniuntur; sicut prosequitur August. 21. de Ciuit. Dei, cap. 24. vbi extendens Dei misericordiam ad damnatos, & quasi retractans id quod dixerat 2. de Ciuit. c. 24. & 27. lib. 3. de Symbol. ad Catechum. cap. 8. ait: Quibus placet istam senten

ten

tentiam ex Psal. 66. *Nunquid obliuiscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas?* vsque ad illa impiorum tormenta protendere, saltem sic intelligant, vt manente in eis ira Dei, quæ in æterno est pronunciata supplicio, non contineat Deus in hac ira sua miserationes suas, & faciat eos non tanta, quanta digni sunt pœnarum atrocitate cruciari, non vt eas pœnas vel nunquam subeant, vel aliquando finiant, sed vt eas mitiores, quàm merita sunt eorum, leuioresque patiantur: sic enim & ira Dei manebit, & ipsa ira sua miserationes suas non continebit. Quibus similia habet Hier. in cap. vlt. Isaiæ. vbi ait iustitiam Dei apud inferos esse clemētiæ admixtam. Quod deducit Genebrar. ex illo loco Psalm. *Miserationes eius super omnia opera eius*; vbi sic ait: Ad vniuersa eius opera misericordia eius pertingit, erga omnia misericordiam suam exercet, vt & supplicium gehennæ moderatius sit, ac mitius, quàm scelerum nostrorum atrocitas mereatur, vtpote quia Deus vindex iustam pœnam misericordia & lenitate temperare solet. Et D. Thom. 1. p. q. 21. art. ad 1. In damnatione, inquit, reproborum apparet misericordia, non quidem totaliter relaxans, sed aliqualiter alleuians dum punit citra condignum. Ps. 144.

SVPEREXALTAT *autem misericordia iudicium.* Syriac. habetur; *Exaltati estis per misericordias super iudicium*; quoniam misericordia hominem superexaltat, & extollit in iudicio, ne condemnetur. Græcè verò habetur: *Gloriatur*, seu, *exultat misericordia aduersùs iudicium*; tanquam victrix, vt ait Caiet. Quoniam, scilicet, iudicium superat, & de iudio triumphat, siquidem misericordes, vt ait Oecum. misericordiam consequentur, confértque misericordiam cum oleo quo athletæ corpora vngebant. Dat enim, inquit, oleum elabi, ne ab aduersariis tenantur, & ita in vniuersali iudicio misericordia nostra erga egenos dabit effugere impetus, ac pericula, quæ à dæmonibus accusatoribus nostris imminebunt. Vnde Aug. lib. 50. homil. hom. 39. Ante fores gehennæ stat misericordia, & neminem permittit in carcerem mitti. Similiáque habet eodem lib. hom. 19.

PLERIQVE verò per Enallagem dici putant, misericordiam pro misericorde, rem videlicet pro persona, vt sit sensus: Qui misericors fuerit, securo, & confidenti animo erit in Iudicio, nec est quòd damnationem pro peccatis suis metuat. Quæ sententia ita intelligenda est, vt non foueat eorum errorem, qui putāt grauissimos peccatores etiam in delictis suis perseuerantes, & morientes, tandem fore saluandos, si benefici, & misericordes fuerint in pauperes. Quod Aug. apertè refutat, & conuincit falsitatis lib. 21. de Ciuit. c. 27. & in Enchirid. ad Laurent. c. 7. & Lactant. lib. 9. Diuin. Inst. c. 13. Idémque Aug. Psal. 143. hunc locum interpretatur sic. Quid est, *superexaltat misericordia iudicium?* superponitur misericordia iudicio, in quo inuentum fuerit opus misericordiæ.

VEL tandem possumus illud, *Superexaltat*, explicare metaphora sumpta à trutina, seu bilance, quasi in iustissima Dei libra, in vna lance iudicium collocetur, in altera verò misericordia, cæterùm misericordia iudicio præponderet, ideóque lancem in qua iudicium est, eleuet, assurgereque

faciat, quia scilicet maioris ponderis est, quàm misericordia, plúsque placet Deo, sicut aliqui dixerunt, teste Carthus. hoc loco.

Nisi fortè placeat, superexcedere misericordiam iudicium, quantùm ad affectus. Sicut hunc locum exponit Genebrar. Psal. 144. quæ est etiam expositio D. Aug. q. 105. in Exod. cùm ponderat, Propitiatorium desuper legem fuisse positum: similiáque habet q. 129. in eundem lib. cùm loquitur de ornatu summi Sacerdotis.

§. I.

Quantùm conducat in Iudicio misericordia erga egentes.

Hic locus, ex communi Patrum sententia, vrget eos, qui immisericorditer se erga fratres habent, cùm Dominus pactum veluti constituerit nobiscum, & spoponderit se eodem modo erga nos habiturum, quo nos vsi fuerimus in fratres, sicut prosequitur Aug. lib. 2. de Sermone Domini, c. 18. & hom. 42. in qua Orationem Dominicam exponit. Et Cypria. ad ea verba, *Sicut & nos dimittimus.* D. Leo Serm. 6. de Collectis, cùm ponderat illa verba, *Dimittite, & dimittetur vobis*; vbi ait: Quid hac iustitia benignius? quid hac retributione clementius: vbi sentẽtia iudicaturi, in potestate ponitur iudicandi? & Serm. 12. de Quadrages. Iusta, inquit, & benigna conditio, vt homo sententiam Dei ex suo libret arbitrio, & eo sibi iudicio obstringat Dominum, quo iudicauerit ipse conseruum.

Matt. 18. Pro qua sententia notauit Chrysost. hom. 20. ex variis in Matth. in seruo illo nequam qui *tenens suffocabat conseruum, & procidens conseruus rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Notat igitur crudelitatem suffocantis, cui à domino omne debitum fuerat dimissum, & supplicium denuò illatum ob immanitatem in conseruum. Per verba, inquit, quibus ille remissionem impetrauerat, per ipsa hic quoque seruari postulat: at ille præ nimia crudelitate ne his quidem verbis flectebatur, nec ei in mẽtem veniebat, quòd his verbis ipse seruatus esset. Accusato autem Dominus ait: *Serue scelesto, omne debitum remisi tibi.* Quid hoc domino benignius cogitari potest? Cùm ei deberet decem millia talentorum, ne verbo quidem illum contristauit, neque scelestum vocauit, sed venundari tantùm iussit, idque in hoc, vt absolueret eum à debitis: postquam autem erga conseruum malus apparuit, tunc demum irascitur, & exasperatur. Vnde Chrysol. Serm. 71. ait. Homo tibi misericordiæ factus es ipse mensura, quantùm quæris misericordiæ, fac tantùm. Similiáque habet Ser. 70. Et Author Ecclesiastici: *Relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi pec-*
Cap. 28. *cata soluentur.* Homo in hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur.

Psal. 40. Vnde iam constat quare Dauid beatum dixerit eum virum, *qui intelligit super egenum & pauperem*, quasi dicat: Beatus qui non tantùm videt pauperem, sed in eo intelligit Christum indigentem, & bona, quæ Deus misericordibus promittit. Ideóque Ambros. 1. Offic. c. 11. Neque quisquam ma-

gis

gis beatus, quàm qui intelligit super pauperis necessitatem; in die Iudicij habebit salutem à Domino, quem habebit suæ debitorē misericordiæ. Expendens verò Chrysol. Serm. 14. sequentia verba Psalmi. *In die mala liberabit eum Dominus*, ait: In die mala illi Deus liberator assistet, qui à malis pauperem liberarit. In angustiis illum Deus clamantem audiet, qui pauperem cùm clamaret, audiuit, non videbit diem malum, qui dies bonos habere pauperem fecit. Sine causa accusant peccata, quem pauper excusat. Excusari non potest, quem fames pauperis accusarit. *Dominus conseruet eum, & viuificet eum*, conseruet, ne rapiatur ad pœnam, viuificet, vt resurgat à mortuis, & recipiat vitam. *Uniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius*. Dominus versat stratū nostrū, quando nobis aduersa vertit in prospera: cōcluditque. Beatus, qui fœnerādo pauperi, ipsū sibi Iudicē præstitit debitorē.

Et quoniam incidimus in expositionem istius Ps. adhuc adnotanda sunt verba illa: *Dominus conseruet eum, & beatum faciat eum in terra*; quæ quidem sic exponit Palatius in c. 5. Matt. Nullus, inquit, in cœlo simul & in terra beatus; at legem hanc sola violat misericordia. In hanc sententiam facit id quod notauit D. Leo Serm. 5. de Collectis, dum expendit, Christum Dominum dicturum reprobis in Iudicio: *Ite maledicti in ignem æternum: esuriui enim, & non dedistis mihi manducare*. Electis verò: *Venite benedicti: esuriui enim, & dedistis mihi manducare*. Quasi, inquit ille, nec alias virtutes dextri, nec alias offensiones habeant sinistri, sed illo magno summóque Iudicio tanti æstimabitur, vel largitatis benignitas, vel tenacitatis impietas, vt pro plenitudine omnium virtutum, & pro summa omnium commissorum, & per vnum bonum isti introducantur in Regnum, & per vnum malum illi mittantur in ignem æternum. Nemo igitur, dilectissimi, de vilis sibi bonæ vitæ meritis blandiatur, si illi defuerint opera charitatis. Hæc virtus omnes facit vtiles esse virtutes, quæ ipsam quoque fidem ex qua iustus viuit, sui admixtione viuificat. Similia habet Serm. 11. de Quadrages. vbi ait: Apud summum Patrem, qui non fuerit in charitate fratrum, non habebitur in numero filiorum. Videndus item Aug. 21. de Ciuit. Dei c. 27. Et Euthym. in cap. 25. Matt. vbi ponderat, Christum Dom. in Iudicio sola opera misericordiæ retulisse, quia voluit confirmare, quòd hæc maximè requirat, & præ omnibus expetat. Videndus item Chrysol. loco cit. vbi ait quòd Abel passus sit, quòd seruauit mundum Noë, quòd Abraham fidem suscepit, quòd Moyses legem tulit, quòd Petrus Crucem resupinus ascendit, Deus tacet, & hoc clamat solùm, quod comedit pauper. In cœlo prima est esurientis annona, prima stipendia pauperis tractantur in cœlo. Beatus cuius nomen toties Deo legitur, quoties ratio pauperis recitatur in cœlo. Et Chrysost. hom. 33. ad Pop. Eleemosyna astat tribunali, non tantùm patrocinans, verùm & ipsi Iudici persuadens, vt reo patrocinium præstet, & pro eo sententiam ferat. Similiáque habet hom. 5. & 7. de Pœnit. & hom. 6. in 2. ad Timot. D. August. lib. 50. homil. hom. 19. & hom. 39.

Matt. 25.

Galat. 3.

Quantum autem in die Iudicij Dominus deferre debeat pauperibus, ex eo facilè perspicitur, quòd cùm Iudex debeat omni prorsus carnis & sā-

guinis respectu carere, quò meliùs ius cuique possit tribuere, & iustitiam rectè administrare, tamen Christus Dom. dum sederit in sede Maiestatis vltimam sententiam laturus, pauperes fratres suos minimos appellabit, id est, summe dilectos, & in deliciis habitos; sic enim dicit per Matt. *Amen dico vobis, quandiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Vnde Ephrem in eos qui in Christo obdormierunt, sic infert: Si vnus aliquis frater Regis plurimùm sæpe patrocinando, ac precando potest apud proprium fratrem Regem, quãto magis vbi fratrum interpellat, flectitque multitudo? Bonum in illa hora tibi subueniet auxilium, si pauperibus mendicis hic compassus fueris. Boni pro te apud Christum tunc erunt aduocati, qui hic egeni antè nutriti, & misericordiam consequuti, protecti, ac conuocati, boni tibi hi fratres istic reddentur, sicut sunt fratres Christi, & in die mala bona tibi reddent, quæ à te hic acceperunt. Vnde Ambros. Serm. 39. optimè probat, quòd in reddendis aliis rebus proficimus iis quibus conferimus, in eleemosyna verò nobis vtiles admodùm sumus. Rectè proinde Chrysolog. Serm. 42. aduertit Christum venientem ad iudicium prius de eleemosyna verba facere, quã iudicet de reatu: Cùm sederit, inquit, super thronũ gloriæ suæ dicet, *Esuriui, & non dedistis mihi manducare.* Nõ dixit: Occidistis, ait Chrysol. furtum fecistis, sed, esuriui ego, & non dedistis mihi manducare: de crimine non præstabit causas, cui de misericordia causa constabit. Quare? quia date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis: nõ iudicabitur de culpa, cui de largitate laus defertur à Iudice: vindictam non exigit humanitatis, debitum qui fatetur; esuriui, & dedistis mihi manducare. Manducat Deus in cælo panem, quem perceperit pauper in terra. Da ergo panem, si Deum debitorem, non Iudicem vis habere. Misericordiam nescit diuinus ignis exurere. Similiáque habet Ser. 41.

Cap. 25

Qvoniam autem misericordia superexaltat iudicium, & veluti victrix in illud exultat, meritò Paulus ait: *Induite, sicut electi Dei sancti viscera misericordiæ;* hoc enim videtur nuptiale Indumentum, quo qui caruerit, foras eiicietur. Debet autem hæc vestis non exteriùs, & supra corpus indui, sed interiùs & instar viscerum. Vnde Pauli verba sic explicat Chrysost. hom. 4. in epist. ad Rom. Beneuolũ, inquit, & misericors est omnẽ Sanctorum genus, propterea Paulus dicit; *Induite, sicut electi Dei viscera miserationis.* Vides exacti verbi vsum, non enim simpliciter dicit, Miseremini, sed, induite misericordiam, vt quemadmodum indumentum perpetuò nobiscum est, ita sit misericordia, neque simpliciter dixit: Induite misericordiam, sed, viscera miserationum, vt naturalem pietatem sequamur. Vbi ostendit, quòd sicut dedecet virum nobilem, & honestum vestibus exui, nudúmque videri: sic maximus debet subesse pudor, si misericordiæ vestis aliquando deesse comperiatur viro iusto. Quod, ne aliquando contingat, debet hæc vestis fieri non accidentalis, sed substãtialis ac naturalis, vt per viscera misericordiæ ad imitationem Dei miseris succurrere possit.

Coloss. 3.

Patebit autem hoc clariùs, si videamus quòd etsi in Scriptura iustitia, & zelus nomine vestium veniant intelligenda, tamen illarum vestium

no

nomina sortiuntur, quæ nos non semper comitantur, sed plerumque diu deponimus: etenim iustitiæ cingulũ appellatur ab Isaia; *Erit iustitia cingulum lumborum eius.* Zelus item, pallium dicitur ab eodem Propheta: *Opertus quasi pallio zeli.* Quis verò non videat nos multoties, & pallium, & cingulum deponere, etiam dum vel cætera vestimenta non deponimus? At verò misericordia iugiter nos comitari debet, vt internum cordis ac viscerum vestimentum. Ideoque Aug. 9. de Ciuit. Dei c. 5. In corde posuit misericordiam, dum dixit: Misericordia est alienæ miseriæ in nostro corde conpassio. Qua de re videndus est D. Thom. 2. 2. q. 3. art. 2. in corpore. Et Gregor. 20. Moral. c. 26. Chrysost. hom. 37. ad Pop. in initio. Cap. 11. Cap. 59.

Cvm ergo nostra misericordia superexaltet iudicium Dei in nos, diuinámque misericordiam nobis conciliet, ei debemus incumbere ante Iudicij tempus, sicut prosequitur Chrysost. homil. 5. de Pœnit. vbi ita ait: Ante Iudicij tempus mitigabilis est Iudex; quare dicit Dauid. *Præoccupemus faciem eius.* Illic magnum Iudicem ars Rhetoris nulla decipiet, & nullius potentia mitigabitur, dignitati non condescendet: hic verò Iudicem exorabimus, & placabimus non pecunia, magis autem (si verum dicere oportet) clemens ipse piúsque pecuniâ suadetur, non ipse manu, sed per inopes accipiens. Da inopi pecuniam, & Iudicem mitigaueris. Quibus habet similia Cyprian. lib. de Lapsis, circa finem: Incunctanter, inquit, & largiter fiet operatio, id est, eleemosyna, sensus omnis in medelam vulneris erogetur, opibus, & facultatibus nostris, qui de nobis iudicaturus est, fœneretur. Similia habet etiam Hilar. in Psal. 51. & Euseb. Emyssenus hom. 1. de initio Quadragesi, dum ex Scriptura probat, orationibus, & eleemosynis purgari peccata. Per vtramque ergo rem, inquit, sed maximè per eleemosynam misericordia Dei requirenda est. Oportet itaque, vt tibi res vtraque consentiat, illa rogat, hæc imperat, illa quodammodo Iudicis audientiam deprecatur, hæc gratiam promeretur, illa ostium pulsat, hæc aperit, illa supplicat, sed supplicantem ista commendat. Psal. 94.

Cvmqve tam necessaria ad salutem sit charitas in egenos, prouidit misericordia omnipotentis Dei materiam nostræ misericordiæ, ne cui deesset, adauxit pretium vilibus rebus, vt omnibus supeteret: vnde dixit; *Quicumque potum dederit calicem aquæ frigidæ, non perdet mercedem suam.* Quæ verba expendens D. Leo Serm. 6. de Quadragesi. ait: Tanta seruis suis Deo præparante compendia, vt etiam præbitio aquæ, cuius vsus gratuitus, atque communis est, præmio non careret. Quibus similia habet Greg. Nyssen. lib. de Beatitud. & Chrysost. homil. 22. in Gen. Theodoret. Serm. 7. de Prouident. & D. Hieron. commentatus eadem verba Christi Dom. notat illud quod dicitur, *aqua frigida.* Frigidæ, inquit, aquæ, non calidæ, ne in calida, paupertatis ex penuria lignorum, occasio quæreretur, quin imò, & iis, qui nihil omnino habeant, vnde eleemosynam faciant, remedium assignat idem Hier. in Ps. 111. Qui non habet, inquit, vnde faciat eleemosynam, liber est quantumcumque dare voluerit, tantùm dedit, quia voto dedit. Quibus habet similia D. Leo Serm. 5. de Ieiunio, vbi inter alia ita ait: Æquatur ple- Matt. 10.

rumque merito, quod distat impendio, quia potest esse par animus, vbi impar est sensus. Nouit Dominus omnium vires, &c.

Iis autem, qui abundant proponenda est Chrysostomi doctrina in hom. 21. in priorem ad Cor. vbi ita habet: Non dare, sed largè dare, id demum est eleemosyna: quænam, quæso, tibi vtilitas, cùm ex diuitiis tantùm exhibeas, quantùm si quis ex pelago cyathum daret? Quomodo autem dices,
Psal. 50. *Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam*, cùm tu non secundùm magnam misericordiam miserearis: fortasse autem neque secundùm paruam? non potest autem parua eleemosyna, ac leuis misericordia superexaltare iudicium multorum, ac grauium peccatorum, quæ sicut onus graue grauata sunt super nos. Videndus est etiam pro hac re idem Chrysost. homil. 34. in Genes.

§. II.

In vna eleemosyna cætera virtutes continentur.

NON est autem mirandum, si misericordia superexaltet iudicium, cùm vniuersa iustitia in sola niteat & reluceat misericordia. Vnde &
Psal. 111. accipitur iustitia pro ipsa eleemosyna. *Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum seculi.* & alibi: *Iustitia liberabit à morte.* Nósque iam superiùs plura de hac re diximus. Ratio verò huius rei ea esse videtur, quòd vir misericors & eleemosynarius videatur reddere omnibus, quod suum est, imprimis enim sibi tribuit, quod natura postulat, compassionem scilicet, & misericordiam, & se indigentem, & pauperem, ac fragilem confitetur. Vnde Aug. Serm. 41. de verbis Domini, ait: Agnoscit se pauperem, qui agnoscit iuxta se pauperem; quomodo enim non pauper es, qui petis panem nostrum quotidianum? estque nobis compassio, & commiseratio naturalis.

VNDE qui misereri renuit, claudit viscera sua, reprimítque naturalem impetum, & affectum: nam viscera in quibus numeratur cor, iecúrque, sedes sunt affectuum, & ad alienam miseriam, veluti naturaliter teneriora
Thren. 2. redduntur, & patefiunt, imò & mollesiunt. Vnde Hierem. *Defecerunt præ lacrymis oculi mei, conturbata sunt viscera mea, effusum est in terra iecur meum super contritione filia populi mei.* Et de muliere illa, cuius filius medius iam iam diuide-
3. Reg. 13. batur, dicitur: *Commota sunt viscera eius.* Vnde etiam is qui *in visceribus mise-*
Luc. 1. Ioan. 19. *ricordia nos visitauit ex alto*, seu, *propter viscera*, vt legit Ambros. vel Prosper 1. de Vocatione gent. cap. 7. latus ipsum voluit aperiri, apertúmque conseruari, vt per foramina corporis paterent viscera misericordiæ, in quibus nos visitauit, sicut dixit Ber. Ser. 61. in Cant.

QVI ergo alienæ miseriæ subuenit, quod suum est, proprium facit, dum non continet, nec claudit viscera misericordiæ. Qua de re videndus Oecumen. in epist. ad Coloss. c. 3. cùm ponderat ea verba: *Induite viscera misericordia*; docétque Paulum voluisse, vt erga fratres indigentes affectum paternum exhiberemus, & sic erga illos commoueremur, sicut parentes erga filios, quos ex suis visceribus genuerunt.

TRIBVIT

Tribvit etiam homo id quod debet Deo, dum ad ipsius imaginé conditus est, ipsius bonitatem, dum aliis largitur imitando. Vnde Ambr. 1. Offic. c. 11. Bona misericordia, quæ & ipsa perfectos facit, quia imitatur perfectum Patrem. Et Leo Ser. 10. de Quadrag. c. 5. Vbi Deus curam misericordiæ inuenit, ibi imaginem suæ pietatis agnoscit. Quod etiam prosequitur Ser. 6. de Ieiunio. In quorundam, inquit, indigentia materia vobis data est diuinæ bonitatis imitandæ. Idem prosequitur Naz. Orat. 16. & Clem. Alex. 2. Stromat.

Tribvit etiam vir misericors pauperi victum suo quasi iure debitum. Vnde D. Leo loco proximè cit. Multis, quæ vobis suppetunt, desunt, vt per vos etiam in alios beneficia diuina transirent. Et Serm. 5. de Ieiunio, ait. Pauperes sub diuersis molestiis iustitia Dei laborare permisit, vt & miseros pro patientia, & misericordes pro beneuolentia coronaret. Et Aug. Serm. 5. de verbis Domini. Est bonum quod faciat bonum, & bonum vnde facias bonum; bonum quod facit bonum, Deus est: aurum, argentum bonum est, non quòd te faciat bonum, sed vnde facias bonum. Habes non vnde sis bonus, sed vnde facias bonum. Pluráque habet similia Chrysost. hom. 34. in Genes. vbi ostendit Deum dedisse bona diuitibus, vt pauperibus benefaciant: & ita dum eleemosynam tribuunt, id quod debent, exequuntur: tandémque eleemosyna suum tribuit Christo in pauperibus indigenti, & postulanti. Quod prosequitur Leo Serm. 2. de Collect. vbi ait: Ne negligatis in egentibus Christum, qui tantùm nobis pauperes commendauit, vt se in ipsis vestiri, ac suscipi testetur, & pasci. Plura habet serm. 2. 3. 4. & 5. & Chrysost. hom. 34. in Genes. Esto, inquit, fidelis eorum, quæ tibi à Domino concessa sunt, bonorum dispensator, vt adiutus illius penuria, tibi supernam concilies gratiam: audies enim; *Serue bone, & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis,* &c. Et hom. 7. in epist. ad Roman. ostendit quantùm debeamus Christo in pauperibus egenti, & postulanti.

Matt. 25.

§. I.

Ostenditur misericordia in dimittendis offensis.

Conciliatvr insuper diuina misericordia in dimittendis offensis, ad imitationem diuinæ misericordiæ. Vnde August. Ser. 15. de verbis Domini, ait: Duo sunt opera misericordiæ, quæ nos liberant, quæ breuiter posuit Dominus in Euangelio; *Dimittite, & dimittemini, date, & dabitur vobis. Dimittite*, ad ignoscendum pertinet, *date*, ad præstandum beneficium. quod etiam prosequitur lib. 2. de peccat. merit. & remiss. c. 3. Magnum tamen opus misericordiæ appellat lib. 2. contra epist. Parmen. c. 10. dimittere proximo peccata & offensiones. Vnde Serm. 185. de Temp. in hoc sensu interpretatur præsentem Iacobi locum, sic enim habet: Fortè peccauit in te aliquis, dimitte illi veniam à te petenti, ne dum fratri negas misericordiam, claudas Patri indulgentiam, dicente Apostolo, *Iudicium sine miser-*

Luc. 6.

ricordia fieri illi, qui non fecerit misericordiam. Videndúsque est pro hac re lib. 50. homil. hom. 36. in fin. & Chrysost. hom. 62. in Matth. vbi ponderat ea verba
Matt. 18. Christi; *Sic faciet vobis Pater meus: Si non dimiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris*; non dixit, ait Chrysost. Pater vester, sed Pater meus: non enim digni sunt isti quorum Deus Pater vocetur, cùm ita nequam sint, vt homines odio prosequantur.

QVANTVM autem placeat Deo hæc dimissio offensarum, probauit optimè Bernard. epist. 257. vbi inter alia sic habet. Dispensator ille, cuius laus
Luc. 16. est in Euãgelio, elegit potiùs fraudem facere Domino suo, quàm proximo non misereri. Pro centum nunc quidem octuaginta, nunc verò quinquaginta redhibuit. Iustè laudatus est, &c.

PLVS aliquid hac de re dixit Gregor. 22. Moral. cap. 8: vbi inter alia. Qui omnino dimittit, & non dat, etsi non plenè operatus est, meliorem tamen partem misericordiæ tenuit; qui autem dat, & non dimittit, omnino nullam misericordiam facit, quia ab omnipotente Deo munus ex manu non accipitur, quod corde obligato in malitia profertur. Videndus tãdem est D. Leo Ser. de Martyribus in fin. vbi ait: Qua fronte vis vt tibi Deus dignetur dimittere multùm, cùm tu non acquiescas dimittere parum? Et in
Rom. 12. hunc sensum explicat Chrysost. hom. 78. in Ioan. illud ad Roman. *Noli vinci à malo.* Qui non remittit, inquit, potiùs iuuat eum qui in ipsum peccauit, hic enim minus, ille verò maius sibi damnum infert; quod est vinci à malo. Cùm ergo dimittere offensiones, sit facere misericordiam, nos qui de innocentia constare non possumus, vt securi de venia simus, illud debemus curare, vt misericordia in dimittendis offensis nobis illatis, iudicium superexaltet, suppliciúmque omnino aboleat. Nam, sicut notauit Hilar. Can. 4.
Matth. 5. in Matth. super ea verba; *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*: in tantum Deus beneuolentiæ nostræ in omnes delectatur affectu, vt misericordiam sit solis misericordibus præstiturus.

§. IV.

Misericordia neminem excipit, aut iudicat.

ILLVD autem debet præ oculis habere is qui facit misericordiã, quòd absque delectu omnibus parcere, & subuenire tenetur; nam, sicut dixit Bern. epist. 12. Vera misericordia non iudicat, sed afficit, non nititur discus-
Eccl. 11. sione, occasione contenta. Et Salomon: *Qui obseruat ventum, non seminat, & qui considerat nubes, nunquam metet.* Qui locus ad literam videtur intelligẽdus de
2. Cor. 9. eleemosyna, quam semini comparat Paulus cùm ait: *Qui parcè seminat.* In reliquis siquidem iustitiæ operibus videmur quodammodo percipere fructum, dum ea facimus: at eleemosynam facientes, quodammodo proiicere videmur. Sensus igitur est secundùm D. Hieronym. Qui cui bene faciat considerat, sæpe præterit eum qui meretur accipere. Ideoque Tertul. lib. 4. contra Marcionem ad hunc sensum explicat illud Christi Domini: *Omni*

petenti

petenti te tribue. Luc. 6. Omni, inquit, petẽti te dato, vtique indigenti, vel tanto magis indigenti, etiam & abundanti. Qua de re videndus Euthym. in c. 5. Matth. vbi docet, non diiudicari dignum ab indigno. Eo enim quòd petit dignus est, qualiscumque sit. Nam & Deus omnia ad vitæ sustentationem æqualiter contulit omnibus hominibus, bonis, ac malis, fidelibus, & infidelibus. Luc. 6.

Et D. Ambr. lib. de Nabuthe cap. 8. Non requiras, inquit, quid vnusquisque meretur, misericordia enim non de meritis iudicare consueuit, sed necessitatibus subuenire, iuuare pauperem, non examinare iustitiã: scriptum est enim; *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem.* Quis est qui intelligit? qui compatitur ei quem aduertit consortem naturæ. Vt enim optimè aduertit Naz. Orat. 19. multo satius est ob eos qui digni sunt indignis quoque largiri, quàm dum metuimus ne de indignis bene mereamur, dignos etiam beneficio fraudare. Quod etiam dixit Demosth. Orat. de Corona, vbi ait: *Præstat propter dignos indignis etiam honorem habere, quàm dignos merito honore spoliare propter indignos.* Pro qua sententia optimè exponit Nazian. Orat. funebri in laudem parentis, quæ est 10. locum Isaiæ, cùm ait: *Vinculum & electionem tollens.* Hoc est, inquit, vt interpretor, tenacitatem, & explorationem eius, qui accepturus est, sitne videlicet dignus, necne, ac murmuris verbum cum largitione, quod quidem plerisque accidit qui tribuunt quidem, verùm hoc non adiiciunt, vt promptè ac libenter tribuant. Quod quidẽ maius ac perfectius est, quàm præbere. Facit etiam Greg. 3. p. Pastoral. admonit, 21. vbi ita habet: Nonnulli huius mundi diuites, cùm fame crucientur Christi pauperes, effusis largitatibus nutriunt histriones; qui verò indigẽti etiam peccatori panem suum, nõ quia peccator, sed quia homo est, tribuit, non peccatorem, sed iustum pauperem nutrit, quia in illo non culpam, sed naturam diligit. Pluráque hac de re habet Cyprian. lib. 5. ad Quirin. c. 1. & Aug. in Psal. 202. Psal. 40.

Aliam insuper rationem, quare non sit faciendus delectus in distribuendis eleemosynis, ponit Chrysost. hom. 34. in Genes. vbi ait: Non cum tantùm attendentes qui accipit, in dandis eleemosynis simus liberales, sed æstimemus potiùs quis ille sit, qui in pauperem collocata, vt sibi impensa imputat, & pro datis solutionem pollicetur: atque ita animo illum intuentes, magna promptitudine dare studeamus, & largam dum adhuc tẽpus est, sementem faciamus, vt vbertim metamus. Qui ergo misericordiam sine iudicio, & delectu fecerit, misericordiam superexaltantem iudicium consequetur, & iudicium sine misericordia proculdubio euitabit.



§. V.

Quàm graue sit onus peccati.

Quoniam verò misericordia superexaltat iudicium peccatorum, eleuátque eam lancem, in qua illorum iudicium, id est, supplicium, vt

vt sæpe in Scriptura hoc nomen significat, considerare debemus pondus peccati, vt inde quantùm eleemosynæ & misericordiæ in alia lance superimponere debeamus, facile sit coniicere.

Etenim David dixit: *Iniquitates meæ sicut onus graue grauatæ sunt super me;* & paulo pòst: *Miser factus sum, & curuatus sum vsque in finem.* Vnde Chrysost. hom. 32. ad Pop. Graue & onerosum est peccatum, & omni plumbo ponde-
Psal. 37. rosius: sic & Achab postquam hoc sensit, deorsum inclinatus ambulabat.
3. Re. 21. Quibus verbis alludit Chrys. ad id quod dixit Scriptura 3. Reg. 21. Achab demisso capite incessisse. Hoc etiã prosequitur Amb. ad Virginem lapsam, c. 3. vbi ait: Nónne tuam faciem conscientiæ commissum tanquam plumbum inclinat, & premit?

Videndus est etiam Chrysost. hom. de Iona Propheta, ad finem tomi 1. vbi ponderat tempestatem, qua iactabatur nauis Ionæ, de qua dici-
Cap. 1. tur: *Nauis periclitabatur conteri, & timuerunt nautæ, & clamauerunt viri ad Deum suum, & miserunt vasa, quæ erant in naui in mare, vt alleuiaretur ab eis; & Ionas descendit ad interiora nauis.* Nautæ, inquit Chrysostom. nondum agnita causa naufragij, nauem aliquantulùm rerum iactatione subleuari arbitrabantur, & nihilominùs nauigium turbabant: apud se enim periculi sarcinam retinebant, & magis magísque Prophetæ corpore grauabantur, non corporis magnitudine, sed peccati, nihil enim graue æquè & onerosum in-
Cap. 5. uenies, quàm peccatum; ideóque Zacharias plumbo peccatum figurauit.

Denique quantùm ponderis habeat inde licet coniectare, quòd neque cœlum veluti sustinere potuerit Angelorum peccatum, & quia gra-
Luc. 10. uia quàm ocyssimè descendunt, Sathan veluti fulgur corruisse dicitur. Vt igitur misericordia iudicium, ac supplicium peccati eleuet, eiúsque lancem sursum ferat, multùm misericordiæ & eleemosynæ superimponi debet, & charitati pauperum iugiter instandum.

§. VI.

Quomodo misericordia Dei superexcedat eius iustitiam, cæteráque attributa.

Qvia verò à multis hic locus exponitur de Diuina misericordia, quæ iudiciũ, cæteráque attributa excedit, omnibúsque Dei operibus præcellit; quæ fuit expositio D. Aug. lib 2. de peccator. merit. & remiss. c. 3. Anselmi in ep. ad Hebr. cap. 9. Cyrill. Alexand. in Ioan. lib. 5. c. 13. Carthus. & aliorum hoc in loco: proinde ineptum non erit, imò iucundum fore spero, eam in laudem Diuinæ misericordiæ prosequi.

Eam igitur deducit Ruper. lib. 4. in Exod. c. 23. vbi agit de vestibus sũmi Pontificis, in eo quòd Rationale iudicij appensum, & concatenatum fuerit superhumerali, in quo ipse diuinam misericordiam adumbratam esse asserit, cùm per *Rationale*, iudicium Dei intelligatur; vnde & dicebatur *Rationale iudicij.* Notãdum igitur, inquit, quòd in superhumerali non solùm

catenulæ,

catenulæ, sed & vncini sunt, qui Rationali iudicij constringant, quia videlicet in misericordia Redemptoris, nostræ spei anchoræ sunt, vt semper misericordia superexaltet iudicium.

ADVERTIT insuper Anselmus loco cit. super Arcam Testamenti fuisse Propitiatorium, ideo, quia superexaltat misericordia iudicium; vnde & Dauid ait: *Miserationes eius super omnia opera eius.* Et August. lib. Medit. c. 21. exponens hæc verba ita ait: Tu factor omnium Deus, licèt in cunctis operibus tuis sis mirabilis, mirabilior tamen crederis esse in operibus pietatis, vnde de temetipso per quendam seruum tuum dixisti: *Miserationes eius super omnia opera eius.* Et Chrysol. Ser. 42. Magna, ait, sunt opera Domini, sed magnitudinem præcellit misericordiæ magnitudo, nam cùm dixisset Propheta, *Magna opera Domini*, adiecit alibi, *Misericordia eius super omnia opera eius.* Misericordia, fratres, implet cœlum, replet terram; *Domine*, inquit, *in cœlo misericordia tua*; & idem ipse: *Misericordia Domini plena est terra*: & reuera fratres periisset totum quod Deus fecerat, nisi misericordia subuenisset. *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam.* Quare magnam? *quia misericordia tua*, inquit, *magna est super me, & eruisti animam meam ex inferno inferiori.* Et si Deus reddit per misericordiam, quod per iudicium deperierat, homo tibi quid stare, quid constare sine misericordia putabas? Sic ille; cuius hac in re sententiam inde possumus comprobare, quòd cùm iustitia, sapientiáque Dei vnica prædicetur, sola tamen misericordia multiplex de eo dicitur: item D. Petrus & Paulus non misericordiam Dei annuntiãt solummodo, sed Deum Patrem misericordiarum efferunt. Et si Dauid dixit: *Iustitia tua sicut montes Dei*; idem addit; *Magna est super cœlos misericordia tua.* Quibus verbis id proculdubio nobis videtur inculcare, scilicet, talem ac tantum excessum reperiri in misericordia Dei respectu iustitiæ, ac cæterorum attributorum (vt nostro more loquamur, fatemur enim & identitatẽ realem, & æqualitatẽ) quali cœlestes orbes supra montiũ cacumina efferuntur. Quantùmcunque enim magnus censeatur furor Domini, attamen distillat. Fluuium tamen pacis, id est, misericordiæ, declinat super nos Deus, & torrentem inundantem. Ideo & Chrys. in Psal. 50. annotauit, Dauidem Dei misericordiam inuocasse. Cùm misericordia, inquit, inuocatur, tollitur examini locus, vbi flagitatur, interrogatio cessat, vbi postulatur, iudiciũ non sæuit, vbi petitur, pœnæ locus non est, vbi misericordia, quæstio nulla, vbi misericordia, cõdonatio respõsio est: qui autem flagitat misericordiã, non audet nomẽ propriũ suũ exprimere, solùm dicit, *Miserere mei Deus.* Quãdo Dauid exposuit mãsuetudinẽ, & propter eã petiit exaudiri, nomẽ expressit suũ, *Memẽto Domine Dauid, & omnis mãsuetudinis eius.* at vbi de misericordia sermo est, nihil amplius memoratur, quia ea sola sufficit, & nullum requirit meritum, aut opus, cùm etiam super omnia opera Domini sit ipsa misericordia. Quibus habet similia Ambros. de obitu Theodosij, cùm ponderat ea verba Psal. *Misericors Dominus, & iustus, & Deus noster miseretur.* Bis, inquit, misericordiam posuit, semel verò iustitiã, in medio iustitia est gemino septo inclusa misericordiæ. Vtrinque enim videtur

SS 2 teneri,

Psa. 144.
Psal. 134.
Psal. 35.
Psal. 32.
Psal. 50.
Psal. 85.
1. Petr. Can. c. 1.
2. Cor. 1.
Psal. 35.
1. Psa. 12.
Isa. 66.
Ps. 114.

teneri,& superari iustitia à misericordia,ne tandem,nisi permittente misericordia,& in ordine ad ipsam egrediatur.

In hoc autem singulariter relucet superexaltatio misericordiæ ad iudicium & iustitiam Dei, quia quando nostra demerita ipsam irritare, & prouocare videntur,sola misericordia occurrit,quod videtur dixisse Dauid illis verbis:*Tempus faciendi, Domine dissipauerunt legem tuam*: si enim facere in Scriptura idem est,atque misereri,iuxta illud Danielis, *Placare Domine, attende,& fac*,id est,miserere, sensus aliqualiter potest esse: Tunc adest tempus miserendi,& subueniendi,quando homines iustitiam tuam prouocant, dissipando legem tuam,sic enim consueuit tua diuina misericordia. Quam expositionem ex parte videtur amplecti Theodoret.dum *tempus faciendi*, exposuit per tempus consurgendi in auxilium.

Psal.118. Dan.9.

Hoc argumentum prosequitur Rupert.lib.3. in Genes. cap.14. in eo, quòd offensus Deus quæsiuit Adam offensorem, eúmque ad se vocauit. *Adam vbi es?* Non reus,inquit,& præuaricator Adam Deum prior inuocauit,sed Deus Iudex præuaricatorem prior vocauit, cùm hoc illi magis expediret, vt præoccuparet faciem eius in confessione, & dignam satageret satisfactionem offerre,&c.Et Bern.Serm.ad Fratres de Monte Dei, hoc ipsum perpendens,sic Deum alloquitur:Gratias ipsi gratiæ,& si dici potest, plus quàm gratuitæ miserationi,quæ beneficiis obruit non solùm immeritos,sed etiam nimiùm malè meritos,& ingratos.

Genes. 3.

Facit etiam ad præsens institutum locus ille Ioan. quãdo ad Christum adduxerunt mulierem comprehensam in adulterio,ipse verò digito scribebat in terra.Quod expendens Chrysolog.Serm.115.ita ait:Cùm apud Dominum accusaretur adultera,auertit faciem suam Dominus, & declinauit in terram,ne crimen cerneret,quod puniret,& maluit,fratres, in puluere scribere veniam,quàm dare in carne sententiam. Rectè proinde Isai. cap. 55. *Derelinquat impius viam suam,& iniquus cogitationes suas,& reuertatur ad Dominum,& ad Deum nostrum,quoniam multus est ad ignoscendum*.Super quæ verba ita ait Fulgent.in epist.7.In hoc multo nihil deest, in quo omnipotens misericordia, & misericors omnipotentia est. Videndus hac de re August.q. 33.in Exod.cùm ponderat Deum iussisse Pharaoni, vt festinaret congregare pecora sua, & quæcunque illi essent in campo, ne grandine interirent. Quod,inquit August.non tam indignanter,quàm misericorditer admonet in ipsa indignatione,& supplicio, quò clariùs manifestetur diuina misericordia,qua Deus irascens temperat pœnam.

Ioan.8.

Vnde licet inferre quàm bene Iesus Sirach de misericordia Dei ita dixerit:*Speciosa misericordia Dei in die tribulationis*. Enimuerò licèt semper misericordia Dei pulchra sit,tamen in die tribulationis pulchrior,& lucidior apparet:tribulatio verò significat supplicium, iudiciúmue. Vnde Gregor. illud Iob.*Eripiet de angustia pauperem,& reuelabit in tribulatione aurem eius*; intelligit de supplicio.Sic enim ait 26.Moral.c.23.Aurem in tribulatione reuelare,est auditum cordis verberum plagis aperire. Denique, Hugo Cardin. tribulationem intelligit iudicium.Vnde iam sensus huius loci potest esse

Eccles.35.

Pul

Pulchrior, & speciosior apparet diuina misericordia cùm adest dies, & tempus vltionis, & iudicij, in eoque cernitur eius pulchritudo, quòd parcat & misereatur iis, quibus tribulatio, iudicium, & iustitia debebatur. Quòd si tandem nostris prouocatus excessibus, in delinquentes animaduertit, in ipsa punitione relucet diuina misericordia. Quod notauit Ber. Ser. de verbis Abacuc: *Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Et ipsa, inquit, indignatio non aliunde, quàm de misericordia est. Et ideo in ipsa indignatione, & supplicio misericordia clarè elucescit & apparet. Post terræ apertionem, & deuorationem Dathan & Abiron, & post combustionem quinquaginta virorum, *murmurauit omnis multitudo Israël contra Moysem & Aaron: Cùmque oriretur seditio, & tumultus increscret, Moyses & Aaron fugerunt ad tabernaculum fœderis; dixit autem Moyses ad Aaron: Tolle thuribulum, & hausto igne de altari, mitte incensum desuper, pergens citò ad populum, vt roges pro eis: iam enim egressa est ira à Domino, & plaga desæuit.* Ita factum est, & cessauit plaga. Illud igitur difficultatem hoc in loco ingerit, quòd hæc indignatio, & supplicium die sequenti factum est, cùm Moyses in tabernaculo erat, vnde ergo illud nouit? Abul. ibi. q. 29. respondet: In hoc apparet Dei clementia, qui quãquam puniret populum, tamen reuelauit Moysi, vt ipse oraret pro eis, & Deus sua ab indignatione flecteretur, & iratus misericordiæ recordaretur, ignémque diuinæ iræ, misericordiæ profluuio temperaret. *Num. 16.*

Accensus est furor Domini contra Israëlem, & sermo Domini factus est Gad, qui dixit Dauidi; *Trium tibi datur optio: aut septem annis veniet fames in terra tua, aut tribus mensibus fugies aduersarios, aut tribus diebus erit pestilentia in terra tua.* Voluit Dauid potiùs incidere in manus Dei, respiciens ad multas Dei misericordias. *Immisit igitur Dominus pestem in Israël à manè vsque ad tempus constitutum,* sc. vsque ad vesperam, quando offerri solebat sacrificium vespertinum. Vbi eleganter Vatablus hoc commendat misericordiam Dei, qui pro diebus tribus, vnum tantùm diem immiserit pestem, & in media ira misericordiæ recordatus sit. Additur enim in sacro Textu. *Misertus est Dominus super afflictione, & ait Angelo percutienti populum; Sufficit.* Quo in loco notauit Abul. q. 37. in Hebræo haberi, *Consolatus est Dominus*, & referri ad ipsũ Deũ, ita vt ipse cõsolatus sit in se in cessatione illius afflictionis, & supplicij, quandiu enim ipsa inferebatur populo, videbatur Dominus summam pati mœstitiam & afflictionem cum afflicto populo, donec illius tandem misereretur.

Hoc ipsum notauit præclarè D. Ambros. in nequissimo Rege Ieroboam, qui dum contra Prophetam loquentem in sermone Dei, *manum extendit de altari, dicens: Apprehendite eum, exaruit manus eius quam extenderat*; cúmque ad virum Dei dixerit, *Deprecare faciem Domini Dei tui, vt restituatur manus mea mihi*; & ille orauerit Dominum, *reuersa est manus Regis ad eum, & facta est sicut priùs fuerat.* Miratur ergo, imò prædicat, & extollit Ambr. lib. 2. de Virginibus, tam maturum misericordiæ aduentum in ipsa Dei indignatione, qua citissimè temperat supplicium, vel iustissimè inflictum. *3. Reg. 13.*

Hæc igitur est ratio, cur nolit videri Deus dum punit, quia exercet

Genes. 19. alienũ opus eius ab eo, vnde & vxorem Loth in statuam salis conuertit, quia scilicet retrò aspiciens ipsum Deum comburentem, & deuastantem nefarias ciuitates, voluit videre, quo modo Deus non vult videri, quia mi-
Psal. 77. sericors & miserator est. Hoc item apparet ex eo quod dixit Dauid, Deum semitam iræ suæ fecisse, quasi viæ & semitæ iræ, & punitionis ita sint vepribus, & spinis obsitæ, vt si quando iudicium venire necesse sit, opus habeat viam veluti aperire, & aspera, ac inculta in vias planas redigere; quod sin-
Psal. 24. gulari loquendi modo expressit Dauid cùm dixit: *Vniuersæ viæ Domini misericordia.* Ita ad singulos, inquit Ber. Serm. 12. in Psal. *Qui habitat*; ita ad omnes cõmuniter venit, quasi viæ per quas Deus solet incedere, sunt misericordiæ, qualis ea fuit quando vt mulierem Samaritanam sanaret, venit ad fon-
Ioan. 4. tem Iacob fatigatus ex itinere, quod celeriter conficiebat; quia nescit tarda molimina is qui ambulat vias misericordiæ, quæ in aperto sunt, cùm iræ necesse sit nouas vias aperire.

Hoc ipsum expressit Hieremias dum loquens de supplicio illato Hie-
Thren. 2. rusalem, sic ait: *Tetendit arcum suum quasi inimicus, firmauit dexteram suam quasi hostis.* Illud igitur notãdũ venit, quòd cùm in Scriptura tritũ sit, Deum iratũ sagittario cõparari, vnde dicitur, *Sagittas meas complebo in eis*; & alibi: *Posuit*
Deut. 32. Iob. 16. *me quasi signũ*; in quod scilicet dirigat sagittas iræ suæ, hoc tamẽ loco dicitur firmasse manũ ad collimandã sagittam: eáque videtur fuisse ratio, quòd scilicet rarissimè sagittas immittat in homines, & non tã assuefactus directioni sagittarũ sit, sicut plerumque cõtingit iis qui raró incũbũt sagittãdi officio, qui nisi manum satis firmauerint, ab scopo facilè aberrabunt; proindéque Deus necesse habet, quasi insuetus firmare dextrã, ne incassũ sagitta abeat, quia alienum à se opus exercet, nec potest certum infligere vulnus, qui solùm misericordiæ intendit, & à qua nullus omnino fugere potest, quin attingatur, imò & compleatur beneficiis. Quod optimè notauit Ambros. lib. 2. de Pœnitent. c. 5. vbi ait: Arbitror quòd etiam Iudex potuisset tanta Dei miseratione non excludi à venia. Et Chrysost. hom. 2. in Psal. 50. Noli dicere quomodo? (scilicet misericordia Dei pertingat ad nequissimos homines) admirare, & glorifica, vbi misericordia Dei imploratur, quæstio non expetitur. Quid est peccatum ad Domini misericordiam? Tela araneæ, quæ vento flante nusquam comparet.

Facit etiam id quod Tertull. notauit lib. de Pudicitia, cùm affert ratio-
Iona 1. nem, cur Ionas iubente Domino, vt Niniuis prædicaret, surrexit vt fugeret in Tharsis. Ionas, inquit Tertull. misericordiam Dei prouidens etiam in extranos profusam, destructuram præconium videbat; quasi diceret, cognouisse Ionam Dei misericordiam nõ defuturam Niniuitis, si resipiscerent, proindéque ne eius prædictio & prophetia falsa, & inanis videretur, noluisse enũciare: quę quidem videtur genuina ratio illius fugæ in Tharsis, vt patet ex Theodoret. Rupert. & aliis. Probatúrque ex contextu eiusdem Prophetæ, dum postquam vidit Deum pepercisse ciuitati, contra quam sententiam tulerat, dixit: *Obsecro Domine, nunquid non hoc est verbum, cùm adhuc essem in terra mea? Propter hoc præoccupaui, vt fugerem in Tharsis:*

cio enim quia tu Deus clemens, & misericors, patiens & multæ miserationis, & ignoscens super malitia. Et denique cuius misericordia superexaltat iudicium.

CONTENDEBAT & instabat Abraham ad Deum, ne perderet nequissimas ciuitates, perdẽs simul iustos cum impiis, proposuitque, quòd si quinquaginta iusti fuerint, si quadraginta, si triginta, si viginti, eòque res deuenit, vt dixerit Abraham, quòd si inuenti fuerint ibi decem, cui dixit Dominus, *Non delebo propter decem.* Aduertit autem optimè ibi Caiet. statim addidisse Scripturam, *Abiitque Dominus postquam cessauit loqui ad Abraham.* Recessit, inquit Caiet, non expectans vlteriores preces, quasi si expectasset, misericordia amoueret supplicium, & superexaltaret iudicium. Vnde meritò D.Greg. diuinam misericordiam nobis proponit in hunc modum hom. 13. in Euang. Pensate, fratres, quia conclusit pietas Dei duritiam nostram: non est iam quid homo excusationis inueniat, Deus despicitur, & expectat, contemni se videt, & reuocat, iniuriam de contemptu suo suscipit, & tamen quandoque reuertentibus etiam præmia promittit; ideóque postquam Iacobus dixit misericordiam superexaltare iudicium, rectè addidit, iudicium districtum subiturum eum, qui hanc ineffabilem misericordiam non fuerit imitatus. Videndus item est idem Greg. homil. 1. in Ezechielem, & Philo. lib. de Vita Moysis, cùm ponderat cur sensim Deus punierit Pharaonem, non simul inflixerit supplicia, cùm longè aliter se habeat in beneficiis conferendis: vnde dicit; *Dilata os tuum, & implebo illud,* Psal. 80. Hoc etiam cernere possumus in eo, quòd Deus nunquam puniat ob peccata adhuc committenda, cùm beneficia tribuat ob bona præuisa & facienda. Ideo Dauid Psal. 31. *Dixi, confitebor aduersùm me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* vbi August. O magna pietas, vt ad solam promissionem peccata dimiserit, nondum pronuntiat ore, & tamen Deus iam audit in corde.

Gen. 18.

§. VII.

Non desumenda occasio delinquendi ex magnitudine Diuinæ misericordiæ.

NEMO tamen ex eo quòd misericordia Dei superexaltet iudicium, & sit super omnia opera eius; vnde & per exaggerationem Philo lib. *Quòd Deus sit immutabilis,* dixit in Deo antiquiorẽ esse misericordiam, quàm iudicium. Nemo, inquam, inde sumat occasionem licentiùs peccandi, vt ait Tert. lib. de Pœnitent. c. 8. Nemo, inquit, deterior fiat eo quòd Deus bonus sit, toties remittens, quoties delinquimus. Nam, vt ait Gregor. loco cit. tanto districtiorem iustitiam in Iudicio exerit, quanto longiorem patientiam ante Iudicium prorogauit. Hinc etenim Paulus ait: *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Hinc Psalmista ait: *Deus Iudex iustus, fortis, & longanimis.* Dicturus longanimem, præmisit iustum, vt quem vides peccata delinquentium diu patienter ferre, scias hunc quandoque etiam districtè iudicare. Et apud Nahum Prophetam capite 1. dici

Rom. 2.
Psal. 7.

dicitur, *Deus patiens & magnus fortitudine*, sed priùs, *æmulator & vlciscens* (quod repetitur ter) *& irascens*; quod autem subditur: *quia mundans non faciet innocentem*: descriptio est iustitiæ ipsius, vt ibi notat Rupertus, qui pro hac re videndus est. Hinc per quendam sapientem dicitur: *Altissimus est patiens redditor.* Patiens redditor dicitur, quando peccata hominum, & patienter patitur, & reddit, nam quos diu, vt conuertantur, tolerat, nón conuersos duriùs damnat, sicut notauit D. Greg. hom. 13. in Euangelia.

Rom. 12. AD HOC respiciens Paulus exhortatur, vt pœnitentiam de peccatis agamus, idque in hunc modum: *Obsecro vos, fratres, per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra, hostiam viuentem*, &c. Hortatur ergo per misericordiam Dei, quæ occasio peccandi solet esse, vt à peccatis conuertamur. Namque quanto longanimior modò esse videtur, tanto districtior postea

Psal. 59. erit. Quod explicatur iuxta mentem Augustini in eo quod dicitur: *Dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus.* Videte, inquit ibi Aug. quid sit in arcu, nónne sagitta in priora mittenda est, neruus tamen retrò extenditur in contrarium, quò illa mittenda est, & quanto plus erit eius extensio retrorsum, tanto maiori impetu venturum est: sic etiam quanto misericordia Dei in se veluti contrahitur, tanto, nisi resipiscamus, penetrabilior euadet ad iudicium, quod modò superexaltat. Quod etiam videtur voluisse significare Deus, cùm misericordia vtens, & supplicium trahens, arcum posuit in nubibus, vt scilicet intelligerent eo acerbiùs futurum supplicium, quo tardiùs adueniret. Meritò proinde rogat Paulus per misericordiam Dei, vt nos Deo exhibeamus hostiam viuentem, sanctam, Deóque placentem, ne ipsam misericordiã in iram conuersam experiamur.

Vers. 14. *Quid proderit fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Nunquid poterit fides saluare eum?*

EXPOSITIO LITERALIS.

HÆC est secunda pars huius capitis, in qua primam, & præcipuè intentam doctrinam de operibus Iacobus proponit, ostenditque fidem operibus destitutam, non solùm non sufficere ad veram iustitiam, & salutem, sed etiam inutilem esse, atque inanem. Sed pro explicatione mentis nostri Apostoli, notandum vtique id quod Aug. lib. de fide & operibus, c. 14. tom. 4. ait, nempe, ab initio nascentis Ecclesiæ fuisse quosdam homines impios, & impuros, qui vt voluptatibus indulgerent, finxerunt, ac docuerunt, ad obtinendam iustitiam, & salutem, solam fidem sufficere, Deúmque nihil amplius à nobis exigere, quàm vt credamus. Id quod probare nitebantur ex quibusdam locis Pauli perperàm intellectis, sicut notasse videtur Petrus 2. epist. c. 3. Præcipuúsque locus erat Rom. 5. *Iustificati ex fide.* Quoniam ergo, vt ait D. Aug. hæc opinio fuerat exorta, aliæ Apostolicæ epistolæ Petri, Ioannis, Iacobi contra eam maximè diriguntur

intentio

intentionem; vt vehementer astruant fidem sine operibus nihil prodesse. Hoc etiam habet Aug. in Ps. 31. Fuit etiam in eadem hæresi Valentinus, teste Irenæo, lib. 1. c. 1. & Epiphanio lib. 1. contra hæreses c. 32. Postea docuit Eunomius, & discipulus eius Ætius, de quibus Aug. lib. de hæresib. c. 54. nostróque sæculo eandem docuerunt Lutherus, & Caluinus, & alij, licèt alia ratione, ac antiqui Hæretici.

LICET ergo sine fide impossibile sit placere Deo, sitque fides fundamẽtum ædificij spiritualis, vt eleganter ostendit D. August. Præfat. in Psalm. 31. nisi tamen superædificatio operis accedat, nihil valet, imò *seruus, qui cognouit voluntatem Domini sui, & non fecit secundùm voluntatem eius, vapulabit multis*, cùm Dominus reddat vnicuique secundùm opera eius. Et Iob dixit: *Absit à Deo impietas, & ab Omnipotente iniquitas. Opus enim hominis reddet ei, & iuxta vias singulorum restituet.* Et Dauid. *Semel loquutus est Deus, duo hæc audiui, quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia, quia tu reddes vnicuique secundùm opera sua.* Quo in loco verbum (*semel*) significat immutabiliter. Sicut cùm idem Dauid dixit: *Semel iuraui in Sancto meo, si Dauid mẽtiar.* Et Iob. *Semel loquitur Deus, & secundo idipsum repetit*, id est, firmissimum, & immutabile voluntatis suæ decretum dicit. Sic igitur firmissimè dixit, & promisit se redditurum secundùm opera vniuscuiusque. Et apud Matth. *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis, & tũc reddet vnicuique secundùm opera eius.* Quod idem habetur Apocalyp. 22. Rom. 8. 1. Cor. 3. 2. Cor. 4. & 5. Cuius sententiæ, & veritatis confirmatio tradita est à Patribus Concilij Trident. latissiméque comprobata sess. 6. cap. 16. & 8. & 9. Can. item 9. & 12. & 14.

Hebr. 11. *Luc. 12.* *Matt. 16.* *Iob. 34.* *Psal. 61.* *Psal 88.* *Iob. 33.* *Matt. 16.*

§. I.

Proponitur necessitas bonorum operum, quæ præter fidem, ad salutem requiruntur.

CVM ergo apertissimè constet necessaria esse bona opera ad salutem, præter fidem, diabolus multis, quibus auferre non potuit fidem, sustulit charitatem, & agro cordis, auaritiæ radicibus occupato, spoliauit fructu operum, quos non priuauit confessione labiorum, sicut eleganter dixit D. Leo Serm. 4. de Collectis. Qui tamen aduertit Ser. 6. de Epiphania, c. 4. dixisse Paulum ad Titum: *Sunt qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant*; Cor hominum, ait, de operum ostenditur qualitate, & formas mentium species detegit actionum. Vnde Aug. ad illa verba 1. Ioan. 3. *Ipse est Antichristus*, ait: Quisquis factis negat Christum, Antichristus est. Non audio, quid sonat, sed video quid iuuat, opera loquuntur, & verba requirimus. Ipséque addit: Si confiteamini verbis, & factis negatis, fides talium morum, propè est fides dæmoniorum. Plura de hac re habet tract. 3. & 6. in eandem epistolam, & 15. de Trinit. ait. Fides quidem potest sola esse, sed non prodesse. Et Origen. hom. 11. in Matth. exponens historiam de ficulnea sine fructu arefacta ad-

Cap. 1.

Cap. 11. uertit dixisse Marcum, *non esset tempus ficorum.* Quare ergo Dominus arefecit eam? Vnus fructus est charitas, huius tempus est, quando non est difficile fructum reddere charitatis, postea verò addit, quia Christus Dom. supra humanam naturam conatur nos erigere, ideo indignatur, quando non fert homo fructum, etiamsi commodum non videatur tempus ficorum, prop-
Psal. 81. terea ait: *Ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes; vos autem sicut homines moremini*, si non secundùm spiritum vixeritis, sed secundùm carnem, nō reddentes fructum omni tempore, siue tempus sit ficorum, siue non, siue occasio se offerat ad bene operandum, siue ista desit. Videndus Hier. lib. 1. in
Thren. 1. Lamentationes, vbi ponderat ea verba; *Torcular calcauit Dominus virgini filiæ Iuda.* i. animæ virtutibus infœcundæ, & bonis operibus vacuæ, nec fidei fructum gignenti, Dominus torcular calcat, quando eam pro sterilitate sua, & otiositate inimica pœnam condignæ vindictæ luere facit.

1 Ca. c. 2. Optime proinde Ioannes ait, secundùm quod legit D. Chrysost. *Qui in Christo credit, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare.* Quod ita exposuit D. Prosper 2. de vita contemplatiua c. 21. Quid est, *ambulare, sicut ipse ambulauit*, nisi libenter facere, quæ fecit, sequi quò ipse præcessit? Et Greg. 25. Moral. c. 10. Sicut super fundamentum fabrica, sic super fidem opera construuntur. Et lib. 3. in 1. Reg. c. 3. notat consilium illud Sacerdotum: *Si dimiseritis Arcam Dei, nolite dimittere eam vacuam.* Quid est, inquit, Arca vacua, nisi diuina scientia sine bona operatione? Vacuā namque Arcā remittere est de cognitione spiritualium Sacramentorum fructum boni operis nullum ferre, &c. quæ videnda sunt in hanc sententiam.

Qvapropter meritò Ambr. Serm. 10. in Psal. 118. notauit, dixis-
Mat. 17. se Christum Dom. *Omnis qui audit verba hæc, & fecerit ea, similis est viro sapienti.* Non ergo, ait, qui audit tantummodo, similis erit, sed qui facit quæ audierit. Et sanctus Ephrem de Panoplia, siue de armatura spirituali. Sunt plerique, ait, fidem habentes operibus destituti, sed ista non est fides (intellige, viua) mortua est enim, quia fides sine operibus mortua est. Qui ergo fidem habet, & operatur opera ipsius, ipse fidem habet. Hanc tu posside, mi frater, & esto sanus, atque integer fide, feruénsque proposito ad mandata Saluatoris nostri exequenda, vt & tu ab illo vocem illam audire merearis:
Matt. 25. *Euge serue bone, & fidelis, intra in gaudium Domini tui*; bonum quippe propter opera; fidelem autem propter fidem, Dominus appellat.

Est autem hoc in loco aduertendum id quod optimè notauit Bern. Serm. 2. de Purificatione, scilicet patremfamilias otiositatis coarguisse illos, quos adhuc ad se per fidei vocationem non asciuerat. Quid hîc statis tota die otiosi? quare non operamini? Cùm arguantur otiositatis, ait, ipsi quoque quos nemo conduxit, qui iam conducti sunt, si otiosi inuenti fuerint, quid merentur? Vocauit enim nos Deus vocatione sua sancta ad vineam, & Ecclesiam, vt operemur in ea; & si ante vocationem fidei adeò displicet defectus operationis, quanto magis displicebit si in ipso operationis, & laboris loco opera non habeamus?

Et D. Basil. lib. regular. fusiùs disputat. respons. 27. ponderat, Christum Domi

Dominum malitiam cum pigritia coniunxisse,dum dixit:*Serue male, & piger*:quasi non possit non esse malus,qui bona non operatur. Hoc ipsum videtur dixisse Sophar c.11.Iob.cùm ait:*Vir vanus in superbiam erigitur*:vbi (*vanus*) idem est,ac vacuus,& inanis, quíque nullum prorsus habet bonum opus.Septuag.habent: *Homo frustra natat sermonibus*, videlicet frustra conatur traiicere verborum tantùm adminiculo, & argumẽtationum velis mare illud vitreum,quod est ante diuinum tribunal, vt tandem accedat ad superiorem locum Sanctorum,qui sunt supra illud mare cantantes, namque dum loquetur,potiùs fluminibus obruetur,& suffocabitur dum clamauerit; proindéque opus est,vt manibus remigando, & operando accedere nitatur:frustra enim nititur sermonibus,qui solis operibus niti debet. *Matt.25.* *Iob. 11.* *Apoc 4.*

QVOD Christus Dom.dixit:*Neque omnis qui dixerit, Domine, Domine, intrabit in Regnũ cœlorum.* Quod expendens Hilar.Can.6.in Matt. ait:Quid enim meriti est dicere Domino,Domine,Domine?Nunquid Dominus non erit? & quæ officij sanctitas est nominis nuncupatio, cùm cœlestis Regni iter obedientia potiùs voluntatis Dei,non nuncupatio repertura sit:De nostro igitur est beata illa æternitas promerenda, præstandúmque est aliquid ex proprio,vt bonum velimus,malum omne vitemus, totóque affectu præceptis cœlestibus obtemperemus,ac talibus officiis cogniti Deo simus,agentésque potiùs quodvult, quàm quod potest, gloriemur. Hæc ille. Quibus habet similia Chrys. homil.56.in Ioan.Glorificemus,inquit,Deum non fide tantùm,sed & vita,aliter non esset gloria,sed blasphemia. *Matt 7.*

HINC iam intelligetur,cur sanctus Isaac caligans visu, non ad vocem tantùm benedictionem concessit,sed tetigit insuper,tentauit, expertúsque est manus, postea benedictionem largitus est,quia scilicet non ij benedictionem Domini consequentur,qui Dominum inuocauerint, sed qui manus,operáque protulerint,ij benedicti Patris reputabuntur. Vnde Iustinus Martyr, & Philosophus Orat.cont.Gent. dixit, Christiani officium magis in agendo positum esse,quàm in dicendo, vel docendo. *Gen.27.*

IN quam sententiam notauit Theodoret.quæst.1. in Leuit. quare Deus prohibuerit offerri mel ad altare,aitque: Nonnulli dixerunt, inde nos instrui,ex propriis laboribus persoluenda esse sacrificia,ex consilio Salomonis,quo dicitur: *Honora Dominum ex iustis laboribus, & prabe primitias illi de fructibus iustitiæ*; at fructus apis à labore nostro non procedit, quasi velit ideo tale sacrificium Deo displicere,quia nihil laboris in cooperãdo, congerendo,& componẽdo impendimus,& ita nec fructus,nec opus nostrum est,sed totum è labore & industria apis procedit. Quæ etiam fuit ratio,cur Dauid noluit offerre Deo holocausta gratuita, in quorũ acquisitione nullus labor,& operatio ipsius Dauid intercesserat. *Prou.3.* *2.Re.24.*

PROBAT insuper præsens institutum id quod dixit Theophyl. super illa verba Pauli: *Ipsius enim sumus creatura conditi in Christo Iesu in operibus bonis*, cùm ita habet: Vt ne,si audias nos ex operibus haud esse iustificatos, deses fias circa opera, subiicit, post fidem iam haud nulla operum est commoditas; & necessitas. Conditus es enim in Christo Iesu in *Coloss.2.*

TT 2 operi

operibus bonis,ac quemadmodum principio,cùm non esses, produxit te vt esses,sic etiam nunc,vt bene esses,te protulit,conditúsque es,vt non otieris, verum vt opereris, circumambulésque in bonis operibus,hoc est, omnem ætatis tuæ cursum in hisce perficias,nō duos, trésve annos in operibus bonis,non vno nimirum opere,sed omnibus. Et fortè hæ sunt lucernæ ardentes,quas tenere iubemur in manibus; quandiu enim lucerna ardens est, operatur ignis comburendo, vt intelligamus manus nostras nullatenus debere cessare ab operatione,donec Dominus aduenia. Et ideo D. August. Serm. 215. de Tempore,ait; Vt nomen Christianum non ad iudicium, sed ad remedium habeamus, conuertamus nos ad opera bona,dum in nostra sunt potestate remedia.

Luc. 12.

NOTATU dignum hoc loco censetur mare illud æneum, de quo 3. Reg. 7. & 2. Paralipom. 4. quod erat aqua plenum; rotundum in circuitu, habebátque,sicut testatur Ioseph. 8. Antiquitat. cap. 3. hemisphærij schema, seu dimidiæ sphæræ figuram,ita vt si alterum vas illi æquale imponeretur, integra ac perfecta sphæra remaneret. Quod quidem,sicut apposite exponit Eucher. lib. 3. in lib. Regū cap. 21. mysticè moraliter significabat, fidē, quæ in Baptismo recipitur, non sufficere ad complendam perfectionem vitæ spiritualis,nisi accedat in adultis obseruatio mādatorum, operúmque executio,tanquam media sphæra imponenda alteri mediæ sphæræ fidei. Quò videtur respexisse Paulus,cùm mādatorum obseruationem plenitudinem fidei vocat. *Accedamus*,inquit, *cum vero corde in plenitudine fidei.* Super quæ verba D. Thomas lect. 2. sic ait: Accedentem ad Deum oportet credere. Nec sufficit qualiscumque fides,sed requiritur fides plena, quod fit duobus modis,scilicet,& quantùm ad materiam fidei, vt credantur omnia, quæ proponuntur ad credēdum,& quòd sit fides formata, quod est per charitatem, scilicet,operantem. Quod ipsum docuit Paulus cùm ait. *Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu,in morte ipsius baptizati sumus, vt quomodo Christus surrexit è mortuis,ita nos in nouitate vitæ ambulemus.* Quem locum explicans D. Aug. lib. de verb. Apost. c. 15. dicit. Quid est,in nouitate vitæ ambulare? breuiter dico: est perficere,ne fortè non intelligatis,& pigriùs ambuletis. Semper tibi displiceat quod es,si vis peruenire ad id quod non es: semper adde,semper ambula. Et in Psalm. 69. explicat id quod Christus Dominus dixit: *Memores estote vxoris Loth.* Ait ergo Aug. Vbi respexit, ibi remansit; facta est statua salis,vt te condiat: in exemplum enim tibi data est,vt tu cor habeas,& non remaneas fatuus in via; attende remanentem, & transi, attende respicientem retrò,& ad anteriora intentus esto.

Hebr. 10.

Rom. 6.

Luc. 17.

FACIT etiam pro hac re expositio Chrysostomi homil. 9. in Ioann. quem sequuntur Theophyl. & Euthym. ad ea verba Ioann. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*: intelligunt enim per talem potestatem,fidem primam, & rationem filiationis reducunt in progressum nostrum, post habitam fidem, & gratiam. Dedit,inquit Chrysostom. eis potestatem filios Dei fieri, non statim fecit eos filios Dei, ne per ignauiam perdant gratiam, sed dedit eis potestatem, vt diligentiores reddantur. Aliud enim est per Baptismum,

mum, aliquem à Deo adoptari, aliud per Euangelicorum præceptorum obseruantiam filium Dei fieri; nam illud principium est, hoc finis: fides enim baptismalis indicium est filiationis, quæ per charitatem consummatur, & perficitur: quod intelligendum est secundùm perfectionem, & consummationem; non quasi per baptismalem fidem quis nō regeneretur in adoptiuum filium Dei, sed quia hæc fides ad opera ordinatur.

HOC etiam docuit Paulus, dum ait: *Dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Græcè habetur; *zelotem bonorum*; vel *pulchrorum operum.* Hierony. verò, *æmulatorem bonorum operum*, quasi non tantùm velit Deus Christianum esse operarium vtcumque, sed sectatorem, æmulatorem & zelotem, qui zelo, & feruore operandi æstuet: ideóque Chrysostom. super hæc verba Apostoli, ait: Vides vt non simpliciter à nobis opera virtutis exigantur. Addidit nempe Paulus, *sectatorem*, hoc est, magna cum alacritate atque ingenti studio, & animo virtutis opera capessentem. Qua in re vehementia quædam adsit necesse est omnino laudabilis, &c. Et D. Leo Serm. 4. de Quadrages. cap. 2. dixit: Fides fortitudo est charitatis, charitas robur fidei, & tunc verum nomen, ac vetus est fructus amborum, cùm indissolubilis vtriusque manet connexio, in Christo valet fides, quæ per dilectionem operatur: hic est enim quidam efficacissimus geminarum alarum volatus, quoad promerendum, & videndum Deum puritas mentis attollitur; nam qui ait: *Sine fide impossibile est placere Deo*; idem dicit: *Si habuero fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Instet fides sperare quod credit, instet charitas propitiare quod diligit, & cui intelligentiæ concessione subiicimur, eidem pietatis imitatione iungamur. Quibus habet similia Bern. Serm. 5. super, *Vidi Dominum*, &c. Superbus, inquit, ille Lucifer lucem præferens, non ignem habens, alteri tantùm innixus alæ, casum facere potuit, non volatum, exultauit lucidus, non incensus.

ad Tit. 2.

Hebr. 11.
1. Cor. 13.

VIDENDVS Hieronym. lib. 8. in c. 21. Isaiæ, & in c. 4. Daniel. Clem. Alex. 5. & 6. Stromat. Irenæ. lib. 4. contra hæres. c. 72. August. de peccator. merit. & remiss. cap. 15. & lib. 83. quæst. q. 37. & Serm. 38. de Tempore, Tertullian. lib. 4. contra Marcionem. Origen. hom. 8. in Exod. & hom. 2. in Cant. Ambros. lib. de Elia, & Ieiunio. Cyp. lib. de habitu Virginum; & Serm. de Eleemosyna. Ephrem de vera Pœnitent. c. 1. Epiphan. lib. 1. hæres. 64. Chrysost. hom. 5. in Matt. & hom. 48. in Ioan. Greg. lib. 3. in lib. Reg. cap. 3. & 23. Moral. cap. 10. Theodor. in c. 1. epistolæ ad Timoth. Ex quibus omnibus satis constat veritas receptissimæ doctrinæ, quam hoc loco tradit Iacobus, quam modò contra Hæreticos nostri temporis proponimus, qui vt cœlo simul & terræ se reddant inuisos, aduersùs ipsos cœli Principes, Ecclesiæ lumina Orbísque Magistros insurgunt, imò & contra Veritatem, quæ habet, iustificationem, hominis à fine initium sumere, bonorum autem operum studio conseruari, & perfici, solam verò fidem non posse quenquam adultum saluare.

Verſ.15. *Si autem frater, aut ſoror nudi ſint, & indigeant victu quotidiano.*

Verſ.16. *Dicat autem aliquis ex vobis illi: Ite in pace, calefacimini, & ſaturamini, non dederitis autem eis quæ neceſſaria ſunt corpori, quid proderit?*

EXPOSITIO LITERALIS.

OSTENDIT Apoſtolus exemplo appoſito inutilem omnino eſſe fidem ſine operibus. Sicut enim liberalitas, quæ in ſolis verbis conſiſtit, non eſt virtus, neque habet meritum, ſicut etiam blandiloquentia, quæ egentibus eſt inutilis, nullum meritum conciliat: ſic fidei profeſſio, quæ ſolis verbis conſtat, torpet velut inanis, & vacua, cùm debuerit per charitatem operari. Hæc de litera, quæ in ſe perſpicua eſt.

§. I.

Fides per opera charitatis perficitur, & comprobatur.

OSTENDIT hic locus ad veram integrámque pietatem nō ſufficere recta, blandáque verba, niſi re & opere auxilium præſtetur indigentibus: ſimiliſque eſt illi Ioan. *Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit*
1. Canon cap. 3. *fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* Et: *Filioli non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere & charitate*; nam, vt dixit Auguſt. tract. 49. in Ioannem, nemo amat, & deſerit. De eiuſmodique verbis eleganter dixit Bernard. epiſt. 7. Præclara verba, ſed verba; cùm pauperes non verbis indigeant, ſed opere & charitate, & ſi nudæ, ac ſolæ voces ad Dominum non ſufficiunt, niſi accedant opera, quid proficiant lenia verba in pauperes, ſi non dederit qui loquitur eis neceſſaria? Vnde Hilar. in Pſalm. 133. ait. Preces nudæ non proficiunt, eleuanda opera noſtra ſunt in ſancta, id eſt, in nudis veſtiendis, in eſurientibus cibandis, hæc nos in hac corporis noſtri infirmitate ſanctificant, & hoc non ignorat Propheta dicens: *Eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum*; nunc enim in con-
Pſal. 140. ſummatione ſæculi, quod eſt veſpertinum, non in tauris, & hircis, ſed in operibus bonis, Deo hoſtia eſt. Et Chryſoſt. homil. 53. ad Pop. Charitas eſt non in ſolis verbis, nec penitus in ſalutationibus, ſed cura, & in ipſis rebus officium, putà, paupertatem ſoluere, ægrotantibus ſubuenire, eruere periculis, in neceſſitatibus aſſiſtere, &c. Quibus habet ſimilia Author operis
Marc. 11. imperfecti in Matth. vbi ponderat, eam ficum, in qua nihil, niſi folia inuenta ſunt, præfiguraſſe eos, in quibus ſola verba lenia, & religioſa reperiuntur.

Qvo magis verò horum imperfectio, imò immanitas elucescat, proponit Apostolus indigentes sub nomine fratrum, ac sororum; qua ratione eos, ad quos recurrunt, possent mouere ad pietatem vnde & eis conuenit quod dixit Amos: *Va vobis, qui opulenti estis in Sion, & confiditis in monte Samariæ, Optimates capita populorum, &c. & nihil patiebantur super contritione Ioseph.* Quæ verba expendens Aug. 4. de Doctrina Christian. c. 7. ait: Miro decore nō dictum est, nihil patiebantur super contritione fratris, sed positus est pro fratre, *Ioseph*, vt quicumque frater proprio significaretur eius nomine, cuius ex fratribus fama præclara est, vel in malis quæ pendit, vel in bonis, quæ rependit. Quem tropum nondum inuenerat humana dicendi ars, sicut ibi notauit August. neque veteres Rhetores, cùm tamen aptissimum sit ad amplificandam immanitatem eorum, quorum nulla est commiseratio miserorum fratrum: quam insuper explicat Paraphrasis Chaldæa, dum ita habet. *Va qui pacati estis in Sion, & quieti in summa rerum abundantia.* Enimuerò si amico qui extremè non indiget, statim tribuendum est quod petit, iuxta illud Salomonis: *Ne dicas amico tuo, vade, cras dabo tibi, cùm statim possis dare*, quanto magis fratri extremè indigenti subueniendum est, & tribuendum quod illi necesse fuerit? Cap. 6. Prou. 3.

Vnde Iob gloriabatur pauperibus nihil negasse: *Si negaui*, inquit, *pauperibus quod volebant, & oculos viduæ expectare feci*; super quæ verba ita ait Greg. 21. Moral. c. 11. Petentem sibi viduam expectare noluit, vt non solùm ex munere, sed ex celeritate quoque muneris bonorum operum merita augeret. Illa autem verba, *oculos viduæ expectare feci*, fortè significant tantùm abfuisse, vt oculos viduæ expectare faceret, vt potiùs ipse expectauerit viduam, cui occurreret, & subueniret, ad imitationem Dei, de quo dicitur: *Expectat Dominus, vt misereatur vestri.* Quod etiam notauit Cyril. lib. 2. in Ioan. ad ea verba Christi Ioan. 5. *Vis sanus fieri?* Magnū, inquit, misericordiæ Christi est argumentum, non expectare semper laborantium preces, sed sua misericordia præuenire. Quod argumentum etiam elegāter prosequitur Theodoret. in Psalm. 22. ad ea verba, *Misericordia tua subsequetur me.* Iob. 31. Isai. 30. Ioan. 5.

Notavit insuper Gregor. in hanc sententiam 21. Moral. cap. 8. dixisse Iob. *Si despexi prætereuntem eo quòd non habuerit indumentum*, ignoto enim proximo misertum se indicat, quem prætereuntem vocat, quia apud piā mētem plus natura valet, quàm notitia. Nam vnusquisque qui indiget, eo ipso quo homo est, ei iam incognitus non est. Vt ergo eorum impietatem arguat Iacobus, qui miseriis, & necessitatibus pauperum nihil commouentur, ostendit eos nec misertos fuisse ratione naturæ, nec ratione fidei Christianæ, quæ nos omnes sub vno Patre fecit fratres. Cùm etiamsi nullus talis respectus interueniret, deberemus pauperum inopiam subleuare, corúmque miseriis occurrere; sicut eleganter prosequitur Chrysostomus homilia 80. in Matth. Si enim, inquit, inimicus fuissem, nónne ad misericordes etiam flectendos, mitigandosque suffecissent passiones illæ, inedia scilicet, frigus, vincula, nuditas, ægrotatio? Hæc enim etiam ini

inimicos mouere possent. Canem plerumque famescere videntes frangimur, & belluarum inedia nonnunquam flectimur. Tu verò Domino famescente non domaris, qua ratione poterunt hæc excusari? Vt ergo ostendat qualiter teneamur indigentibus subuenire, eos sub nomine fratrum nobis propositos asserit Iacobus.

§. I.

Contra eos qui solis verbis pauperibus occurrunt, & fidem comprobant.

DIVVS Greg. Pap. 20. Moral. c. 14. tractans præsentem locum Iacobi, ait: Dilectio nostra semper exhibenda est, & veneratione sermonis, & ministerio charitatis. Vnde præsentibus verbis ex eius sententia eos carpit, qui cùm possint opere, verbo tantùm pauperibus occurrunt, cùm tamen Paulus dicat, hos non debere esse *diuites* verbis, sed *operibus bonis, facilè tribuere, communicare*, &c. Sed eò res iam deuenit, vt solis iam verbis pauperibus occurratur, & nullo omnino artificio possit frater nudus, & egenus obolum extorquere. Vnde Nazian. Orat. de pauperum amore; Noctes, inquit, diésque vagantur inopes, & nudi, ac tecto carentes, morbum ostentantes, Creatoris fidem, atque opem implorantes, alij aliorum membris pro iis, quibus carent vtentes, cantuum animos hominum ad misericordiam petrahentium artifices, panis nonnihil postulantes, aut perexiguum obsonij, aut pannosam quandam ac sordidam vestem, in obscœnitatis subsidium, aut vlceribus solatium: ac clementiæ apud eos, facilitatísque laudem non habet, non qui ipsis quæ necessaria sunt suppeditauit, sed qui non sæuè, atque acerbè ablegauit. Multísque interiectis subnectit: Dum secundo vento nauigas, ei qui naufragium facit manum porrige, ne expectes, vt in te ipso discas quantum malum sit inhumanitas, quantúmque bonum viscera egentibus aperire, ne experiri velis Deum aduersùs eos, qui alta ceruice incedunt, ac pauperes prætereunt, manum extendentem. In alienis calamitatibus hæc disce, egenti paruum aliquid dato, neque enim paruum est ei, qui omnibus rebus caret, &c. quæ pro hac re videnda sunt.

(1. Tim. 6.)

(Deut. 16.) ET fortassis nihil aliud adumbrabat præceptum illud; *Non plantabis lucum, & omnem arborem frondosam iuxta altare Domini Dei tui*: Nisi Deo displicere omnino eos homines, quos Plato inuersas arbores, & Philo cælestes plantas vocauit, dum solo foliorum tegmine, verborum scilicet prolatione, absque fructu, & operatione operiūtur, quorū folia, verbáque citò decidūt, fructus nunquā reperitur. Vnde D. Isidor ad prædicta verba ait: nemus, frondentes arbores infructuosæ, sola delectatione visus plantata, Gentiles sunt. Nos autem circa altare Dei, id est, Dominicam fidem, nihil in verbis infructuosum componimus. E contrà verò diuinus Sponsus commendat ficum, quæ protulit grossos suos: quia præcoquæ ficui pro foliis, ac floribus fructus est; nondum foliis vestitur, & iam fructibus exornatur. (Cant. 2.)

qua

qua de re videndus Plinius lib. 4. c. 26. Est enim gratissima Deo ea arbor, quæ non habet flores, foliáue verborum, sed fructus bonorum operum, quibus fratribus egentibus possit mederi.

VNDE iam intelligetur locus ille Hieremiæ, quem Hieronym. ibi lib. 5. de Christo Dom. intelligit, dum ait. *Væ mihi mater mea, non fœnerani, nec fœnerauit mihi quisquam.* vbi Septuag. habent, *Non profui, nec profuit mihi quisquam:* quasi illud deploret Christus Dom. nullum, scilicet, reperiri in terra, qui eum in pauperibus esurientem pascat, aut sitientem potet. Vnde Theodoret. ibi sic habet: *Non debui, nec debuit mihi quisquam.* Cap. 15.

QVI verò sic non audit clamantem fratrem, nec subuenit egenti Christo in paupere, meritò cum Diuite auaro non exauditur, imò plura contra eum in vno paupere ora aperiuntur, cùm ipse hianti præ fame ori nihil ingesserit. Pro qua doctrina videndus est Chrysolog. Ser. 120. vbi ita habet: Quia obduratis auribus vnius oris nihil erat vox clamantis ad aperiẽdum cor Diuitis, totum corpus pauperis Lazari vulneribus aperit, vt in admonendo Diuite tot essent pauperis ora, quot vulnera, vlcera producuntur: hiatus vulnerum dilatatur, vt quem vox esurientis nõ mouerat, vel suspiria, vel dolores, & tot ærumnarum congeries commoueret, imò aperta ora clamarent ad Deum pro tam sæua immanitate, dum tot ora clamantia in vno fratre non audiuit. Sicut autem dixit Aug. tract. 9. in 1. Can. Ioan. Vbi charitas est, & qui exigit dulcis est, & à quo exigitur. Quod ipse explicat sumpta similitudine à brutis, quæ petentes filios, imò percutientes patienter ferunt. Videmus, inquit, vbera vaccarum à grandiusculis vitulis capite percuti, & propè ipso impetu leuare matrum corpora, nec eas tamen calce repellere vitulos, sed si desit filius, qui sugat, mugitu prouocare ad vbera. Propterea ergo pauperes repellimus, nec audimus, aut solis verbis eis satisfacimus, quia deest supernaturalis charitas, quæ eos vacuos minimè abire permittit. Vnde D. Leo Ser. 7. de Collectis ait: Illa ficus nobis cauenda est de suæ infœcunditatis exemplo, quam Dominus nihil habẽtem quod esuriens sumeret, perpetua sterelitate damnauit. Qua de re videndus Greg. hom. 31. in Euang. & Chrysost. hom. 21. ad Roman.

§. III.

Contra eos qui pauperes spoliant, dum subuenire deberent.

QVOD si is, qui videns nudum fratrem, egentémque victu, & solis verbis, non operibus occurrit, condemnabitur, quanta damnatione plectendi sunt ij, qui rapiunt aliena? sicut dixit Greg. 3. p. Pastoral. c. 21. quod etiam prosequitur Aug. Serm. 38. de Sanctis, vbi ita habet: Si in ignem mittitur qui esurienti non dedit panem suum, puta quò mittentus est, qui tulit alienum? Si in ignem mittitur qui nudum non vestit, quò mittendus est qui vestitum spoliauit? si periturus est qui carcerem non visitauit, quid de illo fiet qui fortè in carcerem misit? Rogo vos fratres charissimi, hinc attẽdite,

quam spem habere possunt, qui mala faciunt, quando illi perituri sunt, qui bona non faciunt?

Matt. 3. DENIQVE alio loco Dominus terribiliter nos admonet, dicens: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur*; non dixit, quæ facit fructum malum, sed quæ nõ facit fructum bonum. Et Bern. epist. 104. Attende, inquit, quid mereatur iniquitas, si sola sufficit inutilitas ad damnationem. Reuerà secura nõ erit spina, vel tribulus, vbi securis infructuosæ arbori poni videbitur, nec parcet pungenti, qui minatur sterili. Quibus habet similia Chrysost. homil. 21. ad Rom. vbi post multa sic concludit: Si ergò non pascentes ita condemnabuntur, quam putas, pœnam dabunt, qui non solùm non pascunt, sed conuiciantur? maiorem vtique dabũt, si deprædantur. Considerare ergo debemus, Deum nostros profectus; suos putare fructus sicut eleganter prosequitur Bernard. Serm. 63. in Cant. vt eos per manus pauperum Domino offeramus.

Vers. 16. *Sic & fides, si non habeat opera, mortua in semetipsa.*

EXPOSITIO LITERALIS.



QVONIAM hoc in loco agit Iacobus de fide mortua, de qua sæpe agit in hoc capite; id semel explicandum est, vt deinceps intelligatur. Fides igitur, vt est habitus intellectualis à Deo intellectui infusus, sumitur vt informis, id est, sine consortio, & coniunctione charitatis. Sic enim potest realiter dari fides, vt definitum est contra hæreticos in Trid. sess. 6. c. 15. & Can. 28. vel, vt formata & adiuncta charitati. Fides igitur sine charitate, nec virtus Theologica est, nec intellectualis. Primum patet, quia non perficit nos ad vltimum finem, nec facit bonum habẽtem, nec opus eius perfectum reddit; quod Paulus dixit 1. Corint. 13. *Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Et quòd 1. Cor. 13. non sit virtus intellectualis, patet, quia licèt perficiat intellectum ad cognoscendum verum supernaturale, quantùm pro isto statu potest cognosci, tamen sine charitate non habet statum virtutis, quia nõ habet firmitatem in operando in omni euentu, quæ necessaria est ad rationem virtutis. Hæc prælibasse satis sit, latiùs namque probantur à Theologis in 3. dist. 23. & apud D. Thom. 2. 2. q. 24. art. 5.

HÆC duo igitur quæ illi desunt, habet à charitate, & hæc est ratio quare à Theologis dicatur forma fidei, non quia charitas sit propria forma fidei, siue essentiails, vt anima dicitur forma hominis, aut accidentalis & extrinseca, vt albedo corporis, charitas namque & fides sunt duæ virtutes specie distinctæ, quæ duas diuersas potentias perficiunt, sed quia perfectionem iam dictam addit fidei, ideo metaphoricè dicitur forma ipsius, secundùm analogiam, videlicet ad formam propriè dictam, quæ suo modo subiectum perficit. Vnde Aug. lib. 6. contra Iulianum c. 117. ait.

Qui

Qui rectè amat, proculdubio rectè credit, & sperat, qui verò non amat, inaniter credit, etiamsi sint vera, quæ credit. Quibus habet similia 15. de Trinit.c. 18.& in Præfat. Ps.31.Irenæ. lib. 4.cap. 25. Cypr. Serm.de Zelo & Liuore.Ambros.lib.2. Offic. c. 2.& in Psalm.1.In quam sententiam notauit Hugo ea verba Ioannis in epist. 2. *Gauisus sum valde*, venientibus fratribus, & testimonium perhibentibus veritati tuæ, vt significent veritatem fidei cum charitate in opera prodeuntis, quasi si fides spectetur sine charitate operante, & secundùm habitum dumtaxat, non adeò videatur vera,sed inanis & mortua; ideo enim addit Apostolus verbum *ambulandi*, quod denotat opus viuentis.

HINC iam licet colligere, fidem dici mortuam sine charitate, eiúsque operibus, non quomodo homo dicitur mortuus, qui post mortem non est, sed quomodo corpus dicitur mortuum, quod post mortem est, sed non viuit.Vita namque non est de essentia fidei, quemadmodum est de essentia hominis, sed per metaphoram dicitur fides viua, cùm operatur, mortua, cùm non operatur,sicut etiam aqua dicitur viua, quæ continuò fluit, vt in fonte & fluuiis, mortua verò dicitur, quæ non mouetur, vt in stagnis, & paludibus, cùm tamen vtraque verè & propriè sit aqua. Spes etiam iuxta hanc doctrinam dicitur viua, ad quam accedunt opera, vt dixit Paulus: *Spe salui facti sumus.* Et Petrus: *Regenerauit nos spem viuam.* quanquam non sit tam vsitatus loquendi modus. *Rom. 8.*

IN hoc igitur sensu dicit Aug.de spiritu & litera, c. 32. Charitas, quæ est vita fidei, ipsam non præcedit, sed sequitur fidem. Et Bern. epist. 42. Mortua fides est, quæ non operatur ex dilectione, quasi non habens animam ipsam dilectionem, qua vegetetur, & moueatur ad opera. Et Serm. 24.in Cant.Qui diuidis actum à fide,iniquè diuidis, fidem perimis tuam, nam fides sine operibus mortua est. Munus mortuum offers Deo. deinde subiungit: Credis in Deum? fac Christi opera, vt viuat fides tua: fidem tuam dilectio animet, probet actio. *1. Petr. 1.*

VEL dicitur mortua fides sine operibus & charitate,quia se habet instar arboris non ferentis fructum. Et ideo Iudas in sua Canonic. Hæreticos appellat non tantùm arbores autumnales, sed etiam bis mortuas, eradicatas,tum,quia neque fructum charitatis, & boni operis ferunt,in quo assimilantur arbori autumnali, quæ licèt radicem habeat,videtur tamen mortua, cùm nullum iam habeat, neque ferat fructum,tum etiam,quia fidem non habent, quæ est radix omnis bonæ actionis, in quo assimilantur arbori bis mortuæ, vel eradicatæ. Nam quæ eradicata est, caret vita fructus, & vita radicis. Autumnali verò arbori nondum eradicatæ assimilare possumus fideles peccatores, qui cùm radicem habeant,scilicet fidem, carent fructu charitatis & operationis. Et Plinius lib. 16. c. 26. infelices arbores damnatásque Religione appellat,quæ nec fructũ ferũt,nec semen quidem. *Iud. 1.*

FIDES igitur est radix charitatis,bonæ operationis,& iustificationis nostræ,vt dixit Trid. sess.6.c.8. & Aug.epist.105.his verbis: Cùm aliquis excitatus diuina gratia, concipiens fidem ex auditu, mouetur in Deum

credens vera esse quæ diuinitus releuata sunt, & hac fide intelligens se peccatorem esse, à diuinæ iustitiæ timore concussus, ad diuinam misericordiam se conuertendo in spem erigitur, Deúmque fontem omnis iustitiæ aliquo modo, saltem imperfectè diligere, & aliquo modo detestari peccata incipit, vt ipse paulatim ad iustitiam disponatur; & quemdmodum radix in arbore sensim succum præbet ramis, eósque alit, quousque fructum ferant, sic fides mouens nos ad opera, quibus paulatim ad iustificationem disponimur, succum nobis, & motum aliquem subministrat.

Et quamuis ante aduentum fructus charitatis dicatur fides mortua, quia tali fructu caret: tunc enim comparatur arbori solùm autumnali, & non omnino eradicatæ, aliquem tamen habet actum vitæ, eúmque suppeditat ad bene operandum, dum paulatim nos disponit, & deducit ad iustificationem: & sicut arbor in autumno dicitur mortua, quia foliis & fructu caret, quæ præcipua vita arboris dicitur, & tamen intra se, & ex radice sua habet motum vitæ, quia continuò alitur, sustentatur & disponitur ad fructum: sic fides in peccatore, dum non fert fructum charitatis, dicitur mortua vita charitatis, in se tamen adhuc habere dicitur aliquem motum vitæ, quando ad iustitiam paulatim hominem prouehit. Etenim si D. Thom. 3. p. q. 8. art. 3. ad 2. dicit, fidē sine operibus, & charitate mortuā esse, per eam tamen peccatores esse actu membra Christi, quia percipiunt à Christo aliquem actum vitæ, scilicet ipsam fidem: maiori ratione fides, quæ in peccatore ad iustitiam mouet, & excitat ante aduentum charitatis, dicetur habere in se aliquem vigorem vitæ.

§. I.

Connexio inter fidem & opera charitatis.

Non eatenus igitur hæc Iacobi doctrina intelligenda est, vt negetur, fidem initium salutis esse, & substantiam, seu initium substantiæ nostræ, vt loquitur Paulus, eúmque explicat Chrysost. quasi per eam subsistamus, nati simus, essentiales facti, fundatíque spirituali essentia, & regeneratione, vt loquitur Theophylact. Ideóque Ambr. in Psal. 1. Virtutes sine fide folia sunt: videntur virere, sed prodesse non possunt, agitantur vento, quia non habent fundamentum, quanti Gentiles habent misericordiam, &c. sed fructum non habent, quia fidem non habent; labuntur citò folia, vbi ventus flauerit. Et Paulus eam euehit, de eáque potissimùm agit cum Hebræis, quoniam hi aduersùs istam contentiosiùs pugnabant, & eam opponit operibus legis, vt intelligamus non per talia opera contingere salutem, sed per gratiam, quam fides implorat, quæque nisi credentibus non conceditur. Qua de re videndus Aug. lib. de Prædestinat. Sanct. c. 7. Greg. Nazianz. Orat. 28. & Conc. Trid. sess. 6. c. 8. *Hebr. 3.*

Sed intendit Iacobus ostendere, solam fidem non sufficere, neque oris confessionem, nisi accedant opera, sicut neque sufficiunt lenia blandáque verba

verba fratri indigenti, cùm adest substantia, qua illi subueniri possit; quod dixit Greg. 23. Moral. c. 10. his verbis: Non satis est habere fidem, nisi vita sit fidelis; nonnulli fidem medullitus tenent, sed viuere fideliter nullatenus curant, quibus diuina Prouidentia sæpe contingit, vt propter hoc, quòd nequiter viuunt, & illud perdant, quod salubriter credunt. proindéque versans præsentem locum Iacobi D. Aug. lib. de fide & operib. c. 14. ait: Quousque falluntur qui fide mortua sibi vitam perpetuam pollicentur? & c. 21. Nequaquam mens incauta fallatur, vt se existimet Deum cognouisse, si eum fide mortua, hoc est, sine operibus confiteatur, more dæmonum, & ideo se iam non dubitet ad vitam æternam esse venturam, quia Dominus dicit, *Hæc est autem vita æterna, vt cognoscant te Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Venire quippe debet etiam illud in mentem, quod scriptum est: *In hoc cognoscimus eum, si mandata eius seruauerimus: Qui dicit, quia cognouit eum, & mandata eius non seruat, mendax est, & in hoc veritas non est.* Similia habet lib. de Continentia c. 14. & lib. 83. q. 37. & enarrat. in Psalm. 31.

FACIT etiam expositio D. Anselmi in c. 1. epist. ad Rom. quæ est etiam aliorum, cùm ait: Obedire fidei, non est solùm assentiri, sed opere complere quæ fides ostendit facienda. Vnde Christus Dom. Ioan. 5. dixit. *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filij hominis, & procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, qui verò mala, in resurrectionem iudicij.* Ioan. 5. Vbi notauit Aug. dicto lib. de fide & operibus c. 23. non dixisse Christum, procedent, seu prodibunt qui crediderint, sed, qui fecerint: quod etiam notauit Chrysost. homil. 38. in Ioan. & Theophyl. cùm de hac re ita habet: Quoniam iam superiùs dixerat Christus, *qui verbum meum audit, non iudicatur*, ne quis fortè hoc solùm satis esse ad salutem arbitraretur, ideo Christus Dominus statim adiunxit, *qui bona fecerunt, ibunt in resurrectionem vitæ*; sic Theophylact. Videndus hac de re etiam D. Prosper lib. 3. de vita contemplat. c. 12.

ORDINATVR itaque cognitio fidei ad exequenda opera. Vnde licèt communior Theologorum sententia, sacram Theologiam dicat esse scientiam simpliciter speculatiuam; plerique tamen, vt Albertus Magn. in sum. 1. p. tract. 1. q. 3. memb. 3. Durand. q. 6. Prolog. Richard. q. 4. Greg. q. 5. art. 4. & alij; quin & Scotus in Prologo, q. 4. tenent, esse scientiam practicam, quod alij etiam Theologi concedunt per extensionem, vt videre est apud D. Thom. 2. 2. q. 4. art. 2. Etenim, sicut docuit Paulus; *Omnis Scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum*; quod etiam videtur sentire Aug. 2. Tim. 3. 1. de Doctrina Christ. c. 11. & lib. 2. c. 27. Greg. hom. 10. in Ezechiel. Quòd si Aristoteles 1. Ethic. c. 3. ait, finem moralis Philosophiæ non tam esse cognitionem, quàm actionem, qui fieri potest, vt cognitio fidei non dirigatur ad operationem; & vt fides, sicut volunt Hæretici, sufficiat ad salutem? cùm potiùs in sacra Scriptura scire idem sit, ac amare, per charitatem, scilicet operatè, vt videtur notasse Orig. in c. 8. epist. ad Rom. & Aug. l. de bono Perseuer. c. 28. Ideóque Philo lib. de migratione Abrahæ, ait: Opera sapientis nihil differunt à diuinis eloquiis: quæcunque enim Deus iubet, ac loquitur, statim exequuntur, & notitia eloquiorũ ad operationẽ dirigitur.

VNDE Chrysost. hom. 8. in 2. ad Timot. fides, inquit, sine operibus, figura solum absque virtute est. Recto ergo, pulchro, & venusto corpori virtute destituto, picturæq; assimili fides absque operibus rectè comparatur. Pro qua sententia notauit pulchrè idem Philo lib. de profugis; Labanum scrutatum fuisse totam supellectilem Iacobi, quærentem idola, eadem tamen minimè reperisse. Quamuis, inquit, Laban scrutaretur totam animalem domum Iacob, non inuenit, vt Moyses narrat, simulachra, plenus enim erat negotiis, non somniis, & variis imaginationibus. Nec enim in ea anima simulachra falsa, & vana idola potuerunt inueniri, quæ tota posita erat in negotio, & operatione, cùm vera notitia Dei practica esse soleat, & dirigere ad operationem.

Gene. 31

EST optimus pro hac re ille locus apud Ezechielem cap. 1. vbi ita habetur: *Similitudo quatuor animalium; quatuor facies vni, & quatuor pennæ vni, & manus hominis sub pennis eorum in quatuor partibus.* Cùm ergo pennæ ad volatum inseruiant, & manus operationi, vnde & per illas solent opera designari, id in hac visione videtur manus sub pennis protendere, s. connexionem inter cognitionem rerum cœlestium, & operationem, iuxta eãdem notitiam; quod optimè videtur expressisse Greg. lib. 6. Moral. c. 18. vbi ita habet. Quid per pennas, nisi cognitionem possumus sentire Sanctorum, qua ad summa transuolant, & terrena deserentes, sese in cœlestibus librant? quid per manus nisi operationes accipimus? quia cùm in proximi amore se dilatant, bona, quæ præualent, etiam corporaliter administrant. sic ille. Vbi vides & manus pennas adiuuare, & eleuare, & in alarum remigio extensionem manuum fundari, quasi nec pennarum expansio sine manuum extensione daretur, nec manus extenderentur, nisi pennis sursum eleuatis. Quanquam enim sine fide impossibile sit Deo placere, tamen fides sine operibus mortua est. Vnde Chrysost. homil. 21. in Genes. Non est ingloriosa nominis (s. fidelis) appellatione fidendum, nihilque prodest vocabulũ virtute vacuum.

HOC ipsum ostendit Ambros. lib. de Parad. c. 13. vbi aduertit, Adamum, postquam peccauit, operuisse se foliis ficus, existimantem se posse operire magnitudinem peccati appositis foliis, cùm pro eo tollendo ad fructus deberet recurrere. Adam, inquit, postquam peccauit, de foliis ficus fecit sibi succinctorium, qui de fructibus magis gustare debuit: iustus fructum eligit, folia peccator. Additque. Ergo quicumque præuaricatur mandatum Dei, spoliatur atque nudatur, & fit ipse sibi turpis, vult se operire quibusdam ficus foliis, &c. Cui accinit Greg. 16. Moral. c. 22. cùm explicat ea verba. *Nudos dimittunt homines, indumenta tollentes, quibus non est operimentum in frigore.* Dicitque esse verba Hæreticorum, qui bona opera è medio tollunt, quæ sunt vera indumenta. Sicut vestimenta, inquit, corpus, sic bona opera protegunt animam; vnde cuidam dicitur, *Beatus qui vigilat, & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet.* Pluráque hac de re habet idem Gregor. lib. 19. Moral. cap. 16.

Gene. 3.

Iob. 24.

Apoc. 16

HÆRETICI itaque cùm in quorundam mentibus bona opera destruũt, nimirum velamina indumentorum tollunt. Additque. Cùm verò hæretici

per

peruersis allegationibus rectæ fidei, eis opera subtrahunt, quid agunt, nisi vt qui adhuc desideriorum carnalium frigora sentiunt, sine bonorum actuum vestimento moriantur? Boni operis tegmen accipimus, quo quisque tegitur, vt ante omnipotentis Dei oculos, prauitatis eius fœditas operiatur. Vnde scriptū est, *Beati, quorū remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Psal. 31. Deceptus proinde Adam, se foliis voluit operire, non fructibus, ideóque se mortuum tunc temporis ostendit, quia fides sine operibus mortua est. Quod etiam probat D. Chrysostom. Serm. *Quòd Dauidica Cantica diuersis subseruiant nostris consolationibus*; vbi sic habet: Quemadmodum cibo vita hæc sustentatur, sic & si bonis actionibus adnitamur, spiritu potiemur, quo parto, & bonis operibus abundabimus, quibus contrà si caruerimus, idem à nobis spiritus auolabit.

§. II.

Perit citò fides si operibus non fouetur.

AD nostram doctrinam mysticè moraliter potest esse sensus huius loci: Fides si non habeat merita, mortua est in semetipsa, id est, interit, desinítque esse fides, nisi alatur, & sustentetur bonis operibus. Vnde Oecumen. hoc loco: Neque vnguentum in capsula reconderetur quæ luto plena esset, neque in homine impuro fides immitteretur. Addimus, aut conseruaretur à Deo. Quod etiam dixit Paulus: *Habentes mysterium fidei in conscientia bona*; quasi ibi conseruetur fides. 1. Tim. 3. Quem etiam sensum videtur innuere Glossa cùm habet. Mortua est contra semetipsam, quasi mors fidei, & otium ab operibus, contra ipsam fidem sit, quandoquidem inde deperditur. Inueniόque hunc sensum probatum à Cardinali Toleto ad Rom. c. 2. vbi ait: Fides, nisi sequantur opera, perit. Et in hoc sensu dixit August. Grati simus ex eo quod habemus, vt addatur quod non habemus, & non perdamus quod habemus. Et Chrysost. eleganti similitudine hoc declarat in imperfecto hom. 52. Oleum, inquit, dicitur opus misericordiæ, quia sicut oleum lumen lampadis fouet, sic opera bona subministrant confidentiam fidei, & vigorem accendunt: multisque interpositis ait. Extinguitur lampas hominis, quando fides eius deficit, & quemadmodum subducto oleo minuitur lumen lucernæ, sic malus consideratione operum suorum malorum semetipsum confundit. Vnde Paulus: *Habentes fidem, & bonam conscientiam, quam quidam repellentes, naufragauerunt circa fidem.* Videndus etiam homilia 13. in epist. ad Ephes. & homil. 26. in Ioan. insupérque similia habet homil. 13. eiusdem operis, & imperfecti. Et huc fortè spectat illud Apoc. 2. ad Angelum Ecclesiæ Ephesiorum. *Prima opera fac, sin autem, mouebo candelabrum de loco suo*; id est, si opera deficiant, tua penitùs fides, sicut lucerna consumpto oleo extinguetur. Probata est hæc doctrina Ambrosio Serm. 11. in Psalm. 118. dicenti: Fides inexercitata languescit, & crebris otiosa tentatur incommodis; remissas excubias callidus insidiator irrumpit, & rumpit.

rumpit. Et Gregor. 25. Moral. c. 10. Nonnulli fidem medullitus tenent, sed viuere fideliter nullatenus curant, insequuntur enim moribus, quod credulitate venerantur, quibus diuino iudicio sæpe cōtingit, vt per hoc quod nequiter viuunt, & illud perdant, quod salubriter credunt, & sæpe cùm bene viuere negligunt, etiam persequente nullo vsque ad perfidiam dilabantur; super quos bene per Prophetam sub Hierusalem specie inimicorum destruentium verba memorantur, à quibus scilicet dicitur: *Exinanite,*
Ps. 136. *exinanite vsque ad fundamentum in ea.* Paulus quippe ait; *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Iesus.*
1. Cor 13. Inimici ergo destruentes vsque ad fundamentum Hierusalem exinaniunt, quando peruersi spiritus à corde fideliū, destructo priùs ædificio boni operis, soliditatem quoque exhauriunt Religionis; vsque ad fundamentū exinanisse, est euerso bene viuendi opere, etiam robur fidei dissipasse. Vidēdus hac de re Hieronym. lib. 4. in cap. 3. Ezechiel. vbi ponderat, Hæreticos propter morum corruptelam fidem amisisse. Et Chrysost. hom. 27. in Ioan. cùm dicit: Omnis qui malè agit, non verè credit. Et Lyranus ad illa verba Pauli 1. Timoth. 1. *Habens fidem, & bonam conscientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragauerunt;* quia sicut nauta, inquit, faciens naufragium perit, & alij cum eo; sic tales à fide cadentes, inducunt alios ad infidelitatem. Fouenda proinde est fides bonis operibus, ne illis destituta omnino deficiat, & mortua sit contra seipsam.

Vers. 18. *Sed dicet quis: Tu fidem habes, & ego opera habeo: ostende mihi fidem tuam sine operibus, & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam.*

EXPOSITIO LITERALIS.



INSTAT adhuc Apost. in probatione illius, quod proposuerat, fidem, scilicet, sine operibus non prodesse ad salutem. Et hoc est tertium argumentum desumptum ex hypothesi duorum hominum valde dissimilium, quales fuerunt, verbi gratiâ, D. Petrus, & Simon Magus, siue D. Paulus, & Elimas Magus, Stephanus, & Nicolaus, Ignatius, ac Ebion, Irenæus, & Valētinus, Augustinus, & Lutherus, Hieronymus, & Caluinus, quorum vnus gloriatur de sola fide, proindéque de salute se certum prædicat: alter verò accedit non solùm habens fidem, sed insuper interna, externáque opera virtutum. Hic igitur illum alium de sola fide gloriantem sic poterit refutare, & conuincere: Tu fidem habes, sicut asseris, at quomodo id mihi verum esse persuadebis, cùm fides res sit spiritualis, & inuisibilis? oportet autem & Solem suo splendore, & ignem ardore, fumóque, & arborem ex fructu probari, & cognosci, qua ergo ratione fidem tuam emortuam, & solam mihi manifestabis?

stabis? imò ex eo quòd operibus careas, videris illa carere. Ego verò tibi fidem meam operibus comprobabo, cùm & oleum, & lampadem accensam habeam, proindéque à cœlesti sponso accipior, tu quia vacua gloriaris lãpade, excluderis. Ego veluti arbor secùs decursus aquarum, fructum profero in tempore, tu vt ficulnea sterilis malediceris, ego sicut oliua fructifera, tu sicut mirix in deserto. Proindéque & fructum habeo, & fidem comprobo, quorum tu nullum efficis. Ideóque Luc. 5. dicitur, *quorum fidem vt vidit,* loquens de iis qui portabant paralyticum. Licèt verò Christus viderit internam fidem, insuper etiam vidit opera ex fide emanantia.

Hæc fidei probatio ex operibus, probabilis vtique censenda est, & moralis, & ex connexione quam bona opera habent cum fide, cuius plantationem sequuntur flores bonorum operum, quæ nobis prosunt. Ostenditque hic locus, fidem, quæ saluti inseruit, debere comprobari bonis operibus, alioqui neque viua erit, mortuum autem quomodo potest saluare? neque conseruabitur, neque testes habebit. Vnde Saluianus Massiliensis Episcopus lib. 4. de Prouidentia, tom. 4. Biblioth. tractans hunc locum Iacobi, ait: Hoc indicat, actus bonos Christianæ fidei quasi testes esse, quia Christianus nisi opera fecerit bona, fidem suam penitùs probare non possit, ac per hoc quòd probare non valeat, quia sit, sic omnino habendum est, quasi non sit. Opera verò meritoria supponunt fidem, gratiam, & charitatem, & hæc tanquam radicem ostendunt, ac truncum. *Plantati* namque *in domo Domini, in atriis Dei nostri florebunt*; licétque plantatio fidei habeat dignitatem, præcellit tamen efflorescentium honor, quia, vt initium in plantatione est, ita gaudiũ boni operis in flore est; sicut dixit Hilarius in Ps. 133.

QVONIAM verò atrij fecimus mentionem in plantatione fidei, & flore boni operis, non incongruè afferemus, quæ in præsentem sententiam de atrio habet D. Gregorius homil. 22. in Ezechiel. vbi aduertit, atrium in quadro positum dici, & longitudinem significare longanimitatem spei, latitudinem verò charitatis amplitudinem, quæ in cordibus fidelium vacua non est; nam per fidem, quicquid valet, operatur. Vnde Paulus: *In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides, quæ per dilectionem operatur.* Si ergo in vita fidelium iuxta quendam modum, per singulos perfecta est longanimitas spei, perfecta latitudo charitatis, perfecta certitudo fidei, perfectum studium operationis, atrium templi per quadrum centum cubitos habet, in mensura autem quadri non aliud latus maius est, atque aliud: concluditque; cùm ergo virtus, tempus, & locus operandi suppetit, tanto quis operatur, quanto Deum nouerat, & tantùm se nosse Deum iudicat, quantùm pro Deo bona opera operatur. Metiantur ergo fideles populi virtutes in quadrũ, quia vnusquisque, qui in hoc vitæ exercitio versatur, tantùm credit, quantùm sperat, & amat, & tantùm operatur, quantùm credit, amat, & sperat: fides namque ex operibus ostenditur, probatur, ac metitur. *Galat. 5.*

FACIT in huius sententiæ confirmationem visio illa Ezechielis, vbi de animalibus illis mysticis dicitur, *manus hominis sub pennis eorum in quatuor* *Cap. 1.*

partes. De qua visione iam diximus superiùs præcedenti versu. Vt hinc notum fieret, fidem, qua ad suprema per cognitionem volamus, manifestari per extensionem manus, scilicet per operationem, mortuámq; & ineptam esse ad volatum eam fidem, quæ manus subter non haberet, & iugem operationis comitatum. Vnde D. Aug. in Ps. 183. ibi, *qui ambulat super pennas ventorum*. Pennæ quibus anima plumescit, & attollitur sursum, sunt bona opera & virtutes, in duabus alis omnes pennæ, quia toto lex in duobus consistit mandatis. Quisquis dilexerit Deum, & proximum, animam habet pennatam, si enim anima non habet pennas, potest clamare cum Dauide: *Quis dabit mihi pennas, sicut columbæ?* Psal. 54.

FACIT etiam in hanc sententiam id, quod notauit Orig. hom. 10. in Gen. famulum scilicet Abrahæ, dum iussu domini sui sponsam Isaaco elegit Rebeccam, statim protulisse inaures, & armillas, vt aures manúsque simul ornatas haberet. Idque spiritualiter intelligens, ait: Vult enim aurea in auribus suscipere verba, & aureos actus in manibus habere. Verba enim aurea, sunt verba fidei, quæ ex auditu est, quæ eam perpetuò comitantur, & ornant; aurei actus, operationes scilicet virtutum. Ea ergo anima, quæ cum diuino sponso contrahit, fidem ac operationes tanquam ornamenta habet, imò operando meruit ea consequi. Ideóque idem Orig. habet: Hæc priùs accipere non potuit, nec mereri, nisi venisset ad puteos haurire aquas, sc. gratiæ salientis in vitam æternam. Rom. 10

EST etiam optimus locus apud Hierony. contra Iouinianum, cùm ita habet: In legionibus sunt duces, sunt tribuni, cõmissa tamen in pugna vacant nomine dignitatum, & sola fortitudo exquiritur. Qui locus potest optimè exponi ex eo quòd præsens vita militia super terram dicatur, & perpetua nobis sit colluctatio, in qua non sola fidei nomenclatura sufficit, nisi opera accedant, fidémque testatam ostendant. Vnde in Apocal. Angelo Thyatiræ dicitur, *noui opera tua, & fidem, & charitatem tuam*: quantumcunque enim ordine generationis fides initium sit, & radix totius nostræ iustificationis, & ordine perfectionis, charitas virtutum forma dicatur, priùs fidei meminit diuinum Oraculum, vt nobis sic meliùs inculcaret, quantùm operibus deferendum sit; & qualiter fidem, & charitatem testentur. Quod eleganter prosequitur Cypr. tract. de immortalit. dicens: Gratulari oportet, & temporis munus amplecti, quòd dum nostram fidem firmiter promimus, & labore tolerato ad Christum per angustam Christi viam pergimus, præmia vitæ eius, & fidei, ipso iudicante capiamus, &c. Iob. 7. Apoc. 2.

Vbi notanda veniunt ea verba (*labore tolerato, fidem promimus*) quasi nihil sic promat, ostendat, & testetur fidem, quàm vel mala ob fidem perpessa, vel bona à fide per charitatem prouenientia.

Verſ.19. *Tu credis, quoniam vnus eſt Deus, bene facis; & dæmones credunt, & contremiſcunt.*

EXPOSITIO LITERALIS.

HOc eſt quartum argumentum contra ſolius ac nudæ fidei aſſertores, quod Auguſt. expẽdens lib. de Fide & Operib. cap. 15. ait: Quid verius, breuius, & vehementius dici potuit? Eſt autem ſenſus horum verbòrum; Non putes te aliquid magnum facere, credendo vnum eſſe Deum, idque nobis probatam oſtendere fidem tuam. Namque actus credendi, qui procedit à fide informi, licèt non ſit meritorius, bonus tamen eſt ex genere, proindéque bene facis. Cæterùm, idcirco non ſufficit nuda fides, actúſue illius, quia dæmones non ſolùm credunt, ſed inſuper timent. Namque Lucas refert dixiſſe dæmones. *Quid nobis, & tibi, Ieſu Nazarene? Scio te, quòd ſis Filius Dei*, inſupérque dicitur. *Exibant dæmonia multa clamantia, & dicẽtia: Quia tu es Filius Dei*, & tamen talis cognitio, & profeſſio nihil omninò eis prodeſt. Sic & tibi non proderit nuda fides. *Cap. 4.*

SED quoniam Apoſtolus hoc loco fidem dæmonum cum fide hominis peccatoris comparat, illud difficillimum reſtat diſcutiendum, breuiter tamen, ne extra chorum vagari videamur; vtrùm fides, qua dæmones credũt, ſit habitus infuſus. Etenim D. Thom. 2. 2. q. 18. art. 3. id videtur affirmare. Ait enim: Fides informis poteſt eſſe in dæmonibus, & damnatis, ſecundùm illud Iacobi; *Dæmones credunt, & contremiſcunt*; id quod videtur concedere in ſolutione ad 2. Sed quia ſcio hoc poſſe ſolui ex eo, quòd argumentum ſolùm pro ſpe directè, non pro fide eſt, hanc ſententiam habet Magiſter in 3. diſt. 23. §. *aliud eſt*: vbi ait; Fides quam dæmones, & falſi Chriſtiani habent, qualitas mentis eſt, ſed informis, quia ſine charitate eſt. Et in fine habet. Quia & in malis quædam Dei dona ſunt. Probátque ex Auguſtino in Pſal. 77. & tract. 10. ſuper epiſt. Ioann. Idem tenet Alenſ. 3. part. quæſt. 64. mẽb. 7. & aliqui ſententiarij, inter quos præcipuus eſt Dur. in 3. diſtinct. 23. quæſt. 9. art. 2. qui aſſerit, fidem manere in dæmonibus non ſolùm quoad actum, ſed etiam quoad habitum. Cenſetur probabilis ſentẽtia à quodam ex recẽtioribus 2. 2. diſput. 1. quæſt. 5. puncto 2. quam corroborat authoritate Auguſtini 15. de Trinit. cap. 18. & in Enchirid. cap. 8. & lib. 50. homil. hom. 17. & Serm. 16. de verbis Apoſtoli; & lib. de Fide & Operibus cap. 14. Multis hoc probat Catherinus hoc in loco, & alij recentiores doctiſſimi.

NIHILOMINVS communis ſententia tenet, in dæmonibus, & damnatis non eſſe fidem infuſam, quia hæc donum Dei eſt ſuapte natura ordinatum ad beatitudinem comparandam, iuxta illud Petri: *Reportantes finem fidei veſtræ, ſalutem animarum veſtrarum*; & cùm damnati exciderint ab *1. Pet. 1.*

XX 2 om

omni spe Beatitudinis assequendæ, iure sunt spoliati fide, ne frustra in eis remaneret, quæ natura sua ad talem finem ordinatur à Deo, & conseruatur. Insupérque *nos per fidem ambulamus*, iuxta Apostolum : at verò illi sunt in termino; & actus fidei etiam procedit ex bona voluntate, vt docet Theologi. August. verò lib. de fide ad Petrum c. 3. dicit, quòd Angeli mali non possunt mala vnquam carere voluntate. Idémque habet D. Thomas 1. p. q. 64. art. 2. & Magister in 2. dist. 7.

2. Cor. 5.

CREDVNT ergo dæmones per fidem ortam ex coniecturis, & signis, quibus conuincuntur ad ita iudicandum, & ideo est fides coacta, & extorta ab ipsa rerum euidentia, cùm vera fides libera sit, captiuante nimirum pia voluntate in obsequium. Et ideo, sicut optimè notauit Bellarmin. 1. de Iustificat. cap. 15. sed ante eum Caietanus hîc, dicit hoc loco Iacobus, *Dæmones credunt, & contremiscunt*, inuiti, ait Caiet. nos verò credimus, non contremiscentes, sed sponte ac libenter. Et de hac fide intelligendi sunt Patres, præcipuè Aug. lib. 50. homil. hom. 17. Dæmones dixerunt: *Tu es Filius Dei*; timore, Petrus amore. Ait insuper: Discernenda est vigilanter, & diligenter fides dæmonum à fide Sanctorum. Videndus tamen Palatius hac de re in 3. dist. 23. disp. 9.

Luc. 4.
Mat. 16.

NEQVE nouum in Theologia est, actus naturales fidei, vel spei, vel amoris posse conuenire cum actibus supernaturalibus, in materia etiam supernaturali, circa quam versantur, vt videre est apud D. Thomam 2. 2. quæst. 5. art. 2. & 3. Capreol. in 3. distinct. 24. latiùs in Scot. d. 23. vbi Gabriel. Almain. Paludan. & alij; Caietan. 1. 2. quæst. 109. art. 4. Sot. de Natur. & Grat. lib. 2. cap. 8. Et sic debet intelligi Molin. in Concord. q. 14. art. 13. disp. 7. §. *Vt ergo*; & Vigerius in Institution. cap. 20. §. 20. versu 18.

QVIBVS positis, ad institutum nostrum reuertamur. Illud iam præ oculis habendum est, fidem hominum improborum partim conuenire cum fide dæmonum, partímque ab ea dissidere. Conuenit in eo quòd vtraque est vera, & recta fides ex parte obiecti, & materiæ circa quam versatur, denique conueniunt, quòd vtraque infructuosa est. Comparat ergo Apost. fidem hominũ improborum, qui charitate carẽt, cum fide dæmonũ, quòd homines peccatores veritatibus supernaturalibus fidei assensum præbent sine vtilitate & merito, sicut faciunt dæmones, licèt non per fidem eiusdem naturæ & rationis. Sic etiam D. Aug. lib. vnico de Baptismo cap. 10. fidem dæmonum comparat cum fide Petri. Et ita mens Apostoli est solùm colligere, fidẽ sine operibus nihil omnino prodesse. Vnde August. tract. 6. in Ioan. Magna est fides, sed nihil potest, si non habeat charitatem. Noli de fide gloriari adhuc dæmonibus comparandus. Similia habet Serm. 16. de verbis Apostoli. Et D. Saluianus lib. 4. de Prouidentia, expendens præsentem locum, ait: Nunquid errauit Apostolus, vt hominis Christiani fidem dæmonibus compararet? Non vtique, sed ostẽdere illud volens, quia sinẽ operibus bonis nihil sibi per fidei supercilium deberet. Idcirco autem dicit à dæmonibus Deum credi, scilicet vt, sicut dæmones cùm Deum credant, tamen in

per

peruersitate perdurant, ita qui à malo opere non cessat, & in bono opere non proficiat.

Illud etiam hîc necessariò aduertendum, quòd quando dicitur dæmones contremiscere, hic timor non est aliquis ex his quasi speciebus, de quibus Theologi in 3. distin. 34. & cum D. Thom. 2.2. q. 19. cùm neque sit donum Spiritus sácti, ab eóue aliqua ratione procedat: sed sit timor, ac terror quidam ex apprehensione supplicij ineuitabilis, Maiestatisque inferentis tale supplicium, quo timore conuicti, diuinam Maiestatem reuerentur, ipsiúsque præceptis quàm maxima submissione obtemperant. Vnde Glossa hoc loco ait: Qui Deum creditum non timent, dæmonibus crudeliores, & proteruiores sunt. Inde auté infertur, in pessimis hominibus Dei timorem nequaquam reperiri, quoniam ei non obtemperant, & in eius obsequio non detinentur, neque etiam corriguntur. De timore namque intellexit D. August. illud Psalm. *Ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis*: nihil enim nos sic ligat, & cohærere facit Deo, sicut ipsius timor. Ait ergo August. Ferrea, inquit, vincula sunt quandiu timent; amét, & aurea erunt. Et Ber. Serm. de triplici cohærentia, &c. Est qui clauis configitur, quem timor Domini ligat. Quod prosequitur Clem. Alexan. 2. Stromat. Quos non expugnat ratio, eos mansuefacit metus. Et Theodoret. Ser. 7. de Prouidentia; Timor, inquit, affectuum motus frænare, & animæ propensionem ad malum coërcere consueuit. Ideóque meritò Tertull. lib. de Pœnit. c. 2. Vbi metus nullus, emédatio proinde nulla. Qui ergo cùm Deum credant, neque reuerentur, neque ei adhærent, ac obtemperant, peiores vtique Dæmonibus dici possunt, qui credunt, & contremiscunt.

Vers. 20. *Vis autem scire, ô homo inanis, quoniam fides sine operibus mortua est?*

Vers. 21. *Abraham Pater noster nónne ex operibus iustificatus est, offerens Isaac filium suum super altare?*

EXPOSITIO LITERALIS.

Inanem hoc in locó eorum fidé appellat, quæ operibus destituta est, eósque consequenter inanes, qui de sola fide gloriabantur, sicut de virginibus fatuis dixit Bernard. Serm. 1. de Sancto Victore; quòd de vacuis gloriabantur lampadibus, cùm viua fide, & bonis operibus destituerétur: sumpta metaphora à vasis vacuis, quæ eo magis sonant, & crepitant, quo plus vacua sunt. Particula verò (*quoniam*) idem est ac (*quòd.*) Multi verò Codices pro *mortua*, habent *otiosa*; & ita legit Concilium Trident. sess. 6. cap. 8. & Augustin. Sermon. 53. de Tempore. At lib. 88. quæst. q. 76. vocat vacuam. Sed idem est, vt innuit Concil.

Trident.dum & mortuam,& otiosam dixit.Græca tamen,Syriac.Complut. & correcta habent, *mortua.Offerens*,id est,offerre paratus. quod Deus tanti fecit,ac si realiter obtulisset;ideóque Oecumen.Tigurin. & alij,*cum obtulisset filium suum.*

Vrget ergo argumento,& exemplo Abrahæ,& probat mortuam, & inutilem esse eam fidem, quæ per charitatem non operatur; qua de re videndus est Aug.Ser.50.de verbis Domini. vbi expendit illud Pauli: *Si linguis hominum loquar,& Angelorum:charitatem autem non habeam,nihil sum.* Magna, inquit, August. res est fides, montes transferens, illa quidem magna sunt; sed si hæc ego sine charitate habeam, non illa, ego nihil sum. Vbi rectè deducit fidem,quantumuis donum Dei sit,nihil nobis prodesse,si opera nō accedant.Prouocat autem Apostolus eos,qui de Iudæis crediderāt,vt quasi bona soboles primi,& maximi sui parentis actus sequerentur, imò proponens exemplum,quo omnes fideles comprehenderet,omnes in vniuersum admonet hac præsenti doctrina,sicut initio aduertimus, licèt enim nos ex gentibus nati simus,& non ex Abrahæ semine iuxta carnem,si tamen eius fidem,obedientiam,& pietatem imitamur,eius filij censemur. Est enim pater *non his tantùm,qui sunt ex circuncisione,sed etiam his,qui sequuntur vestigia fidei, quæ est in præputio Patris nostri Abrahæ*; sicut ait Paulus. Scriptum est enim, *quia patrem multarum gentium constituit te.* Vnde August.in Psalm.105. Si gratiam Dei firmo corde retinemus,sumus Israël,& semen Abrahæ,non enim carnaliter circuncisæ genti tantummodo factus est pater, cui dictum est: *Patrem multarum gentium constitui te.* Qua de re plura habent Anselm. Chrysost.& cæteri expositores super ea verba Pauli, *Ut sit pater omnium credentium.* Ideóque perpendens Abrahæ factum Origen.hom.18.in Gen.ait.Propter te hæc scripta sunt,quia & tu credidisti quidem Deo,sed nisi opera fidei expleueris,nisi omnibus præceptis etiam difficilioribus parueris, non agnosceris,quia timeas Dominum.

(Margin notes: 1.Cor.13. — Rom.4. — Gen.18.)

Tota ergo maximáque rei difficultas versatur in explicanda præsenti loquutione Apostoli de iustificatione ex operibus. Cui statim sese opponunt aliqua loca Pauli, vt Rom.4. *Si ex operibus iustificatus est,habet gloriam,sed non apud Deum.* & ad Galat.2. *Non iustificabitur homo ex operibus legis.* Similiáque habet ad Galat.3.ad Tit.3.ad Philip.3.ad Rom.11.imò & apud Matth. *Fides tua te saluum fecit;* Similia reperiuntur Luc.8. & Act.13.

Proinde occurrit solutio aliquorum recentiorum,qui dicūt Paulum intelligendum esse de quadam iustitia,& munditia legali, quæ potest esse in peccatore, quam tamen interpretationem non patiuntur verba illa allata in primo loco (*apud Deum*) & præterea Paulus loquitur de operibus, de quibus dixerat, *secundùm patientiam boni operis quærunt vitam æternam,* & ideo apertè est sermo in iis locis de vera iustitia.

Alii verò sequuti Andreā à Vega in Opusculo de Iustificatione,quæst. 2.ad 1.censent particulam (*Ex*) quæ coniungitur cum voce (*operibus*) longè aliter sumi à Paulo,atque à Iacobo hoc in loco.Apud Paulū enim dicunt significare meritum,& debitum, vt excludat à iustificatione quæcumque opera,

opera, quia non iustificamur ex merito bonorum operum; apud Iacobum verò eandem particulam solùm denotare cooperationem ad iustificationem, licèt non conducant opera per modum meriti, vt eis tanquam debita correspondeat iustificatio; per opera verò intelligunt quæcunque opera ex auxilio gratiæ mouentis, quæ ad iustificationem disponunt, non verò concurrunt per modum meriti, sed per modum cooperationis.

Hæc tamen expositio nobis non placet, quia Patres Concilij Triden. sess. 6. cap. 10. vtuntur præsenti loco Iacobi, vt probent ex operibus iustificari hominem quoad augmentum gratiæ. Vnde Can. 32. damnat eos, qui dixerint opera hominis iustificati non mereri augmentũ gratiæ, & iustitiæ.

Pro vera igitur solutione, & expositione præsentium verborum aduertendum est, verbum, *iustificari*, trifariam in sacro sermone sumi. Primò, pro eo, quod est ex non iusto fieri iustum, quomodo sumpsit Paulus hoc verbum, cùm dixit: *Ex operibus legis non iustificatur omnis caro coram illo*; & inf. *iustificati per gratiam ipsius.* Et iterum: *Credenti in eum, qui iustificat impium*; & sæpe alibi, vt ad Galat. 3. & Act. 13. & vbicunque Paulus agit de prima iustificatione hominis, docens eam fieri gratis, & absque operibus legis, sed per fidem & gratiam Christi. In hoc sensu vsurpat verbum, *iustificandi.* Quando autem dicitur iustificatio fieri ex fide, id intelligendum est, non quasi fides sola sufficiat ad hanc primam iustificationem, vt constat, latéque probat Castro de Hæresib. verbo, *Fides*, hæres. 2. Sot. 2. de Nat. & Grat. à cap. 3. vsque ad 8. Bellarm. 1. de Iustificat. cap. 12. Sed, sicut dixit Triden. quia fides est humanæ salutis initium, & fundamentum, & quia illam comitantur cæteræ dispositiones ad iustificationem necessariæ. Rom. 3.

Secundo modo, verbum, *iustificari*, ponitur in Scriptura pro eo, quod est iustiorem fieri, & in iustitia crescere, & proficere: quo sensu intelligi oportet illud Ecclesiast. *Ne verearis vsque ad mortem iustificari*; & illud Apocalyp. *Qui iustus est, iustificetur adhuc*, id est, iustitiam iustitiæ accumulet: iustitia enim latitudinem habet, & iustus potest fieri iustior, ac melior. Cap. 18. Cap. 22.

Tertio tandem modo accipitur hoc verbum, *iustificare*, pro eo quod est habere, vel æstimare, vel declarare, aut ostẽdere aliquem esse iustũ, & sanctum. Cùm enim Iudex aliquem hominẽ accusatũ de aliquo crimine, causa rectè cognita absoluit, innocentémque pronũciat, dicitur more loquendi Scripturæ iustificare eum. i. declarare eum, ac pronunciare iustum. Quo sensu intelligendus est ille locus Prouerbiorũ; cùm Deus reprehendens iniquos Iudices, qui damnant insontes, & absoluunt impios ait: *Qui iustificat impium*, id est, iustũ pronunciat, & absoluit, *& condemnat iustum, abominabilis est vterque apud Deum.* Sic Iob. *Verè scio quòd ita sit, & quòd nõ iustificetur homo compositus Deo:* & paulo inferiùs. *Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me.* Et Ecclesiastic. *Non te iustifices ante Deum:* & *, legisperitus volens iustificare se.* & illud Pauli. *Deus est qui iustificat, quis est qui condemnet?* Cap. 17. Luc. 16. Rom. 8.

Hac igitur proposita distinctione & explicatione Aug. lib. de spirit. & lit. c. 26. hanc locorum repugnantiam cõciliat dicens: opera non præcedere

dere iustificationem, quasi ex virtute operum iustitia debeatur, & detur, vt homo ex iniusto fiat iustus: cùm talis iustitia gratis detur per fidem, & gratiam, non propter opera, aut ex vi eorum, & hoc docere Paulum in omnibus illis locis, scilicet, hominem non iustificari ex operibus legis, sed gratis per fidem. Nomine verò (*legis*) venit intelligenda, non ceremonialis tantùm, sed etiam moralis, quæ Decalogum comprehendit. Huius itaque legis opera non sunt satis, vt homo ex peccatore fiat iustus, imò iustificatus homo sic gratis, opera potest ipse implere per gratiam, quæ antea perficere non poterat, & ita homines fiunt iusti, vt faciant opera legis, non verò virtute operum iustificantur.

At quando Iacobus hîc ait Abrahamum ex operibus iustificatum fuisse, loquitur de secunda iustificatione, qua iustitia accepta augetur, & crescit, quod augmentum fit per opera ex fide, gratia, & prima iustificatione procedentia.

Hæc est mens, & vera expositio Augustini, quam ipse multis in locis asseruit, præcipuéque lib. 2. contra Iulianum, & lib. 83. quæst. q. 76. vbi explicat difficultatem illam ex Paulo, dum contendit Abraham fuisse iustificatum ex fide, & non ex operibus. Tandem in fine quæstionis postquam multa de Pauli, ac Iacobi sententia dixit, ait: Non sunt sibi contrariæ duorum Apostolorum sententiæ Pauli, & Iacobi, cùm dicit vnus iustificari hominem per fidem sine operibus, & alius dicit inanem esse fidem sine operibus, quia ille loquitur de operibus, quæ fidem præcedunt: iste, scilicet Iacobus, de iis, quæ fidem sequuntur. Sic etiam Paulus multis locis ostendit, alioqui, vt ipse Augustinus annotauit, Paulus si aduersaretur Iacobo, sibi etiam esset contrarius, quia dicit, *Factores legis iustificabuntur*; & iterum: *Fides, quæ per dilectionem operatur.*

Rom. 4.

Rom. 2.

Galat. 5.

Est ergo sensus, quòd Abraham iustificatus est, id est, creuit maximè in iustitia & gratia per opera subsequentia iustificationem, maximè verò per obedientiam nunquam satis laudandam, qua proprium filium hæredem diuinarum promissionum, è matris gremio abducens, ligauit super struem lignorum iam iam immolandum. Totus ergo iustitiæ progressus non ex fide tantùm, sed simul ex operibus fit. In hoc sensu explicarunt hunc locum Patres Cōcilij Trid. sess. 6. cap. 10. vt diximus. Et Andreas Vegá lib. 10. super Conc. Trid. Claudius Guillialdus in c. 4. epist. ad Rom. in conciliatione.

Ideoque mihi nullo modo potest placere ea conciliatio Pauli, & Iacobi, quam affert Seraphinus Comiran. in conciliatione locor. commun. tom. 3. quam multis tuetur quidam ex recentioribus ad 1. 2. D. Thom. quatenus asserit Iacobum loqui etiam de prima iustificatione. Admirórque virum doctissimum, & in exponendis locis Sanctorum Patrum sanè acutissimum, velle in suam sententiam perducere Augustinum lib. 83. quæst. q. 76. vbi postquam ex Paulo ostendit, neminem iustificari ex operibus, sed gratis, ita ait. Quibus sententiis manifestè docet, non eos præterito bono ad fidei iustificationem peruenisse, nec meritis eorum istam gratiam

gratiam datam, quando dicit: *Et hæc quidem fuistis*: sed cùm dicit; *Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt*; satis ostendit, iam ex quo crediderunt bene operari debere, quod & Iacobus dicit, & multis omnino locis idem Apost. Paulus satis apertéque prædicat, rectè viuendum omnibus, qui in Christo crediderunt, ne ad pœnas perueniant; quod & ipse Dominus commemorat dicẽs: *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est.* Et Luc. 6. *Vt quid dicitis mihi, Domine, Domine, & non facitis quæ dico vobis?* Quibus verbis August. expressè videtur asserere, Iacobum loqui de secunda iustificatione, eos verò qui crediderunt, intelligit iustificatos, ideóque præmisit; quòd si cùm crediderit, mox de hac vita decesserit, iustificatio fidei manet in illo; & ita per fidẽ intelligit, simul etiam alios actus, quos iustificatio consequitur. Matt. 7. Luc. 6.

NEQVE officit id, quod hic author opponit, scilicet Raab meretricem, quam Iacobus affert, per illud opus recipiendi exploratores populi Dei iustificatam fuisse: potuit enim eo tempore iustificata esse ex fide, & motione Spiritus sancti, vt aliqui viri doctissimi recentiores existimant, præterquàm quòd posset dci cum Lyrano, & Abulens. q. 14. eam tunc temporis iam non fuisse meretricem; & constat eam confessam fuisse verum Deum, dum dixit: *Dominus Deus vester, ipse est Deus in cœlo sursum, & in terra deorsum: pertimuimus & elanguit cor nostrum.* Timor verò initium salutis est, sicut docet Trid. sess. 6. Can. 8. & D. Thom. 3. p. q. 85. Cùm ergo habuerit fidem, vt Paulus testatur Hebr. 11. qua de re videndus Caiet. & Theodor. q. 1. Abulens. q. 48. Serarius q. 17. & Masius ibi. Et cùm conceperit timorem, potuit diuina gratia tunc temporis disponi, & iustificari, & ex operibus postea crescere in eadem gratia, sicut iustificatus est Abraham. Iosue c. 2.

POTEST etiam esse sensus; quòd ex operibus iustificatus est Abraham in tertia acceptione, id est, declaratus iustus à Deo, qui dixit; *nunc cognoui, quòd timeas Dominum.* Quod Theodor. exposuit, omnibus notum fecisti quòd timeas Dominum, & ego maximè id comprobaui. Per timorem verò pietas, religio, & charitas in Deum significatur, vt notauit Theodoret. q. 90. in Genes. cùm quærit, quare Iacob iurauerit per timorem patris sui Isaac? Timorem, inquit, Isaac, vocauit pietatem ipsius. Et Ber. Ser. de donis Spiritus sancti notauit illud Act. 10. *Religiosus ac timens Deum*, connexa scilicet esse timorem, ac religionem, nec manere posse alterum sine altera. Vnde in Deut. vbi nos habemus, *Deum tuum adorabis*, Hebr. habetur, *timebis.* Illud autem hoc loco notandum est pro ista doctrina de operib. tam sæpe à Iacobo inculcata, Deum nolle fructus fidei, operáue nostra, quasi ei aliquid inde commodi accrescat, nam, sicut dixit Iob. cap. 35. *Quid prodest Deo si iustus fueris? si peccaueris, quid ei nocebis?* Sed vt causas habeat diuina bonitas remunerandi, quod dixit August. epist. ad Paulin. & Arment. benignus exactor est, non egenus, qui non crescat ex redditis, sed in se faciat crescere redditores, nam quod ei redditur, reddenti additur. Gen. 22. Act. 10.

§. I.

Quàm necessaria sint bona opera ad salutem.

Psal. 23. INANEM hoc loco appellat Apost. eum hominem, qui in vano accepit animam suam, ac Dei fidem, cùm scriptum sit, quòd *nō ascendet in montem Domini, nisi qui non acceperit in vano animam suam*; quod Bern. ad hunc sensum intelligit epist. 104. vbi ità habet: O si vacuam manum inuenerit ille donorum promptus quidem author, sed importunus exactor! veniet enim ad inquirendum quod suum est cum vsura, quid quæso dignum te iudicabis, qui factus ad imaginem Creatoris, comparatus es iumentis insipientibus, dum nihil spirituale aut æternum elaboraueris?

Isa 36. EXPROBRAVERAT Dominus illis, qui confidebant in baculo arundineo, inani, ac vacuo, cui ideo si innitatur homo, intrabit in manum eius, & perforabit eum: sic itidē vacuus operibus, si innitatur inani baculo fidei, mortis æternæ, & interminabilis supplicij lapsum minimè euadet. Quæ fuit ratio, cur fortis illa mulier, & inuentu difficilis iure à diuino Spiritu laudetur, quia in primis misit manum suam ad fortia, subsistentia, & completa. Quod facer contextus exponens ait. *Et digiti eius apprehenderunt fusum:*
Prou. 31. vbi particula (*Et*) potest esse rationalis, & causatiua, quasi sit sensus, Misit manum suam ad fortia, quia digiti eius apprehenderunt fusum; vbi alij legunt, *firmauit manum suam super fusum.* Pro cuius explicatione notandum omnino est discrimen inter colum, & fusum, quod illa pensa continet, indéque fila deducuntur, & proinde quicquid in colu est, adhuc non est operatum, sed deducitur inde, & in orbem torquetur: at verò quicquid fusus continet, retortum, operatúmque & confectum est. Iam ergo liquet, quare commēdetur ea anima, quæ firmat manum super id quod operata est consilio manuum suarum, non innititur colui, quia pensa infecta, & minimè operata sunt, sed super fusum, qui iam quicquid habet, totum id operatum est, vt inde colligamus, fidendum nobis esse, & firmandas manus, non super inanem, & vacuam arundinem, aut mortuam, seu otiosam fidem, sed super plena & perfecta opera, quæ fortia sunt ad sustinendum iudicium, & conficiendā viam. Vnde Euseb. Emissen. homil. de Machabæis ait: Agnoscamus, charissimi, veras cœlorum claues, meritorū esse virtutes. Quātùm arbitror, omnes in nobis habere possumus claues regni cœlorum. Paulus humilitatis, ac pietatis clauibus vsque ad tertiam regiam penetrauit. Nullus profectò, aut excusationis, aut veniæ relinquetur locus, quando omnis anima in promptu habere cognoscitur opportunum pro sui qualitate præsidium.

HINC intelliges, cur cùm homines soleant appellare fideles seruos eos, qui deposita, & tradita bona Dominis intacta, & in integrum reddunt,
Matt. 25. apud Deum ille solùm dicatur fidelis seruus, qui operatus, lucratúsque est
Luc. 16. aliquid, quod supra bona tradita cum eisdem simul Domino offerat, imò potiùs ille, qui de bonis Domini sui debitoribus remiserat, fidelis prædicatur. Cuius rei rationem optimam reddit D. Cyprian. lib. de Opere & Elee

Eleemos. expendens hunc locum Euangelij. Operarios, inquit, fructuosos appellat fideles, infructuosis verò, & sterilibus fidem derogat. Frustra itaque quis de fide gloriatur, si bonorum operum fructus non habet, quando à Domino infidelis dicitur, & è contrà commendatur tanquam fidelis ille, qui fructuosus est. Vnde Gregor. Nazianz. Orat. 28. Vt actio si à fide deseratur, laudem non meretur, ita fides sine operibus mortua est.

PRO qua sententia est optimus locus apud librum Iudic. quando viri *Iud* 12.
Galaad in fugam verterunt Ephrataeos, móxque occurrerunt ad vada Iordanis, per quae Ephrataei debebant patriam repetere, & vt cognoscerent, vtrùm ij, qui transibant, essent Ephrataei, cogebant eos proferre vocem hanc, *Scibbolet*, quam illi, quia durae pronuntiationis est vox, cùm non possent distinctè pronunciare, sed potiùs proferrent, *Sibbolet*, in ipso vado Iordanis occidebantur, & in transitu transibantè vita. Illud autem est obseruandum quòd *Scibbolet*, significat spicam granis plenam, & onustam, *Sibbolet* verò spicam granis exutã Quòd si adiungamus id, quod notauit Hier. Iordanem scilicet, significare fluuium iudicij, illud profectò ex hoc loco colligimus, Deum in transitu cuiusque, & in flumine iudicij quaesiturum opera, fructus, & solida grana: quòd si vacuas, & inanes inuenerit spicas, inanis iste homo occidetur, & in ignem mittetur. Et quantumcumque fidem dicat habere se, nihil ei proderit, quia fides sine operibus mortua est.

DICEBAT Ioannes iis, quos baptizabat; *Facite fructum dignum poenitentiae*, Matth. 3. vbi acutè Caiet. Oportet vos facere, non dicere fructum humani operis dignum poenitentia: si professus es militiam, oportet te facere fructum dignum militia: si ascitus es in Senatorem, fac fructum dignum Senatoria dignitate; similiter qui profitemini poenitentiam, facite fructum dignum poenitentia. Est autem fructus poenitentia dignus, perseuerare in operibus penitentiae.

§. II.

In vna obedientia plures virtutes continentur.

ILLVD verò in primis adnotandum occurrit, quod Iacobus dicit, Abrahamum ex operibus iustificatum, & assignans qualia fuerint ea opera, vnicum profert sacrificium, quod non plura fuere opera, sed vnũ dumtaxat. Cuius dubij solutio in eo videtur consistere, quòd obedientia perfecta multiplex est, & instar multorum actuum apud Deum reputatur. Quod videtur notasse Salomon cùm dixit: *Vir obediens loquetur victorias*, *Prou.* 21.
quaelibet enim alia virtus peculiarem sibi vendicat triumphum, & victoriam, sola obedientia aliarum virtutum gloriis potitur; ideóque dicitur: *Sicut turris David, collum tuum; quae aedificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, quasi spolia de victoriis.* Collum enim sponsae, eius significat obedientiã, sicut notauit Orig. lib. duarũ hom. in Cant. & Theod. ad illa verba; *Collum tuum, sicut monilia.* Haec igitur sponsae obedientia spoliis, & triumphis *Cant.* 4.

Cant. 1. aliarum virtutum coronatur, ac decoratur. Vnde dixit: *Collum tuum, sicut monilia*, super quæ verba D. Bern. Serm. 41. in Cant. ait. Solet ornari collū monilibus, non ipsis comparari, sed hoc illæ faciunt; quibus, quia de proprio non inest decor; aliunde necesse est, vnde se speciosas mentiantur. Nam Sponsæ collum ita in seipso formosum est, vt extrinsecùs non requirat ornatum, in tantum vt ipsorum quoque quæ ad ornatum quæruntur; monilium possit adæquare nitorem. Voluit ergo diuinus Sponsus obediētiam per collum quod iugo subditur significatam, non minùs ornatā esse triumphis aliarum virtutum, quàm si singulas cumulasset; sine sanguine enim palmas habet Martyrum, sine certamine Confessorum laudes, sine separatione gaudium contemplationis. Ideóque sicut de Manna, quod omnium

Exod. 16. rerum continebat saporem, dictum est, *Manhu*, quod significat, *quid est hoc?* Ita de perfectissima obediētia Abrahæ dixit Deus; *Quia fecisti rem hanc*: eámque proprio nomine ideo non significauit, quæ tot virtutum rationem, & nomen sortiri potest.

§. III.

Eximiæ fortitudinis actus extitit Abrahæ, dum filium Isaac obtulit, insimúlque fidei.

INSIGNIS fortitudinis actus enituit in Abrahamo, dū ea omnia, quæ paterna viscera poterant sauciare, postposuit. *Tolle filium*, ait Dominus, *quem diligis Isaac*, &c. Super quæ verba D. Chrysost. hom. 47. in Genes. ait: Vnumquodque verbum per se sufficeret ad sauciandam animam iusti; eíque sigillatim expendens addit: Admiror ego quomodo hæc iustus auribus ferre potuerit. Insuper, sicut notauit Origen. hom. 8. in Gen. præcipit Deus deferre, offerréque filium in monte, qui à domo Abrahæ distabat itinere trium dierum: sic in proximo, ait Origen. non erat mōs aliquis, cùm totum ageretur in montibus: sed per triduum iter protenditur, & per totum triduum recusantibus curis, paterna viscera cruciantur, vt omni hoc spatio tam prolixo intueretur filium pater, cibum cum eo sumeret, tot noctibus penderet in amplexibus paternis, inhæreret pectori, cubitaret in gremio. Vide in quantum tentatio cumulatur. Deinde considerās interrogantem Isaac, & dicentem, pater, ait; & hæc pro tempore à filio prolata tentationis est vox. Quomodo enim putas immolandus filius per hanc vocem viscera paterna concussit? Et Ephrem tom. 3. Serm. de Abraham & Isaac. In hoc ipsum verbum Isaac, vox pueri acriter afficit viscera patris: quomodo enim non consternatur Abraham lacrymis, non amplius patris nuncupationem deinceps expectans? Videndus hac de re D. Ambros. lib. 1. de Abraham c. 8. cùm ait: Quanta molimina immolaturi, ne raptus subitò ad immolandum æstimaretur? tunc namque potiùs temeritas, quàm fortitudo esset, nisi diuturna præcessisset præparatio sacrificij.

ILLVDQVE tandem in maiorem cōmendationem fortitudinis Abrahæ conti

considerandum, quod ibi de se fatetur Ephrem. Quotiescumque sanè pueri istius contemplatus sum imaginem, nunquam sine lacrymis præterire potui, præsertim dum efficax picturæ artificium demulceret animum, & perspicuam huic historiæ afferret cognitionem. Quòd si ita Ephrem animus ad picturam immolandi filij, patrisq; immolantis afficiebatur, qualiter pertransiret viscera doloris gladius super viuum Isaac mox iugulandum?

QVA igitur fortitudine sese Abraham habuerit, habet Philo lib. de eodem in hæc verba: At ille nihil mutatus, vel corpore, vel animo, cōstanti vultu, ratione constantiore, correptum filium aræ imponit, simul strictum librat gladium, tunc Deus ex aëre increpans, facinus impedit, iubens iniuriam abstinere à puero, & bis patrem inclamans nomine, vt auersus & retractus cædem omitteret. Vbi non parui faciendum censeo bis patrem inclamatum, quasi necessarium fuerit retardare Abrahamum à filij iugulatione per nominis paterni recordationem, ac si penitùs fuisset oblitus pro aris adesse filium, tanta namque fortitudine, & constantia extenderat manum in filium, quasi non esset Abraham pater, nec suppositus vulneri infligendo dilectus Abrahamo Isaac. Quod exposuit D. Ambr. lib. 1. de Abraham cap. 8. Repetiuit, inquit, vocem, tanquā veritus, ne præueniretur studio deuotionis, & vna vox impetum ferientis reuocare non posset.

HÆC igitur est ratio, cur fortis dicatur Abraham à Salomone, cùm ait: *In filij misericordia fortem custodiuit*: seu, vt habet Græca editio, *in filij visceribus fortem custodiuit*, hoc est, in filij, vt dicunt, viscerato amore, qui filius viscera quoque patris vocatur, fortem custodiuit Abraham, ne iussionem Dei de occidendo filio detrectaret: quam lectionem tuentur Iansen. Burg. & D. Chrys. fortem vocat mentem Abrahæ, ingens robur animi eius, rationem omnem humanæ naturæ, affectúmque vincens. *Sap. 10.*

NEC est, quòd nobis Gentiles obiiciant contra hanc fortitudinem, sicut notauit Philo, fortiora quædam facta in eodem genere ex historia sua, qualia legi possunt apud Ciceronem 1. Tusc. vt de Ezechthæo, Codro, Menecho, Iphigenia, Hermodio, & Aristogitone, Leonida, Epaminonda, item de Lucio Bruto, de Deciis, & aliis. Respondet Philo, non ex aliorum more id Abraham fecisse, quando nec ad arcendum graue ingruens malum, nec inuitus, coactúsve, non cupidine gloriæ, famæque, sed sola Deo parendi voluntate id præstitit, quo nihil honestius, præstantius, fortiúsque dici potest. Et sicut nullus alius simili voluntate, & virtute tale aliquid gessit, ita prorsus is animus singularis nulli alteri debuit offerri nisi Deo, qui solus dignus est tali obsequio. Vnde Dauid exoptās aquam de cisterna Bethlehem, tres milites singulari fortitudine hostium cuneos penetrantes, aquámque asportantes obtulerunt Regi bibendam, sed Rex noluit bibere, & obtulit illam Domino. Cuius rei causas alias iam assignauimus, facitque ad rem nostram ea, quam affert D. Ambr. in Apolog. Dauid c. 7. Dignum, inquit, tanto munere fuit, vt quæ erat viuidæ virtutis insigne, fieret pietatis sacrificium, quasi diceret: opus tantæ, támque admirandæ virtutis, & fortitudinis, soli Deo debet offerri, proindéque opus Abrahæ, in quo tam *2. Reg. 23.*

eximia fortitudo renituit, Deo oblatum est, illique nullum aliud aliqua ratione conferendum.

Hebr. 11. ELVXIT etiam in oblatione Abrahæ singularis actus fidei, sicut ait Paulus: *Fide obtulit Abraham Isaac, ad quem dictum est. Quia in Isaac vocabitur tibi semen, arbitrans, quia & à mortuis suscitare potens est Deus.* Vnde optimam censeo expositionem illorum verborum, quæ Abraham dixit pueris, quos ad calcem montis reliquit,
Gen. 22. *Expectate hic cum asino, ego & puer illuc vsque properantes reuertemur ad vos*; allatam ab Orig. D. August. & Alcuino, certò scilicet credidisse puerum secum rediturum, & iugulatum in holocaustum oblatum à Deo suscitari posse, & Deum, qui promiserat ei semen ex Isaac, mentiri non posse. Qua de re videndus August. lib. 16. de Ciuit. Dei c. 32.

§. IV.

Amorem Dei super omnia ostendit Abraham in immolatione filij.

CERNITVR etiam in hoc opere singulari, quòd pro operibus reputatur incredibilis amor Dei. Enimuerò cùm vnicè diligeret filium, hunc tamen amorem charitas Dei superauit. Quantus autem fuerit amor Abrahæ in filium, facilè ex Scriptura deducitur, dixit enim Deus: *Tolle filium tuū, quem diligis Isaac.* vbi Septuag. habent, *dilectissimum*, Hebr. verò, *quem dilexisti.* Sicut etiam plerique eo in loco legunt. Cuius varietatis obseruandam affert rationem D. Ambros. lib. 1. de Abraham c. 8. vbi sic ait: Pungit pietatis aculeis, non satis putauit dixisse filium, adiungit amantissimum, quem dilexistis: possumus amantissimum ad præsens accipere, & quem dilexisti ad id, vt non recenti quodam impulsu amoris, sed inolito diu, & probato amore significaret dilectum, quod enim ad tempus augetur, ad tempus resoluitur; quod autem diu, aut semper placuit, citò aboleri non potest. Quibus verbis vult Ambros. dilectissimum fuisse Isaac, quia iamdiu à patre fuerat dilectus. Et ita Septuag. & Hebr. codex se inuicem exponunt in commendando amore paterno in filium. Cuius rei rationem possumus addere, quòd in senectute fuerit genitus; solent autem filij senectutis esse charissimi, sicut notauit Philo. Nam serò natos impotentiùs parentes adamant, vel quia diu desideratos, vel quia nullam postea sperant prolem. Videndus hac de re Homer. lib. 20. Iliad. de Polydoro Priami Regis filio; & Virgil. 8. Æneid. cùm de Pallante Euandri Regis filio dixit:

Dum te, chare puer, mea sera, & sola voluptas,
Complexu teneo, &c.———

Hunc igitur amorem pulsauit diuina iussio, sicut notauit Chrysost. hom. cit. Vide, inquit, quomodo per verba ista, scilicet (*quem diligis*) maius incendium succendit ad fornacem amoris, quo iustus in Isaac affectus erat? violentiùs excitat qui abscondita cordium nouit, volens nobis iusti huius detegere virtutem, & magnum amorem, quem erga se gerebat. Tentauit Abraham, cúmque segnior fuisset ignis paterni amoris, quasi non diligeret Filium

Filium Dei amore succensus, eodem voluit illum comburendum. Et Orig. homil. cit. Charis, & dulcibus appellationibus iterum ac sæpe repetitis paterni suscitantur affectus, vt amoris euigilantem memoriam ad immolandum filium paterna dextra retardaret, sed ignis supernæ charitatis quicquid inuenit, superauit, & in altari cordis Abrahæ succensus, ipsum filium in cineres redigere potuit. Similiáque habet Ambros. Orat. de fide Resurrection. Quem serò susceperat, citò obtulit, nec paterni nominis appellatione reuocatur, cùm ille patrem vocaret, hic filium, chara quidem nominum pignora, sed amabiliora præcepta.

Tantum denique diuini amoris in hoc opere intercessit, vt illud vnigeniti Filij Dei traditione, & passione voluerit Pater æternus soluendum; quod notauit Rupert. lib. 6. de operib. Trinitat. cap. 30. in hæc verba. Quæsiuit, inquam, ab homine vnigenitum sibi filium immolari, vt suum ipse Filium iusta vicissitudine deberet homini. Igitur cùm dicit idem Filius in Euangelio suo: *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret*; non est dilectio remissa, vel misericordia carens iustitia: nam & homo sic timuit Deum, vt offerre illi non dubitauerit filium suum vnigenitum, quem cùm diligeret, non pepercit illi propter Deum, quem miro modo, & immolauit, & tamen non tetigit gladio. Opus ergo summæ charitatis in Abrahamo soluit Deus Pater tradẽdo per summã dilectionem vnigenitũ Filiũ; quem ipsam dilectionem Patris occidisse testatur Naz. Trag. *Christus patiens.* Ioan. 3.

Abrahami igitur animus in offerendo filio percutit maximè eos, qui dolent de filiis, qui sese offerunt Deo, & quasi demortuos deplorant, qui veram vitam auspicantur. Qua de re D. Chrysost. lib. 2. aduersùs vituperatores vit. monast. vbi inter alia sic ait: Hoc profectò est, quod vnum ego omnium maximè admiror, quódque omnia iam corrupta sint & perdita, satis firmum, & validum argumentum esse duco. Et Bern. epist. 110. ad parentes Gaufredi, qui se in Religionem contulerat; Si filium vestrum Deus facit & suum, quid vos perditis, aut ipse quid perdit? fit de diuite ditior, de nobili generosior, clarior de illustri, & quod his omnibus maius est, sanctus de peccatore; si diligitis eum, gaudebitis vtique, quia vadit ad Patrem, & talem Patrem, &c. quæ ibi prosequitur in hanc sententiam. Videndus etiam epist. 111. vbi inter alia sic ait: O dirum Patrem, ô sæuam matrem, quorum dolor salus pignoris, quorum consolatio mors filij est, qui me malunt perire cum eis, quàm regnare sine eis, si negligetis salutem vestram, quid iuuat etiam & persequi meam? quare vos non potiùs sequimini me fugientem, vt non ardeatis? Videndus item Hierony. ad Lætam; vbi loquens de Anna postquam obtulit filium in tabernaculo, ait: Reuersa domum quinque liberos sibi genuit, quia primogenitum Deo pepererat. Et Nazian. Orat. de funere patris, in laudem parentis suæ ita ait: Fuit illustre eius facinus, quod nos priùs etiam, quàm nasceremur, Deo nihil futuri euentus metu exterrita promisit, vitæ lucem ingressos protinus consecrauit.

Qva in re multis parentibus imitanda venit Samuëlis mater Anna, quæ

quæ postquam amouit filium à lacte, adduxit secum in vitulis tribus, & tribus modiis farinæ, & amphora vini ad Dominum in Silo. Quasi parum esset filium Deo offerre pro tota vita, nisi proposito pretio Dominum vellet inclinare, vt ipsum in sui obsequium, & tabernaculi cultum assumeret. Neque dicebat, inquit Chrysost. hom. 1. ad Ephes. Expectabo donec crescat puer, vt rebus mundanis vtatur, vt paululùm puerili ætati immoretur, sed relictis his omnibus vnum duntaxat intendit, quomodo statim ab ipsis vitæ exordiis spiritualem imagunculam Deo fingendam offerat, vel etiam id fecit, quia, sicut dixit Clem. Alex. 1. Pædag. c. 6. verbum est omnia infanti, & pater, & mater, & pædagogus, & altor. Author noster effudit pro nobis suum sanguinem, per quem ad mamillam Patris, quæ curarũ obliuionem inducit, nempe verbum, confugimus, verè beati, qui hanc lactant mamillam. Videndus etiam Hieron. ad Lætam, de institutione Paulæ; vbi eleganter ita ait: Postquam ablactaueris eam cum Isaac, & vestieris cum Samuële, redde pretiosissimam gemmam cubiculo Mariæ, & cunis Iesu vagientis impone, nutriatur in monasterio, sit inter virginum choros, iurare non discat, nesciat sæculum, viuat Angelicè, sit in carne sine carne.

Est autem maximè contra eos, qui filios Deo oblatos deplorãt; id quod notauit Chrysost. homil. 3. de fide Annæ: eam scilicet, postquam Deo deuouit filium, in melius conuersum existimasse, & perfectiorem censuisse, quasi per oblationem in alium veluti ordinem esset translatus. Conspiciebat, inquit, deinceps infantem illum, non tantùm, vt infantem, verùm etiam vt rem Deo consecratam, eóque matri geminus amoris stimulus insitus est, alter à natura, alter à gratia; ac mea quidem sententia, etiam reuerebatur puerum suum, suorum viscerum facta est immolatrix. Imitata est Patriarcham Abraham, sed ille quidem reduxit de monte, hæc verò reliquit in templo, atque seipsam quoque dedicauit cũm puero, quasi solido quodam naturæ affectu seipsam templo alligans. Etenim, si vbi est thesaurus hominis, illîc est cor, multo magis vbi puer mulieris, ibi & mens erat.

Est optimus pro hac re locus apud Chrysost. tom. 1. hom. de immolat. Isaac. vbi ponderat ea verba, quæ Deus dixit Abrahamo, postquam ipsum vidit paratum ad immolationem filij: *Nunc cognoui quòd timeas Dominum.* Nunc, inquit, cognoui, quia amas Dominum magis, quàm filium, imò magis amas filium, quia diligis Dominum, quia, dum non pepercisti filio propter Deum, eundem tecum constituisti Domino gloriosum. Et Bern. super *Ecce nos reliquimus omnia*, ait: Oblatus Isaac sanctificatus est, non mactatus, non Isaac, sed aries morietur, non peribit tibi lætitia, sed contumacia, cuius vtique cornua vepribus hærent, & sine punctionibus anxietatis esse non potest.

Ex hoc etiam facto Abrahami infert Orig. consolationem parentibus in morte charorum pignorum, cùm longè aliter Abrahamus, ex voluntate Domini, filio vitam eripere paratus fuerit: concludítque. Et quidem à te non exigitur istud animi magnitudinis, vt ipse alliges filium, gladium pares, &c. proposito saltem, & mente constãs, esto fide fixus, lætus offer filium Deo,

Deo, esto Sacerdos animæ filij tui; Sacerdotem autem immolantem Deo, non decet flere, &c.

Cvm ergo in vno oblationis opere tot virtutum actus interuenerint, timoris scilicet Dei, siue religionis, obedientiæ, fortitudinis, & amoris Dei super omnia, meritò, cùm de ipso loquitur Iacobus, dicit Abrahamum operibus istis iustificatum fuisse, id est, maximum gratiæ, & iustitiæ augmentum denuò accepisse, ipsiúsque fidem, & iustitiam omnibus deinceps notam ex operibus numeratis.

§. V.

Voluntas pro facto à Deo habetur, & remuneratur.

Sed quid tandem ait Iacobus? *Abraham iustificatus est ex operibus, offerens filium suum super altare,* seu, vt alij legunt, *cùm obtulisset*, nunquid de facto obtulit filium? Nónne prohibitus est, & pro filio arietem ostensum immolauit, eámque victimam Deus pro Isaac sibi prouidit? Maximè: sed voluntas apud Deum pro facto reputatur; propterea, & ipse ait: *Quia fecisti rem hanc, & non pepercisti*, cùm non fecerit, & pepercerit filio. Vnde Chrysost. hom. 47. in Gen. Non euentum considera, sed voluntatem, quantùm enim ad voluntatem, cruentauerat dexteram Patriarcha, & per ceruicem pueri immiserat gladium, perfectúmque obtulerat sacrificium, idcirco & Dominus quasi sacrificio re ipsa consummato, laudat iustum, & dicit: Ne feceris ei quidquam, contentus sum voluntate tua, & ex hac te corono, & prædico: ego enim voluntatem coronare soleo, & propter mentem præmia præsto. Vnde, sicut sola voluntas Virginis filio patienti compassa, sine effusione sanguinis eam Martyrem reddidit, prout docet Ber. explicans ea verba Lucæ: *Et tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit*, ita Abraham ex sola voluntate sacrificium dicitur peregisse.

Est optimus ille locus apud Isaiã c. 22. vbi loquens de Eliachim, cui se daturum Pontificatum pollicetur Deus, vt exponit D. Hieron. ait: *Dabo clauem domus Dauid.* vbi nomine (*domus Dauid*) sine dubio templum Salomonis intelligit. Licèt verò à Salomone templum sit ædificatum, rectè domus Dauid dicitur, quia ipse primus omnium de templo ædificando cogitauit, ipsúmque ædificare summopere exoptauit, ædificassétque, nisi à Deo fuisset prohibitus; quæ est expositio Hieron. Cyrill. Procop. Haimo. S. Tho. Lyran. & Carthus. quos refert Ribera in cap. 5. Apocal. n. 7. & ostendit, quanti apud Deum fiat voluntas, quæ pro opere reputatur, & censetur. Vnde & templum dicitur domus Dauid; quasi ipse extructor fuerit operis, cùm tamen illud in votis solummodo habuerit. Videndus pro hac re Chrysost. homil. 3. in 2. ad Timot. c. 2. & homil. 16. ad Rom. c. 16. & Lyran. ad c. 2. Leuitici, vbi in principio agitur de oblationibus rerum non viuentium, dicítque voluisse Deum prouidere deuotioni pauperum, vt qui non haberent animalia, vel aues, possent offerre farinam crudam,

dam, vel spicas: prima autem verba eiusdem capitis, quæ sunt; *Anima, cùm obtulerit oblationem sacrificij, simila erit eius oblatio*, sic ait: Animam dixit sacer Textus, quia oblatio pauperis apud Deum reputatur, ac si obtulisset animam suam, id est, vitam. Tanti namque facit Deus animum, quo offert pauca, volens plura, & pretiosiora offerre, si haberet.

HINC etiam est, quòd quando Christus Dominus dixit; *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*, nō promisit hoc præmium iis tantummodo, qui operibus misericordiam ostenderunt, sed iis etiam, qui voluntate tales fuerunt; vt exponit Gregor. Nyss. lib. de Beatitudinibus, dicens: Nemo in solis materiis hanc virtutem spectet. Sic enim non cuiusque hominis esset eiusmodi rei successus, præterquàm eius, qui opes aliquas haberet ad benefaciendum, quinimò mihi æquius, & verius esse videtur, hanc virtutem ex studio, atque voluntate æstimare: nam, qui bonum voluntate duntaxat in animo sibi proponit, ac destinauit, sed inopia prohibitus est animi destinatione, nihil inferior est eo, qui per opera voluntatem suam ostendit. Quod etiam prosequitur Ambros. lib. 2. de Pœnitent. cap. 8. cùm ait. Plura soluendi habet subsidia, qui Deo, quàm is, qui homini debet, homo pecuniam pro pecunia reposuit, quæ non semper debitori præstò est, Deus affectum exigit, qui in sua potestate est, nemo pauper est, qui Deo debet, nisi qui seipsum pauperem fecerit, & si non habet, quæ vendat, habet, quæ soluat omnino. Lacrymæ, ieiunia debitoris boni, census est. Et Hieron. in Psalm. 111. Qui non habet, vnde faciat eleemosynam, liber est, quantumcumque dare voluerit, tantùm dedit, quia voto dedit.

Cap. 12. Cap. 19. VNDE August. in Psalm. 125. existimat opus viduæ, quod refert Marcus æquiparandum operi Zachæi, de quo Lucas: Ergo, inquit, vidua illa, quæ duo minuta misit, parum seminauit? imò tantùm, quantùm Zachæus. Minores enim facultates ferebat, sed parem voluntatem habebat: si attendas, quæ dederunt, diuersa inuenies, si attendas vnde dederunt, paria inuenies. Videndus idem August. super Psalm. 36. conc. 2. vbi ait. Voluntas bona, thesaurus pauperum, habet semper, vnde det, cui plenum est charitatis pectus. Videndus iterum Nazianz. Orat. in sanct. Baptism. cùm (Exod. 23.) ponderat, cur Deus pauperibus iusserit pelles offerre.

NEQVE verò hoc mirum videri debet, quia, sicut dixit Greg. hom. 5. in Euang. Cor, & non substantiam Deus pensat, nec perpendit quantùm in eius sacrificio, sed ex quanto proferatur. Nihil offertur Deo ditius bona voluntate. Et hæc fortassis est ratio, cur Isaias de Seraphinis cap. 1. qui throno Dei assistebant, dixit, quòd duabus alis volabant, cùm tamen ipsi starent, quia prompti erant ad exequenda mandata Dei; & hæc voluntas pro facto reputabatur. Vnde Greg. 16. Moral. c. 12. ponderat, Christum Dominum dixisse apud Lucam cap. 8. viro, qui cum eo esse volebat, *Redi in domum tuam, & narra*, &c. quia quod in aliis proderat sequela Christi, in hoc proderat votum, & desiderium comitandi ipsum.

OSTENDIT hoc Christus Dom. in Mariæ vnctione, de qua dixit, *Præuenit vngere corpus meum in sepulturam*. i. finite illam viuo facere, quod mortuo

non

non poterit. Veniet enim ipsa ad monumentum, vnguenta, & aromata portans, sed iam resurgentem frustra me his obsequiis honorabit, sed, vt videatis, quia ea voluntas frustrari non potest, volo priùs eam acceptam ostendere, & in effectu præuenire, quandoquidem ipsa me mortuum dum voluerit vngere, surrexisse inueniet, vt inde colligatur certo certius, me talis voluntatis rerum esse remuneratorem. Vnde Clemens Alex. 7. Stroat. Quid autem, non etiam vota, & instituta ad Deum perueniunt? Videndus hac de re Bernard. epist. 77. & Leo Serm. 5. de ieiunio; & D. Chrysost. hom. 21. ad Rom.

CVM ergo Deus tanti faciat voluntatem operi iam iã applicatam, & animum in ipsius obsequium omnino deditum; licèt Abraham prohibitus fuerit dilectum filium iam ligatum, aræque impositum immolare, ratione istius deliberationis dicitur hoc loco iustificatus, dum obtulit Isaac, quem de facto non obtulit in sacrificio.

NISI fortassis dicatur oblatus Isaac Deo, cùm tamen superstes patri datus sit, ob eam rationem quam aduertit Origen. homil. 12. in Num. Obtulit Abraham intrepidus vnigenitum, imposuit super aram, cultrum eduxit, inhibetur continuò, & aries ei pro filio datur ad victimam. Vides ergo, quia quæ Deo offerimus, nobis manent. Quibus habet similia homil. 8. in Gen. Cùm lætus accesseris ad Deũ, iterũ tibi reddit, quod obtuleris, & sic licèt Isaac superstes mãserit, meritò à Iacobo dicitur oblatus super altare.

Vers. 22. *Vides, quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides consummata est.*

EXPOSITIO LITERALIS.

MENS Apostoli hoc loco est, ostendere connexionem fidei cum operibus, & operum cum fide, vt inde colligat, & opera Abrahæ fuisse meritoria, & sufficientia ad iustificationem, atque etiam testificantia fidem. Iustificatus est igitur Abraham ex operibus, quia fides ea dirigebat, & cooperabatur operibus illius. Ob id enim tam promptè, atque indubitanter filium immolare volebat, quòd firma fide crederet per immensam Dei potentiam, cuius parebat imperio, posse eum reuiuiscere. Namque, sicut dixit Aug. in Ps. 31. Opera, quæ dicuntur ante fidem, quanuis videantur hominibus laudabilia, inania sunt. Ita mihi videtur esse, vt magnæ vires, & cursus celerrimus præter viam; nemo computet bona opera sua ante fidem, vbi fides non erat, bonum quid non erat: bonum enim opus intentio facit, intentionem fides dirigit; non valde attendas, quid homo faciat, sed, quid cùm facit, aspiciat, quò lacertos optimæ gubernationis dirigat. Concluditque: Tene ergo fidem operaturus. Est ergo necessaria fides, vt dirigat opus in eum finem, ad quem oportet dirigi, docens quid agendum sit, & moderans in agendo, & fulciens, ac sustentans operantem, ne deficiat, & ab agendo desistat.

OPERA QVE insuper necessaria sunt, vt perficiant fidem, proindéque Abraham ex operibus iustificatus est, quia fides illis cooperabatur, & insuper fides operibus perfecta, augmentata, & ostensa. Fides enim suos
Luc. 17 gradus habet, sicut testatur illud Lucæ: *Domine adauge nobis fidem*. Et Paulus
2. Cor. 10. ait, se spem habere crescentis fidei Corinthiorum.

Ex hoc loco deducunt plerique Theologi Scholastici necessarium esse, vt actus virtutum acquisitarum, de quibus loquutus est Iacobus in superioribus, etiam in homine iusto, qualis Abraham erat, sit meritorius de condigno, vt aliquo modo ad finem supernaturalem per fidem eleuentur: quod dixit Trid. sess. 6. c. 8. cùm fidem appellat radicem omnis iustificationis, vt etiam secundam comprehendat: quibus habet similia sess. 14. c. 8. & apertè sentit Paulus tota epistola ad Romanos, docens non esse iustifi-
Galat. 5. cationem nisi ex fide: & iterum, *Fides, quæ per dilectionem operatur.* Et ideo sacra Scriptura promittit præmium his operibus, dummodo fiat sub aliqua
Matt. 10. ratione ad fidem spectante, vt Matth. 10. Marc. 9. *in nomine meo, in nomine*
Marc. 9 *Prophetæ, in nomine discipuli.* In quo etiam sensu dicit noster Apost. hoc cap.
1. Pet. 2 *Si autem frater, aut soror nudi sunt.* Et Petrus. *Obedite Principibus, aut dominis propter Deũ.* Quod optimè docuit Leo Papa Ser. 71. de Quadrag. c. 2. vbi de operibus misericordiæ dicit, non esse fraudanda sua laude, si propter naturæ communicationem fiant; & subiungit: Sed quia, quod ex fidei fonte non procedit, ad præmia æterna non peruenit, ideo alia est conditio operum cœlestium, alia terrestrium.

NECESSE ergo est vt fides, vel aliquod motiuum supernaturale cooperetur huiusmodi operibus, vt eleuentur, & referantur ad finem supernaturalem, sicut fides cooperata est operibus Abrahæ. Rectè verò dicit fidem ex operibus consummatam, fides namque refertur ad opera, tanquam ad finem, vt radix ad fructum, & vt fundamentum refertur ad ædificium extruendum.

Vers. 23. *Et impleta est Scriptura dicens: Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam, & amicus Dei appellatus est.*

EXPOSITIO LITERALIS.



VETERES codices hoc in loco habent, *suppleta est*, sed eandem prorsus significationem habet, & est sensus: apparuit ex operibus Abrahæ completam, & confirmatam fuisse fidem eius, quæ quidem completur cùm per dilectionem operatur.

APPARVIT insuper qualem fidem commendarit Scriptura, quan-
Gen. 15. do Deus illi innumeram posteritatem ex futuro filio repromisit, imò & posteritatem fidelium, de qua fide Paulus dixit: *Qui in spem contra spem cre-*
Rom. 4. *didit.* Et infrà; *Non infirmatus est fide, nec considerauit corpus suum emortuum cùm ferè centum esset annorum, & emortuam vuluam Saræ; in promissione*

etiam

etiam Dei non hæsitauit diffidentia, sed confortatus est fide, dans gloriam Deo, plenissimè sciens, quia quæcumque promisit, potens est facere.

NEC contra firmam Abrahæ fidem eo loco facit id, quod ipse Domino dixit: *Domine Deus, vnde scire possum, quòd possessurus sim eam* (scilicet terram, quam mihi promittis?) hoc enim non dixit ex aliqua hæsitatione in fide, alioqui illi ad iustitiam non foret reputata: sed voluit tantummodo modum cognoscere implendæ promissionis, & rei, quam crediderat, similitudinem aliquam sibi ostendi, sicut ait Aug. 10. de Ciuit. cap. 24. his verbis. Non enim ait; vnde sciam? quasi adhuc non crederet, sed ait, secundùm quid sciam, vt ei rei, quam crediderat, aliqua similitudo adhiberetur, qua eius modus cognosceretur, sicut non est Virginis Mariæ diffidentia quod ait; *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* quod enim futurum esset certa erat, modum, quo fieret, inquirebat. Ita etiam Chrysost. & alij. Luc. 1.

VEL petit signum, non tanquam incredulus, ait Rupert. lib. 5. in Gen. cap. 20. sed tanquam pius pater, futuris filiis prouidit, ne fortè peccantibus illis, pœniteret Deum huius suæ promissionis, & idcirco in promissione aliquid sibi dari optauit, firmamentum fixæ, stabilisque veritatis, & quasi interpositionem iuramenti.

NEC moratus Dominus Deus, quod optabat amicus fidelis, cùm petere non auderet, sponte obtulit. Vel tandem petiit signum, sicut notauit Caietan. vt posteritas, tardè semper credula, hoc signo persuadeatur.

CREDIDIT ergo Abraham Deo, non quærens, sed promptissima fide, vt ait Ambros. lib. 1. de Abraham cap. 3. vbi etiam addit. Bonum est, vt rationem præueniat fides, ne tanquam ab homine, ita à Domino Deo rationem videamur exigere.

CREDIDIT igitur *Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* In originali est, *reputauit illam*, scilicet fidem, *ei iustitiam.* Est enim verbum, *reputauit*, seu, *imputauit*, in voce actiua cum affixo fæminino, referens fidem Abrahæ, vnde aliqui referunt ad Abraham, vt sit sensus: Credidit Abraham Deo, & ipse Abraham reputauit sibi fidem eam in iustitiam, iustum enim reputauit se fecisse, dum Deo credidit. Sunt qui censeant, cum locum Genes. vnde hic desumptus est: *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam*, olim passiuè lectum in Hebræo, punctis aliis, vt tenet Leocastrius lib. 1. Apologet. c. vltim. quod etiam existimat factum in eo Psal. vers. vbi nos legimus: *Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris*; qui Hebraicè legitur actiuè, *cùm iudicaueris*, & in aliis locis, quæ ipse affert. Et bene quidem potuit Textus Heb. sic habere. Gen. 15. Psal. 50.

NIHILOMINVS dicendum est interpretem nostrum, Septuaginta, & Apostolos, sapienter, & doctè interpretatos fuisse Hebraismum, quo præteritum actiuum ponitur, quasi deponens pro passiuo, vt apud Michæam, vbi dicitur, *quia de mercede meretricis congregata sunt*; in Hebr. & in Græco est, *congregauit.* sic apud eundem, vbi nos legimus: *Indicabo tibi ô homo, quid sit bonum*; futurum illud habet vocem præteriti, & in Heb. est, *annunciauit*, pro, *annunciatum est.* Sic etiam & hoc in loco; & ideo Chaldæus reddidit non actiuè, Cap. 1. Cap. 6.

sed passiuè. Sic Paulus Rom.4. Proindéque facit hunc sensum: Reputatum est ei ad iustitiam à Deo, non enim ipsius Abrahæ erat reputare fidem, & acceptare sibi in iustitiam, sed hoc ad Deum pertinebat; & ita legit, & explicat Irenæus lib.4.c. 13.

EA igitur fides, qua primò Abraham iustificatus est, quæque illi deputata est ad primam iustitiam, si actus credendi ad solas, & omnes promissiones referatur: qua de re videndus Cardinalis Toletus in c.4. epist. ad Rom. annotat.5. vel ad secundam iustificationẽ, illi deputata est, quia homo iustificatus per credendi actum, dummodo aliud non occurrat præceptũ, potest mereri, & in gratia crescere, hæc, inquam, fides completa est per opera, & ostensum est eam fidem, de qua Scriptura agit, esse perfectam, & viuam fidem, per hoc, quòd filium suum paratus fuit offerre, & circa hoc multa exercuit aliarum virtutum opera, vt ostendimus.

QVOD verò attinet ad ea verba: *Et amicus appellatus est*; illud aduertendum, Abraham non fuisse appellatum amicum eo in loco, vbi fides illi imputata est ad iustitiam, sed in Isaia, vbi legimus, Deum dixisse, *Semen Abraham amici mei*; & in lib. Iudith, vbi dicitur: *Abraham per multas tribulationes probatus, amicus Dei effectus est.*

Cap 41
Cap. 8.

§. I.

Perfectio fidei in eo cernitur, quòd difficultates omnes naturales superet.

CELEBRATVR igitur Abrahæ, illique maximè ad iustitiam reputatus est actus credendi, quia, cùm tot rationes diffidentiæ occurrerent, sicut refert Paulus, Deo dicenti credidit, & adhæsit, dubitandi rationes postponens. Vnde Philo lib. de Abrahamo, ait: In sacris literis extat huius viri elogium, quo dicitur, Deo credidit, id, vt dictum est breuissimum, ita factum maximum: etenim, sicut dixit Chrysost. homil. 54. in Genes. Non attendere ea, quæ videntur, etiamsi omnino sint aduersa, sed solam promittentis potentiam, est vera fides, & maximus honor noster, quem offerre possumus Deo, vt virtute sua fidamus, etiamsi præ oculis videamus diuersa. Quod etiam dixerat idem Chrysost. hom. 39. in Gen. & Chrysol. Serm. 58. Qui fidem quærit, rationem non quærit; & Ser. 62. Si interrogas, fidem denegas, quam fateris. Si credis, vnde venit quomodo? Quomodo, sermo dubitantis est, non credentis? Et Chrys. hom. 45. in Ioan. Quomodo, inquit, in doctrina fidei ex impietate nascitur. Et Athanas. lib. de Vnitate fidei, ait: Credere tibi iussum est, non discutere permissum est, imò fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum. Sicut dixit Bernard. super *Ecce nos reliquimus omnia*, ad fin. vbi illud addit eleganter: An potiùs homini ostendẽti, quàm veritati crederes promittenti? Pluráque habet idem Bernar. epist. 190. ad Innocentium Papam, vbi explicat illud Ecclesiast. *Qui citò credit, leuis est corde.* Et Aug. in Psalm. 109. & Greg. lib. 6. Moral. c. 8. & Theophylact. in c. 1. epist. ad Rom. vbi ait: Si fidẽ scrutari hæsitando cœperimus, omnium

Rom. 4

pro

proculdubio patiemur iacturam.

PROVENIT autem difficultas in credendo, non quidem ex eo, quòd ea quæ sunt fidei, & à Deo nobis reuelantur, sint contra rationem, sed potiùs supra ipsam; nos autem intellectu, & cognitione naturali nostra ducimur, & nitimur, vnde difficilè ascendimus ad ea, quæ limites nostræ cognitionis superant. quod prosequitur Chrysolog. Ser. 14. dicens: Omnia opera eius in fide. Sed tu hic totum vis de ratione constare, vbi totum conficit ex fide, quod tamen non sine ratione subsistit, sed ratione Dei, non tua, ô homo. Quid tam rationabile, nisi vt Deus, quicquid voluerit, possit? Idémque prosequitur Aug. epist. 3. ad Volusianum, vbi celebrem illam ponit sententiam: Tota ratio facti, est potentia facientis.

APPARVIT Deus Moysi in flāma ignis de medio rubi, videbátque Moyses, quòd rubus arderet, & non conbureretur, & dixit: *Vadam, & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus. Cernens autem Dominus, quòd pergeret, ait Solue calceamenta de pedibus tuis.* Multa equidem significata fuisse mysteria in illo rubo, asserunt Sancti Patres, præter literalem, & historicum sensum, quo significabatur populum illū iniuriis appetitum, nō fore subiugandum, sed aduersariis, & aduersitatibus superiorem futurum. Etenim Hieronym. epist. 17. ad Fabiolam, ait fuisse figuram Ecclesiæ Christi, quæ persequutionum flammis non consumitur, sed viret, viget, crescit, & splēdet. Greg. 28. Moral. in principio, non vult, significatam Christi Domini humanitaten diuinitati vnitam; ab hac tamen non absorptam mortalitatem. Ber. Ser. de Virgine Matre; Vnigenitum Dei Filium, humanitatem nostram assumentem, & virginalem vterum habitantem, immaculatam seruaturum eius virginitatem dicit. Alij alia inuestigarunt, quæ omnia, quia captum humanæ mentis excedunt, sicut & quòd rubus arderet, & non combureretur, cùm propriis oculis vellet Moyses perspicere, sensibúsque expendere, & secundùm humanum iudicium inquirere, iussus est soluere calceamēta, cederéque iuri sensuum, & rationis naturalis. Etenim olim, quando quis iuri suo cedebat, soluebat calceamentum, vt patet ex lib. Ruth, vbi Paraphr. Chald. aduertit, eum, qui rem suam alteri tradebat, calceum insimul reddere, aut chirothecam manus dextræ, quo pacto intelligit Theodoret. & alij illud Psal. *In Idumaeam extendam calceamentum meum.* vbi Græcè habetur: *Iniiciam calceum meum*, vt sit sensus; Faciam Edom mei iuris, per hoc, quod iniiciam, non verò deiiciam calceamentum meum. Et in hanc sententiam putat Feuarden in. c. 4. Ruth. intelligendum esse, cur Dauid in proditione Absalonis discesserit à Hierusalem discalceatus pedibus, vt scilicet eo facto significaret, se cedere quidem iuri ciuitatis, per vim tamen à filio illatam.

Exod. 3. *Cap. 4.* *Psal. 107* *2. Reg. 15.*

CVM ergo constet ex celebri more Hebræorum, depositionem calceamentorum esse idem, quod cedere iuri, meritò Moyses, dū vult videre oculis, examinare ratione, & metiri intellectu, quare, & quomodo rubus arderet, & non cōbureretur, iussus est soluere calceamenta, vt iā non auderet ea, quæ à Deo reuelabantur, naturali cognitione metiri, sed supernaturali fide

fide credere, fidémque primæ veritati reuelanti adhibere. Vnde Philo lib. de migratione Abrahæ dicit: Ne appropinques huc, ait Dominus, ac si diceret, ne accedas ad talem cogitationem (de videndo scilicet, & iudicando) nam huic curiositati satagenti humanæ vires non sufficiunt, sed facta quidem mirare, de causis verò non sis solicitus. Enimuerò ea, quæ superiora, & diuina sunt, per sensum, & intellectum discussa, & examinata, minimè percipiuntur, quod dixit Isai. *Nisi credideritis, non intelligetis.* Sic enim eum locum refert, ac legit Euseb. Cæsariens. lib. 12. de Præparat. Euangelic. cap. 7. & lib. 7. demonstration. Euang. c. 1. cùm nostra vulgata habeat, *Nisi credideritis, non permanebitis*; quasi nec intelligentiam, nec permanentiam habeat in fide is, qui humanis rationibus diuina metitur, & rationali discursu cœlestia, ac supernaturalia ponderat.

Cap. 7.

In quam sentent. facit, quòd cùm Magdalena magistrum rediuiuum videret, illius pedes lætis lacrymis voluit abluere, manibúsque contrectãdo certiorem reddi de veritate corporis resurgentis. Dominus autem prohibuit, dicens, *Noli me tangere.* Super quæ verba Bern. Serm. 28. in Cant. ita ait: Mittitur ad certiorem fidei cognitionem, quæ vtique apprehendit, quod sensus nescit, experientia non inuenit. *Noli me tangere*: hoc est, desuesce huic seducibili sensui, innitere verbo, fidei assuesce, fides nescia falli, sensus penuriam non sentit. Sic etiam, & Moyses iussus est soluere calceamenta, & cedere iuri oculorum, ac sensuum, dum pergeret videre, quare non combureretur rubus. E contrà verò Abraham, qui in spem contra spem credidit, & filium, in quo acceperat repromissiones, immolare intendit, iure laudatur, eiúsque fides, quæ ei ad iustitiam reputata est, nobis imitanda proponitur, & ab Apostolo celebratur.

Ioan. 20.

§. II.

Nulli rei, præter Deum prudenter credendum est in vita.

Licet autem hæc Abrahæ fides illi ad iustitiam iure optimo sit reputata, dum Deo credidit, tamen, vt eleganter aduertit Philo lib. de Abraham; cui, præter Deum credendum est? Principatibúsne, an gloriis, honoribus, opibus, diuitiis, nobilitati, sanitati, integritati sẽsuum, robori, pulchritudiniue corporis? Atqui Principatus omnis est lubricus, innumeris insidiatoribus obnoxius; quòd si quando confirmatur, id fit non sine multis acceptis, & illatis calamitatibus: nihilo stabiliores sunt honores, & gloriæ incertissima possessio, pendens à moribus, rumoribúsque leuium, & improborum hominum, quæ si quando perseuerat, nihil tamen verè bonum in se continet. Quod etiam eleganter, & luculenter prosequitur lib. *Quòd Deus sit immutabilis.* Vnde Nazian. Orat. 16. ait: Cætera omnia, præter Deũ, fluxa, & fragilia sunt, ac veluti in calculorum ludo, aliàs ad alios iactantur, & transferuntur, nec quicquam est ita possidentis proprium, quod non vel tempore finem capiat, vel liuore ad alios traducatur. Facit pro hoc argumento locus apud lib. Num. in cap. 10. vbi dicitur: *Si exieritis ad bellum de terra*

ra vestra, si habebitis epulum, & dies festos, tubis clangetis; quæ ergo conuenientia inter epulas, & bellum, vt vtrobique tubarum clangor debeat audiri? Rem soluit Rabanus, dum ait id factum, vt in prosperis, & aduersis eadem semper solicitudo pulset animum nostrum, & ita nobis in summa rerum prosperitate sciamus formidandum, sicut timere etiam in bello fortissimi, & prudentissimi consueuêre, nulli omnino sese credentes, nullibi securi.

HÆc fuit ratio, cur Deus insultans celeberrimæ ciuitati Tyri per Ezechielem Prophetam, eam describit assumpta metaphora pulcherrimæ nauis. *Cedrum, inquit, de Libano tulerunt, vt facerent tibi malum, quercus Basan dolauerunt in remos, byssus varia de Ægypto texta est tibi in velum*; aliáque omnia necessaria ad nauigationem latè prosequitur; solius anchoræ non meminit, rei vtique necessariæ, qua posset teneri pulcherrima nauis, ne tandem collisa ad rupes, & littus naufragium faceret: sed meritò anchoram omisit, vt inde innotesceret, eam felicitatem sic descriptam, instabilem omnino, fluctuantem, & quàm citissimè perituram esse. Cap. 27.

QVÆ etiam fuit ratio, cur Deus volens ostendere Nabuchodonosori ea, quæ ventura erāt supremis potestatibus terræ, in somno quidem ostendit, vt omnem mundi gloriam, fluxam & instar somnij, atque imaginis esse cōstaret. Vnde etiam Iosepho in similitudine stellarum, Solis, & Lunæ, quæ perpetuo motu cum cœlis cientur, vt etiam intelligeret à Deo datam potestatem, quia in mundo est, motibus subiacere. Quapropter Gregor. 6. Moral. c. 7. hac de re dixit: Grauis labor cum magna fatigatione apprehendere, quòd is, qui apprehendit, nouerit diu stare non posse. Et August. epist. 45. meritò conqueritur de iis, qui diligunt ea, quæ in mundo sunt, cùm ipse tanta rerum labe contritus sit, vt etiam speciem seductionis amiserit; neminémque iam decipere possit, quandoquidem optimè omnes norūt omnia mundi bona citò transire, & è manibus inopinatò euadere. Vnde nemo, nisi imprudens, eis fidem habet. Dan. 2. Genes. 37.

VNDE ego assentior iis, qui quando Abraham dixit, *Domine Deus, vnde scire possum, quod possessurus sum terram promissam?* dicunt Abrahamum voluisse scire modum, quo securus redderetur de possessione rei instabilis, & quantumcumque terra esset, fugientis, ac mentientis, ne facilè ea se videret spoliatum. Vnde & illi statim Deus assignauit remedium ad firmandam, stabiliendámque possessionem, dicens. *Sume tibi vaccam triennem*, &c. docuítque sacrificium. Namque, sicut optimè notauit Seraphinus à Porrecta ibi, modus conseruandi in possessione, est cultus diuinus, Deíque obsequium: vnde dixit in lege; *Facite præcepta mea, & iudicia custodite, & implete ea, vt habitare possitis in terra absque vllo pauore; & gignat vobis humus fructus suos, quibus vescamini.* Necessarium itaque fuit de cœlo allatum remedium, quo fugientia mundi bona teneri possent, alioqui se illis non crederet Abraham, quantumcunque Deo crediderit. Rem denique conficit id, quod eleganter notauit Ambros. Herodem scilicet puellæ saltanti, eique, & astantibus placenti dixisse; *Pete à me, & dabo tibi, etiamsi dimidium Regni mei*, &c. Marc. 6. Ait ergo diuus Ambros. 3. de Virginibus. Vide quemadmodum seculares ipsi de Genes. 15. Genes. 15. Leu. 25. Marc. 6.

rebus suis iudicent, vt pro saltatione etiam regna donentur; quòd si iterum puella saltasset, totum prorsus regnum tribuisset, qui dimidium regni pro prima saltatione promiserat.

QVOD si quis hominibus velit credere, audiat quid sacræ literæ doceāt. Cap. 34. Etenim illud Iob. *Qui non audiit tyrannum, cùm disceptaret cōtra pauperem*; sic legunt Septuag. *Vana eis euadent, clamasse, & orasse virum*, ibique Nicetas eleganter sic ait. Qui hominum implorant auxilium, & qui Principibus fidunt, stulti sunt, neque ex ea re lucri quicquam facturi sunt, proindéque maledictus, qui credit homini. Quòd verò sibi etiam quisque minimè credere debeat, ostendit Ber. Ser. 85. in Cant. cùm ait de diabolo. In veritate Isai. 14. non stetit, quia non est innixus Verbo, in sua virtute confisus, & ideo fortassis sedere voluit, quia stare non valuit, dicebat: *Sedebo in monte testamenti.* Cæterùm Deo aliter iudicante, nec stetit, nec sedit, sed cecidit: ergo qui stat, Ioan. 15. si non vult cadere, non fidat sibi, sed nitatur Verbo. Verbum loquitur: *Sine me nihil potestis facere*; ita est, nec surgere ad bonum, nec stare in bono possumus sine Verbo.

CVM ergo omnia in terra deficiant, fallant, faciléque corruāt, soli Deo cum Abrahamo credamus, ipsíque hæreamus, dicentes cum Dauid: *Deus* Psal. 15. *meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* vbi Paraphr. Chald. sic habet. *Bonum meum, non nisi à te, quicquid enim à Deo nobis non prouenit, bonum nostrum mini-* Psal. 72. *mè est*; ideóque idem Dauid ait: *A te quid volui super terram*: Et Cyprian. Orat. de Ascensione Christi, Anima, inquit, cuius est Deus, quid ampliùs quærit, si sufficis tu Deo, sufficiet tibi Deus. Et Philo lib. *Quis sit hæres diuinarum rerum*; Si cupis, inquit, ô anima, hæres diuinarum rerum fieri, non tantùm terram, hoc est, corpus, sensus, & rationem desere, sed te ipsam fuge, rapta extra te ipsam, sicut lymphatici, &c. Vnde meritò Moyses Num. 24. dixit. *Ne* Num. 24. *timeatis populum terræ huius, quia recessit præsidium ab eis, & Dominus vobiscum est.* vbi Aug. q. 23. in eundem lib. sic potiùs legit: *Recessit tempus ab eis, & Dominus nobiscum est*; quasi ea omnia, in quibus aduersarij confidebant, præsidiúmque quærebant, non minùs euolauerint, quàm tempus, quod per sua momenta perpetuò extrahitur. Quis ergo tempori credat? quis mundi rebus fidat?

SED proh dolor! nullus omnino hominum se credit Deo, & omnes adhærent rebus terrenis. Vnde Clemens Alex. Orat. ad gent. ait. O impietatem! scenam, cælum fecistis, & Deus factus est vobis actus. In derisum siquidem habent homines cælestia, altásque in terra mittunt radices, vt possimus dicere cum Iob. *Vidi stultum firma radice, & maledixi pulchritudini eius.* Super quæ verba Gregor. 6. Moral. ita ait. Quasi firma radice stultus in terra figitur, qui totis desideriis in terreno amore solidatur. Vnde & primus Cain ciuitatem in terra construxisse dicitur, vt apertè monstraretur, quia ipse in terra fundamentum posuit, qui à soliditate cælestis patriæ alienus fuit.

Matth. 6. SED, quoniam Deo non credunt dicenti: *Quærite primùm regnum Dei*, sed primò quærunt regnare, prosperéque agere in terra, & dum vident se per

perpetuò in ea degere non posse, proinde necessitate compulsi, secundariò de Deo agunt, ideo Deus irridet eos circa ea, quæ primò quærunt. Quod notauit Chrysost. hom. 8. in epist. ad Hebr. his verbis. Omne studium in iis, quæ ad vitam hanc pertinent, euacuatur, de spiritualibus autem nulla ratio est, propterea terrena nobis pro voto non proueniunt, Christus quippe dixit: *Quærite primùm regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis*; hæc in adiectionis parte, tanquam adiectitia dicit datum iri: nos autem ordinem peruertimus, petimus terram, & bona terrena, quasi cœlestia additionis loco nobis dentur. Idcirco neque ista, neque illa habemus. Euigilemus aliquando, & efficiamur futurorum desideratores, sic etiam ista sequentur. Etenim Abraham credidit Deo, quod reputatum est illi ad iustitiam, & insuper concessa rerum omnium copia, & affluentia.

§. III.

Quia Abraham amicus Dei, propterea probatus ab eo est.

AMICVS igitur Dei factus est Abraham, non solùm, quia ipsum, vt amicum alloquebatur, & apud eum diuersatus, nihil eundem potuit celare, fœdúsque cum ipso iniit, ne tandem amicitia diuideretur, quod significatum est in diuisione vaccæ, primúmque Christi Seruatoris parentem voluit esse, sed, quia se deinceps Deum Abrahami voluit nuncupare, sicut notauit Chrysost. hom. 52. in Genes. cùm ponderat ea verba: *Ego sum Deus Abraham patris tui.* Considera, inquit, misericordiam Dei: nam cùm dixisset; *Ego sum Deus Abrahā patris tui*, ostendit quomodo sibi vendicauerit, & proprium fecerit Patriarcham, ita vt dignatus sit se vocare Deum Abrahæ; & Deus orbis, ac conditor vnius hominis, Deum se dicens, non concludit, & abbreuiat appellatione Patriarchæ suū dominium, sed magnam in illum suam beneuolentiam monstrat. Ita, inquit, mihi eum proprium feci, vt apud me æstimetur tanti, quanti alij omnes. Genes. 18. Genes. 17. Genes. 26.

QVIBVS igitur gradibus ad hanc amicitiam peruenerit, dixit Scriptura: *Per multas tribulationes probatus, amicus Dei effectus est.* Etenim pressuræ, & labores, ac pœnæ nos ad cælestia euehunt, & veluti os ad os cum Deo loqui faciunt; quod notauit Gregor. lib. 6. Moral. c. 7. cùm explicat ea verba Iob. *Homo natus ad laborem, & auis ad volatum*: Inde, inquit, mens ad summa euolat, vnde caro infimis duriùs laborat. Annon quasi auis Paulus ad volatum natus fuerat, qui tot aduersa sustinens dicebat, *Nostra conuersatio in cœlis est?* ideóque Dauid hoc idem fatetur, cùm ait: *Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt.* vbi Hieronym. ex Hebr. sic transfert: *Tribulationes cor meum sursum ferre fecerunt*: sunt enim tribulationes, quæ mentem, & cor nostrum ad cœlum euehunt, & extollunt. Quod etiam notauit Chrysostomus ad ea verba Psalmi; *Qui exaltas me de portis mortis.* vbi ait: Non dixit, liberas, sed exaltas, non enim in eorum malis soluendis subsistit Dei beneficium, sed facit eos etiam admirabiles, insignes, & clariores. Iud. th. 8. Cap. 5. Philip 3. Psal. 24. Psal. 9.

Hinc est quòd Deus veluti amicum,& familiarem ad se pertrahat, qui labores perpetitur,& in persequutione versatur,& ad suam mensam, & conuiuium adhuc in terris degentem sedere faciat;quod vt probem,statuẽdum in primis est,licitum minimè fuisse in lege veteri,alicui præter Sacerdotes,vesci pane sancto,sicut refert Hierony.in c.1.Malachiæ.Ex Hebræorum enim traditione,illi conficiebant panes sanctos ex frumento, quod ipsi sererent,meterent,molerent,ac denique coquerent,& cùm hæc ita se habeant, *Dauid,& qui cum eo erant,comederunt panes Propositionis*,vt patet aperte ex Matt.12.Theod.q.52.Hierony.Apolog.contra Iouianum Arbor. lib. 4.Theoph.c.25.Cùm ergo licuerit Dauid oppresso fame, sacros panes sumere;aliam,nec contemnendam rationem affert Hieronym. ad nostrum sensum:sic enim habet in c.2.Sophoniæ. Dauid non erat de Sacerdotibus, nec licebat ei comedere panes Propositionis,sed quia per singula crescebat opera,& persequutio Saül,virtutum illius profectus erat, propterea in fuga illius,dum nescit,subitò antistes efficitur,& accipit panes Propositionis,& non violat mandatum.Persequutio igitur Saül Dauidem fecit dignũ, qui ad mensam Domini,vt Sacerdos,& amicus sederet, & sacris panibus vesceretur,cùm tamen solis Dei familiaribus essent concessi.

1.Reg.21
Mat.12.

Hæc est ratio,cur Dominus consueuerit electos suos laboribus indurare.Quod prosequitur Chrysost. hom. 10. & 15. in epist. ad Rom. Greg. 4. Moral.c.1.& 12.Moral.c.15.Ber.Ser.de illis verbis, *Iustum deduxit Dominus* &c.Cypr lib.contra Demetrianum.Clem.Alex.7. Stromat. Nazian. Orat. 19.& Orat.de laudibus Athanasij.Tertul.lib.de fuga in persequutione c.3. Aug.4.de Ciuit.c.3.& Ser.82.de Tempor.& in Ps.55.Vnde Demetrius,teste Stobæo Ser. 18.dicere solebat, nihil sibi videri infelicius eo, cui nihil vnquam euenit aduersi,quòd oporteat talem hominem Diis inuisum,quem præterierunt velut ignauum.Namque,sicut dixit Seneca lib.1.*de Prouidẽtia*;*Bonum virum Deus in deliciis non habet.*

Non solùm ergo per ea bona quæ fecit,iustificatus est Abraham,& amicus Dei factus,sed etiam per ea,quæ pertulit mala, sicut diuina testatur historia.Sic igitur probatus Abraham,amicus Dei dictus est, & reuera fuit operibus quæ ostẽdit:Amicos,inquit Aug.tract.4.de virtute Charitat. tom. 9.coniunctio animorum facit.Vnde quidam sapiens huius mundi ait:Idem velle,atque nolle,ea demum vera amicitia est.Quomodo iste sanctus animum coniunxerit Deo,vultis nosse?Sicut Deus Pater vnico Filio suo non pepercit,sed pro nobis omnibus tradidit illum, ita & iste vnico Filio non pepercit,sed iubente,vt immolaretur ei,qui dederat eum, deuotò corde obtulit.Quibus habet similia Ser.61.de Temp.

Nec contemnenda videtur ratio,vt dicatur Abraham amicus Dei ex eo, quòd obtulit filium,& pro aris constituit immolãdum,quod singulare opus diuinam liberalitatem in tradendo vnigenito Filio Dei expostulauit,& id, quod per summam misericordiam Deus postea fecit,in amico priùs adumbrari voluit.Iure,inquit Clem.Alex.1.Pædag.c.5. Isaac non passus est, qui primus passionis partes Verbo cessit; nec fas erat,vt dixit Chrysost. hom.

de

de immolatione Isaac,vt qui typum Christi portabat,à patre tunc temporis mactaretur,quia perfecti sacrificij hostia Christo Domino seruabatur. Attamen,sicut notauit Rupert.lib.6.in Genes.cap.30.vt non ex sola misericordia staret salus hominis, sed misericordia, & veritas obuiarent sibi, quæsiuit misericors Deus capitulum in homine,per quod posset iustè debitor ipse teneri.Quæsiuit,inquam,ab homine vnigenitum sibi filium immolari,vt suum ipse Filium iusta vicissitudine deberet homini.Igitur, cùm dicit idem Filius in Euangelio suo:*Sic dilexit Deus mundum,vt Filium suum vnigenitum daret*;Non est dilectio remissa,vel misericordia carens iustitia.Nam, & homo sic timuit Deum,vt offerre illi non dubitauerit filium suum vnigenitum.Quem igitur sic elegit Deus,& cui debitor factus est,meritò Dei amicus à Iacobo prædicatur. Ioan.3.

Vers. 24. *Videtis, quoniam ex operibus iustificatur homo, & non tantùm ex fide?*

§. IV.

Quàm necessaria sint opera præter fidem.

EX dictis concludit intentum, scilicet, fidem solam non sufficere ad iustitiam,sed eam,quæ per dilectionem operatur. Nam, sicut dixit August.in Psal.31.Quod credit homo,fidei est, quod operatur,charitatis est; & ideo fides vocatur scutum à Paulo: *Sumentes scutum fidei.* Quis verò vnquam scutum assumpsit, quin simul gladium arripuerit? imò,ideo illud sinistro brachio inseritur,vt dextrum ad pugnandum liberum,& expeditum maneat,alioqui quomodo poterit victoriam reportare fides,vincereque mundum, & cæteros animi hostes, si ea mortua, & sine operibus sit?sicut notauit Bernard.Serm.1.in octaua Pasche,cùm dicit.Nec mirum videri debet,si fides nequaquam vincit,quæ nec viuit quidem, illa enim viuida, & victoriosa fides est,per quam Christus habitat in cordibus nostris,vt scilicet cooperatores illius simus. Galat. 5. Ephes. 6.

VNDE D.Saluianus lib.4.de Prouidentia,sic ait: Quæ ergo ratio est, vt ipsi nos falsa opinione fallamus,existimantes scilicet, quia Christiani esse dicamur,quòd opitulari nobis inter mala, quæ agimus, nomen bonum possit,cùm Spiritus sanctus,nec fidem quidem dicat hominibus Christianis sine operibus bonis posse prodesse?Et Chrysost.hom.34. in imperfecto. Scitote quia mercenarij sumus conducti, mercenarius sine opere non potest esse opera autem nostra,sunt opera iustitiæ, si mercenarij Christi sumus, primùm debemus aspicere,quæ ad gloriam Dei pertinent, proximíque profectum,& sicut mercenarius,qua die opus non fecerit,erubescit intrare domum, & petere sibi panem, quomodo tu non confunderis in-

trare in Ecclesiam,& stare ante cōspectum Dei, quando nihil boni in conspectu Dei gessisti?

Et hæc fortassis videtur ratio, cur sibi Deus noluerit mel offerri, quia scilicet ex floribus, non fructibus decerpitur, & conficitur, cùm tamen Deus velit à nobis bonorum operum fructus, prouentúsque è terra nostra, quam versauit manibus, cui fidei semen commisit, quam diuina gratia irrigauit. Quod acutè notauit August. Serm. 47. de verbis Domini, cùm ponderat, Christum Dom. quando illi Iudæi adduxerunt mulierem comprehēsam in adulterio, se inclinasse, & scripsisse in terra. Nam Dominus, inquit, in terra scribebat, quia fructum requirebat à prima radice fidei, in quo fructu sanctitas animi consistit; quod quidem intelligendum est in adultis, qui possunt, & tenentur operari. Nam paruuli absque operibus saluantur, adulti verò, si non occurrat præceptum aliud, solo credendi actu possunt profectò crescere in gratia, & iustificari secunda iustificatione. Itémque intelligendum est, si per tempus liceat operari, sicut hoc in loco aduertit Beda, & alij, & à Deo statim post infusam gratiam non feratur, sicut raptus est iustus, ne malitia mutaret intellectum eius.

Ioan. 8.

Vers. 25. *Similiter, & Raab meretrix nónne ex operibus iustificata est, suscipiens nuntios, & alia via eiiciens?*

EXPOSITIO LITERALIS.



NE se causarentur opera tanti Patriarchæ Abrahæ imitari nō posse in abdicatione patriæ, rerúmque omnium, & in immolatione vnici dilectíque filij; subinfert exemplum mulieris profanæ, & alienigenæ, quæ nullas conciones de lege Dei, de Testamento, aut fœdere illius cum hominibus, déque Messia venturo vnquam audierat, quæ tamen per misericordiæ opera, & officium hospitalitatis cum periculo vitæ exhibitum iustificari meruit, & Israëlitico populo, vt ciuis ascribi, regalísque eorum prosapiæ catalogo annumerari, & inter parentes Filij Dei in carne referri; vt tali exemplo commoti traditam de operibus doctrinam susciperēt, manúsque ad opera charitatis admouerēt, quæ tam vtilia sunt, vt gentilem mulierem illustrem redderent, támque necessaria, vt in fidei parente Abrahamo necessariò requirerentur.

In limine autem huius sententiæ illud difficillimum occurrit, fueritne Raab ita meretrix, vt infami corporis prostitutione turpem quæstum comparauerit? Deinde, quo pacto potuerit iustificari per opus mendacij, & deceptionis? Etenim, cùm viri à Rege missi quærerent duos exploratores, quos domi absconditos habebat, dixit: *Fateor, venerunt ad me, sed nesciebam vnde essent; cúmque porta clauderetur in tenebris, & illi pariter exierunt, nescio quò abierunt; persequimini citò, & comprehendite eos.* quæ verba quatuor mendacia videntur continere. Primum, *Nesciebam vnde essent*: cùm tamen rectè agnouerit.

Iosue 2.

uerit. Secundum, *cùm porta clauderetur in tenebris, & illi pariter exierunt*; qui tamen adhuc domi latebant. Tertium, *nescio, quò abierunt*; cùm tamen in solario esse sciuerit. Quartum, *persequimini citò, & comprehendite eos*; cùm nondum foris possent persequi, & comprehendere quos illa absconditos domi habebat.

QVOD ergo attinet ad primum. Non desunt valida fundamenta, quæ videntur probare, Raab non fuisse meretricem, etenim Hebræi post Chaldæum, volunt fuisse hospitam cauponariam, vel tabernariam. Nam nomen Hebræū, זונה *zonah*, & *meretricē* significat, & *cauponariam*, vel *ciborum venditricem*, à זון *zon*. i. *frumento*, siue, *speciei frumenti*. Quamobrē Pagnin. vertit *cauponariam*, id est, quæ vendit escas. Vatabl. *cauponam*, seu, *hospitam*. Lyran. hic, & Matth. 1. Titelman. Arias Montanus hic, & Isaiæ 23. D. August. 18. de Ciuitate Dei c. 18. & aliqui ex Rabbinis tenent, non fuisse meretricem. Quod idem asserunt aliqui recentiores, qui dicunt verbum Græcum hoc loco, & ad Hebr. 11. à vendendo sumptum esse, vt sit sensus, mulier venditoria. Et ratio hoc ipsum suadet, quia Salmon fuit princeps nobilis de Tribu Iuda, proindeque credibile non est, sibi in vxorem assumpsisse mulierem antea meretricem.

CÆTERVM, quia Tridentina Synodus præcipit sequendam vulgatam versionem, in qua Raab meretrix appellatur, id quidem statuendum est, eam fuisse meretricem, præterquàm quòd per se probabilius videatur; nam vox Hebr. apud Septuaginta *meretricem* significat, & apud Paulum, vt ibi notauit Ribera, & Seruius, ac Masius apud Iosue. Ex sanctis Patribus tenet D. Clemens epist. ad Ephesios, Irenæus lib. 4. cap. 37. Idémque probat Hieronym. in epist. ad Pammachium, & in cap. 1. Matth. dum ait, in eo Euāgelio nullam sanctarum mulierum assumi, sed eas, quas scriptum reprehēdit. Idem tenet Chrys. hom. 5. de Pœnitentia; vbi inter alia sic habet. Erat in fornice, velut in volutabro confusa margarita, aurum in luto abiectum, flos spinis confossus, religiosa anima reclusa impietatis loco. Idem tenet hom. 3. in Matth. & hom. 40. ad Popul. Nazianz. Orat. 40. quæ est in sanctū Baptisma; & Orat. 16. quæ est de pauperum amore, vbi ait: Inter peccatores Raab meretrix, non tantùm animi inductione meretrix, ac bene de hospitibus merendi studium, & laudi fuit, & saluti. quod etiam ibi prosequitur Nicetas, D. Ambros. lib. 8. in Lucam c. 16. & lib. 2. de Virginibus. Demum August. lib. 6. q. Veter. & Noui Testam. q. 2. in Iosue, eam appellat fornicariam. Idem sequitur Theodoret. q. 2. in Iosue, & in Psalm. 86. & ad Hebr. 11. Procop. in Iosue cap. 2. Euthym. in cap. 1. Matth. & Rabbini antiquiores.

QVOD si vera est ea opinio deducta ex multis locis sacræ Scripturæ, & à recentioribus comprobata, priscis, scilicet, illis temporibus non fuisse cauponas, sed eam viatorum rationem fuisse, vt vel humeris, vel iumentis sua ipsi secum cibaria deferrent, tectum verò rarò, idque vel apud amicos, aut certè bonos, & hospitales homines gratis subirent. Vnde Angeli à Loth inuitati dicebant, *minimè, sed in platea manebimus*. Et Gabaonitarū legati, cùm totum peregrinorū è longissima regione aduenientium morem, Gen. 19.
&

& apparatu studiosissimè simularent, *tulerunt*, ait sacer Textus, *sibi cibaria, saccos veteres asinis imponentes, & vtres vinarios scissos, atque consutos, panes quoque, quos portabant ob viaticum, duri erant, & in frusta comminuti.* Si vero cauponarum vsus tunc fuisset tot panum, viníque sarcinæ cur assumerentur, cùm è publico ciuitatis ærario legati marsupia possent implere? Hoc insuper probatur ex libro Iudicum, cùm Leuites ille Ephraimita veniens è Bethle-
Iud.c 19 hem, occaso iam Sole, vrbem Gabaan ingressus, sedebat cum sacirnulis in platea, quoad senex quidam veniret, cui super hac re roganti, dixit. *Nullus sub tectum suum nos vult recipere, habentes paleas, & fœnum in asinorum pabulum, panem, ac vinum in meos, & ancillæ tuæ vsus, & pueri qui mecum est; nulla re indigemus, nisi hospitio.*

C V M ergo eo tempore secundùm istam sententiam, non extiterint cauponæ, qui accepto pretio peregrinis viatoribus necessaria tribuerent, eósque hospitio exciperent, quando Raab caupona dicitur, in malam partem id accipiendum videtur, vt scilicet sub tecto exciperet eos, qui velut ad luxuriam, & impuritatem ipsam adibant, quò meliùs explorationem simu-
Iosue 6. larent & occulerent. Quod etiam confirmat Masius ex eo, quòd cùm Scriptura meminerit patris, matris, fratrum, ac sororum, mariti tamen non meminit; quod signum est eam non habuisse proprium virum, sed omnibus fuisse communem.

I L L V D autem, quod obiiciebatur de Salmone, facilè dilues, dicendo mirum nullatenus videri posse, si Princeps eam muliere duxerit, quæ tam insigne in suam gentem contulerat beneficium, quæ resipuerat, & iustificata erat; fortéque à Deo interiùs admonitus, sibi eam copulauit, vt desponsatio Christi, & extensio Ecclesiæ ad Gentilem populum adumbraretur. Etenim, si apud Athenæum lib. 13. Abydeni, vt meretrici, cuius beneficio, & indicio seruitutem depulerant, gratiam referrent, tantopere adlaborarunt, quid mirum, si erga suam Rem. pietas Salmonis ipsum adegerit, vt hanc mulierem sibi matrimonio copularet? vt interim omittamus id quod Masius ait, non fuisse Salmonem abauum Dauidis, sed alium eiusdem nominis, qui Raab duxit vxorem.

S E C V N D V M breuiter expediemus, si ob oculos proposuerimus, mendacium nec propter vitam, nec propter totius mundi lucrum esse licitum: qua de re videndus Aug. tom. 4. duob. libr. contra mendacium ad Consensium; cuius authoritate, & innumeris ex Scriptura desumptis permotus Innocentius III. *in c. super eo, de vsuris*; dixit, in Scriptura prohiberi mendacium etiam pro vita alterius seruãda. qua de re plura habent Theologi cum Magistro. in 3. dist. 38. Hoc ergo constituto, non est admittenda ea expositio Ruperti lib. 1. in Exod. c. 7. cùm asserit, Raab mendacio officioso, & vtili vsam fuisse, proindéque non peccasse, imò opus charitatis exercuisse dignum præmio, quo à Deo fuit remunerata: sed dicendum, Raab iustificatam quidem non ob mendacium illicitum, sed ob charitatis zelum, & hospitalitatis opus, quod iustè exercuit in hospites Israëlitas, & quo intendit eorum vitam incolumem seruare. Sic etiam D. Greg. 18. Moral.

Moral.c.27.dixit, obstetrices Ægypti mentitas quidem fuisse, sed non ob mendacium remunerationem à Deo accepisse, sed pro charitatis, & diuini obsequij opere, quod erga Deum, & Dei populum præstiterunt. Sic & hanc probatam asserit Aug. lib. vno contra mendacium c. 9. non quia mentita, sed quia in homines Dei misericors fuit, & ita non est remunerata fallacia, sed beneuolentia, benignitas mentis, non iniquitas mentientis. In vno etenim, eodémque opere, quod alioqui malum est, maloque modo agitur, potest interdum laude quidpiam dignum aspici. Testis ille, qui furacem, fraudulentúmque villicum iniquitatis laudauit, quia prudenter fecisset. Quo sensu Iudith factum Simeonis contra Sichimitas laudat, quatenus zelo castitatis in eos irrupit. Videndus idem Aug. eodem lib. c. 17. *Iudith. 9.*

MERETRICEM autem vocat Raab, quæ sancta, & iusta erat, ex more Scripturæ, quæ solet nominare res eo nomine, quod ante conuersionem habebant: sic virgæ conuersæ in dracones adhuc vocantur virgæ; sic cœci. *Exod 7.* i. qui fuerant cœci, dicuntur videre: sic de vino dicitur, cùm vidisset Archi- *Mat. 11.* triclinus aquam, vinum factam; sic Eua dicitur os Adam. Nuntios autem *Ioan. 2.* hoc loco appellat, duos exploratores, quos Iosue misit, vt considerarent *Iosue 2.* terram, vrbémque Iericho, quos ipsa cùm ad mortem quærerentur, abscondit. Ex operibus verò dicitur Raab iustificata, quia in ea susceptione plura laudanda opera intercesserunt, vt mox videbimus.

§. I.

Commendatur hospitalitas.

CVM ex dictis constet, non fuisse olim cauponarum vsum, sed quemque viaticum secũ portare solitum, inde iam apparet charitas istius mulieris iam fidelis, vt bene aduertit Titelman. ipsaque testatur, vt suprà vidimus, & hac in re minimè meretrix; hospitalitas enim character est virginalis animæ, sicut ait Chrysost. hom. 48. in Genes. Ex qua Eliezer dimissus, sicut notauit Theodoret. q. 73. in Gen. ad quærendam filio domini sui sponsam, eam deprehendit, idque à Deo expostulauit, & quæ diu in luxuriæ incendio vixerat, ab eo per hospitalitatem erepta est, veluti alter Loth; sicut notauit Ambr. epist. 82. *Genes. 24.*

PVLCHRE autem dixit Apost. hoc loco, vna via suscepisse Raab nuntios, & alia eiecisse, vt inde colligamus, in ea domo mulieris conuersæ vias omnes, quæ antea luxuriæ inquinamento deseruiebant, ad excipiendos, dimittendósque impudicos, conuersas esse in vias charitatis, & ostia hospitalitatis, sicut de se gloriabatur Iob cùm dixit: *Ostium meum peregrino patuit*, vbi Septuaginta addunt, *omni viatori patuit.* Sed epitasim, exaggerationémque habet pluralis numerus in Hebr. *Ostia mea*; quasi dicat: Vndequaque patuit ad meam domum aditus: volebam non vnico tantùm ostio, sed multis excipere peregrinos, vt faciliùs declinarent in meam domum; sicut explicant scholia Vatabli: eandem ergo promptitudinem animi *Iob. 31.*

Raab significat ea duplicata via, quam Iacobus assignat.

Et hæc est ratio cur ego existimem nuntios Israëlitas, non casu fuisse ingressos domum istius, sed ab eadē inuitatos, & veluti compulsos. Ea enim
Genes. 18 mulier, ex qua oriundus erat Messias, debuit ipsius patrem Abrahamū imitari, qui occurrit obuiam, & rogauit. vbi D. Ambr. lib. 1. de Abraham: Fructum hospitalitatis studiosissime requirebat, nec aspexisse contentus, occurrit obuiam, adest non quærentibus, rapit prætergredientes, & ait. *Domine, si inueni gratiam*, &c. vbi Chrys. hom. 41. in Gen. Dicere, *Domine*, est captantium beneuolētiam, dicere autem, *si inueni gratiam in oculis tuis*, hoc est admirabile; beneficium, inquit, das, non accipis. Verè enim eiusmodi res, hospitalitas est, quæ magis accipit, quàm dat, qui illā promptè, & alacriter exercet. Et Chrysolog. Ser. 121. Abraham venientibus longè semper occurrit, prætereuntes prece reuocat, nolentes magna cum supplicatione suā compellit ad mensam & Ser. 121. de Lazaro. Non immeritò, fratres, sua nunc nos in requie suscipit, & in ipsa cœlesti beatitudine fungitur dispensatoris officio, quando, dum hîc semper suscipit peregrinos, & pauperes, ipsum sub tentorio suo videre hospitem meruit, quem semper habuit largitorem. Et reuera, fratres, parum se beatum credidit, si in ipsa superna gloria ab ipso hospitalitatis pio cessaret officio, & solus donis frueretur diuinis, qui hîc humana bona, crudelem se credidit, cuiquam si negaret. Et ideo non prætereundum, noctu ad Raab diuertisse exploratores, quod Angelis cōtigit meridie, vt de hac muliere verum etiam sit, quod de Abraham dixit Ambros. Quando alij requiescebant, iste hospitum explorabat aduentum.

Apparet autem maxima huius mulieris charitas in eo, quòd alienigenas exceperit: nam, sicut dixit Chrysost. hom. 20. in priorem ad Cor. Si virum aliquem magnum, & insignem hospitio exceperis, id non tam pura eleemosyna est, sed partem sibi sæpenumero inanis gloria vendicat, & spes alicuius boni consequendi, quod hospitalitatis remunerationem coinquinat, imò auaritia est, hospitalem esse huiusmodi viris. Sicut prosequitur Ambros. lib. 7. in Luc. Vnde. Origen. lib. 9. in cap. 12. ad Roman. aduertit dixisse Paulum, *hospitalitatem sectantes*: non illud, inquit, solùm ostendit, vt venientem ad nos hospitem suscipiamus, sed, vt requiramus, & soliciti simus, & sectemur, ac perquiramus vbique hospites, ne fortè in plateis sedeant. Videndus hac de re Chrysolog. Serm. 121. vbi de Abrahamo sic eleganter loquitur: Peregrinus ipse iugiter laborauit ne peregrini peregrinum se esse sentirent, sub tentorio manens ipse, sine tecto aduenam manere non passus est, & hospitem hospes semper ipse suscepit, sciens se non incubatorem, sed dispensatorem diuinæ positum largitatis; suscepto hospiti astitit, non assedit, & fuit non conuiua hospitis, sed minister. Abraham viso peregrino, Dominum se esse nesciuit, ipse allator prandij, ad coquinam satis delicatam addixit vxorem, & qui se, suáque omnia famulis suis credit, committere vix audet hospitem coniugi quàm probatæ, & in ipsa cælesti beatitudine fungitur dispensatoris officio, qui dum semper hîc suscepit peregrinos, & pauperes, ipsum sub tentorio suo videre hospitem

meru

meruit, quem semper habuit largitorem. Et reuera, fratres, parum se beatum credidit, si in ipsa superna gloria ab hospitalitatis pio cessaret officio, & solus donis frueretur diuinis, qui hîc humana, crudelem se credidit, cuiquam si negaret.

Nec mirum, quòd hospitalitas fecerit Raab iustiorem, & matrem Messiæ Seruatoris, cùm hæc virtus Ioannem Euangelistam fecerit filium matris sacratissimæ eiusdē Messiæ, hospitio enim eā excepit, sicut colligitur ex Nazian. in Tragœdia, *Christus patiens*. ex Nicephor. lib. 2. histor. Ecclesiast. c. 3. & lib. 1. c. 18. Baronio, anno Christi 34. c. 29. Quæ virtus ipsū etiā Deum hominem in terra potuit detinere, sicut ex Aug. docet D. Thomas 2. 2. q. 111. art. 1. cùm dicit, quare Christus finxerit se longiùs ire, quia, cùm longiùs, inquit, recessurus esset ascendendo in cœlum, per hospitalitatem quodammodo retinebatur in terra. Denique hanc virtutem appellat Tertull. in Apologet. cap. 20. Catholicæ communionis contesserationem, alludens nimirum ad tesseram dari solitam, vt hospites cognoscerentur per illam, ne fraus interueniret. Qua de re videndus Plautus in Penulo & in Cistel. *Luc. 24.*

Hanc virtutem hospitalitatis commendat Aug. lib. 2. quæst. Euang. c. vlt. Serm. 32. de verbis Domini; Serm. 70. de Temp. Hieron. in c. 1. ad Titum, & alibi passim. Greg. lib. 12. epist. 6. & 24. Chrysost. homil. 30. ad Roman. tom. 4. & homil. 41. in Genes. tom. 1. & tom. 5. homil. de decim. & hospital. & Concione 2. de Lazaro. Nazianz. Orat. de pauperum amore. Clem. Alexan. 4. Stromat. Ephrem in Testamento, & Parænesi 42. & de humilitat. comparanda. Videndus item Chrysolog. Serm. 39. ad ea verba Luc. 11. *Quis vestrûm habebit amicum, & ibit ad illum media nocte?* Non potuit, inquit, non impetrare quod voluit, qui vt reciperet hospitem, hospitem, reficeret, totam sibi requiem denegauit.

§. II.

Amor Dei Raab superauit amorem patriæ, qui vehementissimus est.

SINGVLARIS etiam Dei amor super omnia in hac muliere cernitur, quia, cùm patriæ amor nobis ita naturaliter sit insitus, vt aliqui patriam à patre dictam putent, siquidem est primus parens, & Cretenses, quasi matriam à matre dicebant, sicut aduertit Plut. lib. num seni gerenda Respub. *A patre patriam*, inquit, *dicimus. Ita Cretenses à matre, quasi matriam.* Vnde Tullius 5. Philip. *An potest cognatio propior vlla esse, in qua parentes etiam continentur?* & D. Thom. 2. 2. quæst. 60. art. 3. Patriæ, & parentibus maximè debitor est homo post Deum. Interrogatúsque Pythagoras, quomodo oporteat se gerere erga patriam ingratam, vt erga matrē, respondit. Et Plato in Clitone: *An sic es sapiens, vt te latuerit, & patri, & matri, & progenitoribus patriam esse anteponendam? atque esse venerabilius quiddam, sanctiúsque, & superiore sorte, cùm apud Deos, tum apud homines mentis compotes, esse patriam*

collocandam, colerèque eam oportere magis, eique obedire, ac regidiùs se gerenti mitius assentiri, quàm patri, & siquid iubeat, vel dissuadere, illi quantum liceat, vel facere, & patientissimè sustinere quicquid iusserit patiendum, vi autem vti nefas est, vel contra matrem, vel contra patrem, maximè verò omnium contra patriam.

VNDE pro patria tot præclari viri olim se deuouerunt, vt de Codro Atheniensium Rege patet apud Iustinum lib. 2. de Deciis apud Liuium, & Ciceronem 1. Tuscul. vt omittamus Brutum, Curtium, Genutium, Æolium, Trasybulum; Themistoclem, Carthaginenses fratres Philæni, & alios. Qua de re vidēdus Valer. Max. lib. 5. c. 6. Nō omittēdus Demaratus Lacedæmoniorū Rex, qui cùm apud Xerxē exularet, sicut refert Iustin. lib. 2. sciretque parari à Xerxe bellum aduersùs Lacedæmonios, amicior patriæ post fugam, quàm Regi post beneficia, ne inopinato bello opprimerentur, omnia in tabellis ligneis Magistratibus scribit, easdémque cera superinducta delet, ne, aut scriptura sine tegmine, aut recens cera dolum proderet, quod fuit in causa, vt se pararent ad bellum.

QVALIS autem amor patriæ fuerit in vno Hieremia, ostendit Iosephus lib. 10. Antiquitat. cap. 11. ait enim. Hieremias neque Ducem sequi voluit, neque aliò ad habitandum ire, contentus habitare in ruinis patriæ, & eius miseras reliquias colere (dum scilicet capta est à Chaldæis.) Vnde Seneca in Troade, actu 4. introducit Andromacham consolantem Hecubam Polyxenæ matrē, quæ Polyxena interimēda erat in ipsa ardēte Troia.

——Nos Hecuba lugendæ sumus,
Quas mota classis huc, & huc sparsas feret,
Hanc chara tellus sedibus patriis teget.

PRO hac sententia notauit Rupert. lib. 2. in libros Reg. c. 18. diuinitùs factum fuisse, vt cùm Dauid esset in Achis, non permitteretur tamen ad bellum exire contra Israëlitas, ne hostis patriæ iudicari posset, si contra suos præliaretur.

HIC igitur amor patriæ, qui Iudithem compulit iam dimissum ornatum pulchritudinis reassumere, extremóque periculo se offerre. qua de re præclarè Ambr. lib. de viduis ait: Vestem illam iucunditatis, quam viuente viro vestire solebat, induit, quasi placitura viro, si patriam liberaret. Hic amor, seu charitas patriæ, quæ omnes omnium charitates complexa est; & secundùm D. Hierony. Theophylact. & Greg. lib. 6. Moral. c. 13. sententiam, fuit in causa inobedientiæ in Iona, & fugæ à facie Domini in Tharsis: nouerat siquidem Ionas diuino afflatus spiritu, tunc periturum populum Israëliticum, cùm nationes credidissent, proindéque inobediens fugit, ne ipse primus populi ruinam ostenderet; & prædiceret. Hic amor, quo affectus Christus Dom. secundùm Orig. lib. 2. contra Celsum; & Nazian. Orat. 1. Apolog. dixit: *Pater si possibile est transeat à me calix iste.* Vidēs enim Christus Dom. qualia populus passurus esset in vindictam patrati sceleris, mortísque illatæ Filio Dei, ductus amore illius gentis, & quo præuidens ruinā ciuitatis, super illam fleuerat, voluit vitare futurā passionē, quandoquidē propter epotum calicē passionis, videbat vniuersam eam gentem à Deo

Iudith. 10.

Luc. 22.

Luc 19

Deo deferendam,& incessanter puniendam.Potuit enim Christus Dom.vltra mortis acerbitatem,hoc etiam,quo se magis affligeret,contemplari,nec mirum,cùm baiulans sibi crucem,& inter tot , támque acerbos cruciatus, velut sui immemor,soliúsque patriæ memor,prohibuit super se flere , iussitque flere ruinam futuram patriæ.

Hic amor vsque adeò potens , victórque semper existens , victus est ab amore Dei,omnia lõgè superante.Nam,sicut notauit Amb.1.Offic.c.6.non vehementior est naturâ ad diligendum,quàm gratia.Et Chrysost.in imperfecto,homil.36.Verè non habet super terram,quod amet , qui bonum cæleste in veritate gustauerit. Vexillum proinde erexit Dei amor in corde istius fœminæ;& ideo in fenestra,per quam dimisit viros,coccineum amoris signum,imò vexillum suspendit,catenásque iniecit mulieri gentili , & meretrici,quibus ipsa etiam ligauit nuntios,cùm dimisit,quo securiùs per fenestram descenderent.Vnde Septuag.correcti,pro eo , quod nos legimus; *In fenestra,per quam dimisisti nos,* habent, *per quam ligasti nos.* Hebr. verò habetur, *per quam concatenasti nos.* Et quia catenæ amoris diuini erant,qui citò aboleri non potest,fatentur se semper iisdem ligatos,dum secundùm Complutens.dicunt, *per quam dimittis nos.* Luc. 23 Ios. 2.

Nec mirum quòd Raab summum capitis discrimen,suorúmque extremum supplicium nõ timuerit,quæ solum Deum initio pertimuerat & cuius animam Dei amor,vt assolet,cæteros redegerat, & captiuarat affectus, foras miserat timorem,& sicut Sponsa non timuit armatos custodes, nimirum amor timere neminem verus potest.Vnde Ber.Serm.84.in Cant.Non timeo,quia amo,paueant qui non amant,solet enim diuina charitas in muliebri conditione maiorem vim suam ostendere,vt patet in sanctis mulieribus quæ cum Beatissima Virgine affuerunt cruci Christi , quando omnes relicto eo fugerunt.Vnde Chrysost.homil.33.in 1. ad Cor. In meticulosa anima suam vim charitas ostendit,quod perinde est,ac si quis plumbeum ensem omnia quæ ferreus solet,efficere cogat,ferreum tamen non reddens, sed plumbeum,& impermutatæ naturæ esse sinens.Quid Moyses ? ob vnicum Ægyptium territus fugit,& finibus excessit,& tamen ille ipse fugitiuus,& vnius viri minas sustinere non valens,melle charitatis semel rectè gustato,nemine cogente,mori pro suis festinabat , *aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro vitæ.* Exod. 2. Exod 32.

Sic igitur Raab superni amoris igne incensa,Regios satellites nõ pertimescit,Regem non veretur,mortem nihili facit,dummodo religioni veri Dei deferat. In quam sententiam notauit D. Ambr. lib. 2. de Iacob. & vit. beat.cap.5.Laban dum consequitur Iacobum fugientem , quæritque deos suos,quos Rachel ex sententia Theod.ibi per summam pietatem abstulerat,volens,inquit,patrem à dæmonum cura liberare , cùm intrasset tentorium Rachelis,illa festinans abscondit idola,& sedit desuper,patrique minimè assurrexit.Ait ergo Ambr.Nemo credat paternæ legis læsam esse reuerentiam,quòd stante patre sedit Rachel,quoniam scriptum est : *qui plus diligit patrem,aut matrem quàm me,non est me dignus,* vbi causa agebatur religio- Gen. 31. Matt.10.

nis, fides debuit habere sedem iudicij, & quasi rea stare perfidia. Propterea ergo Raab satellitibus Regis non defert, & patriæ immemor nuntios alienos abscondit, securósq; dimittit, quia causa agebatur religionis, vbi Gentium perfidia delusa debebat stare, ne timeret homines quæ solum Deum diligebat. Vnde si Ambros. loco cit. de Rachele dixit, Beata Rachel quæ abscondit cultus errorésq; Gentilium, beata etiam Raab, quæ abscondit viros colentes verum Deum à Gentilibus errantibus, quos aberrare fecit, & illudi, ne inuenti Israelitæ serui Dei perirent.

1. Re. 19. NON comparanda huic Michol Saülis filia, dum maritum David deposuit per fenestram, & statuam posuit super lectum, & sic Regis satellitibus, ipsique Regi illusit. Illa enim rem cum patre gerebat, qui facilè placatus paterno amore deceptionem, & fallaciam præteriit: hæc autem cum iis, quibus si nota foret salus nuntiorum, protinus humana crudelitate, qua nulla immanior potest reperiri, in eam anima aduertissent, veluti in patriæ, suorúmque ciuium proditricem. Illa maritum incolumem curauit, hæc ignotos antea viros occuluit, & in occulto dimisit.

§. III.

Sanum supernæ charitatis consilium.

QVONIAM verò, sicut notauit Chrysost. in celebri hom. 33. super 1. ad Cor. amor magnus doctor est, non contenta Raab quòd nuntios hospitio exceperit, & occultarit ne inuenirentur, salubre, & prudens cōsilium præbuit, quominùs ad manus persequentium in via peruenirent, vt scilicet ad montana cōscenderent, ibique per tres dies latitarent, donec *satellites* in ciuitatem reuerterentur. Et licèt mulieris consilium inualidum esse soleat, sicut notauit Aristot. 1. Politic. attamen cùm de corde puro, charitatéque, & fide illustrato procedit, optimum censeri debet, & in anima charitate perfusa donum consilij adest, ipsúmque cor corroborat. *Vnde & olim* cor hieroglyphicum consilij habebatur, sicut testatur Pierius Valer. lib. 34.

PRVDENS ergo & salubre huiusmodi esse consilium, mihi etiam probat id quod superiùs probaui, scilicet, tunc temporis iam esse fidelem, & iustam Raab. Aduertit autem Ambros. 2. Offic. multùm in cōsiliis valere vitæ probitatem; nam quis in cœno fontem requirat? quis de turbida aqua potum petat? quis vtilem iudicet causæ alienæ, quem videt inutilem vitæ suæ? Vnde & sacræ literæ per (*mundum cor*) intelligunt sinceras cogitationes, & consilia. Non potuit proinde probatum consilium exire nisi de probato, mundóque corde, examinatóque diuini amoris igne. His igitur omnibus operibus, quæ in receptione, & dimissione nuntiorum Raab exercuit, & fidem ac charitatem operantem testata est, & iisdem iustificata, augmento scilicet gratiæ & charitatis.

§. IV.

§. IV.

Non in vituperium Raab, sed in laudem, & in diuinæ potentiæ commendationem, etiam dum iusta erat, dicitur meretrix.

HOc loco minimè prætereundum censeo, cur ea mulier quæ iusta erat, & amplius iustificata & sancta dicitur, meretrix adhuc ab Apostolo nominetur, cùm proprium Sanctorum sit, potiùs proximorum defectus celare, & operire, quàm in memoriam reducere, sicut notauit Ambros. Ser. 7. in Psalm. 118. in Diuo Iosepho, qui cùm Beatam Mariam grauidam videret, *cùm esset iustus, noluit eam traducere*? Ita, inquit, non solùm ab vltionis atrocitate, sed etiam ab accusationis seueritate iusti aliena persona est, potiúsque ducit suam remissionem accusari. Idémque Ambrosius hoc ipsum notauit in Dauide, quando præcipiebat militibus egredientibus ad bellum, vt parcerent seditioso, & inobedienti filio, dicens: *Seruate mihi puerum Absalom.* & postea interrogauit; *Viuitne puer ille?* vt atrocissimum Absalonis crimen minueret, reuocando in memoriam ipsum esse puerum, mentis impotem, & adhuc immaturæ rationis. At verò postquam suspensus interiit, & nulla iam opus erat excusatione, & diminutione, non puerum, sed filium vocauit suum. *Fili mi Absalom, Absalom fili mi.* Ait ergo Ambros. ad ea verba Psalm. *Gressus meos dirige.* Cur eum puerum dicit, quem postea filium nominauit? Cur non in vtroque, aut puerum dixit, aut filium? Si viueret, puer erat, quia parricidio petebat patrem; non enim pietatis nomen accipere debebat, sed infirmitatis, ideóque vir iustus quod religionis fuit, tacuit, quod infirmitatis aspexit; vbi verò est mortuus, apud pium patrem personæ crimen defecit, naturæ nomen remansit. Sic etiam & Christus Dominus fecit, vbi enim reprehendit discipulos dicens; *Non potuistis vna hora vigilare?* statim excusauit & culpam, dicens; *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma,* Matth. 26. Vidēdus Bernard. Serm. 40. in Cant cùm ait: Excusa intentionem, si opus non potes: quod fecisse videtur Petrus. cùm ait Act. 3. *Propter ignorantiam fecistis, sicut & Principes vestri.*

Matth. 1.

2 Re. 18.
Ibid. c. 19

Hoc insuper notauit Philo libr. de Ioseph. ipsum, scilicet, dixisse fratribus, *Accedite.* Ideo, inquit, iubet propiùs accedere, ne delictum alienum quis auribus acciperet. Insupérque Rupert. lib. 9. in Gen. c. 11. notauit, Iosephū iussisse, vt omnes egrederentur foras, quò se fratribus venditoribus cognoscendum præberet. Bene ergo præceperat, ait Ruper. vt egrederentur cuncti foras, vt nullus interesset alienus cognitioni mutuæ, non enim alienis iam communicanda erat domestici notitia sceleris, neque sub eorum præsentia pius frater voluit edicere rem tantæ confusionis. Ita namque solet esse curæ iustis alieni sceleris ignominia. quod prosequitur D. Chrysostom. tom. 1. hom. de Moyse; vbi affert ea verba Pauli ad Galat. 6. *Fratres, si praoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis,*

Gen. 45.

hu

huiusmodi instruite in spiritu lenitatis. Naturæ, inquit, infirmitatem nomine (*hominis*) insinuat: sic & nos faciamus, quando cum peccatore aliquo expostulatur, dicamus. Homo est; & naturæ recordatione, ad misericordiam stomachantes prouocemus. Vos, qui spirituales estis, is qui peccat, homo, qui verò bene operantur, spirituales dicuntur. Si spiritualis es, osten de mihi virtutem tuam, non à tua, sed à mea salute: hoc enim spirituale est non despicere sua membra.

CVM ergo iustus sui accusator sit, nō aliorum, sicut notauit Bern. Serm. de septem grad. quod iniquorum hominum proprium est, sicut notauit Ambr. lib. de Noë & Arca c. 30. vbi ait: Omnes mores pessimi erroribus delectantur alienis, non solùm erroribus, sed etiam iis, quæ ipsis videantur mala esse, etiamsi non sint. Et Clem. Alex. 2. Pædag. c. 7. loquendo de iusto Seth filio Noë, qui patris nuditatem operuerat pallio, Genes. 9. ait. Texit modestia, quod nudarat ebrietas. Quî fieri ergo potuit, vt Iacobus dum præclara Raab opera meminit, eandē meretricē etiā tunc appellet?

NON quidem id factum putemus, vt nobis in vitiis excusatio, & tegmen prætexatur, ansâue & occasio liberiùs in peccatis euagandi. Quod notauit D. Bernard. Serm. 1. de omnibus Sanctis in Eua dicens: Propterea beata esses Eua, si post culpam, consolationem quæreres lacrymarum, & conuersa ad pœnitentiam, veniam citiùs obtineres; nunc autem miserrimam quæsiisti consolationem de simili casu viri tui, & veneno pessimo, nequissimo videlicet vitio, totam infecisti posteritatem tuam, vt vsque hodie perditionem alterius alter suam reputet consolationem. Misera prorsus Euæ consolatio, & eorum, qui miseriam hanc imitantur, sed beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Iniqua autem consolatio est quæ sumitur ex alienis defectibus, sicut notauit Nazianz. Orat. 13. cùm ait: Extremæ miseriæ est, non propriis viribus, sed aliorum imbecillitate niti, atque confidere. Quod etiam prosequitur Hieron. in cap. 2. Michææ. Cauete, ne alienam ruinam, vestram ædificationem putetis, vnusquisque se è suis viribus, non ex imbecillitate alterius metiatur.

IDEO igitur in primis noster Apostolus, Raab nominat meretricem, &
1. Cor. 10 in sacra Scriptura defectus Sanctorum referuntur, vt *qui stat videat, ne cadat*; sicut docuit August. 3. de Doctrin. Christ. c. 23. dicens: Si qua verò peccata magnorum virorum legerit, tametsi aliquam in eis figuram rerum futurarum animaduertere, atque indagare potuerit, rei tamen gestæ proprietatem ad hunc vsum assumat, vt se nequaquam rectè suis factis iactare audeat, sua iustitia cæteros, tanquam peccatores contemnat, & ad hoc peccata illorum virorum scripta sunt, vt Apostolica illa sententia vbique tremenda sit, qua ait; *Qui stat videat, ne cadat*. Sicut enim in nautarum chartis, scopulosa, vadosáq; loca assignantur, vt nauigantes pericula cauere possint, & certum iter carpere, sic etiam videtur Scriptura proposuisse Sanctorum defectus & ruinas, vt cautiores simus, & quid nobis fugiendum vitandúmque sit, probè noscamus. Videndúsque pro hac re est Hieron. epist. ad Saluinam, vbi ait. Sic Dauid amicus Domini, & Salomon amabilis eius

eius victi sunt quasi homines, vt & ruina nobis ad cautionem, & pœnitudines ad salutem exempla præbeant. Quis enim in lubrica via non timeat? Similia habet Nazianzen. Orat. 1. de Pace. vbi affert rationem, cur in memoriam reducantur ea, quæ acerba, & nociua sunt: quò cautiores, inquit, in posterum hoc exemplo prudentioresq; reddamur, atque vt in morbis fieri solet, causas ex quibus in hanc miseriam incidimus, fugiamus. Et Bernard. Serm. 3. de Sanctis Apostolis Petro, & Paulo, eos vocat viros misericordiarum, quorum ruinæ, sicut cautos fecerunt eos qui nunquam ceciderunt; sic desperatos esse nolunt eos qui aliquando peccauerunt. Similiáque habet Serm. 11. in Psalm. *Qui habitat*. Et D. Ambros. 1. de Abraham cap. 6. Nō vtique vitia Patriarcharum Scriptura exposuit, sed vt tu disceres quid caueres, instruunt Patriarchæ, non solùm docentes, sed etiam errantes. Et lib. 10. in Luc. 22. Error Petri doctrina iustorum est.

Vel etiam Raab peccatricem nominat, vt quis in peccato diu volutatus ad pœnitentiam recurrat, viresque surgendi assumat. Quod dixit Chrysost. tom. 1. hom. 1. in Psal. 50. Dei misericordia, inquit, humano generi prouidentiam faciens, & bene gesta Sanctorum, & peccatorum negligentiam in melius commutauit; vt aliorum vulnera aliis prouideant sanitatem. Et homil. 5. de Pœnit. ait: Sicut ipsi Sancti, quorum defectus proponuntur, eisdem superatis ad multam perfectionem profecerunt, sic & nos ad eorum imitationem, de vitiis enim scalam facimus, si vitia ipsa calcamus. Et Ber. suprà ait: Fortè peccasti in sæculo, nunquid ampliùs Paulo? Quòd si & in ipsa Religione, nunquid plus Petro? attamen illi in toto corde pœnitentiam agentes, non solùm salutem, sed & sanctitatem consequuti sunt, & salutis ministerium, & magisteriū adepti sunt sanctitatis. Si Petrus post tam grauem lapsum ad tantam rediit eminentiam sanctitatis, quis de cætero desperet, si tantùm egredi voluerit à peccatis? & Aug. hom. 6. de Passione. Cui aliquando, charissimi, tarda videatur esse conuersio? Videndus idem Aug. cùm explicat ea verba Psalm. *Docebo iniquos vias tuas*. vbi ait. Docebo iniquos de iniquo, & impij hoc viso statim conuertētur proposito tali excēplo tuæ clementiæ. Similiáque habet D. Chrysost. hom. 6. in Marc. & Hieron. epist. ad Rustic. Hac igitur de causa Iacobus cùm commendare voluerit opera virtutis, Raab meretricis meminit, vt ad illius imitationem & exemplar nemo desperet à peccatis quantumuis grauibus, & diuturnis ad iustitiam surgere, & in dies ex operibus ad instar illius iustificari.

Vocat etiam Raab meretricem, quæ iam in cœlo regnabat, & ex qua Christus carnem assumpsit in laudem ipsius Dei, cuius omnipotens misericordia sic illustres & perfectas reddit perditas, ac peccatrices animas. Vnde Dauid Psal. 86. *Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei, memor ero Raab & Babylonis scientium me*. Super quæ verba ita ait Cassiodorus. Quid gloriosius quàm vt tanta fœditas priùs errantium populorum in vnam ciuitatis pulchritudinem conuenirent? Notauit hoc eleganter D. August. tom. 10. Serm. 1. de Cruce & Latrone, vbi ait, Nemo Regum aliquando passus est latronem hominem, aut quenquam alium eiusdem naturæ conseruum secum assu-

mens,ita in ciuitatem introducere, sed Christus hoc fecit, qui mortis & diaboli victor,& sacratissimam ingrediens patriam,secum latronem introduxit,non conculcans Paradisum illius pietatis opere,sed honorans,neque confundens latronis introitu,sed illustrans:honor namque Paradisi est talem habere Dominum,qui etiam latronem dignum facere posset Paradisi deliciarum.Etenim cùm publicanos & meretrices introduceret in regnum cœlorum, non confudit,sed extulit, neque deiecit, sed honorauit Paradisum.Talis est Dominus regni cœlorum,vt meretrices & publicanos probabiles reddat,vt digni appareant gratia,& gloria,quæ illic est. Quemadmodum enim medicum tunc maximè admiramur,cùm viderimus eum difficiles hominum valetudines curantem,mortisque pericula medendi arte vincentem; ita & Christum admirari iustum est, quando insanabilia vulnera in corporibus,& mentibus curat,& quando publicanum,& meretricem ad tantam sanitatem perduxit, vt cœlo dignos ostendat. Hoc etiam prosequitur idē August.Serm.9.de verbis Apostoli,in eo quod Luc. 7. cap. ait:*Ecce mulier quæ erat in ciuitate peccatrix*.Exaggerat facinus mulieris, vt accumulet indulgentiam largitoris.Pluráque hac de re habet Chrysost. homilia de Cruce & Latrone.

Hoc etiam prosequitur Ambros.in Psalm.39. vbi ait:Trepudiabas draco,quòd Apostolum subtraxeras Christo,plus dimisisti,quàm sustulisti,qui Latronem vides in Paradisum esse translatum,nemo est qui possit excludi, quando receptus est latro,minister tuus cò peruenit,vnde ipse deiectus es. Et Chrysost.homil.84.in Ioann.probat Iudæos non dedecorasse,sed ornasse Christum Dominum, dum eum inter duos latrones crucifixerunt: quod enim in dedecus parauerat maliti ,innocentia conuertit in gloriam; etenim crucifixus inter duos latrones,alterum è duobus saluum fecit, & redditus est Paradisi locus,qui infamiæ designatus erat.Enimuerò, *si potentia* agentis eo maior probatur,quo de minori potentia materiæ perfectiorem extrahit formam,proculdubio maior elucebit potentia diuinæ misericordiæ,qua de meretrice elicuit sanctam,ipsiúsque proprii Dei in carne auiā, & qua nec cicatricem quidem tot vulnerum reliquit. Qua de re videndus est Chrysost.homil.3.de Pœnitentia, vbi sic ait. Sic Deus delet peccata, vt neque eorum vestigium remaneat;in corporibus quidem id non est ita,sæpéque vulneratus quisque in facie vulnus quidem curauit, cicatrix verò remanet vulneris argumentum faciei deformitatem habens, atque si abolere contendat, mille medicus modis nequit. Repugnat enim sibi naturæ infirmitas artis,& medicinarum imbecillitas; Deus autem cùm deleuerit peccata,sic delet,vt neque cicatrix,neque cicatricis supersit indicium. non vestigium quodquam.Sed &cùm sanitate decorem elargitur post pœnæ liberationem, & iustitiam inserit, atque peccantem coæqualem facit non peccanti.Similia habet hom.18.ad Popul.Greg.lib.9.epist.epist.39. Chrysolog.Ser.3.de Prodigo.

OSTENDIT itaque diuina misericordia scientiam & potentiam suam in reddendis perfectis iis animis, qui imperfectissimi antè erant: Quo enim

ine

inceptiores diuinæ gratiæ suscipiendæ videbantur, eò commendabilior eadem gratia, dum tales sanctificat, apparet. Hinc est quòd manum Moysi, quæ tot patratura erat miracula, priùs infecit lepra, vt quanto ineptior signis diuinis videretur, sic reddita, tanto Dei potentia clarior redderetur, dum elementa mutaret, & admiranda patraret. In signum magnæ potentiæ Philippi, sicut ait Plutarc. in Apohthegmat. & in lib. de audiẽdo; Obynthum Thraciæ vrbem deuastasse, solóque æquasse quidam asserebat, quasi argumentum esset potentiæ Regiæ, vrbem illam delere, rectè tamen respondit quidam Philosophus, qui audierat. Atqui non potuit tam bellam struere. Ideóque Augustus Cæsar gloriabatur se Romam lateritiam accepisse, & marmoream reliquisse. Potentia enim relucet in eo quòd perfectum euadat id, quod imperfectum antea erat, & Dei potentia, si mala amoueantur, pulchráque reddantur ea, quæ fœda & impura erant, sicut notauit Ambrosius Serm. 30. in muliere Samaritana, dicens: Nouo admirationis genere, mulier quæ ad puteum Samariæ meretrix aduenerat, à Christi fonte casta regreditur, & quæ aquã petere venerat, pudicitiam reportauit, relinquens aquæ vasculum, ad ciuitatem non fert hydriam, sed refert gratiam, vacua quidem videtur reuerti onere, sed plena sanctitate reuertitur, quæ peccatrix aduenerat, reuertitur prædicatrix. Etenim si aquam ciuibus non intulit, tamen fontem salutis inuexit.

MIRABILIS Dei virtus in tali conuersione relucet. Est enim conuersio, manifestatio diuinæ omnipotentiæ, & ideo orsus est sui manifestationem Filius Dei in carne à conuersione aquæ. Mirabilis etiam potentia *Ioan. 2.* gratiæ in conuersione peccatoris apparet. Quam Christus videtur voluisse ostendere Simoni dum dixit: *Vides hanc mulierem?* quasi diceret, non est ea, *Luc. 7.* quam existimas, & me ignorare dicis, imò tu eam ignoras, quia hæc non est quæ fuerat, quod eleganter dixit Chrysolog. Serm. 74. vbi ad ea verba; *Venit Maria Magdalena, & altera Maria*; cùm ita habet. Non dixit, venerunt, *Matt. 28.* sed venit: sub vno nomine venerunt duæ, mysterio, non casu, venit Maria, & altera Maria, venit ipsa, sed altera: altera, sed ipsa, vt mulier mutaretur vita, non nomine, virtute, non sexu. Et idem Chrysolog. Serm. 75. Maria & Maria, sic altera, vt ipsa: ipsa vt altera, altera ipsa Maria. Vide ergo Simon hanc mulierem conuersam, alterámque omnino moraliter redditam, & inde deduces omnipotentiam hospitis, quem nec Prophetam fateris; quíque in thesauris suæ omnipotentiæ nihil pulchrius ad ostentationem habet, quàm peccatorem conuersum, & sanctum redditum, sicut dixit David. *Ponens in thesauris abyssos*: & explicat Hugo Cardin. Cùm enim abyssus *Psal. 32.* in Scriptura peccatum multoties significet, vt patet ex Hieronymo Abac. 3. ibi: *Dedit abyssus vocem suam*; & alibi sæpe ait Dauid. Abyssos ponit Deus *Abac. 3.* in thesauris, quia nihil tanti facit Deus, quanti peccatorem conuersum, in quo se diuitem in misericordia ostendit, diuitiásque bonitatis suæ patefacit, ac proinde in thesauris ponit.

OSTENDIT & insuper scientiam, sicut interpretatur idem Hug. Card. illud Psalm. *Mirabilis facta est scientia tua ex me*, id est, ex peccato meo,

ait Hugo Cardin. dum scilicet illud abstulisti, & me in Sanctorum numero mirabiliter collocasti.

Ad laudem ergo omnipotentis, qui Raab conuerterat, iustámque reddiderat, eam peccatricem appellat Iacobus; insuper, & ad laudem ipsius, quæ sic operata, & conuersa est. Vnde Scriptura de Enoch, qui ex mente Philonis figura fuit viri pœnitentis, ait. *Placuit Enoch Deo, & non est inuentus, quia transtulit eum Dominus.* Non est inuentus, ait Philo lib. de Abraham, de translato eo quòd prior vita culpabilis euanuerat, vt non inueniretur amplius, ac si nec fuisset quidem. Traiicitur igitur in eruditionem ex ignorantia, in prudentiam ex imprudentia, in fortitudinem ex timiditate. Sicut enim idem Philo dixit lib. de Profugis: Non peccare Deo proprium est: sapienti verò pœnitere.

Gen. 5.

Insvltatio illa, & sarcasmus, quo Deus ad Angelos, & ad serpentem mali authorem dixit: *Ecce Adam factus est quasi vnus ex nobis.* i. cernite, quàm mihi factus dissimilis, cùm in maximam, densissimámque mentis cæcitatem, & ignorantiæ caliginem vana scientiæ cupiditate incurrerit? sic enim hunc locum Epiphanius, Theod. Heracleotes, & grauiores interpretes exponunt, sic à quodam ad nostram sententiam exponitur, vt sit assertiua promissio de consequenda diuina similitudine via pœnitudinis, & contritionis. Erat enim tunc temporis iam Adam pellibus indutus, pœnitentis habitu, ex illo damnatus, & laboribus addictus. In eo ergo statu per pœnitentiam similis Deo, & naturæ diuinæ consors fieri poterat, qui scientiæ inordinato appetitu ei dissimilis factus est, idque præuidens ait: *Ecce Adam quasi vnus ex nobis.*

Genes. 3.


Qvæ ergo iustificauerat se cooperando diuinæ gratiæ, pulchriorémque reddiderat ex operibus fœdam antea animam, in maiorem commendationem dicitur meretrix: sicut enim post partam victoriam, assequutúmque triumphum milites ac duces victores de morsibus & de cicatricibus formosiores sibi videntur, sicut dixit Tertul. lib. de Orat. c. 5. sic & post partam victoriam de immundo meretricio, turpíque prostibulo pulchrior, & clarior reuixit ea, quæ priùs in lupanari mortua absque fide & operibus tandiu iacuerat. Et ideo fortassis Iacobus eam magno Patriarchæ Abrahamo coniunxit.

Merito tandem hoc loco dum de operibus meritoriis Iacobus loquitur, memor est Raab ignorantis Deum, quæ ex operibus aduersùs Ægyptios in Hebræorum gratiam editis Deum cognouit, timuit, dilexit, coluit, bonísque operibus prosequuta est, membrúmque Ecclesiæ Dei fieri assequuta est, vt vel hinc colligamus quanta cum ratione ab eadem Ecclesia sint reiiciendi illi, qui bona opera per summam impudentiam nullo Dei timore concepto abnegant, contra quos stabit Raab meretrix in iudicio, quibus frons meretricis facta est, eósque condemnabit.

Vers.

Vers. 26. Sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est.

EXPOSITIO LITERALIS.



HAc sententia totam de fide, & operibus disputationem propositam claudit Iacobus. Et est sensus. Quemadmodum anima se habet ad corpus, sic charitas operatrix ad fidem, sed quandiu spiritus à corpore abest, ipsum nihil aliud est, quàm cadauer putridum sine motu, aliquóue vitæ munere. Ergo fides destituta operibus charitatis, nihil ad vitam proderit, proindéque mortua censenda est. Vnde Bernard. Ser. 24. in Cant. Fidē tuam dilectio animet, probet actio, &c.

NEQVE verò hic locus est contra Prophetam Habacuc, quem refert Paulus Roman. 1. Galat. 3. & Hebr. 10. qui sic habet in cap. 2. *Iustus in fide sua viuit.* Quæ verba, sunt lapis offensionis, & petra scandali duabus domibus Israël, id est, domui Iuda, scilicet orthodoxis, & domui Israël, quæ recessit à domo Dauid, scilicet, Hæreticis, qui hinc effici putant, vt probetur iustum ex sola fide viuere. Illud namque aduertendum est, Prophetam ibi loqui de prima iustificatione, sicut Paulus postea exposuit locis citatis, vt aduertunt recentiores expositores, & aliqui ex antiquioribus, Iacobus verò loquitur de secunda iustificatione, vt patet.

NEQVE officit dicere, quòd Propheta loquatur de iusto homine, non de iustificando. Namque iustus ibi dicitur, non tam, qui iam est, quàm qui vult esse: ita omnes loquimur. Literatus multa legat, multum cogitet, multum laboret necesse est, id est, qui literatus esse vult. Ita Paulus: *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus,* id est, qui Deo militare vult, aut qui verè militaturus est. & Matthæus: *Adorans, & petens aliquid ab eo,* id est, volens petere. Imò & quibus maxima cura fuit ornatè loqui, ita loquuntur, vt Horat. lib. 1. epist. 2. *Sponsi Penelopes,* qui non erant, sed esse cupiebant. Et Virgil. 2. Æneid. 2. Tim. 2. Matt. 20.

Et gener auxilium Priamo, Phrygibúsque ferebat.

VBI Seruius: gener dicitur, qui est, & qui esse vult. Iustus igitur, id est, qui vult esse iustus, ex fide viuet, id est, iustificabitur tanquam fundamento, & radice, quæ tamen fides cæteras dispositiones debet complecti.

LICET verò de secunda iustificatione hic locus intelligeretur, adhuc Apostolo non contradiceret. Nam licèt significaret iustum ex fide viuere, non propterea opera excluderentur. Nam præpositiones, *per, in, & ex*, licèt vnum genus causæ significent, cæteras causas concomitantes non excludunt, etenim qui dixit; *In baculo meo transiui Iordanem*, non significat solo baculo transiisse sine pedibus, & manibus, ac motrice virtute. Gen. 32.

ET vt rem concludamus, Salomon dixit: *Omni custodia serua cor tuum*, quia ex ipso vita procedit: sed viuétne animal sine capite, sine hepate, sine Prouer. 4.

pulmone, sine sanguine? Rectè tamen dicitur ex ipso vitam procedere, quatenus vitæ initium est, sic iustus ex fide viuet initiatiuè; si tamen simul opera concurrant: sicut & ad primam iustificationem initium quidem est fides, si tamen addantur actus pœnitentiæ, & cæterarum virtutum.

§. I.

Perfecta sanctitas non in verbis, aut in sola fide, sed in operibus virtutum consistit.

EX tota hac doctrina Iacobi constat falsam esse eam, quam ij, quorum meminit Plutarch. in lib. de Superstitione, & L. Florus in epitome histor. Roman. docuerunt, scilicet virtutem in verbis potiùs, quàm in rebus ponendam, de quibus Horat.

Virtutem verba putas, vt lucum, ligna.

Et Philo lib. de Congress. quærend. crudel. grat. Tertium, inquit, genus est eorum, qui recentem adhuc dictorum tenent memoriā, sed Sophistæ comperiuntur, non Philosophi, horum laudatur oratio, & vita vituperatur: quibus dixit similia idem Philo lib. de Migrat. Abraham, definiens legem Dei. Verba, inquit, Dei opera sunt sapiētis, quod enim Deus loquitur, hoc sapiens operatur. Et lib. de Abraham. per allegoriam ostendit quid significauerit Rex Ægypti, dum in suam domum vocauit, ac detulit Sarā: etiamsi pessimus, inquit, quisque virtutem verbis honorat, & extollit in speciem, Genes. 12. sed monita eius nemo, nisi probus percipit. Quamobrem Ægypti Rex, per quem significatur intellectus, amator corporis, animum agens tanquam in theatro, fingit amorem temperantiæ, cùm sit ipse intemperans, vocans ad se virtutem, vt apud vulgus sibi existimationem præclaram comparet, quod vbi vidit ille supremus spectator omnium Deus, pertæsus fucatam improbitatem arguit in clementibus cruciatibus. Etenim sicut dixit Ambros. in Psal. 43. Virtus non in verbis, & in voce, aut simulatione, sed in re, ac in manibus, & operibus consistit. Et per allusionem ad Moysem, qui pro victoria de Amalech, manus eleuabat ad cœlum. Exod. 17. Docuit, inquit, nos Moyses leuare ad Dominum manus, pij cultus instituens disciplinam, docuit quemadmodum Amalech versutia vinceretur, si mores nostros, & opera leuaremus ad Christum, si verò deiiceremus, nullum remedium futurum.

OSTENDIT etiam hic locus id, quod superiùs iam cum Apostolo satis probauimus, fidem scilicet post baptisma, vt hîc notauit Oecumen. ac post iustificationem, nihil nobis prodesse destitutam operibus, quod Dominus veluti adumbrando nobis tradidit, cùm statim post baptisma à Ioanne susceptū, ad desertum secessit, cum diabolo certamina subiturus. Hinc etiam dictum est Episcopo Laodicensi, qui se propter solam fidem dicebat diui-Apoc. 3. tem, sicut optimè ibi exponit Beda, & alij. *Nescis quia tu es miser, & miserabilis.* Diues enim, ait Ambr. ibi, rectè dicitur qui omnibus virtutibus

ple

plenus, vsque ad culmen perfectionis excreuit.

Hinc etiam Isaias veluti definiens fidelem hominem, ait; *Iste dicit, Domini ego sum, & ille vocauit in nomine Iacob, & hic scribet in manu sua Domino, & in nomine Israel assimilabitur*: quasi dicat; hic postremus operibus ostendet se verum Israelitam esse, propterea meritò vocabitur Israelita, re potiùs, quàm voce credens, sicut ille alius, qui solum Dei nomen appellabat: sic enim hunc locum exponit Burgens. 1. p. d. 1. cap. 2. Cap. 44.

In quam sentent. facit id, quod notauit Rupert. lib. 1. Comment. in Leuit. c. 29. vbi nomine ignis in altari perpetuò fouendi, intelligit fidem, per appositionem verò lignorum, intelligit opera, quæ quasi quædam fomenta ignis sunt, cùm in exercitatione charitatis ministrantur. Ideóque sapiens dixit: *Erunt accepta opera mea*; vbi Græcè habetur, *acceptabilis est sectator operum.* Sap. 9.
Et Orig. hom. 27. in Num. notat ea verba Psalm. *In manu Moysi, & Aaron.* Psal. 76.
Exierunt (inquit) in manu Moysi, & Aaron. Ad exeundum de Ægypto non sufficit vna manus Moysi, quæritur & manus Aaron: quia non sufficit fides, sed opera requiruntur. Similia habet Chrysost. hom. 14. in priorem 1. Cor. 5.
ad Cor. vbi ponderās ea verba cap. 5. *Veniam ad vos, si Deus voluerit & cognoscam non sermonem eorum, qui inflati sunt, sed virtutem* ita ait: Quanā gratia non quæris sermonem Paule? non quoniā non indigeam sermone, sed quoniam in virtute res nostræ sitæ sunt; quemadmodum igitur in bello non eorum qui plurimùm iactant ab se gesta, sed qui plurima gesserunt: itidem hoc in loco, non loquentium, sed facientium victoria est; gloriaris in facundia, verùm si Rhetorum certamen & tempus est, rectè inde gloriaris, sin autem Apostolorum veritas, quid in re superflua inflaris? *Nō enim*, ait ibidem Apostolus, *in sermone est regnum Dei, sed in virtute.* Et Ephrem lib. de vita spirituali: Considera, inquit, vtrùm habeas opera fidei congruentia. Nam si dicendi tantùm & audiendi studiosus es, illud in te iacietur, *fides sine operibus mortua est*: profectò mortui sunt omnes, qui *Deum se nosse profitentur, factis autem negāt,* Tit. 1.
cùm sint, vt ait Apost. *ad omne opus bonum reprobi.* Similiáque habet Didimus Alexan. Comment. in hunc locum.

Qvantvmvis ergo is, qui habet fidem, videatur viuere & operari, mortuus est, quoad vitam spiritualem, sicut illi, qui ambulant in tenebris, sedere dicuntur in regione vmbræ mortis. Quomodo namque sedere dicūtur, qui ambulant, aut ambulare, qui sedent? Respondet ibi D. Basil. quia non ambulare iuxta Dei lucem, & doctrinam, sedere est, neque vllum gressum ad cœlum per verum virtutis tramitem facere. Sic etiam, & qui viuit in fide, nisi operetur iuxta illā ex charitate, mortuus est. Vnde Baruch. *Conuertere Iacob, & apprehende eam* (scilicet legem) *ambula per viam ad splendorem eius, contra lumen eius.* Baruc. 4.

Merito proinde Iob gloriabatur se à teneris, & puerilibus annis iuxta supernū fidei lumen ambulasse. Sic enim habet: *Quādo lucebat lucerna eius super caput meum, ad lumen eius ambulabam in tenebris.* Vbi Gregor. 19. Moral. cap. 8. sic ferè explicat. Ille hoc præstat, qui ponit gressus boni operis, directus lumine supernæ loquutionis. Iob. 29.

Nec

Nec parum commendat hanc doctrinam Iacobi sæpius inculcatam de operibus, id quod Christus Dominus respondit discipulis Baptistæ quærentibus, an esset Messias: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* quibus ipse: *Renunciate Ioanni, quæ audistis, & vidistis, cæci vident, claudi ambulant*, &c. Operibus comprobat quisnam esset, eáque suæ Diuinitatis testes adhibet, vt inde colligamus, Christianum itidem operibus comprobãdum, illúdque velle ostendit, vt laudent eum in portis opera eius. Nec mirum quòd in vita Christus Dominus sui probationem sumeret ex operibus ad nostram eruditionem, quando & in morte etiam operabatur salutem, vt vitam & salutem nostram spiritualem sitam omninò esse in operationibus intelligeremus. Vnde D. Bernard. Serm. feriæ quartæ penosæ hebdomadæ, de Christo Domino dixit. In vita passiuam habuit actionem, & in morte passionem actiuam sustinuit, dum salutem operatur in medio terræ. Vbi Bernardus nobis proprietates ostendit, & operationum Christi, in quibus aliquid semper patiebatur, vt ipse ait Serm. de Obedientia, Patientia, & Sapientia. Labor in actionibus, quia dum operabatur, insimul patiebatur, & passionis nobis mirabilem conditionem inculcat, dum simul patiendo operabatur, vt nihil omninò esset in Christo, quod nobis non inculcaret necessitatem operum, dum ipse ad nostram doctrinam, & in actione & passione operatur, & in vita, & in morte operatur, alioqui si non operemur, fides in nobis mortua erit.

Meminit Plutarch. in apoth. morem illum apud Lacedæmonios obseruatum, qui proficiscentibus ad militiam tradebant scutum sine aliquo schemate, signóue depicto, aut inciso, vt locus esset pingendi, & assignandi in eo quæ præclara in bello quisque gereret, quibus insuper tantummodo posset gloriari, & dum nihil gessisset, nec depictum in scuto gestasset, veluti inglorius tyro habebatur. Ingredientibus itidem nobis Christi militiam contra animi hostes assumimus scutum fidei. Sed inglorij, & veluti mortui reputabimur, dũ fides sine operibus, & scutum sine schemate apud nos inuentum fuerit, imò non solùm mortua erit fides, quinimò nobis ad mortem erit, maiorique peccato reddet obnoxios, sicut hîc notauit Oecumen. Quandoquidem talentum fidei accepimus, lucrum tamen bonorum operum non referimus, & ideo quantumuis fidem habeamus, veluti infideles serui puniemur. Velut auarus est enim Deus hac in te, lucrúmque quærit de talento, sicut dixit August. Serm. 49. de verbis Domini. Ideo Bernard. Serm. 2. de Resurrect. Fidei vitam, inquit, opera testantur: sicut enim corporis huius vitam in motu suo dignoscimus, ita & fidei vitam ex operibus bonis. Itaque vita quidem corporis est anima, per quam mouetur, & sentit: vita verò fidei charitas, quia per illam operatur. Vnde & refrigescente charitate fides moritur, sicut corpus anima recedente. Tu ergo si videris hominem in bonis operibus strenuum viuere, in eo fidem esse non dubites, tenens fidei illius argumenta.

Eph. 6.


Et meritò Bernard. hoc ait: quia si bona opera non tulerunt mortuam esse Tabitham viduam, sed rediuiuam donarunt viduis & pupillis; neque

Act. 9.

etiam

etiam sinent mortuam esse fidem, sed illam viuam & perfectam indubitanter testabuntur. Videndus est etiam pro hac re Hieronym. ad Demetriadem, vbi ait. Neque tibi sufficit à malis esse otiosam, si otiosa fueris à bonis. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Et blandimur nobis, si malis fructibus non grauemur qui damnandi sumus, si à bonis steriles manserimus. Sic abscindet Pater omnem palmitem non ferentem fructum in Filio, & qui talentum in sudario abscondit, quasi inutilis seruus, & nequam damnatur à Domino, nec minuisse solùm, sed & non auxisse damnabile est. Mortem igitur timeamus, nec viui corpore mortuam in animo fidem esse patiamur, sed dum tempus habemus, operemur bonum, fidelésque, & Christianos cum Christo operantes nos esse ostendamus.





CAPVT TERTIVM.

ARGVMENTVM.

QVATVOR habet partes hoc tertium caput. In prima docet ſacras præfecturas, primáſque ſedes docendi in Eccleſia nullatenus ambitiosè quærendas. Secunda admonet frænandam eſſe linguam, quod vt fiat, mala & bona linguæ proponuntur. In tertia curat ablegandas contentiones, ęmulationes, & lites. In quarta varios, longéque diuerſos effectus veræ ac cæleſtis, falſæ ac terrenæ ſapientiæ enumerans, hanc fugiendam, illam toto animo amplectendam admonet.

Verſ. 1. *Nolite plures magiſtri fieri, fratres mei, ſcientes, quoniam maius iudicium ſumitis.*

EXPOSITIO LITERALIS.



Cap. 10 VONIAM, vt conſtat ex prologo Lucæ Euangeliſtæ, quem præmiſit Euangelio ſuo, ex Actibus Apoſtolorum, & ex Pauli epiſtolis, prædicantibus Sanctis Apoſtolis multi ad prædicandum non idonei conabantur Euangelium ſcribere, prædicare, & abducere diſcipulos poſt ſe, vt Apollo vir in Scriptu-
Act. 8. ris doctiſſimus, qui de lege gratiæ ſciens tantùm baptiſma Ioannis, fiducialiter Chriſtum prædicabat, & tamen quia ſapiens erat, didicit à Priſcilla, & Aquila, atque ad prædicandi

candi officium iam perfectus rediit. Alij verò, de quibus Paulus ad Timot. *Quidam aberrantes, conuersi sunt in vaniloquium volentes esse legislatores, non intelligentes, neque qua loquuntur, neque de quibus affirmant.* similiáque habet in epistola ad Titum. Ideo ergo similem vanitatem, ac leuitatem in docẽdo, & prædicando vitare nititur hoc in loco Iacobus. 1. Tim. 1. Cap. 1.

NOLITE, id est, non quærite, non ambite, iuxta illud Christi Domini: *Nolite vocari Rabbi*; & illud Ecclesiast. *Noli quærere ab homine ducatum, neque à Rege cathedram.* Particula verò (*plures*) in plures etiam sententias deducitur. Etenim Glossa sic eam intelligit, vt sit sensus: Nolite in pluribus Ecclesiis esse magistri, vel plures in vna. Nam, vt ostendit Theodoret. q. 2. in Num. decet eos, qui præsunt, subditis esse pauciores. Et ideo Concilium Trid. sess. 7. c. 4. sanciuit, vt deinceps nullus plura beneficia Ecclesiastica incompatibilia recipiat. Quinimò & Titus Liuius lib. 9. de bello Macedonico, veterem Romanam legem ostendit, duos simul magistratus, præsertim curules, ne quis capere posset, nec gerere, prohibentẽ: nec enim decet plures magistratus ab vno geri, cùm vnicũ ab vno optimum perficiatur opus, vt ait Aristot. lib. 2. Politic. c. 10. & Iustinianus Imp. vetat ne quis pluribus militiis det nomẽ, & cingulum cingulo addat, neue quis duobus magistratibus assideat, & vtriusque iudicij curam gerat. Hanc expositionem hoc in loco videtur amplecti Caietan. dum ait: voluntatem prohibet, non magisterij, sed multitudinis magisteriorum. In quam sententiam dixit optimè Ephrem aduersùs vitiosè viuentes, & honores affectãtes: Cuncti volumus esse duces, cuncti cum authoritate, cuncti cum imperio, cuncti esse magistri, cuncti domini; si igitur omnes Principes ac duces, vbi diuinæ dispositionis ordo, atque differentia? *Nunquid omnes Doctores, nunquid omnes interpretantur Scripturas?* additque. *Nolite plures magistri fieri.* Matt. 23. Cap. 7. 1. Cor. 12.

NAM si in cœlis etiam, vbi omnes incorrupti, & immortales cùm ministratorij sint spiritus, noluit Deus vnicum cunctorum esse ordinem, sed, vt cernitis, potestates constituit, & dominationes, Angeli & Archãgeli imperata sibi non transgrediuntur, at nos inuicem collidimur, ac alius alium præcedere studet, alióſque vilipendimus.

TITELMANVS explicat particulam (*plures.*) Nolite passim ad magisteria, & intempestiuè aspirare. Carthus. Non ingratis vos importunè, vanè, & inordinatè desiderio commodi proprij ad magisterium. Vel plures, quia alij docent, alij faciunt. Ita D. Thomas. Vel plures, id est, vt multi solent, vel diuersis sententiis; quod videtur desumi ex Aug. Prologo in lib. 1. Retractationum.

VEL tandem, *nolite plures*, &c. id est, omnes indiscriminatim, temerè, & sine delectu vsurpare officiũ docendi in Ecclesia. Ita Feuard. qui nobis placet, cùm videatur mentem Apostoli attigisse, & cohæreat hic sensus cum iis, quæ docet. Requirit enim præclarum ac gloriosum Doctoris Ecclesiastici munus, hominem insigniter eruditum in omnibus quæ sunt Propheticæ, & Apostolicæ doctrinæ, deinde synceris, & incorruptis moribus præditum, vt exemplis confirmet, quod verbis docuerit, proinde non ita

passim,& procaciter ambire quis debet hoc munus.

SVBNECTIT deinde rationem Apostolus,quare præcipiat, vt nolint plures magistri fieri,quia,scilicet, maius iudicium sumunt,id est, maius periculum, seu maiorem damnationis occasionem. Oecumen. legit: *Scientes,quòd maius iudicium sumpturi sumus*;vt referatur ad vltimum iudicium, quod durissimum fiet iis,qui præsunt.Durum equidem,quia malè aliquando intrauerunt, durius, quoniam malè vixerunt, durissimum, quia malè rexerunt,vel propter peccata subditorum,ac propria,vel ratione muneris, & peccati, quod cæteris paribus maius est; vel ob scandalum, & occasionem aliis in ruinam.

Sap. 6.

QVÆ cogitatio sanctissimos viros remouit ab Ecclesiasticis præfecturis,vt Ambrosium,sicut patet ex eius vita, Augustinum, vt patet etiam ex vita,& ex epistola 148. Chrysostomum, vt videre est etiam in vita, & in libris de sacerdotio.Synecium,epistola 57.Ephrem, apud Nicephor.lib.9. c.16.Amonium,apud eundem Niceph.lib.11.c.37. Euagrium, ibidem; vt alios omittam,& in regula Monachorum,quæ tribuitur Hieronymo,tom. 9.c.15. dicitur,iuuenem apparuisse post mortem patruo,qui illi Episcopatum dissuaserat, dixisséque; Gratias pater tibi refero ex dissuasione Episcopatus. Nam scito,quia nunc essem de numero damnatorum, si fuissem de numero Episcoporum.

§. I.

Contra ambitiosè honores affectantes.

POSQVAM Iacobus multam perfectionem docuit, imperfectionem remouet ambiendi, quæ perfectos viros maximè aggreditur & inficit. Enimuerò cùm hoc vitium spirituales substantias priùs in cœlo infecerit, spiritualiores itidem viros in terra plus aggreditur. Vnde Ber. hom. 4. super *Missus est*,ait: Video post spretam sæculi pompam nonnullos in schola humilitatis superbiam magis addiscere, quódque magis peruersum est, plerique in domo Dei non patiuntur haberi contemptui qui in sua non nisi contemptibiles esse potuerunt, vt saltem ibi honorabiles videantur, vbi ab omnibus honores contemnuntur. Et 3. de Consideratione ait:Annon limina Apostolorum Petri,& Pauli priùs ambitio quàm deuotio terit? Nullũ tibi venenum,nullum gladiũ plus formido,quàm libidinem dominandi. Et Ambros. in c. 4. Lucæ. Sæpe quos vitia nulla deflectunt, facit ambitio criminosos.

CAVENDA proinde est similis cupiditas, quæ radix etiam multorum malorum est, sicut notauit Greg.15.Moral.c.12.dicens:Cùm scriptum sit; *Radix omnium malorum cupiditas*,cui cupiditas dominij dominatur,subiectus proculdubio malis omnibus demõstratur.& 24.Moral.c.vlt.Numerari, inquit,culpæ nequeunt, quæ habendæ potestatis amore perpetrantur. Qua de re etiam videndus est Leo Ser.4.de Natiuit.Mala proinde omnia in Ecclesiã Dei ambitio introducit, tãquã eorũ radix. Ideóq. Cypria.lib.de Zelo & Liuore,ait:Hinc adulteratur veritas, vnitas scinditur,ad hæreses atque

1 Tim. 6.

schisma

ſchiſmata poſſitur, dum obtrectatur Sacerdotibus, dum Epiſcopis inuidetur, dum quis, aut queritur non ſe potiùs ordinatum, aüt dedignatur alterum ferre præpoſitum. & Orat. de Ieiunio, & Tentationib. Ambitio perniciosa ſacrilegij forma, nihil intentatū relinquit, in ſinu Sacerdotū dormit, ibi ſub vmbra recubat, in ſecreto calami ſe fraudulenter occultat. Et Amb. in poſt. Apolog. Dauid. Magnam faciunt tempeſtatem multitudines cupiditatum, & veluti in quodam freto corporis nauigantem animum hinc atque inde perturbant. *Iob. 40.*

Proindeqve ſicut aër viſceribus terræ incluſus, dum inde exire conatur, in ſuperiorem regionem, eandem perturbat ac tremefacit, ſic & ſuperbia, dominandique inanis cupiditas dum ſe exerit, & in ſuperiorem locum aſcendere nititur, omnia commouet, & è ſuis cardinibus reſilire facit. Vnde & ipſe Tull. 1. Offic. ait. *Miſerrima eſt omninò honorum contentio*, de qua præclarè apud Platonem eſt, ſimiliter facere eos qui inter ſe contenderent, vter potius Rempub. adminiſtraret, vt ſi nautæ certarent, quis eorū potiſſimùm gubernaret. Agitaretur namque huc, atque illuc nauis, facillimóque negotio periret, dum omnes ad gubernaculum aſcendere contendunt, & à nullo nauis gubernatur.

Nec mirum quòd magiſterij ac gubernandi appetitus omnia in Eccleſia, & Repub. euertat, ac perturbet, dum quis ſupremum Dei locum, ſiue iure, ſiue iniuria non ab ipſo Deo ambit. Nam, ſicut optimè notauit Bernar. epiſt. 116. Quomodo ſtabit pax hominum coram Deo, vel cum Deo, ſi Deo non poteſt apud homines eſſe tuta ſua gloria? Diſplicet mortalibus angelica illa partitio, qua gloria Deo, pax hominibus nuntiatur, & dum gloriam vſurpant, turbant pacem. O ſtulti filij Adam, qui contemnentes pacem, & gloriam appetentes, & pacem perdunt, & gloriam! In quam ſententiam Chryſoſt. in imperfecto. hom. 35. in Matth. 20. Quando filij Zebedæi petierunt ſedes, & alij indignati ſunt, ait: Videns Dominus alienum ſpiritum in cordibus diſcipulorum, quaſi hoſtem in ſuis caſtris vagantem expulit, dicens. *Principes gentium dominantur eorum, vos autem non ſic.* *Luc. 2.* *Mat. 20.*

Est optimus illi locus pro oſtendenda ambitionis immanitate erga oues, quando homo veniens de caſtris Saül nuntiauit Dauid Saülem, & Ionatham interiiſſe in prælio, & cùm duo alij Saülis filij bello confecti fuerint, duos reticet, vnius tantùm memor Ionathæ, cuius animæ conglutinata fuerat anima Dauid. Cuius rei cauſam ſi inquiras, ſic proſequitur Abulenſ. ibi q. 4. Iſte iuuenis deſiderabat obſequi Dauid; putabat autem quòd deſideraret Dauid regnum, ideo credidit quòd non poterat magis placere Dauid in aliquo, quàm ſi ei nuntiaret illa per quæ ſignaretur opportunitas Dauid ad regnandum, & quia non poterat Dauid regnare viuente Saüle, nuntiauit primò mortem Saülis: & quid? ſi Ionathas ſuperuiueret mortuo Saüle, cùm ille eſſet primogenitus, quem Saül volebat regnare poſt ſe, & valde ſtrenuus, qui à toto populo diligebatur, pro victoria mirabili quā de Philiſtæis reportauit, poterat impedire Dauid ne regnaret, ideo iuuenis mortem Ionathæ renuntiauit, de aliis filiis nihil curans, qui licèt *2. Reg. 1.* *1 Reg. 20.* *1. Re. 14.*

superuiuerent,non poterant Dauid impedire ne regnaret, sicut nec impediuit Isboseth,qui regnauit post mortem Saülis , regnante interim Dauid in Tribu Iuda,cúmque superante;& quòd ista esset mens iuuenis inde colligitur,quia venies ad Dauid,attulit diadema Regis,& armillas,quæ ei regnum præsignabant.Ex quo posito discursu,illud rectè ad nostrum institutum infertur,propterea malum nuntium non timuisse annuntiare Dauid dilectissimi amici necem , quæ alioqui illi esset acerbissima, summúmque ei afferre posset mœrorem,quia putauit Dauid tactum cupidine regnandi, quæ dira cupido esse solet,amicitiæque iura non nouit,nec parentum obitum dolet,nac amorem,quantumuis intensum reueretur , dummodo modus & via aperiatur potiundæ dignitatis,& supremi loci.

VNDE non displicet mos ille Romanorum , cuius meminit Plutar. in Vita Iul.Cæsaris,cùm ait:*Cautum erat apud Romanos, vt triumphum ambientes toto ambitionis tempore extra muros fierent.* Timebant enim ambitiosum hominem,quasi communem pestem & hostem,& exul profectò debebat egredi per illam ciuitatis portam ambitiosus Absalom , in qua ingredientes per summam cupidinem præstolabatur, interrogans , quidnam negotij haberent,& sic solicitabat corda virorum Israël. Quis enim ambitiosum hominem non detestetur,cùm sit audax?quis non abhorreat , cùm sit impudens? quis non fastidiat , cùm sit insatiabilis? quis non suspiciat , cùm sit vanus? quis non despiciat,cùm sit vilis?quis se illi credat,cùm sit versipellis?Singula si probemus,non erit iniucundum,maximè quo tempore maxima quæque hoc vitio dilabuntur,totóque orbe,nulli loco, conditioni , ætati , aut generi parcens,veluti communis pestis serpit , & vniuersale exitium debacchatur.Vnde Basil.constitut.Monast.c.10.Ambitio diabolica pestis est, & sine dubio , qui in huius vitij potestate est , eodem planè cum diabolo morbo laborat.

2.Re.15.

Ambitionis audacia.

EST igitur ambitio audax,cùm sacratiora loca petat , & media passionem Christi,quam ipse exhorruit,ingrediatur,petens sedes dextræ sinistræque manus.Tunc enim accessit mater filiorum Zebedæi, cùm Christus dicebat:*Ecce ascendimus Hierosolymam,& filius hominis tradetur,flagellabitur, conspuetur*,&c. cúmque fratres sexaginta occidat,alium vendat , patrem aggrediatur.Perpendénsque hoc D.Chrysost.hom.de Absalom , ait:Vbi solatium patres,& genitores præsidium inuenire debent , inueniunt mortem, cùm brutæ pecudes pietatis in parentes iura conseruent , innocentem perimere nefas est,patrem occidere scelus, ambitio docet id quod natura non nouit,quod pietas ipsa horrescit,audet perficere, quod nouo supplicio Deus cogatur vindicare.Et Ber.Ser.de Conuers.ad Cleric.cap.31. Propter ambitionem,inquit,paratos eos videas vniuersa pericula subire,suscitare scandala,sustinere odia,dissimulare opprobria , negligere maledicta, vt non minùs sit perniciosa animositas talium,quàm pusillanimitas mercenariorum.

Matt. 20.

FA.

FACIT etiam in hanc sententiam id quod notauit Plut. in Vita Coriolani, vbi ait: *Mos erat Magistratum petentibus, prehensos dextra ciues benignis orare verbis in forum opertos veste ascendere.* Probo ego quam improbat rationem, scilicet, ob plebis suspicionem, ne veluti armatum, & audacem hostem, ambitiosum hominem fugerent, & detestarentur, omnibúsque constaret, inermem esse, vt à timendo cessarent.

EST etiam pro præsenti instituto Iudas Apostolus, dum ambitiosos homines, *fluctus feri maris* appellat *despumantes suas confusiones.* Etenim sicut fluctus maris quascumque immunditias euomunt, & in littus maximo fragore proiiciunt, sic & ambitiosi animi impudenter, & audaciter quicquid in se reconditum habent, expuunt, & veluti ipsum cœlum petere, ipsámque terram operire, & conscendere nituntur. Vnde Bern. hom. 1. super *Missus est.* Quoties hominibus præesse desidero, toties Deum meum præire contendo, & tunc verè non sapio ea quæ Dei sunt: de ipso namque dictum est: *Et erat subditus illis.* Hanc eandem audaciam ambitionis notauit Clem. Alex. Orat. ad Gent. cùm ait: Non facilè arcetur cupiditas, quæ metu caret. Iud. c. 1. Luc. 2.

Impudentia ambitionis.

EST etiam impudens ambitiosus, sicut notauit Tertull. lib. de Pœnitent. cap. 11. dicens: Illos qui ambitu obeunt capessendi magistratus, neque pudet, neque piget incommodis animæ, & corporis, nec incommodis tantùm, verùm, & contumeliis omnibus eniti in causa votorum suorum, quas non ignobilitates vestium affectant? quæ non atria nocturnis, & crudis salutationibus occupant? Ad omnem occursum maioris cuiusque personæ decrescentes, nullis conuiuiis celebres, nullis comessationibus congreges, sed exules à libertatis, & lætitiæ felicitate. Ideóque D. Ber. Ser. de Conuers. ad Cleric. c. 27. per admirationem dicit: Vnde tantus prælationis ardor? vnde ambitionis impudentia tanta? Et 1. de Considerat. ad finem: Plena, inquit, ambitionis Ecclesia, non est iam quod exhorreat in studiis, & molitionibus, si Christi discipulus es, ignescat zelus tuus, exsurgat authoritas aduersùs impudentiam hanc, & generalem pestem, intuere magistrum sic facientem, & audi dicentem: *Qui mihi ministrat, me sequatur*; Ioan. 12. non parat aures, vt audiat, sed flagellum, quo feriat, verba nec facit, nec recipit, nec sedens iudicat, sed insequitur puniens: ergo tu fac similiter. Erubescant vultum tuum istiusmodi negotiatores, si fieri potest, si non timeant. Et tu flagellum tenes, timeant nummularij, nec fidant in nummis; sed diffidant, abscondant æs suum à te, scientes effundere, quàm accipere paratiorem te esse. Notauit autem ingeniosè Ber. ambitionem eo esse impotentiorem, quo impudétior est: sic enim habet epist. 126. Ambitio quum prorumpit in impudentiam, efficaciam perdit, & quum improbus affectus se aperit, perit effectus, odibile vtique vitium dum in aperto est, ab omnibus detestatur, à nullóque admittitur, dum cognoscitur.

Insatia

Insatiabilitas ambitionis.

NVNQVAM etiam satiatur aut expletur appetitus dominandi, sicut dixit Dauid, *superbo oculo, & insatiabili corde*; vbi Hieronymus transtulit, *altum corde*. Metaphora sumpta à profundis puteis, in quos etiamsi multa coniiciantur, nunquam tamen repleri possunt: ideóque idem Hieron. epist. ad Demetriadem tom. 9. ait. Expleri nescit honorum cupido, celerem habituræ res finem sine fine quæruntur. Et Ber. epist. 241. Quem ambitiosum, ait, vidimus aliquando contentum adeptis dignitatibus ad alias non anhelare? Sic & curiosi cuiusquam non satiatur oculus visu, nec auris auditu. Et
Eccl. 1. epist. 42. inter multa alia sic habet. O infinita semper ambitio, & insatiabilis auaritia, cùm primos honorum gradus meruerint in Ecclesia, meruerint autem, vel vitæ merito, vel pecuniæ, siue etiam carnis, & sanguinis, quæ regnum Dei non possidebunt prærogatiua, non ideo corda quiescunt duplici semper æstuantia desiderio, quo vtique magis ac magis, & dilatentur in plura, & ad celsiora sublimentur, &c. quæ pro hac re videnda sunt.

VIDENDVS etiam Seneca lib. de beneficiis, vbi inter alia ita ait: *Nemo agit de Tribunatu gratias, sed queritur quòd non est vsque ad Præturam perductus, neque hæc grata est, si desit Consulatus.* Et epist. 73. *Solebat*, inquit, *Attalus hac imagine vti. Vidisti aliquando canem missa à Domino frusta panis, aut carnis aperto ore captantem? quicquid accipit, protinus integrum deuorat, & semper ad spem futuri inhiat, idem euenit nobis: quicquid expectantibus fortuna proiecit, id sine vlla voluptate dimittimus, statim ad rapinam alterius erecti, & attenti.* Similiáque habet epist. 74. Neque est cur probationes in re clara, & experientia probata congeramus.

Vanitas ambitionis.

EST etiam ambitiosus vanus, ideóque nomine (*arundinis*) significatum
Cap. 40. vult Gregor. apud Iob. in illis verbis; *sub vmbra in secreto calami.* Ait ergo Gregor. 34. Moral. cap. 5. Quid aliud designatur appellatione *calami*, nisi mentes temporali gloriæ deditæ? more quippe calami foris habent speciem, & ostétationem pulchri, sed intus per fatuitatem sunt vacuæ. Et ideo August. in Psalm. 95. Vnde superbires, nisi inanis esses? Videndus etiam Philo lib. de Profugis, & lib. de Ioseph, atque etiam Seneca dicta epist. 73.

Vilitas ambitionis.

EST etiam admodum vilis ambitiosus, cùm omnium pene sit seruus:
Iob. 15. quod notauit Gregor. 17. Moral. c. 12. ad illa verba: *Gigantes gemunt sub*
Cap. 17. *aquis.* vbi dicit aquas esse populos, iuxta illud Apocal. *A quæ sunt populi.* Ait ergo Gregor. Elati omnes dum in hac vita assequi honorum celsitudinem cupiunt, sub ponderibus populorum gemunt; quasi dicat, se subiiciunt, & sub

ſubmittunt cuilibet de populo conculcandos,dum honores ambiũt, & aucupantur.Quod argumentum proſequitur Chryſoſt.hom.ad baptizandos: & hom.49.ad Pop.vbi ait:Omnibus ſeruis magis eſt ſeruus gloriæ cupidus. Et Ber. eleganter dixit, penè ſeruilem eſſe humilitatem ambientium; ſic enim habet lib.4.de Conſiderat.ad medium:Pari pondere æſtimaueris eius humilitatem qui timet,&.eius qui ſperat,vterq; ſeruit,ille timore,hic ſpe. Videndus item Cypr.epiſt.2.ad Donat.vbi ait:Qui amictu clariore fulgere videtur,quantis illud ſordibus emit,vt fulgeat?Et Philo lib.de Ioſeph.Rectè,inquit,dicitur vendi hominem, nam qui auram populi captans, concionaturus locum ſuperiorem aſcendit, ſicut venalitij ſeruus fit ex ingenuo propter honores,quos videtur accipere,addicens ſe innumeris dominis,&c.quæ proſequitur.vbi oſtendit,tot dominis ſe ſubijcere ambitioſum hominem,quot hominum auram,beneuolentiam, votáque nititur acquirere.

Fraudulentia ambitionis.

EST ambitioſus verſipellis,& aſtutus.In quam ſententiam explicat Beda illud Prouerb.*Non inueniet fraudulentus lucrum ſuum*;ſiue vt Septuaginta habent;*Non aſſequetur doloſus venationem ſuam*: vbi nomine (*fraudulenti*) & (*doloſi*)intelligit ambitioſum, qui totus fraudulentus, & verſicolor eſt. Et D.Baſil.in regulis breuioribus,interrogat.246.explicat illud Pauli; *Charitas non eſt ambitioſa*,dicitque tantundem eſſe, acſi dixiſſet,ab habitu, vel forma ſua non diſcedit,quaſi proprium ſit ambitionis,ab habitu & forma ſua diſcedere,ſéque in varias formas mutare.Vnde Ber. 4. de Conſiderat. Viri callidi,& doloſi proprium eſſe ſolet,tum prætendere humilitatem, cùm aliquid obtinere voluerit;de quibus Eccleſiaſtic. *Eſt qui ſe humiliat nequiter, & interiora eius plena ſunt dolo*;quantùm eos ſupplices admiſiſtis, poſtmodùm ſuſcipitis graues,inſolentes,contumaces,rebelles.Similia habet Serm.3.ex paruulis.Cùm honorem,inquit,adipiſci deſiderant,cæteros ſibi priùs per amorem acquirunt.Cùm verò adepti fuerint,elati poteſtate,eos ipſos per timorem ſibi poſtmodùm ſubiiciunt, quibus priùs priuati non terrorem, ſed amorem exhibuerant.Iſti ponunt bonum vinum,id eſt,amorem,& cùm inebriati fuerint,tunc id quod deterius eſt, id eſt,timorem. Pluráque hac de re habet idem Bernar.ſuper *Ecce nos reliquimus omnia*.Et Cyprian.epiſt.2. ad Donat. Suos etiam hoſtes ambitioſus adorare ſimulat fraudulenter, vt incautos occidat,eiſque dominetur.

Prou. 12.

Eccl. 19.

Ioan. 2.

NOTANDA venit hoc loco fraudulenta Abſalonis ambitio,qua ſe cuique de populo ſubmittebat,ſuggerens falſitatem dum dicebat; *Non eſt qui te audiat conſtitutus à Rege*,cùm tamen Scriptura enarret conſtitutos à Rege in officiis, & dicat; *Ioſaphat filius Abilud erat à commentariis*. i.pro relatione cauſarum. Si verò verba Abſolonis hunc ſenſum habent: nullus eſt iudex qui rectè iudicet;omnes enim diligũt munera,& retributiones ſequuntur, & ideo litigare coram illis periculoſum eſt:hoc etiam apertè falſum erat,

2.Reg. 8.

quandoquidem ipse sacer Textus ait, *Regnauit Dauid super omnem Israël, faciebat quoque iudicium, & iustitiam omni populo.* Se igitur optabat, & proponebat iudicem; *Quis me constituat iudicem super terram, vt veniant ad me omnes qui habent negotium, & iustè iudicem?* vt per tyrannidem regnum occupans, qui impius & iniustus erat in patrem, erga subditos omnem operaretur iniustitiam. Vnde Sallustius in Catil. *Ambitio multos mortales falsos fieri coëgit.* Et Cicero in Rhetor. *Prælatio simulationem aperit; illis enim difficile est in tempestatibus temperare, qui per ambitionem se esse probos simulauêre. Sunt enim non ex animo, sed ex fortuna, modò humiles, modò elati.*

2. Reg. 8.

Qvis igitur fidat, seque credat eiusmodi hominibus, astutis, fraudulentis, & qui se in varias transmutant formas? Quis non è sua Ciuitate & Repub. hanc pestem procul exulare exoptet? Vtinam caput huius serpẽtis nobis similitudinem & locum Dei promittẽtis, quàm ocyssimè Deus conterat. Ideo Philo loquens cum nostra anima, sic ait: Si capta fueris hamo alicuius affectus, sustine vincta esse, potiùs quàm custos carceris. Nam afflicta, geménsque misericordiam inuenies; quòd si ambitioni te ipsam dederis, magnum malum, licèt suaue, custodiam carceris suscipies, cui eris per totam vitam obnoxia. Quibus verbis eleganter ostẽdit ambitionis vitium, cæteris omnibus ostium carceris aperire, ac claudere, ipsa ambitione semper in carcere manente.

Ostendit tandem quàm infidelis ambitio sit circa eos, quibus fidem exhibere debuerat, singularis locus in libro Iudic. quando Sacerdos cõsensit in domus ac deorum deprædationem, vbi primùm illi dictum est. *Veni nobiscum, vt habeamus te Patrem ac Sacerdotem, quid tibi melius est, vt sis Sacerdos in domo vnius viri, an in vna Tribu, & familia Israël? Quod cùm audisset, acquieuit sermonibus eorum, & tulit Ephod & idola, & profectus est cum eis.* At verò vbi nos habemus, *acquieuit sermonibus,* Complutensis habet; *collibuit animo Sacerdotis*, quæ verba Hebraismum continent, & significant; lætatum est cor, & cœpit esse animo hilari, nullam prorsus habens memoriam acceptorum beneficiorum in ea domo, in qua diu fuerat commoratus, & vbi plura beneficia fatebatur accepta. Sed statim ambitiosus homo necessitudinem rumpens, beneficia accepta postponens, ad propositum tantùm honorem cucurrit.

Iud. c. 18.

Nihil verò execrabilius in hac fraudulentia ambitionis reperiri potest, quàm quòd plerumque sub tegmine virtutis, & prætextu iustitiæ sæuitiam, ac crudelitatem exequitur. Notauit hoc Abul. q. 22. in cap. 9. lib. Iudic. Cùm quærit, cur Abimelech septuaginta fratres in vna petra occiderit, & respondet, voluisse illum videri non hostis, sed iudicis personam agere, sicque per satellites, latronésque suos capi iussisse omnes fratres, deinde quasi facinoris, aut in Abimelech, aut in patriam alicuius rei comperti essent, mortis in illos tulisse sententiam, sicque demum in vno, eodémque supplicij loco super vno aliquo lapide mactatos. Sic ille. Verùm, etsi crudelis ambitiosúsque homo crudelitatem, & duritiẽ occultare voluerit, in petra clariùs manifestauit, sicut bene notauit Serar. ibi q. 7. cùm ait;

Parricida

Parricida ille verum sibi lapideum inesse cor demonstrauit, qui fratres suos tam multos, tam recenti luctu mœstos, tam innocentes, patris adhuc penè calente cadauere, vno eodémque in loco, ac vestigio tam atrociter, tã otiosè, ac singulatim non vno aliquo impetu, ac eruptione quasi bellica, omnes simul occiderit. Cui enim parcet ambitiosus, vt honoribus potiatur? quid non recto obteget velamine dominandi cupiditas?

§. II.

Is dignitates meretur, qui eas contemnit.

ILLVD hoc in loco nullatenus omittendum est, manifestam ambitionem, indignum omnino reddere ambitiosum hominem ad dignitates, quas ambit, suscipiendas. Quod notauit Abul. in Absalone, dum dicebat 2. Reg. 15. *Quis me constituat iudicem super terram, vt veniant ad me omnes qui habent negotium, & iustè iudicem?* Ait ergo Abul. ibi q. 5. Ista fallacia non erat nimis latens, quia qui honorem desiderat, non est dignus honore, & qui desiderat statum excellentem, non potest eum conuenienter sustinere, quia honores magni onera grauissima iuncta habent, qui tamen honorem cupiunt, non onera, sed requiem, & præesse desiderant; propter hoc autem Ecclesia instituit, vt quando susciperentur aliqui in Episcopos, quilibet respondeat bis, nolo, vt tertia vice respondeat, volo; quasi in primis ipse intẽtionem suam ostendat, in tertia autem obediens, voluntati alterius subiaceat.

ELEGANTER hoc prosequitur Bern. epist. 126. & Serm. 18. ex paruulis, vbi ait. Quisquis dominari non appetit, is profectò fructuosè præest cæteris instituendis. Et D. Hieron. epist. ad Heliodor. loquens de eodem, dum Sacerdotium recusabat, ait; Merebatur negando quod esse nolebat, eóque dignior erat, quo se clamabat indignum. Videndus item Cyprian. epist. 52. vbi multa de electione Cornelij Papæ, inter quæ sic ait: Non vt quidã vim fecit, vt Episcopus fieret, sed ipse vim passus est, vt Episcopatum coactus acciperet. Et Chrysost. hom. 35. in imperfecto ad ea verba Matth. *Audientes decem indignati sunt.* Primatum, inquit, honoris concupiscere vanitas est. Primatus enim fugientem se desiderat, desiderantem se odit. & homil. 29. in 2. ad Cor. cap. 13. ait. Si vis gloriam habere, contemne, si enim gloriam secteris, gloria excides. Similia habet homil. 7. in epist. ad Philem. c. 2. Similia habet Greg. 24. Moral. c. vltimo, vbi ait: Tunc solùm potestas bene geritur, cùm non amando, sed timendo detinetur: quæ vt ministrari rectè valeat, oportet primùm, vt hanc non cupiditas, sed necessitas imponat. Videndus item idem Greg. lib. 4. in 1. Reg. cap. 11. cùm aduertit, Saülem absconditum fuisse domi. Quia, qui digni sunt, inquit, onus tanti ordinis suscipere, vehementer expauescunt. Vidẽdus etiam idem Greg. lib. 30. Moral. c. 15. in fine, cùm ponderat, Christum fugisse, cùm cognouit, quòd venturi erant, vt facerent eum Regem, Ioan. 6. & lib. de cura pastor. 1. p. c. 3.

IDEOQVE Antisthenes rogatus, quomodo ad Reipublicæ munera ac

cedendum esset, respondit, sicut ad ignem; neque nimis propè, ne comburaris, neque nimis longè, ne frigescas. Et Epictet. in Enchirid. c. 20. *Memento*, inquit, *oportere te in conuiuio versari, in quo si fercula ad te perueniunt, extema manu modestè carpe, si transit qui fert, ne eum detine, si nondum peruenit, ne procul appetitum extende, sed expecta dum ad te veniat; sic erga filios, sic erga vxorem, sic erga principatus, sic erga diuitias, erisque aliquando dignus Deorum conuiua. Si verò quæ appositæ fuerint, non capias, sed contemnas, tunc non modo Deorum conuiua, sed collega eris. Id enim cùm facerent Diogenes, & Heraclitus, atque his similes, meritò, & diuini erant, & vocabantur*. Et Plato. 1. de Repub. ad finem: *Si daretur Respub. in qua omnes essent sapientes, maiorem inter eos futuram contentionem detrectantium ciuitatis gubernacula, quàm nunc est in aliis ciuitatibus eorum, qui talia expetunt.* Videnda hac de re oratio secunda Q. Fabij Max. apud Liuium Decad. 3. lib. 2.

VNDE meritò D. Chrysost. hom. 1. ad Titum: Magna me admiratio tenet eorum, qui huiusmodi onera appetunt, nullaque vrgente necessitate, ac legitima vocatione præcedente huiusmodi ministerium suscipiunt, vel etiam procurant, ac negotiantur, perinde atque rem aliquam profanam. Sed hac de re, videndus Dionys. Areopag. de Ecclesiast. Hierarch. cap. 5. par. 5. Cyrill. de Adoratione in spirit. & verit. lib. 11. in principio. Basil. in cap. 3. Isai. Chrysost. homil. 5. in 1. ad Timoth. Ambros. epist. 82. Cyprian. epist. 68. Nazian. Orat. 1. Apologet. Ex quibus omnibus liquet, quàm necessaria sit doctrina, & admonitio Apostoli, dū hîc ait; *Nolite plures fieri magistri.*

§. III.

Quæ scientia requiratur in Magistro Ecclesiastico & Prælato.

ILLVD etiam hoc loco necessariò plorandum, ac clamandum, quòd cùm difficile sit homini scire parere; sicut notauit Nazianz. Orat. 1. Apologet. multóque difficilius homini imperare, difficillimúmque tandem homines docere & instruere: vnde addit idem Nazianzen. Ars quædam artium, & scientia scientiarum mihi esse videtur, hominem regere, animal omnium maximè varium & multiplex: & Salomon propterea de se fatetur; *Dedi cor meum, vt scirem prudentiam, atque doctrinam, erroresque, ac stultitiam*, (Eccl. 1.) seu, vt ex Hebr. vertit Caiet. *ad sciendum tricas, & stultitiam*; est siquidem vtilis ac necessaria Magistratui, & Doctori rerum quoque malarum notitia, vt dedocere, atque corrigere possit, & in versutias quoque parabolarum introire. Facilè se tamen quisque ad hoc munus intromittit, & faciliori negotio admittitur, cùm difficillimum prorsus sit.

VNDE Ioan. Euangelista in Apocalyp. scribens plures epistolas ad diuersas orbis plagas, in qualibet earum distinctum ac peculiarem titulum præfigit, cuius rei rationem reddens Hieronym. in Proœmio Commen. epistolæ ad Ephes. ait: In vnaquaque earum (scilicet gentiū) specialia vel vitia

vitia reprehendit, vel virtutes probat. Et Sanctus Apost. Paulus per singulas Ecclesias vulneribus medetur illatis, nec ad instar imperiti medici vno Colyrio omnium oculos vult curare. Vnde Debbora de Principibus Israël ait. *Cor meum Deus diligit*, inquit, *Principes Israël*; in Hebr. est. *Doctores Israël*; VndePaulus ad Eph. 4. eosdē vult Pastores, & Doctores; neque enim distinguit inter Pastores, & Doctores, tanquam inter alium, & alium ordinem, sed pro eodem vtrosque vsurpat, vt rectè aduertit Hierony. ibi, & August. epist. 59. q. 4. & post August. Gregor. homil. 21. in Ezechiel. Et Origen. hom. 2. in Leuit. Cyrill. item lib. 2. in Leuit. notarunt quòd cum cæteris defectibus & peccatis Deus remedium, & oblationem assignauerit, si per ignorantiam, vel malitiam deliquissent: in peccato tamen Pontificis non addidisse Legislatorem, si per ignorantiam peccauerit, quasi nulla vllo modo in eo supponenda, & admittenda esset ignorantia. Iudic. 5.

VNDE Bern. epist. 249. Quis dabit mihi homines literatos, & sanctos in Ecclesiis Dei præesse Pastores? si non in omnibus, certè in pluribus, certè in aliquibus. De iis verò, qui verbum Dei docent, ait Gregor. 18. Moral. cap. 14. Qui ad veræ prædicationis verba se præparat, necesse est, vt causatum origines à sacris paginis sumat, vt omne quod loquitur, ad diuinæ authoritatis fundamentum reuocet. Et Isaias prædicatorem verbi Dei appellat *prudentem eloquij mystici*: vbi teste Hieronym. lib. 2. in Isai. Theodotion vertit, *prudentem incantatorem*. Rationem verò huius dicti reddens Hieron. ait: Incātator mihi videtur esse eruditus, & exercitatus tam in lege, & Prophetis, quàm in Euangelio, & Apostolis. Isai. 3.

QVANTA ergo diligentia, studio, & scientia opus est ad hoc opus perfectissimum, maximéque necessarium in Ecclesia, de quo Clem. Alexand. 1. Stromat. ait: Prædicandi scientia quodammodo est Angelica. Vnde Paulus, quia huic officio à Deo erat deputatus, *Vas electionis* dicitur à Deo. Aduertit autem Hieronym. epist. ad Paulin. quidnam significet vas electionis; quia, scilicet, inquit legis, & Scripturarum sanctarum erat armarium. Et Greg. lib. 4. in 1. Reg. cap. 9. dixit: Fortissima Prædicatoris actio illi bene committitur, qui à summis viris magna consideratione dignus tanto ministerio iudicatur. Act. 9.

CVMQVE hoc ita sit, plures nunc volunt Magistri fieri, qui nec discipuli esse meruerunt, cùm nunquam didicerint, neque perfusi fuerint, vt postea possint effundere, sicut elegāter dixit Bernard. Ser. 18. in Cant. vbi monet Prædicatores, ne velint antè effundere, quàm infundi, &c. quæ videnda sunt pro hac re: in qua illud aduertendum notatum à Philone lib. de Ioseph. quòd cùm Deus vellet Iosephum præficere toti Ægypto, priùs gubernandi, & administrandi artem didicit, postquam venditus est in Ægyptum; domui enim sui Domini vniuersæ præfectus est. Oportebat, inquit, futurum administratorem Reipub. præexercitari in rebus Oeconomicis, nam & domus quædam parua ciuitas est, & Oeconomia compendiaria Respub. Sicut etiam ciuitas magna domus est, & Politia communis Oeconomia, vnde facilè discimus eundem esse aptum, & dispensationi do-

mesticæ,& administrationi publicæ, quanuis hæc multitudine, magnitudinéque differant. Similiáque notauit idem Philo lib. de vita Moysis, voluisse scilicet Deum, Moysem officio Pastoris præexerceri ad gubernandam Rempub. Israëliticam. Quod idem dixit Clem. Alex. 1. Stromat. circa finem his verbis: Moyses ex Ægypto fugit, & oues pascit, vt qui ad pastoralem principatum priùs erudiretur, ei enim, qui mansuetissimo hominum gregi est præfuturus, est præexercitatio ouium pascendarum, scientia.

Sic etiam Christus Dom. quos voluit piscatores hominum, priùs fecit piscatores piscium, vt iam scirent rete Euangelii expandere, iniurias temporis ferre, tempúsque ad iaciendum rete expectare, eisdémque vocatis dixit. *Faciam vos fieri piscatores hominum*; qui modus loquendi longè differt à præsenti dum Iacobus ait: *Nolite fieri magistri.* Non enim reprehendit Apostolus sensim, temporisque decursu fieri magistros, sed temerè, & subitò fieri; at verò Christus dixit; *Faciam vos fieri*, quod possumus explicare per modum loquendi Philosophorum, qui de eo quod nondum perfectum, & completum est, dicunt esse in fieri: illud verò quod completum est, in facto esse. Ille ergo Magister, qui *vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt*, quíque de nihilo omnia produxit, Magistros in fieri esse vult in sua schola, donec in facto esse compleantur. Qua ratione Paulum misit ad Ananiam; vt tu erubescas, dum vis fieri magister, cùm nec didiceris, nec velis discere. In quam sententiam notauit Bernar. epist. 8. subitò quidem plures Christum Dominum conuertisse, eosdem tamen non statim Doctores creasse, aliud est enim celerem adipisci veniam peccatorum. Quanuis enim Matthæus de telonio vocatus fuerit ad Apostolatus culmen, non priùs audiuit cum cæteris Apostolis. *Ite in orbem vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ*; quàm egerit pœnitentiam multo tempore ac labore, sequendo Dominum quocunque iret.

Matth. 4. Rom. 4. Act. 9. Matt. 19. Mar. 16.

Qvod si quis obiiciat, de Paulo statim dixisse Dominum Ananiæ, *Vas electionis est mihi, vt portet nomen meum*; paucísque pòst diebus ingressum Synagogam prædicasse Iesum; audiat Ber Serm. de conuers. Pauli, vbi examinat ea verba. *Subitò circunfulsit eum lux de cœlo.* O vera, inquit, inæstimabilis diuinæ pietatis dignatio, illustrat cœlesti fulgore vel à foris, intus adhuc luminis incapacem! Etenim tanta requirebatur lux & sapientia de cœlo in eo, quem tam citò Deus volebat constituere magistrum; & creare Doctorem gentium, vt vel etiam exteriùs luce repleret, & ab eo quasi redundaret, antequam interiùs luce perfunderetur. Vsque adeò difficile est subitò factum magistrum apparere, cùm sensim diúque in fieri priùs esse debeat.

Act. 9.

In quam sentent. facit id, quod notauit Ambros. lib. 1. Examer. c. 7. vbi quærit, cur Deus priùs fecerit cœlum & terram, postea illa illustrauerit? Ad hoc enim, vt lumen & lux præbeatur, multa quidem priùs requiruntur. Hoc idem prosequitur Greg. lib. 7. Registri, epist. 112. vbi ait. Quanuis quispiam inculpati sit meriti, antè tamen per distinctos ordines Ecclesiasticis exerceatur officiis, videat quod imitetur, discat quod doceat. Diu ergo religiosa meditatione poliatur, vt placeat, & sic lucerna flammam non extinguat,

extinguat,sed augeat. Nam cùm scriptum sit,vt priùs quis probetur, & sic ministret, multo ampliùs probandus est qui populi intercessor assumitur, ne fiant causa ruinæ populi Sacerdotes mali.

NVLLA igitur contra hoc excusatio,quia cunctis nota est sancti solicitudo Doctoris, qui neophytum vetat ad sacros ordines accedere. Sicut autem tunc neophytus dicebatur, qui in sanctæ fidei erat conuersatione plantatus, sic modò neophytus habendus est, qui repentè in Religionis habitu plantatus,ad ambiendos honores sacros irrepserit. Quid celerius, quídque præcipitantius, quàm vt exoriatur à summitate principium, & antè incipiat esse Episcopus, quàm minister? Similiáque habet idem Gregor. epist.50.& Nyss. lib. de Vita Moysis. *1.Tim. 3.*

VNDE Nazianz. Orat.20.ait.Nunc periculum est,ne ordo omnium sanctissimus, omnium maximè sit ridiculus: non enim virtute magis, quàm maleficio & scelere Sacerdotium paratur,nec digniorum,sed potentiorum throni sunt.Samuël inter Prophetas, ille, inquam, futura prospiciens, sed & Saül vilis ille & reiectitius. Roboam Salomonis filius inter Reges, sed & Ieroboam seruus & Apostata,cúmque nec medici, nec pictoris nomen quisquam obtineat, nisi priùs morborum naturas considerarit,aut multos colores miscuerit, variásque formas penicillo expresserit: Antistes contrà facilè inuenitur,non elaboratus, sed recèns quantùm ad dignitatem, simul satus & editus,quemadmodũ Poetæ Gigantes fabulantur. Vbi Nazianz. pulchra allusione tangit id, quod fabulantur Poetæ de Cadmo Agenoris filio,quem apud Thebas Bœotiæ vrbem, draconis à se interfecti dentes seminasse dicunt, vnde statim Gigantes pullularunt à capite vsque ad femur armati, qui eodem die inito prælio se ipsos mutuis vulneribus confecerunt.Sic igitur subitò factos Magistros, & Præsules deplorat Nazianz. simul satos & editos.Vnde addit:Vno die sanctos fingimus,eósque sapientes, & eruditos esse iubemus, qui nihil didicerunt, nec ad Sacerdotium quidquam priùs tulerunt præter velle.Et Orat.1.Apologet.post multa,hac de re tandem concludit. Papè quàm egregia præfectura, quàm excelsus animus? protinus Samuëlem ab ipsis incunabulis sanctum in ore habemus,protinus sapientes sumus,& præceptores,& rerum diuinarum cognitione sublimes,& Scribarum & Legislatorum primi, nósque ipsos calculo nostro cœlestes designamus,ac vocari ab hominibus expetimus. Reddénsque rationem cur Episcopus creatus aufugerit, ait: Mihi res accidit rustico, an ingenuo viro digna nescio, sed accidit tamen, aliorum me puduit, quì cùm plerisque nihilo meliores sint,atque etiam non vtinam multo peiores, illotis, vt aiunt, manibus in sanctissima mysteria sese ingerunt, ac priusquã digni sint qui ad res sacras accedant, sacrarium ipsum ambiunt.

ET Bern. epist. ad Henricum Episcopum Senonens. Curritur passim ab omni ætate, & ordine, à doctis pariter & indoctis ad Ecclesiasticas curas, tanquam sine curis iam quisque victurus sit, cùm ad curas peruenerit. Quibus posset applicari illud consilium, quod Quintus Cicero M. Ciceroni Consulatum petenti suggerebat, vt propè quotidie ad forum descen

descendens, hoc meditaretur, *Nouus sum, Consulatum peto, Roma est.* Debet enim quis secum præmeditari quid mereatur, quid ambiat, quibus superior velit esse. Quæ ferè sententia est Senecæ lib. de Tranquillitate c. 4. vbi ait. *Inspicere debemus primò nosmetipsos, deinde quæ aggredimur negotia, deinde eos quorum causa, aut cum quibus agendum est, & ante omnia necesse est seipsum æstimare, quia ferè plus nobis videmur posse quàm possumus.* Qua de re videndus Ber. epist. 11. ad Carthusienses; & epist. 42. vbi ait: Scholares pueri & impuberes ob sanguinis dignitatem promouentur ad Ecclesiasticas dignitates, & hi de sub ferula transferuntur ad principandum Presbyteris, lætiores quòd virgas euaserint, quàm quòd meruerint principatum.

QVOMODO autem pueri, & indocti rectè possunt fungi officio, quod magnam scientiam, longámque experientiam postulat? Vnde D. Chrysost. lib. 3. de Sacerdotio inuehitur in quorundam opinionem, qui dicunt, satis esse ad Præfecturam, ac Magisterium, si quis magnam habeat charitatem, vitæque innocentiam. quod etiam prosequitur lib. 6. de Sacerdotio, & hom. 14. in 2. Corin. quæ incipit. Imperare ars est, & non solùm dignitas, comparatur hæc scientia vsu rerum & experientia, quare non debet promoueri aliquis subitò ad tantam dignitatem. Vnde Greg. hom. 2. in Ezechielem aduertit, dixisse Prophetam, *Et factum est in tricesimo anno*, quando iam matura aderat ætas, ipsi reuelata fuisse diuina mysteria; insupérque notat, Christum Dominum, cùm duodecim esset annorum, interrogasse, non verò docuisse; & affert locum Deut. c. 15. quandò dicitur, *Non arabis in primogenito bouis*, primogenitum enim, inquit, bouis accipimus in infirma ætate primi nostri temporis bonam operationem, in qua tamen arandum non est, quia cùm prima sunt adolescentiæ, vel iuuentutis nostræ tempora, nobis adhuc à prædicatione cessandum est, vt vomer linguæ nostræ præscindere non audeat terram cordis alieni. Et Hieron. in cap. 4. ad Ephes. ait. In Ecclesiis quanuis quis sanctus sit, Pastoris sibi nomē assumere nemo debet, nisi possit docere quos pascit. Similia habet idem Hierony. in c. 1. epist. ad Tit. & Basil. quē citat Antonius Monachus tom. 1. Bibl. Patrū Ser. 4. Nauticam consuetudinem, inquit, laudo, quæ remum antea dederit ei, qui nunc gubernator est; capútne est, cui vix alicubi manus est, aut pes, aut aliud aliquod ex corporis membris imperfectioribus?

Amos 8. QVOD si doctrina cibus est animarum, vt patet apud Amos, vbi Deus famem doctrinæ minatur, quæ in hoc differt à fame panis, & aquæ; sicut notauit Chrysost. hom. 54. in Gen. quòd hæc corpus emaciat, illa animam attenuat. Et ideo Hieron. ibi cum Propheta: quando doctrina non fuerit, intelligimus perire pudicitiam, castitatem mori, omnes abire virtutes, quia non comederunt verbum Domini. Rectè ergo ille apud Isaiam dixit:

Cap. 3. *Nolite me constituere super vos, quia in domo mea non est panis*; super quæ verba D. Hieron. ita habet: Quanti panem non habentes, & vestimentum (cùm ipsi esuriant, & nudi sint) aliis alimoniam, & vestes promittunt, & pleni

Exod. 4. vulneribus medicos se esse iactant, nec seruant illud Mosaicum: *Prouide alium quem mittas?* Cui possumus adiungere id quod ait Brixian. in c. 3. epist. ad Ti

ad Timoth. Cùm Episcopatum cogitas, ne referas animum ad hæc tempora, quibus Episcopi nihil minùs norunt, quàm eas partes, quæ illis à Paulo assignantur, nec quicquam aliud nunc intelligitur appellatione Episcopi, quàm fructus, & vectigalia, & immanes honores, &c.

HINC est, quòd cùm filij Heli nesciuerint Dominum, neque officium Sacerdotum, ideo falsas interpretationes adhibuerint; sicut notauit D. Hieron. in quæst. Hebr. ad 1. Reg. *Dixit illi Deus: Honorasti filios tuos magis quam me, propterea*, &c. Super quæ verba Greg. ait; Filios & propinquos magis quàm Dominum honorat, qui ad sacros ordines personas eligit, non ex conuersationis honestate, sed amore propinquitatis: carnales Prælati specialis honoris culmina carnalibus propinquis ideo tribuunt, vt Ecclesiasticis facultatibus ditentur, nec curant quales sunt, qui ad spirituale ministerium veniunt, sed tantùm vt temporali dignitate præferant, quos carnali affectione amplectuntur, qui reprobos prouehunt, ipsum promissionis ordinem confundere designãtur; cùm idcirco honoratos filios refert, vt sacrificij primitias ederent: non enim prædicat Sacerdos, vt comedat, sed ideo, vt prædicet, manducare debet. Sed adhuc peius aliquid videmus, dum illi qui ad frangendum panem pauperibus eliguntur, & ad præbendum cibum verbi Dei constituuntur, non solùm non præbent, sed etiam & materialem panem, veluti è pauperum ore eripiunt, nec in vltima egestate largiuntur. 1. Reg. 2.

HINC è contrario Moyses omnes penitùs humanos affectus exuens, vt exemplum relinqueret omnibus absolutius, & purius in successoris alicuius delectu seruandum, ne caro, & sanguis ea in re, quæ vtique grauissima est, & ideo grauissimè, purissiméque geri debet, præpollerent, immemor penè filiorum, oblitus socij, & administri, cuius ingenium, & prudentiam tandiu fuerat expertus, Dominum conuenit, aitque, *Prouideat Dominus Deus spirituum omnis carnis hominem*, &c. vbi verbum (*prouideat*) significat, non simpliciter prouidere, sed adhibita inspectione, vt obseruare liceat, quænam teneri debeat ratio in constituendis præfectis, & maioribus, idque si vsquã maximè, profectò necessarium in Ecclesiæ gubernatoribus, & magistris, de quibus nobis impræsentiarum cum Iacobo nostro est sermo.

ADDIT deinde, *Deum spirituum omnis carnis*, quibus verbis inuocat Deum cognitorem omnium hominis affectionum, omnium animi propensionũ, motuum, & habituum, vt idem sit, quod alibi dicitur discretor cogitationum, & intentionum cordis, quod proculdubio necessarium est, quando è multitudine eligendus est aliquis, qui ad gubernandi munus aptissimus sit: sunt enim multi in hominum animis recessus, multæ in vultu, & moribus personæ, ac mendacia, ideóque Moyses non quem ipsemet virum bonum, & ad res tantas aptum habilémque videret, ac iudicaret, sed quẽ ipse cordium scrutator Deus peritissimè idoneum nosset, ac vellet, hunc siue propinquus esset, siue alienus, siue notus, ignotúsue, diues, aut pauper, à Deo postulat, miro animi æquilibrio; in quo nec diuturnum Iosue ministerium fidele, nec paternus amor propendebat. Act. 1. Hebr. 4.

HOMINEM deinde postulat, *prouideat hominem*, seu, *virum*, in quo verè virtus sit, & masculum pectus, animique robur, nā effœminati animi, ac molles inepti omnino sunt, vnde per Isaiam dicitur, *Dabo pueros principes eorum, & effœminati dominabuntur eis.* vbi Hieronymus, atque etiam Rupert. in c. 32. Num pueros intelligunt eos, qui licèt natu maiores sint, moribus tamen, & leuitate puerili sunt; attamen Hebræum, Græcúmque nomen iuuenes significat ineptos prorsus gubernandis populis, vnde ille apud Lucanum lib. 8. dicebat;

Isai 3.

Ætas Niliaci nobis suspecta Tyranni est,
Ardua quippe fides robustos exigit annos.

Cuius rei rationem reddit Philosophus 1. Politic. c. vlt. quòd ea minor ætas iis ferè prudentiæ, virtutúmque præsidiis ad gubernandum necessariis careat, contrà verò audacia, superbia, lasciuia, cupiditatibus, ac leuitate abundet. Ideóque ingemiscens Ecclesiastes dixit: *Væ tibi terra, cuius Rex puer est*, siue, vt legit Hieron. ad citatum locum Isaiæ, *iuuenis est.* Et Senator ille consularis Nicomachus rectè in hanc rem dixit. *Dij auertant, principes pueros, & patres patriæ dici impuberes, quos ad consulatus dandos dulcia, & circuli, & quæcunque voluptas puerilis inuitet. Quæ, malum, ratio est, habere imperatorem Principem, qui famam curare non nouerit, qui quid sit Resp. nesciat, qui faciat eos Consules, Duces, Iudices, quorum vitas, merita, ætates, familias, gesta non nouit?* Videndus hac de re Cic. Philip. 3.

Eccl. 10.

SIC ergo Moyses Dominum deprecatur pro successore, non pro filiis, nō pro ministro, dignus vtiquequi in hac re, & imitetur, & laudetur. Ideóque Philo lib. de charitate sic eleganter rem prosequitur, omnibus quidem, & maximè hoc tempore ob oculos proponendam: Cùm mortalis, inquit, huius vitæ finis instaret, oraculo aperto de hoc præmonitus, nullum vel Regem, vel priuatum imitatus est, quorum vnicum votum habetur, ac studium, hæredes, liberósque relinquere. Sed quamuis pater esset duorum filiorum, neutrum successorem sibi optauit, victor affectuum erga cognatos, ac domesticos. Et poterat, si filios suspicabatur parùm idoneos, certè fratris filios extollere, iam virtute meritos Sacerdotium, sed fortasse, aut non placebat, eò à diuinis rebus distrahi, aut potiùs cogitabat impossibile esse eundem hominem rectè curare simul Regnum & Sacerdotium; quandoquidem alterum Religionis, alterum subditorum curam profitetur. Aut fortasse non putauit rem tam magnam pertinere ad suum iudicium, maluitque iudicandam Deo committere. Erat ei amicus & familiaris penè à puero Iesus nomine, non vulgaribus conciliatus artibus, sed amore integro; cœlestique, ex quo omnes virtutes proueniunt, is etiam cōuictor contubernalisque Prophetæ fuit, idem administrationis Reip. particeps, & tātùm non Principis Vicarius, multa pro potestate solitus erat gerere. Attamen quamuis sciret hunc esse diu spectatæ probitatis hominem, dictis, factisque honestatem eius expertus, & quæ maximè requirebatur, beneuolētiam erga populum, nec sic quidem ausus est ei principatum committere, ne forte opinione falleretur, non satis fidens humano iudicio. Itaque nec

sibi

sibi ipsi quidem credens, supplex inuocauit Deum, vt ex optimatibus eligeret vnum aliquem idoneum Principem, qui paternam curam subditorum gereret. Hoc vnum euidens argumentum est eximiæ erga suam gentem charitatis atque fidei. Hæc ille. Quæ omittenda minimè existimaui in re maximè necessaria, nostráque tempestate penitùs abolita.

Hoc etiam notauit D. Hier. in cap. 1. epist. ad Titum, his verbis. Moyses amicus Dei, cui facie ad faciem Deus loquutus est, potuit vtique successores principatus, filios suos facere, & posteris propriam relinquere dignitatem, sed extraneus de alia Tribu eligitur Iesus, vt sciremus principatum in populos non sanguini deferendum, sed vitæ. At nunc cernimus plurimos hanc rem beneficium facere, vt non quærant eos, qui possunt Ecclesiæ plus prodesse, & in Ecclesia erigere columnas: sed quos vel ipsi amant, vel quorum sunt obsequiis deliniti, vel pro quibus maiorum quispiam rogauit, & vt deteriora taceam, qui vt clerici fierent, muneribus impetrarunt.

Nec etiam omittendus Origen. hom. 22. in Numeros, cùm ait: Recessurus Moyses de sæculo orat Deum vt prouideat ducem populo. Quid agis Moyses? nunquid filij tibi non sunt Gerson, & Eleazar? aut si aliquid de ipsis dubitas, non sunt filij fratris magni, & egregij viri? quomodo non oras Deum pro ipsis, vt eos constituat populo Duces? sed discant Ecclesiarum Principes, successores sibi non eos, qui consanguinitate generis iuncti sunt, nec qui carnis propinquitate sociantur, testamento signare; neque hæreditarium tradere Ecclesiæ principatum, sed referre ad iudicium Dei, & non eligere illum, quem humanus commendat affectus, sed Dei iudicio totum de successoris electione permittere. Sic Orig. Et prædictus Nicomachus consularis rectè etiam in hanc sententiam dixit: Ingens gloria morientis principis est magis Remp. amare, quàm filios. Quod quidem meritò D. Ambr. in Theodosio imperatore laudauit. Etenim si quis in successore eligendo, affectu, & amore, seu opinione ducatur, facilè decipietur, & irreparabile Reip. detrimentum inferet, dum eidem gubernandæ ineptum, insipientem, & incapacem ingeret, vel puerum, vel senem iuuenem.

Ex tam multis igitur dictis fit consequens, virum ignarum, & inscium debere potiùs seruire, quàm præesse, obtemperare, quàm imperare: quod videtur dixisse Salomó in Prouerbiis, illis verbis. *Quomodo si spina nascantur in manu temulenti, sic parabola in ore stultorũ.* vbi Septuag. habent; *spina nascuntur in manu ebriosi, seruitus autem in manu imprudentis*; debet siquidem imprudens, & inscius prudétiori viro manus dare, imò & seruituti eius se tradere. In quã sentent. post Philonẽ notauit Amb. lib. 2. de Iacob, & vit. beat. c. 3. Esau, inquit, vt benediceretur, impetrauit, sed eam benedictionẽ, vt seruiret fratri suo. Etenim qui imperare non poterat, & alterum regere, seruire debebat, vt à prudétiore regeretur: vt bonus pater (scilicet Isaac) cũ duos haberet filios, vnum intẽperantem, sobrium alterum, quò vtrique consuleret, intemperanti præfecit sobrium. Et c. 4. notauit, Iacobum pauisse oues Laban. Sapientia, inquit, regendi officium non omittit, nescit vel in alienis vacare.

NOTAVIT pro hac sententia Salomon errorem Principis iniquè partientis honores, præposteréque iudicantis de meritis, cùm ait: *Est malum quod vidi sub Sole, positum stultum in dignitate, & diuitem sedere deorsum.* vbi Hebr. sicut vertit Pagn. habetur, *in excellentiis multis.* & Vatab. *in summo fastigio.* Illud autem notandum velim; consuetum esse apud Salomonem, assignare & referre aliud malum quod coniungatur illi, de quo ipse loquitur, vt patet ex c. 6. 7. 8. & 9. vbi semper ait; *Est & aliud malum.* Attamen dum stultum in dignitate sublimi positum deplorat, non dicit, *Est & aliud malum*, sed simpliciter ait; *Est malum quod vidi sub Sole*; fortassis quia in cæteris malis quæ proponit, aliud simile reperiri possit, at verò nullum omnino inuenitur quod conferri possit cum tanto malo, quantum reuera est, stultum positum esse in dignitate sublimi, cùm ineptus omnino sit, & quasi non sit, debeat reputari ad honores. Vnde Esther dixit: *Ne tradas Domine sceptrum iis, qui non sunt.* quod possumus explicare ex illo alio loco; vbi de Theoda dicitur. *Ante hos dies extitit Theodas, dicens se esse aliquem.* Quod ideo dictum est quia cùm esset Magus, Prophetam se venditabat ac magistrum, dicebat ergo se esse aliquem, cùm nihil esset, quando non erat dignus magisterio & honore. Probatur insuper ex Paulo cùm ait: *Contuli Euangelium seorsum cum his qui videbantur aliquid esse.* Quod D. Thom. dicit esse factum cũ maioribus Ecclesiæ, Petro scilicet, Iacobo, & Ioanne, & aliis, iuxta illud Ecclesiastic. *Cum sapientibus & prudentibus tracta.* Vnde patet, eos qui sunt, videntúrque aliquid reuerà esse, solos esse sapientes; insipientes verò nihil prorsus esse. *Ne tradas* igitur *Domine*, ait Esther, *sceptrum iis qui non sunt*, cùm ignari, inscij & stulti sint, & ad nihilum valeant, nisi vt mittantur foras, & conculcentur ab hominibus, non verò iis præsint, vtpote sal vanum & inutile.

Eccl. 10. Cap. 14. Act. 6. Galat. 2. Eccles. 9. Matth. 5.

MINABATVR Deus Israëlitico populo maximum supplicium apud Hierem. Inter alia verò ait: *Onagri steterunt in rupibus, traxerunt ventum quasi Dracones.* quæ verba D. Hierony. ibi mysticè interpretatur de magistris & Doctoribus. Qua in re magnum consistit supplicium in eo, quòd onagri plana relinquentes, vt loquitur Glossa, ad superiora loca ascẽdant, cúmque grauiores plumbo sint, præ stultitia in rupibus stantes visuntur, vi tamen, & impulsu indigent, vt ad tantam altitudinem euehantur. Vnde Salomon dixit; *Sicut qui mittit lapidem in aceruum Mercurij, sic qui tribuit honorem insipienti.* Lapis enim cùm grauis sit, vt ascendat, debet vi proiici, alioqui potiùs descendet, sic, vt stultus onager in altis rupibus collocetur, debet vi attolli, totóque conatu assumi.

Cap. 14. Pro 26.

CÆTERVM meminisse debet, & stultus promotus, & ipsum promouens vi, & non iure, nihil fœdius, magísue detestandum posse reperiri, quàm honorem tribuere insipienti. Hinc est, quòd, cùm nihil magis curæ esset Pharisæis, quàm Christum Dominum opprobriis afficere, & ignominiosè tractare, quem fabri filium calumniabantur, & cum latronibus reputabant, pretiosa veste indutum illuserunt, & spreuerunt, Regísque titulum ignominioso Crucis patibulo affixerunt, indicantes nihil turpius, indignius, & contemptibilius posse ostentari, quàm vilem, & abiectum hominem

Luc. 23. Matt. 27

nem regio apparatu insignitum. Vnde Claudianus de quodam, qui immeritò, fortunæque iactu supremum locum fuerat assequutus, dixit;

Viue pudor facti.

INTERROGAVIT Deus Cain; Vbi est Abel frater tuus? cui respondit. Nunquid custos fratris mei sum ego? Aduertit autem Philo lib. *Quòd deter. potior. insid.* congruenter dixisse, se non esse custodem fratris sui, quandoquidem iniquus, & insipiens homo non poterat præfici custodiæ probi, ac sapientis Abel. Congruenter docet, ait Philo, sanctarum rerum custodiam, non quibusuis hominibus, sed sacratis, sacratásque mentes habentibus Deum commisisse. Gen. 4.

QVIA verò plures sine delectu magistri fiunt, & in locis superioribus collocantur, proinde tot mala vbique grassari videmus, & malos sine custode, aut timore omnia deuastare: Quod ostendit ille locus Psalmi vbi dicitur: *In circuitu impij ambulant*; vbi Hieron. legit, *In circuitu impij ambulant, cùm exaltati fuerint vilissimi filiorum hominum.* Complutens. habet; *Circunquaque oberrant impij, quando euehuntur qui inter homines perditissimi sunt.* vbi particula (*circunquaque*) quam etiam Brixian. habet, explicat id, quod nostra lectio habet, *in circuitu*; significat enim libertatem, & deplorandam iniquorum licentiam viuendi: olim namque quando serui libertate donabantur, in signum acceptæ libertatis, in circuitu Domini donantis ambulabant, iuxta quod Satyricè dixit Persius, carpens eos, qui è seruili conditione in ordinē equestrem citò transibant; Psal. 11.

——— ———: *Quibus vna Quiritem*
Vertigo fecit. ———

Clariùs hoc dixit Seneca epist. 8. his verbis. *Philosophiæ seruias oportet, vt tibi contingat vera libertas; non differatur in diem, qui se illi subiecit, & tradidit, statim circumagitur. Hoc enim ipsum Philosophiæ seruire, libertas est.* vbi verbum (*circumagitur*) libertatem philosophicam denotat. Est proinde sensus prædicti loci Psalm. Cùm fæx illa hominum euehitur, & primas tenet, tunc impij liberi, ac dissoluti omnia quantumuis sacra proculcant, & destruunt. Soli igitur ij, qui scientia, virtute, & sanctitate præstant, Magistri debent fieri, & superiora loca obtinere, virique probi, ac Religiosi non debent, sicut plures, seu, vt cæteri solent, intempestiuè, immaturè, & importunè dignitates ambire, & velle, iuxta Iacobi doctrinam. Etenim, sicut dixit Aug. 16. de Ciu. c. 19. Locus superior, sine quo regi populus non potest, etsi ita teneatur, & administretur, vt decet, tamen indecenter appetitur, quam sarcinam, si nullus imponit, percipiendæ, atque intuendæ vacandum est veritati, si autem imponitur, suscipienda est propter charitatis necessitatem. Qua in re optimè dixisse videtur Cicero 1. Offic. in hæc verba: *Suum quisque noscat ingenium, & acrem se, & bonorum, & vitiorum iudicem præbeat; ne scenici, plusquam nos videantur habere prudentiæ. Hi enim non optimas, sed accommodatissimas fabulas sibi eligūt.* Pluráque hac de re habet Plutar. lib. de Tranquillit. & Seneca lib. 1. de Tranquillit. animi c. 4.

§. IV.

Contra eos, qui propriam vtilitatem tantùm ex dignitatibus quærunt.

SECVNDVM mentem Carthusiani, prohibet Iacobus appetitum Magisterij intuitu propriæ vtilitatis, quod vitium vtinam nostra tempestate tam licenter minimè grassaretur, quando omnes quærunt quæ sua sunt in magisterio, in præsulatu, imò & vbique. Ideo enim plerique laborant, curántque scire bonum, & malum, vt sicut dij euehantur, & adorentur. Quapropter talis scientia secundùm quod coniectare possumus, à serpente persuasa est.

ALII ad locum ministerij aspirant, vt ibi dominentur, ponántque se-
1. Tim. 3. dem ad Aquilonem, vbi omnes stare debent, quibus Paulus ait: *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Vbi diuus Thomas lect. 1. aduertit, non dixisse bonum desiderium habet, sed bonum opus, scilicet, vtilitatem plebis, cui Præsul debet inseruire, & superintendere. Episcopus enim, vt idem diuus Thomas aduertit, idem est ac superintendens. Vnde Paulus
1. Cor. 9. ingenuè de se fatetur: *Cum essem liber ex omnibus, omnium seruum me feci.* Proindéque Bernardus ad Eugenium Pontificem Magnum ita ait 1. de Considerat. An ideo non seruus, quia non vni seruis, sed omnibus? Nulla turpior seruitus grauiórque, quàm Iudæorum seruitus, quam quocumque ierint post se trahunt, & vbique dominos offendunt suos. Tu quoque dic, quæso, vbiquam sis liber, vbi tutus, vbi tuus? Vbique strepitus, vbique tumultus, vbique iugum seruitutis te premit. Similiáque habet secundo de Conside-
Num 11. rat. Proindéque Moysi res intoleranda visa est, tantæ seruire multitudini.
Hiere. 15. Et Hierem. postquam Deus illum constituit, vt euelleret, &c. *Væ*, ingemuit,
1. Tess 5. *mater mea, quare genuisti me?* Et Paulus; *Rogamus autem vos fratres, vt noueritis eos qui laborant inter vos, præsidentes vobis.*

QVAPROPTER Bernardus epistola 42. dixit: Meditantibus quidem honeres blandiuntur, sed onera pensantibus, tædio sunt, atque formidini. Non autem omnes capient hoc verbum, multi enim non tanta fiducia, & alacritate currerent ad honores, si esse scirent, & onera, grauari profectò metuerent, nec cum tanto labore, & periculo, quarumlibet affectarent infulas dignitatum: nunc verò quia sola attenditur gloria, & non pœna, purum esse Clericum erubescitur in Ecclesia, séque viles æstimant, & inglorios, qui quocumque eminentiori in loco non fuerint sublimati.

1. Re. 10. ET Gregor. lib. 4. in 1. Reg. c. 10. expendit, Saülem ad regnum Israëliticum quæsitum, absconsum fuisse domi. Abscondunt quippe, ait se ne inueniantur, quia subire dignitatem refugiunt, cuius oneris se esse impares arbitrantur; habet quippe spiritualis prælatio exteriorem gloriam digni

dignitatis,habet & interioris magnitudinem oneris.Nam rector & honoratur à subditis,& portat eos,à quibus honoratur:cum honoris ergo principio,causa nascitur oneris,quia vnde honor à rectore excipitur,inde illud suscipit quo grauetur; grauius ergo onus de honore nascitur. Quæ fortè fuit ratio cur nomina filiorum Israel incisa & appensa Rationali in pectore,imò & in humeris in duobus lapidibus à Pontifice portarentur. Quod argumentum eleganter prosequitur Gregor.17.Moral.c.12. vbi ostendit hominem in sublimi eleuatum,tantos super se sustinere, quantos suppositos regit.

Hinc est,quòd cùm is qui præest, alios debeat sustinere,& portare, maximas vires in eo supponat Scriptura ad sustinendam , & tolerandam sibi commissorum curam,& onus.Vnde Ioseph ad Regis pincernam , proprio muneri restituendum dicit;*Post dies tres restituet te Rex in gradum tuum*, id est, in ablatam pristinam dignitatem;vbi Lippomanus ex Hebr.transtulit; *restituet te super basim tuam*,vt intelligeret dignitatem, nihil aliud esse quàm basim quandam marmoream,quæ superpositum domus superioris pondus sustinet,ac portat. Vnde etiam primores,& principes populi eadem penè allusione,& metaphora,anguli populi dicuntur à Saüle. *Applicate*, *inquit*, *vniuersos angulos populi*.Et de Ruben,qui recto originis ordine futurus erat maior in imperio,inter cæteros fratres,talisque dicitur à patre , nisi sicut aqua effunderetur.D.Hieronymus in quæst.Hebr.ibi legit,*maior ad portandum*;vbi Græca lectio,& Romana editio habent,*durus ad ferendum*;qui enim maior est in imperio,maior itidem est ad portandum,maius vtique pondus officij, duriúsque debet esse ad ferendum,& prædictum onus, & innumeros ferè labores,qui prædictum imperium comitari solent. 1.Re.14.

Facit insuper pro hac re id,quod Scriptura de Ioseph.refert, scilicet, extremos fratrum suorum ad Pharaonem intromisisse, vbi per(*extremos*) plerique intelligunt,abiectiores,ac debiliores;quæ nobis modò expositio inseruit.Si quæras,cur id factum sit à Ioseph.Respondet Oleast.Timuit,inquit,ne si Rex strenuos ac nobiliores videret, gerendis Reip. negotiis applicaret,quæ strenuos exigunt viros,robustos requirūt humeros, cùm maximâ secum ferant onera.Qua in re fraternum amorem testatur Ioseph erga eos,quos ab huiusmodi laboribus subducebat. Gen. 47.

Laborem igitur quærit,qui magisterium appetit,non commodum,& vtilitatem;quod ostendit Theodoretus quæst.17.in Iosue,vbi quærit; quare Iosue cùm cæteris terram distribuerit,sibi nullam portionem assumpsit, sed vrbem nomine Thamnasachar accepit à populo?& respondet : docens eos qui in aliquo magistratu sunt constituti,non suis commodis, sed vtilitati subditorum inseruire debere.Qua de re videndus est etiam August.19. de Ciuit. Dei cap. 14.& Origin.lib. duarum homil. in Cant. hom. 1. vbi ponderat ea verba Cantic.*Posuerunt me custodem in vineis, vinam meam non custodiui*. Quæ verba putat esse animæ gubernantis , & electæ ad regimen aliorum , quæ propter aliorum curam , propriam vineam non Cant.1.

custo

custodit, nec peculiare commodum curat.

Est optimus locus apud D. Hieronym. cùm explicat ea verba Cantic.
Cant. 2. *qui pascitur inter lilia*, cùm tamen Hebr. ita legendum esset, *qui pascit inter lilia*. Ipse tamen existimat legendum esse; *qui pascitur inter lilia*, vt sic magis ostenderet diuinus Sponsus vtilitatem nostram ita curæ esse diuino Pastori, vt dum oues inter lilia pascit, ipse simul cum eis pasci videatur. Vnde triumphum & titulum Regis tunc solùm visus est accepisse, quando pro suis mortem obibat, vt eis vitam largiretur, quod ostendit Zacharias cùm dixit, *Rex tuus venit tibi*, non sibi.

Hoc idem prosequitur Bern. in Declamationibus super *Ecce nos reliquimus.* vbi aduertit dixisse Christum Dominum Petro, *Pasce oues meas.* Pasce, inquit, nec mulge, nec tonde, additum est, speret ergo discipuli locum, gradum ministri, qui Dominicum pascere gregem satagit potiùs, quàm tondere. Aug. verò tract. 123. in Ioann. super eadem verba sic ait. Quid est aliud, *Diligis me? Pasce oues meas*; quàm si diceretur. Si me diligis, non te pascere cogita, sed oues meas, & sicut meas pasce, non sicut tuas, gloriam meam in eis quære non tuam, dominium meum, non tuum, lucra mea, non tua, ne sis in eorum societate qui pertinent ad tempora periculosa, se ipsos amantes: & addit. Cauendum est eis qui pascunt oues Christi, ne sua quærant, sed quæ Iesu Christi; & in vsus cupiditatum suarum conferant, pro quibus sanguis fusus est Christi. Et Bernar. 2. de Considerat. Pascendas vtique oues, non premendas suscepist. & lib. 3. Tu præsis, vt prouideas, vt consulas, vt procures, vt serues, præsis, vt prosis, vt des illis escam in tempore. & Serm. 77. in Cant. Quem dabis mihi de numero Præpositorum qui non plus inuigilet subditorum marsupiis euacuandis, quàm vitiis extirpandis? & epist. 2. Quicquid præter necessarium victum ac simplicem vestitum de altari retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est.

Hoc loco notandus venit ille apud Ioan. Euangelistam, vbi Christus
Ioan. 10. Dominus oues suas commendaturus Petro, priùs eum de amore examinat, *Petre amas me?* Commendaturus verò agnos semel, & iterum hoc interrogat. Cur igitur commendaturus oues semel de amore interrogat, bis verò agnos commissurus Petro? dignus sanè qui hoc loco legatur Chrysolog. Serm. 6. vbi ait; Ideo repetit, vt tenuia redditus primordia non cogeret potestate, sed pietate portaret. Etenim cùm ex agnis nec lana desumatur, nec lac eliciatur, nihilque vtilitatis pastori proferant, ideo eos accuratiùs commendatos vult esse, quia Ecclesiæ pastores non commodum curare debent, sed subditorum vtilitati, & imbecillitati consulere, idque proprium commodum ducere.

Notavit hoc Caiet. in 1. lib. Reg. c. 12. in eo quod diuinum Oraculum dato Rege Saüle, populo Israëlitico ait; *Si timueritis Dominum, & seruieritis ei, & audieritis vocem eius, & non exacerbaueritis os Domini, eritis & vos, & Rex, qui imperat vobis, sequentes Dominum Deum vestrum: si autem nón audieritis vocem Domini, sed exacerbaueritis sermones eius, erit manus Domini super vos, & super patres vestros.* Cur ergo primo loco, dum assignatur beneficium diuinæ sequelæ,

ſequelæ, Regis meminit, in ſuppliciis verò eum omittit, ſed ſolos patres recenſet? Quia patrum nomine, inquit Caietanus, Reges appellat, qui quaſi patres ſuorum proſperitatem & vtilitatem proſpicere debent: idque tum temporis aſſerit ſacer Textus, dum datum à Deo Regem aſſerit: hoc enim peculiare eſſe debet illius Regis, qui à Deo datus eſt.

CONDVCIT egregiè pro præſenti argumento id quod idem Caietanus notauit in Pharaone, cui cùm Deus multas comminatus fuerit plagas dicens: *in hac vice mittam omnes plagas meas ſuper cor tuum, & iterum extendens manum, percutiam te, & populum tuum peſte*; nullam tamen plagam ei in propria perſona immiſit, niſi quando eum demum ſubmerſit in mari rubro: quid ergo dicendum? an puram fuiſſe comminatoriam ſententiam, non aſſertiuam? Pharao, inquit Caietanus, licèt impius Rex fuerit erga Deum, adhuc tamen in corde ſuos geſtabat ſubditos, vnde quas illis plagas Dominus inferebat, omnes in cor Pharaonis immittebat, nec minùs dolebat de illatis malis ſuis ciuibus, quàm ſi in ſe ipſo eadem pateretur. Exod. 9.

OSTENDIT etiam, imò, & conficit id quod proſequimur, locus ille apud Lucam, cùm aſſerit Pilatum miſiſſe Chriſtum Seruatorem Regi Herodi, vinctum quidem, alapis cæſum, ſputum, fœdatum, & iniuriis pro ſalute noſtra affectum. Eleganter ſanè Tertull. 4. contra Marcionem referens hoc, ait. Herodi velut munus à Pilato miſſus eſt; Oſeæ vocibus fidem reddidit: de Chriſto enim prophetauerat, *& vinctum eum ducent xenium Regi*; vbi noſtra vulgata habet, *delatus eſt munus Regi vltori*. Scio quidem locum non intelligi de Chriſto, ſed de idolis, ideóque rectè Pãmelius ibi ait, Tertullianum magis attendere verba, quàm ſenſum. Videtur enim Tertullianus totus in eo eſſe, vt oſtendat dignum profectò fuiſſe munus quod Regi offerri poſſet, & quod Rex præ oculis haberet, Regem Meſſiam pro ſuis vinctum, afflictum, cæſum, & morti iam deſtinatum; hoc enim videtur propriũ eſſe Regis munus & officium, & ſi quid pro munere Regi poſſet offerri, hoc ſolummodo eſſet, neque enim alius in terra videri poteſt tali dono ac munere dignus, niſi Rex, vt eum alium imitari ſtudeat. Luc. 23.

EGREDIEBATVR domo Pelopidas, teſte Plutar. in eius vita, ad bellum pro patria conficiendum, cúmque vxor in proſequendo ad lacrymas effuſa, eum vt ſe ſeruaret, periculíſque ſubduceret, inſtanter admoneret: *Id molior*, inquit ille, *priuatis ſemper ſuggerendum Imperatoribus*; *vt ſeruent alios, & pro illorum ſalute, & columitate propriam vbique vitam exponant, nihilque ducant.*

QVÆ fortè fuit ratio cur Deus moribundum Moyſem aſcendere iuſſerit montem Abarim, & contemplari inde terram quam daturus erat filiis Iſraël, & illa conſpecta mortem obire. Omittimus hoc in loco varias expoſitiones; videtur enim id à Deo factũ, quia egregius ille dux, qui ad verbum Domini portauerat ſuos in ſinu ſuo, quemadmodum mater portare ſolet, quique tulerat eos, velut nutritius ſedulus paruulos alumnos, vt bene proſequitur Rupertus lib. 3. in Exod. c. 3. imminentis mortis acerbitatem temperare rectè poterat vberrimæ illius regionis proſpectu; verus enim Num. 27. Num. 11.

pastor ac Præsul suorum vtilitatem etiã vitæ propriæ præfert. Lætus proinde moreretur Moyses, si dum ob oculos mortem videt, viderit insimul & terram optimam à suis postmodum possidendam.

VIDEN' igitur si Pastoris officio fungitur, qui oues non pascit, sed de eis sumit ipse pastum & emolumentum? Vnde Grogor. hom. 14 in Euang. rectè infert; pastor qui non dat pro ouibus substantiam suam, quando pro his daturus est animam suam? qui verò animam pro ouibus non ponit, mercenarius est, non verus pastor.

VIDENDVS denique Plato in Phædro, in Apologia Socratis, & Aristot. in suis Politicis cùm docet, ne ex Magistratibus lucra proueniant iis, qui eos gerunt. Quod etiam ostendit Seneca in Medea, actu 5. vbi introducit nuncium referentem Choro, Regnum Creontis periisse, donis acceptis ab iis penes quos gubernatio est.

ADVERSVS autem eos, qui more Sacerdotum Bel, sub nomine Dei comedunt omnia, quæ ad templum afferuntur, insuperque comedunt carnem ouium, & pelles earum desuper excoriant, & ossa earum confringunt, & concidunt sicut in lebete, & quasi carnem in medio ollæ, possumus dicere;
Mich 3 *Væ qui ædificatis Sion in sanguinibus*, id est, magnas domos ædificatis, magnam seruorum cateruam trahitis, & alitis sanguine pauperum. Nam Siracides dixit. *Panis egentium, vita pauperum est, qui defraudat illum, homo sanguinis est. Qui*
Eccl. 34. *aufert in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum*; qui quidem obliuiscuntur totum commodum debere esse ouium ac ouilis, id est, Ecclesiæ, non pastorum. Vnde Bernardus ad quosdam Episcopos epist. 229. ait. Ad hoc vos Deus in sublimitate posuit, vt tanto maiori Ecclesiæ suæ vtilitate viuatis, quanto in ea eminentiori authoritate præestis.

PRO qua re facit ea admonitio soceri Moysis ad ipsum, cùm dixit. *Pro-*
Exod. 34. *uide de omni plebe viros sapientes, timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam.* Qua de re videndus est Ambros. 2. Offic. cap. 4. Et pro ea facit Alexander apud Plutar. in eius vita, cùm de gubernatoribus suæ vtilitati studentibus ita habet: *Odi hortulanum qui ab radice olera abscindit*; quod exposuit Cicero lib. 2. epist. ad Attic. epist. 2. dicens. *Ego odi Principem qui pennas ita incidit, vt nequeant renasci.* quod argumentum prosequitur Philo lib. de Magistratu. & D. Hieronymus ad Furiam, de seruanda virginitate. vbi ait: Detrimentum pecoris pastoris ignominia est.

QVI ergo suam tantùm vtilitatem quærunt, nolint (quia etiam Deus noluit) fieri magistri, aut ad dignitatem assumi. Ideóque Æmilianus Scipio, teste Valer. Maxim. lib. 6. cap. 4. cùm Seruius Sulpitius Galba, & Aurelius Coss. in Senatu contenderent, vter aduersùs Viriatum in Hispaniam mitteretur, Senatoribus dissidentibus, & spectantibus quonam Scipionis sententia propenderet: *Neutrum*, inquit, *mihi mitti placet, alter nihil habet, alteri nihil satis est.* Ideóq; Arist. 3. Polit. c. 8. scribit, secundũ rationẽ opulentos nobilésq; sibi arrogare honores. & c. 7. meminit, Carthaginenses nõ nisi opulentissimis honores, maximè Iudiciarios offerre solitos. Ineptus itaq; magisterio & dignitati, qui proprio commodo inseruit. Rarum hoc quidem, nec

nec sic plures fient magistri & suprema loca obtinentes, sed ideo pretiosius & optabilius quod dixit Ber. epist. 248. quæ est ad Eugenium. Si rebus raritas pretiū facit, nihil in Ecclesia pretiosius, nihil optabilius bono vtilique Pastore. Proinde sicubi reperiatur, iniiciendæ sunt manus, & totis nisibus satagendum, ne qua vi, ne qua arte malitiæ, fructuosa promotio valeat præpediri. Illa impediēda, illique obstandum, qua plures in suam vtilitatem volunt fieri magistri, contra præsentem Iacobi doctrinam.

§. V.

Non debet magister Ecclesiasticus aliud docere, & aliud facere.

REPRENDIT etiam hoc loco Iacobus eos qui aliud docent, & aliud faciunt, & ita plures sunt magistri, secundùm D. Thomæ expositionē, cùm tamen vnus magister & facere, & docere debeat, sicut notauit diuus Hieronym. ad Fabiolam, de veste Sacerdotali, in fine. vbi explicans quare in veste Sacerdotali & tintinnabula, & mala Punica appensa fuerint, ita habet. Tanta debet esse scientia, & eruditio Pontificis Dei, vt & gressus eius, & motus, vniuersa vocalia sint, vt quicquid agit, quicquid loquitur, doctrina sit populorum: absque tintinnabulis enim, & diuersis coloribus floribúsq; virtutum, nec sanctè ingredi potest, nec nomen Antistitis possidere. Videndúsq; est pro hoc eodem argumēto epist. ad Nepotianū de vita Clericorū, & in Comment. super 1. c. Marci. Vnde Chrysol. Ser. 167. loquēs de Ioanne Baptista, ait. Ioannes doctor dicto, factóque magister verus, quod verbo asserit, demonstrat exemplo; magisteriū stat de scientia, sed magisterij authoritas constat ex vita, docenda faciens obedientē perficit auditorē, docere factis sola est norma doctrinæ, doctrina in dictis scientia est, in factis virtus. Sciētia ergo illa vera est, quæ fuerit mixta virtuti, illa diuina est, non humana, Euangelio probante, cùm dicit, *quæ cœpit Iesus facere, & docere*, Act. 1. Præceptor cùm docenda facit, & auditu instruit, & format exemplo. *Exod. 28.*

FACIT etiam Origen. hom. 13. in Exod. vbi sic ait. Rationale superhumerali contra pectus Pontificis annexum, formam habet sensus rationabilis, humeralis verò ornatus indicium est actuum bonorum. Actus ergo cum ratione, & ratio cum actibus sociatur, vt sit consonantia in vtroque: *Qui enim fecerit, & docuerit, magnus vocabitur in regno cœlorum*. Sit ergo in nobis sermo de actibus pēdens, vt sermonem actus exornent; iste est ornatus eorum qui in tantùm profecerunt, vt præesse populis mereantur. Similiáque habet Orig. hom. 9. in libr. Iudic. tract. 12. in Matt. Cypr. lib. de lapsis, vbi ait: In Euangelio Dominus, in verbis doctor, & consummator in factis, docens quid fieret, & faciens quodcumque docuisset. *Matt. 5.*

ENIMVERO, sicut dicitur apud Daniel. *Qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates*; ex quarum, scilicet, numero quæ antecedebat eos quos ducebat, & ita illuminabat deducendo antecedens opere & doctrina. quod prosequitur Greg. hom. 21. in Ezechiel. & hom. 12. in *Dan. 12.*

Euang.& lib.6.Moral.c.5.& 16.vbi ait.Ille oene loquendi facundiam accipit,qui sinum cordis,ac perfectè viuendi studia extendit, nec conscientiam loquentem præpedit,cùm vita linguam antecedat. & lib. 1. Registri.
Exo. 28. epist.24.ponderat ea verba Exod.vbi dicitur; *Audiatur sonitus,quando ingreditur,vel egreditur Sanctuarium in conspectu Domini,& non moriatur.* Sacerdos namque ingrediens,vel egrediens moritur, si de eo sonitus non audiatur,quia iram contra se occulti Iudicis exigit, si sine sonitu prædicationis recedit.

Apte autem tintinnabula in vestimentis eius describuntur inserta;vestimenta enim Sacerdotis quid aliud quàm recta opera debemus accipere,
Psal.131. Propheta attestante,qui ait,*Sacerdotes tui induantur iustitiam.* Vestimentis itaque illius tintinnabula inhærent, vt vitæ viam cum linguæ sonitu ipsa
Isai. 40. quoque opera Sacerdotis clament.Affértque locum ex Isaia dicente. *Super montem excelsum ascende,tu qui euangelizas Sion;* vt videlicet,qui cœlesti prædicatione vtitur,ima iam terrenorum operum deserens, in rerum culmine stare videatur.Et Chrysost.hoc argumentum prosequitur multis in locis,
Matth. 5. maximè verò hom.72.ad Pop.vbi expendens ea verba Christi Domini. *Qui fecerit,& docuerit,magnus vocabitur in regno cœlorum*, ait : Considera quomodo priùs actionem posuerit,& mox doctrinam : præcedente enim actione, licèt doctrina non consequatur, possunt opera bona voce clariùs docere in nos respicientes:hoc ita semper consideremus,vt priùs factis, deinde verbis doceamus.Et Aug.lib.4.de Doctrin.Christian.c.27.in initio.Habet autem,inquit,vt obedienter audiatur,quantacumque dignitate dictionis maius pondus vita docentis quod: ipse eleganter probat super Psal. 7. ex iis
Psal.7. verbis, *Exurge Domine in precepto quod mandasti, & Synagoga populorum circundabit te*: Tu prior (inquit Aug.) imple quod præcepisti,& Synagoga populorũ circundabit te,faciente enim eo, qui præcipit,ad opera illicò exeunt omnes qui audiunt.

Cant. 2. Facit pro præsenti instituto Ber.Ser.62.in Cant.vbi interpretatur illa verba, *Vox tua dulcis,& facies tua decora*;de iis qui faciunt,& docent. Cum puritate,inquit,mentis,prædicatio veritatis ostenditur,dicens: *Vox tua dulcis,& facies tua decora.* Quid enim internæ decor faciei,nisi puritas? hæc absque prædicationis voce Deo placuit,illa absque ista in nemine; additque; Multi puritate neglecta,antè loqui,quàm videre conati sunt,& aut grauiter errauerunt nescientes de quibus loquerentur, neque de quibus affirmarent,aut turpiter viluerunt,dum qui alios docent, seipsos non docuissent.Videndus idem Ber.Ser.4.in vigilia Natiuitatis; & Plut.in vita Phocionis,cùm enim ferociter insolesceret,& oraret Leosthenes ad populum, dixit ei Phocion, *Oratio tua,adolescens,cupressorum similis est,hæ enim grandes sunt, & excelsæ,sed non ferunt fructum.* Videndus idem Plut. in Apopht. cùm refert dixisse Philippum cuidam eloquenti Oratori: *Optima quidem de bello Oratio, attamen Orator nunquam vel tubarum clangorem in castris audiuit.*

Ex quibus constat, eum qui non facit quæ docet, nullatenus in Ecclesia posse esse magistrum, imò os taciturnitate signatum debere esse illi

qui

qui praua opera habet. In quam sententiam probandam facit Orig. hom. 8. in Leuit. vbi versat præceptum illud Leuitici, de leprosis. *Habebit vestimenta dissuta, caput nudum, os veste contectum.* Quid hoc est, ait Orig. quòd omnes corporis partes nudas habere præcipitur; & os solum operire iubetur? Nonne palàm est quòd ei qui in lepra peccati est, clauditur sermo, clauditur ei os, vt fiducia sermonis, & docẽdi authoritas excludatur? Clausum ergo habeat os peccator, quia qui se ipsum non docuit, docere alium non potest, qui malè agendo, loquendi perdidit libertatem. Et Greg. dicta epist. 24. Qui loci, inquit, sui necessitate exigitur summa dicere, hac eadem necessitate compellitur summa monstrare. Illa namque vox libentiùs auditorum cor penetrat, quàm dicentis vita commendat, quia quod loquendo præcipit, ostendendo adiuuat, vt fiat.

Non debent ergo fieri plures magistri, id est, diuisi, vt vnus doceat verbo, alius facto. Nam, sicut notauit Ambro. in Ps. 118. vita bona sine doctrina gratiam habet, doctrina sine vita integritatem non habet. Et Chrysost. hom. 42. in imperfecto. In iudicio quidem si bene vixeris, & bene docueris, omnium Iudex, si autem bene docueris, & malè vixeris, tui solius condemnator es: nã bene viuendo, & bene docendo, populũ instruis quomodo debeat viuere, bene autẽ docendo & malè viuendo, Deũ instruis quomodo te debeat condẽnare. Qui locus refertur in decreto, dist. 40. c. multi. vbi vidẽdum est cap. vilissimus. 1. q. 1. & c. si fuerit, & c. incidet. q. 7. & c. in grauibus.

Facit etiam id quod notauit Aug. quæst. 8. ex veteri Testamento, cùm ponderat, Moysem sæpe aliàs cum Deo loquutum, solùm illustri & splendida facie apparuisse quando Legem accepit: ac si nunquam magis sanctitate indiguerit, quàm cùm prædicator Legis factus est. Videndus etiam Abul. q. 3. in c. 49. Gen. vbi ponderat, cur Iacob regnum Iudæ tribuerit, & non Ioseph, dicitque ideo fuisse prælatum, quia in transitu maris rubri stupentibus, & metuentibus cæteris, dux de tribu Iuda primus patefacto tramite ingressus est; vnde rectè infert gubernandi potestatem illi esse deferendam. Videndus etiam Bozius lib. 1. de signis Ecclesiæ, cùm ponderat, cur Petro ceciderint catenæ de manibus eius, idque rectè factũ esse asserit, nãque manus, quæ nexus peccatorum, & ligamenta iniquitatum debebant soluere, catenis minimè debebant esse obnoxiæ. *Exod. 34.* *Act. 12.*

Videndus etiam est Cyrillus Alex. super Isaiam, cùm explicat ea verba: *Posuit os meum quasi gladium acutum, & posuit me sicut sagittam electam.* Per gladium, inquit Cyril. qui est in ore, verba doctrinæ, per sagittam electã, exẽpla vitæ intelligere videtur; quæ duo in perfecto magistro coniuncta debent reperiri. Si autem conferamus vtrumque inter se, inueniemus sagittam, id est, exemplum magis penetrare, & ad longius spatium pertingere, quàm gladium. Quod prosequitur Cypr. lib. de duplici martyrio. Efficacius, inquit, est vitæ, quàm linquæ testimonium, habent & opera suam linguam, habent suam facundiam tacente lingua. Et Amb. epist. 6. lib. 1. Plus tibi & viua vox, & conuictus quàm oratio proderit; primùm, quia homines amplius oculis, quàm auribus credunt, deinde, quia longum iter est per *Isai. 49.*



præcepti, breue & efficax per exempla. Videndus idem Amb. lib. 7. in Luc. Tertull. lib. de Patientia c. 1. Nazian. Orat. in plagam grandinis. Basil. lib. regul. fus. disput. interrogat. 47. Philo lib. *Quòd det. pot. insid.*

DEBET ergo verus & integer magister, iuxta id quod dixit Paulus ad Timot. *exemplum* esse *fidelium*, seu, vt Græcus textus habet, *typus*, seu, *exemplar in verbo, in conuersatione*, &c. Vnde & ad Titum dicebat: *In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum in integritate, in grauitate*, &c. Idémque docuit Petrus cùm ait: *Forma facti gregis ex animo*. Græcè verò habetur, *forma*, vel, *typi* & *exemplaria*; vbi iam multiplex, seu plures, ostenditur magister & forma docendi, & forma bene viuendi, non verò plures, quos reprehendit Iacobus, qui aliud docent, & aliud faciunt. Quos quidem similes eleganter dixit Greg. illi fœminæ quæ filium quem vigilans lactabat, dormiens oppressit. Sic enim habet 21. Moral. c. 8. Neque nobis est mente transeundum quòd apud Salomonem mulier filium, quem vigilans lactare consueuerat, dormiens interemit, quia nimirum magistri vigilantes quidem scientia, sed vita dormientes, auditores suos, quos per vigilias prædicationis nutriunt, dum quod dicunt facere negligunt, per somnium torporis occidunt, & negligendo opprimunt quos alere verborum lacte videbantur. Vnde plerumque dum ipsi reprehensibiliter viuunt, & habere discipulos vitæ laudabilis nequeunt, alienos sibi attrahere conantur. Nam, vt rectè dixit Ouid. 6. Fastorum.

1. Epist. 4. c. 2.

Ep. 1. c. 5.

3. Reg. 3

Sic agitur censura, & sic exempla parantur,
Cùm iudex alios quod monet, ipse facit.

Et Martialis lib. 1. Epigram. 4.

Cur maculas alios, maculosior omnibus Albi,
Et carpi dignus carpere non metuis?

FACIAT proinde, & doceat qui vult esse magister, ne discipulis omnino inutilis ad salutem, derisui potiùs, & contemptui sit, & inde damnationem accipiat, vnde salutem posset consequi. Videndus hac de re Stobæus Ser. 3. & Diogenes lib. 6. de Vitis Philosophorum.

§. V.

Cauenda prælationis ambitio, cùm Prælati rationem debeant reddere de peccatis, & defectibus subditorum.

NOTANDA etiam venit ea ratio, ob quam Iacobus dicit, ne velint plures fieri magistri: ea verò est, quòd sibi durissimum acquirant iudiciũ, grauissimum periculum, & acerbissimum supplicium, dum de se, & de sibi commissis quibus rationem reddituri sunt supremo Iudici. Ideóque Grego. 24. Moral. c. vlt. Penset qui ad satisfaciendum districto Iudici de sua tantùm anima vix sufficit, quia quot regendis subditis præest, reddendæ apud eum rationis tempore, vt ita dicam, tot solus animas habet: quæ nimirum cogitatio si assiduè mentem excoquit, omnem superbiæ tumorem premit.

MIROR equidem formam illam loquendi Pauli, cùm ait discipulis: *Episto*

stola nostra estis vos, quæ illud indicare videtur, defectus scilicet, vitia, & errores discipulorum, ac subditorum imputandos domino, ac magistro eorundem, sicut defectus qui in epistola reperiuntur, solent attribui illi qui eandem scripsit. Et ita serui dominorum, subditi Prælatorum, filij parentum, ac discipuli præceptorum sunt epistolæ, quicquid in illis vitij & erroris conspicitur, istis vitio meritò vertitur: proinde illorum manus vel apprehendant ne aberrent, vel characterum efformationem corrigant ne reprehensibiles iudicentur.

Hinc est quòd Abraham alligauerit Isaac dum eum ad præceptum Domini volebat immolare, cuius rei rationem dedit August. de Serm. 73. de Tempore. Ne minus aliquid, ait Aug. putaret exhibere, si impatientia doloris victima calcitraret. Verebatur enim sibi imputari, si vel adactus vltimo dolore, filius incompositus cerneretur. Genes. 3.

Hinc etiam est quòd licet Eua prior peccauerit, ideóque secundùm aliquos dicatur seducta, prior tamen interrogatur Adam, quia caput mulieris vir. Hinc etiam est quòd peccante populo Aaroni dixerit Moyses: *Quid tibi fecit populus hic, vt induceres super eum peccatũ maximum?* Qua de re videndus August. q. 146. vbi ait, ideo hoc peccatum totius populi fuisse imputatum Aaroni, quòd illi consenserit, cùm potiùs reprimere deberet: etenim, sicut dixit D. Leo epist. 3. decretali, inferiorum ordinũ culpæ ad nullos magis referẽdæ sunt, quàm ad desides, negligẽtésque Rectores, qui multam sibi nutriunt pestilentiã, dũ necessariã dissimulãt adhibere medicinã. Exod 32

Hinc etiam est quòd in sacra Scriptura nomine *vestium* significantur ij qui sub potestate alicuius sunt. Vnde nomine *vestis poderis* fideles significantur. Ideo Ahias Silonites pallij noui scissione, regni diuisionem significauit. Et Isaias dixit. *His omnibus velut vestimento vestieris, & circundabis eos quasi sponsa.* Quis ergo nõ curet vestem compositã, ac mundam habere, cui non vitio vertendum si squalidam, sordidam, & incompositã vestem ferat? Sic itidem culpandus superior in inferiorum defectibus, magister in discipulis ignaris, pater in filiis incompositis. quod argumentum prosequitur Greg. lib. 2. in lib. 1. Reg. 2. vbi ait. Magnus nobis timor incutitur, quia Heli filiorum culpa damnatur, cuius peccata propria nulla referuntur. Nam bonis subditis ad salutem bene viuere sufficit; Prælatis verò propriæ vitæ non sufficit. Quidam bene viuendo præeminent, qui authoritatem, quam Prælatio exigit, nullam habent: nam etsi ad agenda bona excitare subditos satagunt, tamen contraire delinquentibus per zelum rectitudinis erubescunt: qui nimirum etsi ad redarguendos eos aliquando exeunt, nocent potiùs loquendo quàm prosunt: quia eorum obstinationem non digna seueritate confundunt. Apoc. 1. 3 Reg 11 Isai. 49.

Ostenditqve magis id quod dicimus, si aduertamus Heli è cathedra cadentem obiisse, quòd scilicet ex eadem filios non bene edocuerit. qua de re vidẽdus Chrysost. lib. 3. contra vituper. vit. Monast. & Amb. in Apolog. Dauid c. 6. & D. Hierony. in c. 6. epistolæ ad Ephes. vbi ponderat ea verba Pauli, cùm præcipit vt eligatur *Episcopus vnius vxoris vir, filios habens subditos,*

subditos, & reddens statim rationem huius electionis, ait: *Oportet enim Episcopum sine crimine esse.* Quasi, inquit Hierony. vitia filiorum parentibus imputentur, coniunctionem causalem interserens, ait; *Oportet ergo Episcopum sine crimine esse.* Non est ergo sine crimine Episcopus, cuius filius non fuerit subditus, & in accusatione luxuriæ.

FACIT in hanc sententiam id quod notauit Ambros. lib. de Noë & Arca. c. 30. quòd quando Cham parentem ebrium ac nudatum irrisit, nondum habebat filium, & tamen iam tunc nominatur pater Chanaan. Non
Genes. 9 poterat, inquit Amb. fieri, vt bonum generaret filium, qui, & naturæ, & eruditionis degener extitisset.

2. Reg. 6. FACIT etiam quòd Michol cùm Dauidem ante Arcam saltãtem increpuit, & irrisit, non nominatur Dauidis vxor, sed potiùs filia Saülis, vt per hoc significaretur superbiam illam à patre suo traxisse; sicut ibi optimè aduertit Rabanus.

CERTVM igitur cùm sit, subditorum, discipulorum, ac filiorum defectus dominis, magistris, ac parentibus imputandos, meritò Dauid dicebat, *Ab alienis parce seruo tuo*; vbi Euthymius ait: Nouerat Reges & Dominos obnoxios esse subditorum, & seruorum peccatis.

QVOD etiam ostendit Diogenes, teste Plut. lib. de docenda virtute; qui videns puerum licentiùs comedentem, & inhonestè cubantem, pædagogo inflixit alapam, quasi ab eo sumens pœnam de discipuli vitio. Qui ergo pro nostris excessibus vix rationẽ reddere possumus, & pro nostris criminibus pœnas luere, volumus iuxta Apostoli doctrinam, magistri fieri, scientes quòd maius iudicium sumimus.

ILLVD etiam nos ab hoc onere suscipiendo deterrere debet, quòd maiorum vitia omnibus in prospectu sunt, proindéque obnoxia & murmurationi, & offensioni. Quod prosequitur Chrysost. lib. 3. de Sacerdotio, vbi ait. Non possunt superiorum vitia dissimulari, sed vel parua & exigua statim manifesta fiunt, quemadmodum in lucidis corporibus, & splendidis facile aduertimus & notamus quodlibet vitium, etiam leue, vt patet in lapidibus pretiosis, ita & in iis quos Deus posuit in edito loco imitandos à cæteris. Quod idem prosequitur hom. 1. in epist. ad Tit. & Aug. epist. 137. & 148. Nazi. Orat. in laudem Basilij, vbi rem eleganti similitudine sic explicat: Qui vel vitæ probitate solùm, vel solùm doctrina præstant, atque ab altera deseruntur, hi mihi nihil à luscis differre videntur, qui in magna claritate, in maiori sunt deformitate, siue alios inspiciant, siue ab aliis inspiciantur. Similia habet Orat. in mulieres ambitiosè se ornantes. Et Bern. 2. de considerat. ait. Credo erubescens in summo positum apice videri hominem nudum, festinauit inducre insignibus suis, absque his nempe eo deformior, quo illustrior. Nunquid potest abscondi ciuitatis supra montem
Matth 5. positæ desolatio, aut latere fumus extinctæ lucernæ super candelabrum; simia in tecto, Rex fatuus in solio sedens? Et Plut. lib. de doctrina Principum ait: *Sunt Principes tàm sacri, quàm profani instar lucentium gemmarum; atque adeò si quis in illis næuus apparet, detractioni patet, & calumniæ.* Et Seneca lib. 1. de Clemen

Clementia c.6. *Hac magnitudinis seruitus est, non posse fieri minorem, nostros motus pauci sentiunt*, &c. Hæc est ratio cur Damasc. lib. 3. Paralel. c. 57. ex præsenti Iacobi doctrina colligit mediocrem statum longè tranquilliorem & securiorem esse qualibet maiori sorte. Quod etiam prosequitur Ber. epist. 237.

PRIVATO etenim homini facilè misericordia impertitur, cùm nec sic officiat, cùm deficit, nec in ruinam aliorum cadat: at verò fortioribus fortior instat cruciatio. Quod significatum est in illis Principibus, qui contra Solē ex iussu Domini suspensi sunt, quando idololatriam exercuit populus cum filiabus Moab. (Licèt enim ibi Oleaster velit iussisse Deum vt sumeret sibi Moyses ad consilium Principes, vt eorum consilio culpabiles suspenderetur. Quam sententiam deducit, & probat ex versione Pagnini, qui ibi vertit. *Accipe Principes populi*, scilicet, tecum, *& suspendere fac eos*, qui scilicet malum perpetrarunt; probátque idem ex contextu sequenti, quando Moyses vocauit Iudices, vt vnusquisque occideret proximum suum. Quod etiam sequitur Abul. & Rabbi Salomon.) Id tamen nullatenus probādum, est vt patet ex Glossa, Lyra, & fere omnibus. Quod etiam probat August. quæst. 52. super. Num. tom. 4. ex Septuaginta, & Aquila, qui vertunt. *Confige*, vel potiùs, *sursum confige*, & Symmach. *suspende*; optiméque perpendit, verbū Græcum significare *exemplum*, vt sit sensus. Ostenta eos Domino contra Solem. 1. palàm, in conspectu lucis huius, ad edendum exemplum: propterea-que Orig. hom. 20. in Num. ait. Populus peccat, & Principes ostentantur contra Solem, vt arguantur à luce. Vides quæ sit conditio Principum populi, non solùm pro suis propriis arguuntur delictis, sed & pro populi peccatis coguntur reddere rationem, ne ipsorum sit culpa, quod populus deliquit, ne fortè non docuerint, ne fortè non monuerint, neque soliciti fuerint arguere eos: hæc enim omnia facere Principibus imminet & Doctoribus. Hæc si cogitarent homines, nunquam cuperent, neque ambierent populi Principatum; sufficit enim mihi pro meis propriis argui delictis, quid mihi necesse est etiam pro populi peccatis ostentari, & ostentari contra Solem, ante quem nihil potest abscondi, nihil obscurari? Sic Orig. quem imitatus est D. Thom. lect. 3. in c. 13. epist. ad Hebr. vbi ait: Graue periculum est hominem de factis alterius rationem reddere, qui de suis non sufficit, & acerbum ac magnum iudicium sibi vindicare, dum vult fieri magister.

Sap. 6.

Num. 25.

§. V.

Debent omnes magistri Ecclesiastici vnam & eandem doctrinam proponere.

DOCET etiam hic locus, ne in multas ac varias sententias Ecclesiæ magistri abeant ex inuidia & contentione. Est enim vna columba, & perfecta Sponsa Christi, vbi (*perfecta*) explicat quid sit vna, quia in monade seu vnitate tota numeri perfectio clauditur: sicut dixit Dionysius

Areopag.proindéque nequit diuidi & dispertiri: neque enim vnica foret, nisi sic vnita foret: vnde per vnam Sponsam intelligunt omnes ferme Patres Ecclesiam Catholicam, in qua vna fides, vnáque doctrina debet reperiri. In quam sententiam facit ille locus Pauli, cùm ait. *Ascendi Hierosolymam secundùm reuelationem, & contuli cum illis Euangelium quod prædico in Gentibus.* Vbi Diuus Thomas ait. Contuli, ad insinuandam vnitatem doctrinæ meæ cum doctrina Apostolorum. Quam etiam commendauit Corinthiis cùm dixit. *Idipsum dicatis omnes.* Et Christus Dominus orauit Patrem, vt fideles vnum essent, sicut ipse cum Patre, imitatione scilicet, charitate, & assensu, non æqualitate & vnitate substantiæ, sicut exponit Aug. tract. 14. & 39. in Ioan. Namque hæretici inde inferebant, non aliam in Patre & Filio vnitatem quàm voluntatum, vt refert Hilarius 8. de Trinit. & Ambr. 4. de fide c. 3. Et sicut in Trinitate Spiritus sanctus vocatur nexus & vinculum, quo aliæ duæ personæ vniuntur: Ita Spiritus sanctus author erit concordiæ & vnitatis fidelium in Ecclesia, quantumcumque Hæretici eam discindere, ac dissecare conentur. Proinde Paulus hanc scissionem prohibuit, dum alij dicebant: Ego sum Pauli, alij, ego Cephæ, alij, ego Apollo, alij, ego sum Christi. *Obsecro ergo vos, fratres, per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata.* Quod significauit Christus Dominus, quando noluit vestem scindi inter milites, quo tempore velum templi scindebatur, sicut notauit Athanas. de Passione.

Galat. 2. — *1. Cor. 1.* — *Ioan. 17.* — *1. Cor. 1.* — *Luc. 23.*

Id ergo secundùm mentem Augustini prohibet hoc loco Iacobus, ne, scilicet, magistri Ecclesiastici diuersa, & aduersa inter se sentiant; quod proprium est Hæreticorum, de quibus possumus dicere cum Irenæo lib. 1. c. 8. quod ipse de Gnosticis dixit: Cùm sint duo vel tres, de eisdem non eadem dicunt, sed & nominibus, & rebus contraria respondent. Et Tertull. lib. de Præscrip. Mentior, si non etiam à regulis suis variant inter se, dum vnusquisque modulatur pro arbitrio suo. Sicut hodie fieri videmus apud Hæreticos. Hanc ergo pluralitatem Sectarum, ac magistrorum prohibet præsens locus. Vnde Aug. ad citata verba Pauli ait: Cùm omnes idipsum dicunt, & verum dicunt, ab vnius veri magistri magisterio non recedunt.

Vers. 2. *In multis offendimus omnes.*

EXPOSITIO LITERALIS.

Dixerat eos, qui magisterium ambirent, magnum sibi iudicium sumere, & acerbiorem in se diuinam iram vocare, id modò confirmat, adducítque simul secundam rationem, qua eos à tali appetitu reuocet. Enimuerò si in multis offendimus omnes, quis non timeat supremum locum, vbi quicumque lapsus periculosior est, maioréſque pœnas luet, cùm & sit occasio errandi, & manifestior intuentibus? cúmque in multis, cuiuscumque sint ordinis, omnes offendãt, quis nõ caueat appetere lo

locum,vnde omnis casus cauendus docetur? maximè si imperfectus & indoctus sit,& cùm cuilibet singulari, & priuato homini suppetant occasiones cadendi,multo plures,& faciliores occurrent in supremo loco, qui & casui est proximior, & vnde casus periculosior.

RETVNDIT itaque hic locus,sicut notauit Caiet.superbiam eorum qui putant se posse sine offensione, & querela præceptoris munere fungi. Quis verò,ait Aug. Ser. 122. de diuersis cap. 1. non contremiscat, cùm Apostolus dicit, *omnes*? Expendit autem idem August. epist.29.tom. 2. ad Hieron.non dixisse Iacobum, *offenditis*, sed *offendimus*, quod priùs ponderauerat idem Hieron. 2. aduersùs Iouinian.

§. I.

Nemo sine crimine viuit.

DOCET inprimis hic locus, omnem hominem quantumuis iustificatum venialiter peccare,nisi specialissimo Dei auxilio teneatur, quod etiam docet Ioannes. *Si dixerimus,quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus,& veritas in nobis non est.* Et Prou.24. *Septies in die cadit iustus.* Ecclesiastic.7. *Non est homo qui non peccet:* ideóque dicitur. *Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Et Psalm.31. *Pro hac* (sc. remissione peccatorum) *orabit ad te omnis Sanctus.* quod docuit Christus Dominus in sua Oratione, ibi, *Dimitte nobis debita nostra.* Ex quibus,& aliis locis hanc veritatem docuit Concilium Mileuit.Can.6. 7. & 8. vbi declarat,Sanctos non ex humilitate, sed ex veritate confiteri, se esse peccatores & peccare. Nec audiendi sunt ij qui dubitant, an illi Canones sint legitimi illius Concilij, quia Innocentius I. epist.25.ad illud Concilium, ipsum confirmans, non meminit eorum,nec illius doctrinæ,sed duorum dogmatum,contrahi sc.peccatum originale ex Adamo, & sine adiutorio gratiæ non posse vitari peccata. Et in epistola 1. Cœlestini ad Episcopos Galliæ cùm referantur Canones istius Concilij vsque ad quintum, hi etiam non assignãtur. Namque nunquam tale dubium auditum est cùm communi consensu huiusmodi articuli sint recepti, & habeantur in Concilio Africano c.81.82. & 83.& eorum materia semper ab Augustino ponatur inter definitas de fide contra Pelagium,vt videre est in epist. 95. & tanquam principium contra Pelagium ponat lib. de bono Perseuerantiæ c.2. In quantacumque iustitia sine quibuscumque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem viuere.

1. Can.c.1.
Ps. 142.

MAIOR dubitatio esse posset, an prædicti Canones infallibilem authoritatem habeant, an tantùm Concilij prouincialis,quia non inuenitur confirmatio illius Concilij? Attamen traditio & consensus Ecclesiæ videtur in hoc gradu recepisse illa decreta;facit etiam,quia Concilium Africanum, vbi Legati summi Pontificis interfuêre,ea confirmauit. Satísque est nobis Concilium Trident. vbi hoc expresse definitur sess. 6. c. 11. & Can. 23. Idem etiam docuerunt omnes Sancti Patres. August. latissimè lib. de

natura & gratia vbique, præsertim c. 36. & à 60. vsque ad 69. & lib. 2. de peccatorum meritis, & remissione c. 6. & 7. & 13. vbi refert hunc locum Iacobi. & c. 36. & sequentibus, & lib. de perfectione Iustitiæ. & epistola 29. ad Hirony. & epist. 106. & lib. de bono Perseuerantiæ c. 8. vbi adducit Ambrosium lib. de fuga seculi c. 1. & lib. de Ecclesiastic. dogmatib. c. 35. & 36. Item lib. de Gratia Christi c. 40. vbi adducit Cyprianum, qui videri potest de opere & eleemosyna, in principio, vbi dicit: Sine vulnere conscientiæ esse non possumus. Quod & latè prosequitur lib. de orat. Dominica, ibi, *Dimitte nobis*, & lib. 2. ad Quirinum c. 54. Hierony. epist. ad Ctesiphontem, vbi ait: Pudeat eos qui aiunt, posse hominem esse absque peccato. Idem habet lib. 1. & 2. contra Iouinian. & in Comment. in Matt. c. 5. & in Epist. ad Saluinam, vbi ex Horatio ait;

———Optimus ille est,
Qui minimis vrgetur.———

Et sæpe Dialogis contra Pelag. Greg. 18. Moral. c. 4. & lib. 1. in lib. Reg. cap. 13. & hom. 17. in Euang. Fulgent. de fide ad Petrum, & lib. 1. ad Monimum; vbi ait. Nunc diuinorum munerum non est perfecta perfectio: quod Paulus apertè asserit. *Quotquot autem perfecti sumus, hoc censeamus, non quòd iam perfectus sim.* Ex quibus verbis colligit Fulg. vniuersam perfectionem huius vitæ imperfectam esse; fuit enim Paulus perfectus, quia implebat Legem Dei, imperfectus, quia secundùm carnem concupiscebat contra Legem Dei; quam imperfectionem omnes quantumcumque perfecti, experiuntur. Sic enim Aug. explicat eundem locum Pauli lib. de gratia, & libero arbit. c. 1. & 2. & Psal. 98. Idem docuit Ber. epist. 147. & lib. de præcepto, & dispensatione, & in vita Malachiæ, vbi de lucernis in candelabris positis ait. Quem mihi ostendas, vel de illorum numero qui videntur dati in lucem Gentium, non magis de sublimi fumantem, quàm flammantem? Nazianz. Orat. 15. circa finem. Optimè Chrysost. hom. 20. in Matth. vbi numerat leuia peccata quæ à perfectis viris vitari non possunt. Et ad hunc sensum exponit Theodoret. illud Malachiæ de Christo Dom. *Ipse quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum, sedebit conflans, & emundans argentum.* Hoc ergo intelligit Theodoret. de purificatione Sanctorum, in quibus, sicut & in purissimo auro, reperiuntur fæces mundandæ.

Ad Philip. 3.

Ratio huius rei desumenda est ex fragilitate hominis lapsi ad operandũ bonũ, quæ corruptio naturæ nunquã perfectè sanatur per habitualem gratiã, cùm semper maneat pugna inter carnẽ, & spiritum: vt autem caro non præueniat, vel ignorantia, aut incõsideratio, aut alia passio, necessaria est extraordinaria Dei motio, ac prouidẽtia, quæ habituali gratiæ non debetur; vnde non obstante gratia habituali manet in homine illa fragilitas prædicta, à qua proueniunt venialia peccata, quæ tamen amicitiã cũ Deo non dissoluunt. Qui enim amicũ, vel incautè, vel in re leuissima lædit, non censetur causam dedisse dissoluẽdæ amicitiæ, cùm sic peccans nihil diuino amori anteponat, vel adæquet. Nã, sicut notauit Aug. lib. de spiritu & litera c. vlt. & lib. de perfectione Iustitiæ ad medium. Bernar. Ser. 50. in Cant.

Ioan.

Ioan.Col. col. 22.c.23.D.Th.in Opusculo de Perfectione amoris; duplex est dilectio Dei. Altera, qua nihil ei anteponimus, nec adæquamus. Altera, qua perpetuò Deus cogitatur & amatur, & nihil aliud nisi cũ eo, vel propter eum amatur: hac posteriori dilectione amatur Deus à beatis in patria, in qua dilectione nec leuis quidem offensa potest esse, solique beatissimæ Virgini Matri ex priuilegio concessa est. Priori verò amare solent etiam perfectissimi homines Deum, cũ qua tamen dilectione possunt esse venialia, & leuia peccata, ratione quorum nec iustitia amittitur, nec qui sic delinquit, iusti nomenclaturã amittit. Si enim ij qui in maiora, & mortalia cadunt, propter resurgendi solicitudinẽ, potiùs iusti & sancti nomen retinẽt ac merentur, quàm propter frequentes lapsus nomẽ paccatoris, vt Hieronym. ad Rusticum subtiliter docet, refertúrque *in c. Septies. de Pœnitentia. distinct. 3.* maiori cum ratione is, qui nec amicitiam cum Deo dissoluit, nec iustitiam amisit, licèt in multis offendat, & multoties cadat, iustus dicetur.

NOTANDVM etiam est, hoc loco verbum illud, *offendimus*, de præsenti, dicere actualia peccata venialia. Vnde non est cur sententiam Iacobi & Ioannis, Luterus, & alij Hæretici ad concupiscentiam coarctent. Ideóque Hieron. 2. contra Pelag. confutat Pelagianorum effugium, dum dicunt peccatum, & offensam hoc loco, & similibus, dicí illud, quod ex natura, & conditione nostra habemus, nec indiget remissione; quod etiam refellit Ioannes Maxentius lib. fidei cap. 30. authoritate 10.

NOTANDVM secundò, hinc conuinci errorẽ Iouiniani, quem postea sequutus est Pelagius, asserẽtis filios Dei in hac vita ad eã perfectionem posse peruenire, cũ quæ nec leuiter peccẽt. Insuper etiã cõuincuntur, dũ non distinguunt inter peccatum mortale, & veniale, imò dicunt omnia esse æqualia, sicut breuiter notauit August. lib. de hæresib. c. 82. latiúsque tractat D. Hier. lib. 2. contra Iouinian.

NEQVE contra prædictam resolutionem obstat locus ille Lucæ, cùm de parentibus Baptistæ ait; *Incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus sine querela*, quo loco sicut refert Aug. epist. 95. abutebantur Hæretici, quatenus contendebant hominem posse carere omni peccato. Luc. 1.

NAN in primis possumus dicere cum Augustino ibidem, nomine *querelæ* nõ venire quodcumque peccatũ, sed graue, quod aliàs dicimus mortale, sine quo certum est iustos viuere posse; sicut Paulus dixit, *oportere Episcopum esse sine crimine*, id est, graui peccato. Quia verò non explicat quæ sit ista querela, & omne peccatum etiam leue reprehensibile est. Secundò, videtur dicendum incessisse sine querela, quia nemo hominum apud quos versati sunt, quicquam habuit, quod iure in eis reprehendere posset. De iustitia enim coram Deo, iam dixerat, eos fuisse iustos ante Deum. Hoc ergò verbo vsus est Paulus in eodem sensu, *vt sitis sine querela, & simplices filij Dei, sine reprehensione in medio nationis prauæ & peruersæ.* Et iterum. *Secundum iustitiam quæ ex lege est, conuersatus sine querela*, nempe hominum. Idem enim est sine querela, ac sine reprehensione; nam Græcè idem significat, ac si dictum esset, erant incedentes in mandatis, & iustificationibus irreprehensi, scilicet, 1. Tim. 3. Philip. 2. Philip. 3.

cet,vt eorum vita nequeat reprehendi ab vllo hominum.Et iterum.*Verbum sanum,irreprehensibile,vt is qui ex aduerso stat , vereatur nihil habens malum dicere de nobis*;vbi Paulus non imperat,vt opus nullũ peccatum habeat,nec etiam leue,sed ab iis abstineat,quæ iure ab hominibus reprehendi solent, qualia sunt grauia,sine quibus iusti viuunt.

TERTIO,cauẽda est hoc loco interpretatio de humilitate Iacobi,quasi ita loquutus fuerit per humilitatem. Est enim accipiendus locus secũdùm rei veritatem,vt definitum est in Concilio Mileuitano,Can.6.quod Hessellius Carthaginense nominauit,idque non respectu aliorum peccatorũ, sed in propria quoque persona.Ideóque optimè hoc loco Beda ait : Non dixit, *offenditis*,sed,*offẽdimus*,cùm summus Christi loqueretur Apostolus,& præmisit,*in multis*,subiunxit,*omnes*,vt tanto cautiùs se imperfecti quique in agendo,vel loquendo circumspicerent,quanto certiùs cognoscerent , quia nec perfecti quidem , & qui Spiritus sancti gratia duce incedunt , huius vitæ viam absque offensione peccati alicuius transire vllatenus possint , iuxta
Iob. 15. quod alibi scriptum est:*Cœli non sunt mundi in conspectu eius.*

§. II.

Iusti cùm cadunt,statim surgunt.

CÆTERVM notanda est conditio iustorum , qui in multis offendunt, quòd licèt offendant,præcipites omnino non aguntur,& licèt cadãt, continuò resurgunt:sicut notauit Hieronym.ad Rustic. Et Chrysost.homil. de Iona Propheta,tom.1.Petrus tertiò denegauit,& cum iuramento ad vilissimæ puellæ verba formidauit,sed ipsa nocte,qua cecidit , ipsa quoque surrexit,ipsa nocte,qua meruit plagam,meruit & medelam , ipsa, qua vulnus sensit,sensit & remedium sanitatis.Idque ex eo,quia in die cadunt , & à gratia Dei non excidunt. Quod notauit Bernard.Serm.17.in Cant.dicẽs;
Prou.14. *Septies cadit iustus,& septies resurgit*,si tamen cadat in die,vt se cadere videat, & cecidisse sciat,& resurgere cupiat,& requirat manum adiuuantis;proindéque statim resurgit,& plerumque perfectior resurgit.Et in hanc sentẽtiam
Rom.8. interpretatur Aug.lib.de correctione,& grat.cap.9.illud Pauli,*Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*,vt intelligatur etiam de peccatis, quia ex eis occasionem sumunt maioris cautelæ,& humiliores,feruẽtiores , & doctiores resurgunt.Sic etiam explicat Bern.Serm.de nimia fallacia præsentis vitæ,vbi inter alia ait. An verò ei peccata ipsa nõ cooperãtur in bonũ, qui ex eis humilior,feruentior,solicitior,timoratior, & cautior inuenitur?

VNDE Origen.homil.1.in Cant.(de quibus homiliis D. Hieron.qui eas ex Græco transtulit,in Præfatione ad Damasum ait.In cæteris libris omnes
Cant.1. vicit,in Canticis ipse se vicit) interpretatur illud Cant. *Nigra sum , sed formosa*,de nigredine Sponsæ , propter defectus , & de pulchritudine,propter surrectionem ab iisdem. Deinde ait : Si tu non egeris pœnitentiam , caue ne anima tua nigra dicatur, & turpis , & duplici fœditate turperis , nigra propter peccata præterita , turpis propter hoc, quia in iisdem vitiis per

perseueras. Quod dixit Paulus: *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore*; vbi loco *peccati*, nouo quodam, & inusitato, sed eleganti vocabulo vtitur Tertull. lib. de Resurrect. carnis; scilicet, *delinquentia*. Non dicit ergo Paulus, non sit, quia (sicut notauit Gregor. 14 Moral. c. 9.) nemo absque peccato esse potest, sed cauendum est, ne regnet, sedémque figat, & diu dominetur. Nam iniquitas, nisi pœnitētiæ motibus proiiciatur, indissolubiliter nobis adhæret. Quod prosequitur Hieremias cùm causam captiuitatis populi referēs, ait. *Migrauit Iuda propter afflictionem, & multitudinem seruitutis*: quod licèt ad alias seruitutes secundùm literalem sensum referatur, mysticè hunc habet sensum: Ductus est in captiuitatem populus Israel propter multitudinem seruitutis peccati, quia venditus propria voluntate vni peccato, statim alteri, multisque superuenientibus addicebatur, ideóque miserè in seruitutem redactus est, qui voluntate propria tot multiplicauerat seruitutes. Rom. 6. Thren. 1.

PROSEQVITVR hoc argumentum Philo lib. de Profugis; vbi notauit, Caini impudentis fratricidæ mortem nullatenus scriptam reperiri, imò appositum signum, ne quis eum inuentum interimeret. Cur ita? ait Philo. Opinor, quia impietas malum est infinitum, quod semel accensum nunquam extingui potest. In quam sententiam competit illud Poeticum.

Immortale malum nulla delebile morte.

Apud Deum tamen exanime mortuúmque. Videndus pro hac re D. Greg. 2. Moral. c. 16. & totidem verbis D. August. tractat. 60. super Ioann. vbi ait. Non est dubium sic hominis animum esse, quemadmodū & corporis membrum desperatiùs ægrotare, quando doloris amiserit sensum.

§. III.

Non contemnenda, sed potiùs cauenda venialia peccata.

CVM ergo hæc ita sint, meritò ea multa, in quibus offendimus, debemus cauere, ne tandem ad maiora deueniamus, non quasi multa venialia simul sumpta possint efficere aliquod magnum peccatum mortale; quod velle videtur Augustinus. Sic enim habet tractat. 1. super 1. Canonic. Ioann. Leuia noli contemnere, si contemnis, quando appendis, expauesce, quando numeras; leuia multa faciunt vnum grande, multæ namque guttæ implent flumen. Quod etiam velle videtur lib. 2. de peccatorum meritis, & remiss. cap. 3. & Concione 3. super Psalm. 118. & tractat. 12. in Ioan. Minuta peccata si negligantur, occidunt, minutæ sunt guttæ quæ flumina implent. Sed mentem Augustini interpretatur diuus Thomas 1. 2. q. 88. art. 3. Multa, scilicet, venialia, si contemnantur, paulatim disponere hominem ad lapsum mortalis peccati. Quod etiam aduertit Gregor. lib. 10. Moral. cap. 14. Si curare parua contemnimus, insensibiliter maiora contemnimus. Similia habet eodem lib. cap. 9. De leuibus vitiis non contemnendis, imò vitandis plura habet diuus Basilius lib. de

de Instit. Monach. cap. 18. & apud Chrysostom. tom. 5. serm. de leuium peccatorum periculis, qui pro hac re videndus est. Videndus item homil. 87. in Matth. & hom. 12. in epist. ad Roman. & homil. 14. ad Ephes. & Oratione de anima, tom. 5. & Theodoret. quæst. 21. in Leuit. Quod leue est, dum prætermittitur, paratiores efficit ad potiora. Et Hieronym. ad Celantiam. Nos etsi multum inter peccata distare credimus, quia & legimus, tamen satis prodesse ad cautionem dicimus, etiam minima pro maximis cauere. Tanto enim faciliùs abstinemus à quocumque delicto, quanto illud magis metuitur: nec citò ad maiora progreditur, qui etiã pauca formidat. Quod etiam
Cap. 19. dixit Ecclesiastic. *Qui spernit modica, paulatim decidet.* Quem sensum exponit Augustinus epist. 19. ad Hieronym. vbi docet, quibus remediis expientur frequentissima venialia, sine quibus nemo viuit. Quibus habet similia in Enchirid. cap. 17. Videndúsque Eusebius Emyssen. hom. 3. ad Monachos. Et Plutarch. lib. de profectibus virtutum sentiendis, vbi ait: *Signum non exiguum est, quòd rectè proficiens nullum iam peccatum exiguum putat, sed omnia studiosè vitat, atque obseruat.*

DEBEMVS proinde multa hæc, in quæ incidimus, cauere, & vitare, ne in maiora prolabamur, & occasiones fugere, ne offendamus, & ne minuta quæque maiora reddantur per multiplicem commissionem, maximè verò qui in publico loco sunt, & magisterio ac Prælatura funguntur, quorum vitia dissimulari nequeunt, sed statim manifesta, & veluti maiora fiũt. Qua de re videndus Bernard. Serm. 31. ex paruulis, cùm in hanc sentẽtiam
1. Cor. 4. interpretatur illud Pauli: *Spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus*, ita planè, & malis & bonis, cõcluditque illis dignissimis verbis; quòd si oculi hominum in nos sunt, nostri quò abiêre, aut quare soli ipsi recesserunt à nobis? Quod argumentum etiam prosequitur Chrysost. lib. 3. de Sacerdotio. Pro quo etiam facit Plut. lib. Polit. ad Traianum, vbi ait. *Quisque sibi vitam, & mores optimè excolere debet, quò prorsus omni nota, vituperationéque careat, quando præsertim eorum, qui præsunt, non modò singula verba, nec res tantùm publicitus gesta adnimaduerti notatione solent, sed virtus quoque, ioci simul, & seria quoque, domus ipsa, familia, vxor, cubile, curiosiùs inquiruntur.* Vnde Iuuenal.

Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto qui peccat maior habetur.

Meritò proinde D. Leo Serm. 11. de Quadragesima: Quis tantæ puritatis, vt iis non polluatur, sine quibus vita non ducitur? Beata mẽs, quæ peregrinationis suæ tempore casta sobrietate transcurrit, & in iis per quæ necesse est eam ambulare, non remanet, vt hospita magis, quàm domina terrenorum.

§. VI.

Iusti proprios defectus humiliter confitentur.

INCVLCAT etiam D. Iacobus, & fatetur hanc infirmitatem cadendi in multa, tum quia iustus accusator est sui, quod secundum felicitatis gradum

gradum post innocentiam dixit Cyprianus epist. 3. ad Cornel. & Hierony. contra Vigilantium. Prudentis hominis est scire mensuram suam, nam qui peccare se nescit, corrigi non vult. Sicut ex Epicuro refert Seneca epist. 28. *Tu existimas aliquid de remedio cogitare, qui mala sua virtutum loco numerant?* Ideò quantùm potes teipsum coargue. Proinde Bernardus epist. 2. ad Fulconem, ait: Charitas inde magis dolet, quòd cùm sis dolendus, non doles, & inde magis miseretur, quòd cùm miser sis, miserabilis non es: tum etiam quia agnitio, & confessio nostrorum defectuum nos compellit quærere ipsorum remedium, & obligat Deum, vt illis subueniat: nam vt dixit Cyprianus lib. de Lapsis: Si cladis causa cognoscitur, medela vulneris inuenitur. Et Seneca epist. 51. *Ideo difficulter ad sanitatem peruenimus, quia nos ægrotare nescimus.* Ideóque Gregor. 3. Moral. cap. 17. Dum quisque considerat quàm citiùs caro ad puluerem redeat, festinè superat hoc, quòd se de carne intus turpiter impugnat. Et Cypr. epist. 2. ad Donat. Ex cognitione nostræ fragilitatis ait nos consurgere in desiderium futuræ reformationis eiusdem fragilitatis in patria.

IDEOQVE Paulus dixit, Christum reformaturum corpus humilitatis nostræ, vt significet solos humiles qui se fragiles, & debiles agnoscunt, huius lilij miro, & sempiterno candore illustrandos; sicut notauit Bernard. Serm. 47. in Cantic. Et Chrysost. homil. 27. in Matth. ponderat id, quod Lucas refert, Seniores, scilicet, Iudæorum pro Centurione rogantes dixisse Christo: *Dignus est, vt hoc illi præstes*, &c. Ipse verò de se dixit Christo Domino, *Domine non sum dignus.* Vides, inquit Chrysostomus, prudentiam hominis, vides excellentiam animi, vides singularem quoque Iudæorum demētiam, dicunt enim dignum esse cui gratiam tribuat, nam cùm magis ad humilitatem, facilitatémque Iesu confugere deberent, dignitatem Centurionis præferunt: nec ipsi tamen scientes vnde obtendenda esset, dignum esse dicentes cui præstetur gratia; nec quare dignus esset prospicientes; sed non sic Centurio; sed valde se indignum asserebat, non salutari beneficio solùm, verùm etiam vt domum Iesum reciperet. Etenim ipsa confessio indignitatis ipsum reddidit dignum diuinis beneficiis, & medicamento cælesti.

IDEO etiam ille qui confessus est peccata sua, & indignitatem, vt oculos in cœlum leuaret, dum sibi displicet, Deo placet; & dum se accusat, à Deo defenditur. Pharisæus verò, qui iustitias suas prædicabat, & offensiones celabat, & in statione medici curandus sana membra ostendebat, damnatus est, quia tacuit vnde proficeret, non tacuit vnde deficeret: tacuit confessionem, clamauit merita sua. At verò, vt curaretur, debebat tacere, *nō sum sicut cæteri homines*: & fateri cum Iacobo: *In multis offendimus omnes.* Deus tegat vulnera, ait Augustinus Concione 2. in Psalm. 31. Noli tu, nam si tu tegere volueris, erubescens medicus non curabit, medicus tegat & curet; emplastro enim tegit, sub tegmine medici sanatur vulnus, sub tegmine vulnerati celatur vulnus. Similia habet Greg. in expositione 2. Psalmi Pœnitentiál. & Ber. Ser. 5. in dedicatione Ecclesiæ; vbi ait: Excludit miseriæ dissimulatio miserationem. Ideóque D. Leo Ser. 5. de ie-

iunio septimi mensis ait; Nihil est efficacius ad exorandum Deum, quàm vt homo ipse se iudicet, & nunquam desinat à venia postulanda, qui se scit nunquam esse sine culpa.

Hac igitur de causa Iacobus communem omnium, suámque itidem fragilitatem ostendit, vt eam cognoscentes pro ea remedium inquiramus, & postulemus à Deo, cui dum nos indignos & miseros ostendimus, digni reddimur, & misericordiam consequimur.

Nec contra præfatam doctrinam dixit Dauid: *Iudica me Domine secundùm iustitiam meam, & secundùm innocentiam meam super me.* Nam sicut ibi aduertit Basilius, ea quæ dicta sunt, humilitatem magis, quàm superbiam redolent. Etenim secundùm iustitiam, & innocentiam idem est ac dicere, ad mensuram humanæ fragilitatis iustitiam meam iudica; quoniam nos homines in multa delabimur incommoda ob inconsiderationem, & inexperientiam, & fragilem conditionem, quæ iniustitias nostras coram diuina iustitia excusant, & minuunt.

§. V.

Humana fragilitas defectus nostros excusat.

HOc etiã præ oculis debemus habere, quòd scilicet in multis omnes delinquamus, vt proximi in nos offensas, & conditionis nostræ defectus prætereamus, & dimittamus. Si enim Deo fuit ratio (non integra & sola, sicut aduertit D. Thom. 1. part. quæst. 64. art. 2.) redimendi homines naturæ humanæ fragilitas, vt aduertunt Theologi cum eodem D. Thoma 3. p. quæst. 1. & prosequitur Gregor. lib. 4. Moral. cap. 9. vbi ait: Misertus Creator vt redimeret, illam ad se debuit reducere, quam in perpetratione

Ioan. 8. culpæ ex infirmitate aliquid constat habuisse. Ideóque Christus Dom. volens absoluere mulierem deprehensam in adulterio, digito scribebat in terra, quasi assignans causam absolutionis à crimine, fragilitatem scilicet terrenam, & figmentum nostrum, quoniam puluis sumus, qui ad quamlibet auram mouetur. Vnde Leo Ser. 11. de Quadrages. Quis non infirmatur in carne? quis non sordescit in puluere? Debet ergo humana fragilitas ad commiserationem, & veniam nos deducere, vt qui in multis ostendimus, in multis etiam misericordes simus. Vnde per Salomonem dixit diuinus

Eccles. 7. Spiritus; *Noli esse iustus multùm*; quasi dicat; Noli nimiam iustitiam à proximo exigere, & quaslibet iniustitias damnare, aut citissimè iudicare, cùm nullus sine peccato sit, nec si vnius quidem diei fuerit vita eius, vt habent Septuaginta. Sic enim interpretantur hunc locum aliqui, vt agat contra rigidum ac trucem, aduersùs aliena peccata, faciléque alios iudicantem, atque damnantem; nam qui normam tenet iustitiæ, debet imbecillitates infirmorum sustinere, & errantes in spiritu lenitatis instruere.

Rom. 10 Vnde Gregorius 5. Moral. cap. 30. Cùm alienos, ait, excessus aspicimus, nostra quibus in aliis excessimus delicta, cogitemus, considerata

quip

quippe infirmitas propria, mala nobis excusat aliena; patienter namque illatam iniuriam tolerat, qui piè meminit, quòd fortasse adhuc habeat, in quo debeat ipse tolerari, & quasi aqua ignis extinguitur, cùm surgente furore animi, sua quæque ad mentem culpa reuocatur, quia erubescit sibi peccata non parcere, qui vel Deo, vel proximo sæpè se recolit parcenda peccasse.

Cvm ergo in multis Deum omnes offendamus, debemus multas offensas dimittere, & secundùm propriam infirmitatem, aliorum imbecillitates iudicare, & sustinere. Vidédus hac de re Arrianus Philosophus Stoicus lib. 1. in Epictet. cap. 18. & c. 28. vbi docet non irascendum peccatoribus, sed potiùs condolendum.

§. VI.

Prælati, ac magistri reprehensio mansuetudine debet condiri.

Illvd tandem non prætereundum est hoc loco, Iacobum se etiã offensorem in multis, cum cæteris fateri, vt increpationem de nolẽdo magisterio mitiorem redderet, sicut aduertit Feuard. Etenim reprehensio cùm sit veluti chirurgia affectionum animi (sicut dixit Clem. Alex. 1. Pædag. c. 8.) aliquando lenibus verbis, & fomentis debet adhiberi in spiritu lenitatis, vnde misericors, & miserator, & iustus Dominus monuit cum vino miscendum esse oleum ad vulnera; vt sit iustè consolans misericordia, & piè sæuiens disciplina, & ex lenitate ac seueritate temperamentum fiat, vt neque multa asperitate exacerbentur subditi, neque nimia benignitate soluantur; sicut dixit Gregor. 20. Moral. cap. 8. Vnde in Scriptura ipsa reprehẽsio aliquando *vnctionis* nomine venit intelligenda, sicut notauit Hierony. Ezechiel. 43. Nam vbi nostra vulgata, & Hebr. codex habet; *Vidi visionem secundùm speciem, quando veni, vt disperderem ciuitatem*: Septuaginta habent. *Quãdo ingressus sum, vt vngerem ciuitatem.* Ait ergo Hieron. Plurimam obscuritatem habet, quomodo Ezechiel ingressus sit vngere ciuitatem; nisi fortè illud dicamus, quòd correptio Prophetæ, sit vnctio ciuitatis. Proptereáque Paulus reprehensionem sic docebat. *Increpa in omni patientia.* Quæ verba põderans Prosper. 2. de vita contemplat. cap. 5. ait. Propterea addidit, *in omni patientia*, quia leniter castigatus exhibet reuerentiam castiganti, asperitate autem nimia & increpatione offensus, neque increpationem recipit, neque salutem. Et Aug. epist. 63. agens de modo quo subditi reprehendendi sunt, ita ait: Non asperè, quantùm existimo, non duriter, non modo imperioso ista tolluntur, magis docendo, quàm iubendo, magis monendo, quàm minando, & si quid minatur, cum dolore fiat. Videndus Chrysost. homilia 1. in Psalm. 50. cùm de Nathan introëunte ad Dauid ait. Intrauit portans gladium, vt secaret vulnus, sed infirmanti non ostendit, ne abhorreret medicinam. Abscondit de intus ferrum, non sub vestimento; sed sub velamine rationis, non dixit, O inique, ô adultere; sed, sermo mihi, ad te, ô Rex.

Luc. 10.

Ezec. 43.

2. Tim. 4.

§. I.

Quantæ perfectionis sit linguam custodire.

ILLVD hic locus apertè ostendit, moderationem scilicet in loquela, & parcitatem in verbis, signum apertissimum esse perfectionis internæ; nihil enim sic hominem ostendit, ac sermo. Quod notauit Chrysost. tom. 1. hom. de Iacob & Esau, cùm aduertit, quòd quantumuis attactu manus deceptus fuisset Isaac, quando existimauit eas esse Esau, cùm tamen non Genes. 27. essent, sed potiùs Iacob, statim verò ac loquutus est; dixit: *Vox quidem, vox Iacob est.* Ait ergo Chrysost. Fallit habitus patrem; sed vox indicat veritatem, refert vox quod habitus refellebat, nudat lingua quod tegmina simulabant: ita enim alienum est, quod simulatur, & proprium quod per vocem sentitur. Hoc ipsum ostendit ille locus apud Iob, vbi dicitur: *Docuit* Iob. 15 *iniquitas os tuum, assignatirque ori pro magistro cor.* Ideóque Clem. Alex. 3. Stromat. Qualis sermo, talis est vita. Et Hugo de Sanct. Vict. lib. 2. de Anima. Mores hominis lingua pandit, qualis sermo ostenditur, talis animus probatur. Similiáque habet Basil. lib. de vera Virginitate: Fluentum, inquit, sermonis quod ministerio linguæ ad exteriora deducitur, fontis ex quo manat index, ac testis est. Quod etiam prosequitur epist. 41. Cui accinit Clem. Alex. 2. Pædag. cap. 5. vbi ait: Cùm verba omnia emanent à cogitatione, non est arbor bona; quæ fructus malos facit, nec è contrà. Et Climacus grad. 26. Sicut is qui fert aromata, etiamsi nolit, ex odore proditur; ita & qui spiritum Dei habet, ex verbis suis agnoscitur.

HIC quoque illud aptandum est: *Sermo est fructus cogitationis.* Quod etiam prosequitur Ambros. lib. 2. de Abraham c. 1. & explicat Philo lib., de Migratione Abrahæ, eleganti similitudine petita ab horologiis, in quibus protensa manus ostendit quæ iam hora insonuerit, & quæ immineat: proindéque Philo appellat sermonem indicem rationis ac mentis, additque: Certè vmbræ, imaginique sermo est similis; sicut enim proposita imagine in cognitionem exemplaris ac prototypi deuenimus; ita audito sermone mentem ac vitam loquentis colligimus. Quod etiam dixit Plut. lib. de ædificandis liberis; & Seneca in Prouerbiis: *Imago*, inquit, *animi sermo est: qualis vita, talis oratio.* Cùm ergo ex lingua colligatur animus, qui non delinquit in lingua sua, perfectum & compositum testatur animum, & qui effrænem equum domat, beatum se in facto suo ostendit. Qua de re videndus Basil. interrogat. 28. & Ephrem de vita religiosa.

VNDE iam nobis potest constare, qua de causa viri sancti, nec etiam lacessiti, & prouocati, durum aliquid proferunt; ne auditores fortè offen- Ep. Iud. dantur, docuit nos hoc ille Angelus, de quo Iudas in sua epistola ita ait: *Cum Michaël Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore; non est ausus iudicium inferre blasphemiæ, sed dixit, imperet tibi Deus. Hi autem quæcunque ignorant, blasphemant*, &c. Vbi videmus D. Michaëlem tametsi contumeliose à diabolo lacessitum, & cum eo contendentem, non fuisse ausum maledice

maledicere;sed temperasse sermonem,& cum modestia citra maledictum aliquod in iudicium Dei totum negotium remisisse, dum dixit; *imperet tibi Deus*;hoc est,increpet Deus,& impediat petulãtem, & effrænem audaciam tuæ loquelæ; noluitque quidquam durius, & acerbius in Dei creaturam proferre.Est enim eo in loco aduertendum,vbi nostra vulgata habet,*imperet tibi Deus*;D.Hieron.in epistola ad Ruffinum,Hugon.Eterianum,& Andream Aret.ibi legere,*increpet*, quod & vox Græca ἐπιτιμήσαι, etiam sonat. Qui locus nos docet,si quando verbis aliorum duris offensi fuerimus, totum responsum diuinæ iustitiæ committere, & Deum maximè deprecari, vt petulantem erga nos linguam coërceat.

Qvod si necessum fuerit pro Dei Ecclesia, pro communi bono, pro fratrum defensione duriùs aliqua contra profanos,& maledicos, ac pestilentes profari,curandum maximè est,vt apertè constet,vnde acritas verborum proueniat,ne quis sola verba conspiciens existimet, venenum potiùs ore propinari,quàm medecinam. Vnde Epiphanius præfatione ad lib. de hæresib.ita ait: Ampliùs rogati sitis pro indulgenda venia, si alicubi reperietis nos aliquos impetere, aut cauillis incessere, cùm alias hunc morem non habeamus. Itaque si alicubi propter zelum aduersùs hæreses, & ad auertendos lectores,exacerbati dixerimus aliquos deceptores,aut circulatores,aut miseros homines,ignoscite.Ipsa enim necessitas aduersùs huius certaminis doctrinas instans, talem nobis sudorem efficit, & vt lectores auertantur,& vt ostendamus penitùs interdicta à nostra doctrina illorum opera,mysteriáque & doctrinas;quò etiam per orationis, ac contradictionis nostræ vehementiam,libertatem nostram ostendamus, & quò etiam aliquos ex ipsis per grauiores putatos sermones effugiamus.Vbi vides nullam prorsus in verbis debere dari acrimoniam, nisi in ordine ad communem vtilitatem,& Ecclesiæ,ac Sanctorum defensionem.

§. II.

Quàm difficile sit linguæ vitia superare.

Ostendit insuper hic locus raros admodùm inuentúq; difficiles qui vitio linguæ non laborent,quod prosequitur Ephrem de linguæ malo,aliisque vitiis;vbi ostendit sororem Moysis Mariam, quanuis esset alio- *Num. 12.* qui Vates ac Prophetissa,propter maledicentiæ verbum lepra damnatam fuisse;& de Moyse ita loquitur.Magnum & horrendum mare viam Moysi præcludere non potuit; sed verbum vnicum iniquè ab eo prolatum (ad aquas scilicet contradictionis)velut murus aliquis ipsi obstitit.Et Ber.Ser. de triplici custodia.Si dixeris,rarus est,qui sermones suos in iudicio disponere videatur,vel ex hoc disces quàm sit rara perfectio, cùm nec perfectum inueneris omnibus esse commune.Similiáque habet Orig. in epist. ad Rom. vbi loquens de vitio linguæ, ait. Quod crimen nescio si vel iustos quosque & electos relinquat immunes, sed puto quòd alius plus, alius

mi

natura & gratia vbique, præsertim c. 36. & à 60. vsque ad 69. & lib. 2. de peccatorum meritis, & remissione c. 6. & 7. & 13. vbi refert hunc locum Iacobi. & c. 36. & sequentibus, & lib. de perfectione Iustitiæ. & epistola 29. ad Hirony. & epist. 106. & lib. de bono Perseuerantiæ c. 8. vbi adducit Ambrosium lib. de fuga seculi c. 1. & lib. de Ecclesiastic. dogmatib. c. 35. & 36. Item lib. de Gratia Christi c. 40. vbi adducit Cyprianum, qui videri potest de opere & eleemosyna, in principio, vbi dicit; Sine vulnere conscientiæ esse non possumus. Quod & latè prosequitur lib. de orat. Dominica, ibi, *Dimitte nobis*, & lib. 2. ad Quirinum c. 54. Hierony. epist. ad Ctesiphontem, vbi ait: Pudeat eos qui aiunt, posse hominem esse absque peccato. Idem habet lib. 1. & 2. contra Iouinian. & in Comment. in Matt. c. 5. & in Epist. ad Saluinam, vbi ex Horatio ait;

——— Optimus ille est,
Qui minimis vrgetur. ———

Et sæpe Dialogis contra Pelag. Greg. 18. Moral. c. 4. & lib. 1. in lib. Reg. cap. 13. & hom. 17. in Euang. Fulgent. de fide ad Petrum, & lib. 1. ad Monimum; vbi ait. Nunc diuinorum munerum non est perfecta perfectio: quod Paulus apertè asserit. *Quotquot autem perfecti sumus, hoc censeamus, non quòd iam perfectus sim.* Ex quibus verbis colligit Fulg. vniuersam perfectionem huius vitæ imperfectam esse; fuit enim Paulus perfectus, quia implebat Legem Dei, imperfectus, quia secundùm carnem concupiscebat contra Legem Dei; quam imperfectionem omnes quantumcumque perfecti, experiuntur. Sic enim Aug. explicat eundem locum Pauli lib. de gratia, & libero arbit. c. 1. & 2. & Psal. 98. Idem docuit Ber. epist. 147. & lib. de præcepto, & dispensatione, & in vita Malachiæ, vbi de lucernis in candelabris positis ait. Quem mihi ostendas, vel de illorum numero qui videntur dati in lucem Gentium, non magis de sublimi fumantem, quàm flammantem? Nazianz. Orat. 15. circa finem. Optimè Chrysost. hom. 20. in Matth. vbi numerat leuia peccata quæ à perfectis viris vitari non possunt. Et ad hunc sensum exponit Theodoret. illud Malachiæ de Christo Dom. *Ipse quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum, sedebit conflans, & emundans argentum.* Hoc ergo intelligit Theodoret. de purificatione Sanctorum, in quibus, sicut & in purissimo auro, reperiuntur fæces mundandæ.

Ad Philip. 3.

Ratio huius rei desumenda est ex fragilitate hominis lapsi ad operandū bonū, quæ corruptio naturæ nunquā perfectè sanatur per habitualem gratiā, cùm semper maneat pugna inter carnē, & spiritum: vt autem caro non præueniat, vel ignorantia, aut incōsideratio, aut alia passio, necessaria est extraordinaria Dei motio, ac prouidētia, quæ habituali gratiæ non debetur; vnde non obstante gratia habituali manet in homine illa fragilitas prædicta, à qua proueniunt venialia peccata, quæ tamen amicitiā cū Deo non dissoluunt. Qui enim amicū, vel incautè, vel in re leuissima lædit, non censetur causam dedisse dissoluēdæ amicitiæ, cùm sic peccans nihil diuino amori anteponat, vel adæquet. Nā, sicut notauit Aug. lib. de spiritu & litera c. vlt. & lib. de perfectione Iustitiæ ad medium. Bernar. Ser. 50. in Cant.

Ioan.

Ioan.Col. col.22.c.23.D.Th.in Opusculo de Perfectione amoris; duplex est dilectio Dei. Altera, qua nihil ei anteponimus, nec adæquamus. Altera, qua perpetuò Deus cogitatur & amatur, & nihil aliud nisi cũ eo, vel propter eum amatur: hac posteriori dilectione amatur Deus à beatis in patria, in qua dilectione nec leuis quidem offensa potest esse, solíque beatissimæ Virgini Matri ex priuilegio concessa est. Priori verò amare solent etiam perfectissimi homines Deum, cũ qua tamen dilectione possunt esse venialia, & leuia peccata, ratione quorum nec iustitia amittitur, nec qui sic delinquit, iusti nomenclaturã amittit. Si enim ij qui in maiora, & mortalia cadunt, propter resurgendi solicitudinẽ, potiùs iusti & sancti nomen retinẽt ac merentur, quàm propter frequentes lapsus nomẽ paccatoris, vt Hieronym. ad Rusticum subtiliter docet, refertúrque *in c. Septies. de Pœnitentia. distinct. 3.* maiori cum ratione is, qui nec amicitiam cum Deo dissoluit, nec iustitiam amisit, licèt in multis offendat, & multoties cadat, iustus dicetur.

NOTANDVM etiam est, hoc loco verbum illud, *offendimus*, de præsenti, dicere actualia peccata venialia. Vnde non est cur sententiam Iacobi & Ioannis, Luterus, & alij Hæretici ad concupiscentiam coarctent. Ideóque Hieron. 2. contra Pelag. confutat Pelagianorum effugium, dum dicunt peccatum, & offensam hoc loco, & similibus, dici illud, quod ex natura, & conditione nostra habemus, nec indiget remissione; quod etiam refellit Ioannes Maxentius lib. fidei cap. 30. authoritate 10.

NOTANDVM secundò, hinc conuinci errorẽ Iouiniani, quem postea sequutus est Pelagius, asserẽtis filios Dei in hac vita ad eã perfectionem posse peruenire, cũ quæ nec leuiter peccẽt. Insuper etiã cõuincuntur, dũ non distinguunt inter peccatum mortale, & veniale, imò dicunt omnia esse æqualia, sicut breuiter notauit August. lib. de hæresib. c. 82. latiúsque tractat D. Hier. lib. 2. contra Iouinian.

NEQVE contra prædictam resolutionem obstat locus ille Lucæ, cùm de parentibus Baptistæ ait; *Incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus sine querela*, quo loco sicut refert Aug. epist. 95. abutebantur Hæretici, quatenus contendebant hominem posse carere omni peccato. *Luc. 1.*

NAN in primis possumus dicere cum Augustino ibidem, nomine *querela* nõ venire quodcumque peccatũ, sed graue, quod aliàs dicimus mortale, sine quo certum est iustos viuere posse; sicut Paulus dixit, *oportere Episcopum esse sine crimine*, id est, graui peccato. Quia verò non explicat quæ sit ista querela, & omne peccatum etiam leue reprehensibile est. Secundò, videtur dicendum incessisse sine querela, quia nemo hominum apud quos versati sunt, quicquam habuit, quod iure in eis reprehendere posset. De iustitia enim coram Deo, iam dixerat, eos fuisse iustos ante Deum. Hoc ergò verbo vsus est Paulus in eodem sensu, *vt sitis sine querela, & simplices filij Dei, sine reprehensione in medio nationis praua & peruersa*. Et iterum. *Secundùm iustitiam qua ex lege est, conuersatus sine querela*, nempe hominum. Idem enim est sine querela, ac sine reprehensione; nam Græcè idem significat, ac si dictum esset, erant incedentes in mandatis, & iustificationibus irreprehensi, scilicet, *1. Tim. 3.* *Philip. 2.* *Philip. 3.*

cet,vt eorum vita nequeat reprehendi ab vllo hominum.Et iterum.*Verbum sanum,irreprehensibile,vt is qui ex aduerso stat , vereatur nihil habens malum dicere de nobis*;vbi Paulus non imperat,vt opus nullū peccatum habeat,nec etiam leue,sed ab iis abstineat,quæ iure ab hominibus reprehendi solent, qualia sunt grauia,sine quibus iusti viuunt.

TERTIO,cauēda est hoc loco interpretatio de humilitate Iacobi,quasi ita loquutus fuerit per humilitatem. Est enim accipiendus locus secūdùm rei veritatem,vt definitum est in Concilio Mileuitano,Can.6.quod Hesselius Carthaginense nominauit,idque non respectu aliorum peccatorū, sed in propria quoque persona.Ideóque optimè hoc loco Beda ait: Non dixit, *offenditis*,sed,*offēdimus*,cùm summus Christi loqueretur Apostolus,& præmisit,*in multis*,subiunxit,*omnes*,vt tanto cautiùs se imperfecti quique in agendo,vel loquendo circumspicerent,quanto certiùs cognoscerent, quia nec perfecti quidem, & qui Spiritus sancti gratia duce incedunt, huius vitæ viam absque offensione peccati alicuius transire vllatenus possint, iuxta
Iob.15. quod alibi scriptum est:*Cæli non sunt mundi in conspectu eius.*

§. II.

Iusti cùm cadunt,statim surgunt.

CÆTERVM notanda est conditio iustorum, qui in multis offendunt, quòd licèt offendant,præcipites omnino non aguntur,& licèt cadāt, continuò resurgunt:sicut notauit Hieronym.ad Rustic. Et Chrysost.homil. de Iona Propheta,tom.1.Petrus tertiò denegauit,& cum iuramento ad vilissimæ puellæ verba formidauit,sed ipsa nocte,qua cecidit, ipsa quoque surrexit,ipsa nocte,qua meruit plagam,meruit & medelam, ipsa, qua vulnus sensit,sensit & remedium sanitatis.Idque ex eo,quia in die cadunt, & à gratia Dei non excidunt. Quod notauit Bernard.Serm.17.in Cant.dicēs;
Prou.24. *Septies cadit iustus,& septies resurgit*,si tamen cadat in die,vt se cadere videat, & cecidisse sciat,& resurgere cupiat,& requirat manum adiuuantis;proindéque statim resurgit,& plerumque perfectior resurgit.Et in hanc sentētiam
Rom.8. interpretatur Aug.lib.de correctione,& grat.cap.9.illud Pauli,*Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*,vt intelligatur etiam de peccatis, quia ex eis occasionem sumunt maioris cautelæ,& humiliores,feruētiores, & doctiores resurgunt.Sic etiam explicat Bern.Serm.de nimia fallacia præsentis vitæ,vbi inter alia ait. An verò ei peccata ipsa nō cooperātur in bonū, qui ex eis humilior,feruentior,solicitior,timoratior, & cautior inuenitur?

VNDE Origen.homil.1.in Cant.(de quibus homiliis D. Hieron.qui eas ex Græco transtulit,in Præfatione ad Damasum ait.In cæteris libris omnes
Cant.1. vicit,in Canticis ipse se vicit) interpretatur illud Cant. *Nigra sum, sed formosa*,de nigredine Sponsæ, propter defectus, & de pulchritudine,propter surrectionem ab iisdem. Deinde ait: Si tu non egeris pœnitentiam, caue ne anima tua nigra dicatur, & turpis, & duplici fœditate turperis, nigra propter peccata præterita, turpis propter hoc, quia in iisdem vitiis per

perseueras. Quod dixit Paulus: *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore*; vbi loco *peccati*, nouo quodam, & inusitato, sed eleganti vocabulo vtitur Tertull. lib. de Resurrect. carnis; scilicet, *delinquentia*. Non dicit ergo Paulus, non sit, quia (sicut notauit Gregor. 14 Moral. c. 9.) nemo absque peccato esse potest, sed cauendum est, ne regnet, sedémque figat, & diu dominetur. Nam iniquitas, nisi pœnitétiæ motibus proiiciatur, indissolubiliter nobis adhæret. Quod prosequitur Hieremias cùm causam captiuitatis populi referés, ait. *Migrauit Iuda propter afflictionem, & multitudinem seruitutis*: quod licèt ad alias seruitutes secundùm literalem sensum referatur, mysticè hunc habet sensum: Ductus est in captiuitatem populus Israel propter multitudinem seruitutis peccati, quia venditus propria voluntate vni peccato, statim alteri, multisque superuenientibus addicebatur, ideoque miserè in seruitutem redactus est, qui voluntate propria tot multiplicauerat seruitutes. Rom. 6. Thren. 1.

PROSEQVITVR hoc argumentum Philo lib. de Profugis; vbi notauit, Caini impudentis fratricidæ mortem nullatenus scriptam reperiri, imò appositum signum, ne quis eum inuentum interimeret. Cur ita? ait Philo. Opinor, quia impietas malum est infinitum, quod semel accensum nunquam extingui potest. In quam sententiam competit illud Poeticum.

Immortale malum nulla delebile morte.

Apud Deum tamen exanime mortuúmque. Videndus pro hac re D. Greg. 2. Moral. c. 16. & totidem verbis D. August. tractat. 60. super Ioann. vbi ait. Non est dubium sic hominis animum esse, quemadmodū & corporis membrum desperatiùs ægrotare, quando doloris amiserit sensum.

§. III.

Non contemnenda, sed potiùs cauenda venialia peccata.

CVM ergo hæc ita sint, meritò ea multa, in quibus offendimus, debemus cauere, ne tandem ad maiora deueniamus, non quasi multa venialia simul sumpta possint efficere aliquod magnum peccatum mortale; quod velle videtur Augustinus. Sic enim habet tractat. 1. super 1. Canonic. Ioann. Leuia noli contemnere, si contemnis, quando appendis, expauesce, quando numeras; leuia multa faciunt vnum grande, multæ namque guttæ implent flumen. Quod etiam velle videtur lib. 2. de peccatorum meritis, & remiss. cap. 3. & Concione 3. super Psalm. 118. & tractat. 12. in Ioan. Minuta peccata si negligantur, occidunt, minutæ sunt guttæ quæ flumina implent. Sed mentem Augustini interpretatur diuus Thomas 1. 2. q. 88. art. 3. Multa, scilicet, venialia, si contemnantur, paulatim disponere hominem ad lapsum mortalis peccati. Quod etiam aduertit Gregor. lib. 10. Moral. cap. 14. Si curare parua contemnimus, insensibiliter maiora contemnimus. Similia habet eodem lib. cap. 9. De leuibus vitiis non contemnendis, imò vitandis plura habet diuus Basilius lib. de

de Instit. Monach. cap. 18. & apud Chrysostom. tom. 5. serm. de leuium peccatorum periculis, qui pro hac re videndus est. Videndus item homil. 87. in Matth. & hom. 12. in epist. ad Roman. & homil. 14. ad Ephes. & Oratione de anima, tom. 5. & Theodoret. quæst. 21. in Leuit. Quod leue est, dum prætermittitur, paratiores efficit ad potiora. Et Hieronym. ad Celantiam. Nos etsi multum inter peccata distare credimus, quia & legimus, tamen satis prodesse ad cautionem dicimus, etiam minima pro maximis cauere. Tanto enim faciliùs abstinemus à quocumque delicto, quanto illud magis metuitur: nec citò ad maiora progreditur, qui etiã pauca formidat. Quod etiam
Cap. 19. dixit Ecclesiastic. *Qui spernit modica, paulatim decidet.* Quem sensum exponit Augustinus epist. 19. ad Hieronym. vbi docet, quibus remediis expientur frequentissima venialia, sine quibus nemo viuit. Quibus habet similia in Enchirid. cap. 17. Videndúsque Eusebius Emyssen. hom. 3. ad Monachos. Et Plutarch. lib. de profectibus virtutum sentiendis, vbi ait: *Signum non exiguum est, quòd rectè proficiens nullum iam peccatam exiguum putat, sed omnia studiosè vitat, atque obseruat.*

DEBEMVS proinde multa hæc, in quæ incidimus, cauere, & vitare, ne in maiora prolabamur, & occasiones fugere, ne offendamus, & ne minuta quæque maiora reddantur per multiplicem commissionem, maximè verò qui in publico loco sunt, & magisterio ac Prælatura funguntur, quorum vitia dissimulari nequeunt, sed statim manifesta, & veluti maiora fiũt. Qua de re videndus Bernard. Serm. 31. ex paruulis, cùm in hanc sentẽtiam
1. Cor. 4. interpretatur illud Pauli: *Spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus*, ita planè, & malis & bonis, cõcluditque illis dignissimis verbis; quòd si oculi hominum in nos sunt, nostri quò abiêre, aut quare soli ipsi recesserunt à nobis? Quod argumentum etiam prosequitur Chrysost. lib. 3. de Sacerdotio. Pro quo etiam facit Plut. lib. Polit. ad Traianum, vbi ait. *Quisque sibi vitam, & mores optimè excolere debet, quò prorsus omni nota, vituperationéque careat, quando præsertim eorum, qui præsunt, non modò singula verba, nec res tantùm publicitus gesta adnimaduerti notatione solent, sed virtus quoque, ioci simul, & seria quoque, domus ipsa, familia, vxor, cubile, curiosiùs inquiruntur.* Vnde Iuuenal.

Omne animi vitium tanto conspectius in se
Crimen habet, quanto qui peccat maior habetur.

Meritò proinde D. Leo Serm. 11. de Quadragesima: Quis tantæ puritatis, vt iis non polluatur, sine quibus vita non ducitur? Beata mẽs, quæ peregrinationis suæ tempore casta sobrietate transcurrit, & in iis per quæ necesse est eam ambulare, non remanet, vt hospita magis, quàm domina terrenorum.

§. VI.

Justi proprois defectus humiliter confitentur.

INCVLCAT etiam D. Iacobus, & fatetur hanc infirmitatem cadendi in multa, tum quia iustus accusator est sui, quod secundum felicitatis gradum

gradum post innocentiam dixit Cyprianus epist. 3. ad Cornel. & Hierony. contra Vigilantium. Prudentis hominis est scire mensuram suam, nam qui peccare se nescit, corrigi non vult. Sicut ex Epicuro refert Seneca epist. 28. *Tu existimas aliquid de remedio cogitare, qui mala sua virtutum loco numerant?* Ideò quantùm potes teipsum coargue. Proinde Bernardus epist. 2. ad Fulconem, ait: Charitas inde magis dolet, quòd cùm sis dolendus, non doles, & inde magis miseretur, quòd cùm miser sis, miserabilis non es: tum etiam quia agnitio, & confessio nostrorum defectuum nos compellit quærere ipsorum remedium, & obligat Deum, vt illis subueniat: nam vt dixit Cyprianus lib. de Lapsis: Si cladis causa cognoscitur, medela vulneris inuenitur. Et Seneca epist. 51. *Ideo difficulter ad sanitatem peruenimus, quia nos ægrotare nescimus.* Ideóque Gregor. 3. Moral. cap. 17. Dum quisque considerat quàm citiùs caro ad puluerem redeat, festine superat hoc, quòd se de carne intus turpiter impugnat. Et Cypr. epist. 2. ad Donat. Ex cognitione nostræ fragilitatis ait nos consurgere in desiderium futuræ reformationis eiusdem fragilitatis in patria.

IDEOQVE Paulus dixit, Christum reformaturum corpus humilitatis nostræ, vt significet solos humiles qui se fragiles, & debiles agnoscunt, huius lilij miro, & sempiterno candore illustrandos; sicut notauit Bernard. Serm. 47. in Cantic. Et Chrysost. homil. 27. in Matth. ponderat id, quod Lucas refert, Seniores, scilicet, Iudæorum pro Centurione rogantes dixisse Christo: *Dignus est, vt hoc illi præstes,* &c. Ipse verò de se dixit Christo Domino, *Domine non sum dignus.* Vides, inquit Chrysostomus, prudentiam hominis, vides excellentiam animi, vides singularem quoque Iudæorum demẽtiam, dicunt enim dignum esse cui gratiam tribuat, nam cùm magis ad humilitatem, facilitatémque Iesu confugere deberent, dignitatem Centurionis præferunt: nec ipsi tamen scientes vnde obtendenda esset, dignum esse dicentes cui præstetur gratia; nec quare dignus esset prospicientes; sed non sic Centurio, sed valde se indignum asserebat, non salutari beneficio solùm, verùm etiam vt domum Iesum reciperet. Etenim ipsa confessio indignitatis ipsum reddidit dignum diuinis beneficiis, & medicamento cælesti.

IDEO etiam ille qui confessus est peccata sua, & indignitatem, vt oculos in cœlum leuaret, dum sibi displicet, Deo placet; & dum se accusat, à Deo defenditur. Pharisæus verò, qui iustitias suas prædicabat, & offensiones celabat, & in statione medici curandus sana membra ostendebat, damnatus est, quia tacuit vnde proficeret, non tacuit vnde deficeret: tacuit confessionem, clamauit merita sua. At verò, vt curaretur, debebat tacere, *nõ sum sicut cæteri homines*: & fateri cum Iacobo: *In multis offendimus omnes.* Deus tegat vulnera, ait Augustinus Concione 2. in Psalm. 31. Noli tu, nam si tu tegere volueris, erubescens medicus non curabit, medicus tegat & curet; emplastro enim tegit, sub tegmine medici sanatur vulnus, sub tegmine vulnerati celatur vulnus. Similia habet Greg. in expositione 2. Psalmi Pœnitential. & Ber. Ser. 5. in dedicatione Ecclesiæ; vbi ait: Excludit miseriæ dissimulatio miserationem. Ideóque D. Leo Ser. 5. de Ie-

iunio septimi mensis ait; Nihil est efficacius ad exorandum Deum, quàm vt homo ipse se iudicet, & nunquam desinat à venia postulanda, qui se scit nunquam esse sine culpa.

Hac igitur de causa Iacobus communem omnium, suámque itidem fragilitatem ostendit, vt eam cognoscentes pro ea remedium inquiramus, & postulemus à Deo, cui dum nos indignos & miseros ostendimus, digni reddimur, & misericordiam consequimur.

Nec contra præfatam doctrinam dixit Dauid: *Iudica me Domine secundùm iustitiam meam, & secundùm innocentiam meam super me.* Nam sicut ibi aduertit Basilius, ea quæ dicta sunt, humilitatem magis, quàm superbiam redolent. Etenim secundùm iustitiam, & innocentiam idem est ac dicere, ad mensuram humanæ fragilitatis iustitiam meam iudica; quoniam nos homines in multa delabimur incommoda ob inconsiderationem, & inexperientiam, & fragilem conditionem, quæ iniustitias nostras coram diuina iustitia excusant, & minuunt.

§. V.

Humana fragilitas defectus nostros excusat.

Hoc etiã præ oculis debemus habere, quòd scilicet in multis omnes delinquamus, vt proximi in nos offensas, & conditionis nostræ defectus prætereamus, & dimittamus. Si enim Deo fuit ratio (non integra & sola, sicut aduertit D. Thom. 1. part. quæst. 64. art. 2.) redimendi homines naturæ humanæ fragilitas, vt aduertunt Theologi cum eodem D. Thoma 3. p. quæst. 1. & prosequitur Gregor. lib. 4. Moral. cap. 9. vbi ait: Misertus Creator vt redimeret, illam ad se debuit reducere, quam in perpetratione
Ioan. 8. culpæ ex infirmitate aliquid constat habuisse. Ideóque Christus Dom. volens absoluere mulierem deprehensam in adulterio, digito scribebat in terra, quasi assignans causam absolutionis à crimine, fragilitatem scilicet terrenam, & figmentum nostrum, quoniam puluis sumus, qui ad quamlibet auram monetur. Vnde Leo Ser. 11. de Quadrages. Quis non infirmatur in carne? quis non sordescit in puluere? Debet ergo humana fragilitas ad commiserationem, & veniam nos deducere, vt qui in multis offendimus, in multis etiam misericordes simus. Vnde per Salomonem dixit diuinus
Eccles. 7. Spiritus; *Noli esse iustus multùm*; quasi dicat; Noli nimiam iustitiam à proximo exigere, & quaslibet iniustitias damnare, aut citissimè iudicare, cùm nullus sine peccato sit, nec si vnius quidem diei fuerit vita eius, vt habent Septuaginta. Sic enim interpretantur hunc locum aliqui, vt agat contra rigidum ac trucem, aduersùs aliena peccata, faciléque alios iudicantem, atque damnantem; nam qui normam tenet iustitiæ, debet imbecillitates infirmorum sustinere, & errantes in spiritu lenitatis instruere.
Rom. 10 re. Vnde Gregorius 5. Moral. cap. 30. Cùm alienos, ait, excessus aspicimus, nostra quibus in aliis excessimus delicta cogitemus, considerata

quippe infirmitas propria, mala nobis excusat aliena; patienter namque illatam iniuriam tolerat, qui piè meminit, quòd fortasse adhuc habeat, in quo debeat ipse tolerari, & quasi aqua ignis extinguitur, cùm surgente furore animi, sua quæque ad mentem culpa reuocatur, quia erubescit sibi peccata non parcere, qui vel Deo, vel proximo sæpè se recolit parcenda peccasse.

CVM ergo in multis Deum omnes offendamus, debemus multas offensas dimittere, & secundùm propriam infirmitatem, aliorum imbecillitates iudicare, & sustinere. Vidêdus hac de re Arrianus Philosophus Stoicus lib. 1. in Epictet. cap. 18. & c. 28. vbi docet non irascendum peccatoribus, sed potiùs condolendum.

§. VI.

Prælati, ac magistri reprehensio mansuetudine debet condiri.

ILLVD tandem non prætereundum est hoc loco, Iacobum se etiã offensorem in multis, cum cæteris fateri, vt increpationem de nolẽdo magisterio mitiorem redderet, sicut aduertit Feuard. Etenim reprehensio cùm sit veluti chirurgia affectionum animi (sicut dixit Clem. Alex. 1. Pædag. c. 8.) aliquando lenibus verbis, & fomentis debet adhiberi in spiritu lenitatis, vnde misericors, & miserator, & iustus Dominus monuit cum vino miscendum esse oleum ad vulnera; vt sit iustè consolans misericordia, & piè sæuiens disciplina, & ex lenitate ac seueritate temperamentum fiat, vt neque multa asperitate exacerbentur subditi, neque nimia benignitate soluantur; sicut dixit Gregor. 20. Moral. cap. 8. Vnde in Scriptura ipsa reprehẽsio aliquando *vnctionis* nomine venit intelligenda, sicut notauit Hierony. Ezechiel. 43. Nam vbi nostra vulgata, & Hebr. codex habet; *Vidi visionem secundum speciem, quando veni, vt disperderem ciuitatem:* Septuaginta habent. *Quãdo ingressus sum, vt vngerem ciuitatem.* Ait ergo Hieron. Plurimam obscuritatem habet, quomodo Ezechiel ingressus sit vngere ciuitatem; nisi fortè illud dicamus, quòd correptio Prophetæ, sit vnctio ciuitatis. Proptereáque Paulus reprehensionem sic docebat. *Increpa in omni patientia.* Quæ verba põderans Prosper. 2. de vita contemplat. cap. 5. ait. Propterea addidit, *in omni patientia,* quia leniter castigatus exhibet reuerentiam castiganti, asperitate autem nimia & increpatione offensus, neque increpationem recipit, neque salutem. Et Aug. epist. 63. agens de modo quo subditi reprehendendi sunt, ita ait: Non asperè, quantùm existimo, non duriter, non modo imperioso ista tolluntur, magis docendo, quàm iubendo, magis monendo, quàm minando, & si quid minatur, cum dolore fiat. Videndus Chrysost. homilia 1. in Psalm. 50. cùm de Nathan introëunte ad Dauid ait. Intrauit portans gladium, vt secaret vulnus, sed infirmanti non ostendit, ne abhorreret medicinam. Abscondit de intus ferrum, non sub vestimento; sed sub velamine rationis, non dixit. O inique, ô adultere; sed, sermo mihi, ad te, ô Rex.

Luc. 10. Ezec. 43. 2. Tim. 4.

Et Plutarch. lib. de discrimine adulatoris, & amici, ad finem. *Medicos,* inquit, *amicos oportet imitari in corripiendo; neque enim illi cum secant partem affectam; in cruciatu, & molestia destituunt; sed placidè rigant, ac leniunt: & qui admonent civiliter amicum, non aufugiunt postéaquam amara, mordaciáque admonuerint: sed aliis colloquiis, & comitate verborum deliniunt, & molliunt: quemadmodum & fabri lapidarij vulnus, ac cicatricem, quam ictu scltis inflixerunt in statuis iterum fulciendo læuigant, ac nuidam reddunt; namque qui reprehensione vulneratus, & ira perturbatus, ac tumens dimittitur, hunc postea difficile reuoces, ac concilieris.* Et Chrysost. tom. 1. hom. de habenda cura salutis proximi. Admonitio, inquit, misericordia carens, tortura quædam est. Quod etiam prosequitur hom. 6. & 7. in Act. Apostol. vbi ait: Percutiens obdurata pectora, non tam facilè ea sentire facit, quàm si priùs mollia reddat; mollit autem mansuetudo. Et Clem. Alex. 1. Pædag. c. 9. ostendit, beneficum simul, ac punitorem, iustum esse pædagogum.

VNDE Ber. Serm. 25. in Cant. sic alloquitur Prælatos; Discite subditorum matres vos esse, non dominos, studete magis amari, quàm metui. Et si interdum seueritate opus est, paterna sit, non tyrannica, matres fouendo, patres vos corripiendo exhibeatis. Quod etiam notauit D. Hilar. ad ea verba Isaiæ de Messia Seruatore. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice*

Isai c. 11. *eius ascendet.* Floris suauitate, virgæ asperitatem temperauit diuinum Oraculum, vt vna, & eadem virgula florida, & vulnus præbeat, & vulneris remedium. Ideóque prosperum regnum Messiæ pollicebatur Dauid, quia veritatem, & mansuetudinem debet habere; vbi per mansuetudinem D. Thom. & Anselm. moderationem in sumendis suppliciis, & increpandis defectibus intelligunt; & hæc mansuetudo pernecessaria est magistris & Prælatis. Nam Psalm. 17. vbi nos habemus: *Disciplina tua ipsa me docebit;*

Psal. 17. Hieron. ex Heb. legit, *Mansuetudo tua:* hæc enim virtus maximè conducit magistris, vt discipuli etiam in mansuetudine suscipiant verbum: & hanc virtutem tentarunt Iudæi à Christo Domino eripere, dum adulteram de-

Ioann. 8 prehensam in crimine ad eum adduxerunt, sicut notauit August. Serm. 47. de Tempore. Seneca verò lib. 1. de Ira c. 13. *Non est prudentis erramen odisse, alioquin ipse sibi odio est.* Hæc igitur fuit ratio, cur Iacobus in ipsa dura, & aperta reprehensione lenia verba commisceat, dicendo se etiam in multis offendere, ne auditores reprehensione offenderentur, & nihil proficerent dum ipsam ægrè ferrent.

Vers. 3. *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir, potens etiam fræno circunducere totum corpus.*

EXPOSITIO LITERALIS.



HÆC est secunda pars huius capitis in qua latissimè differit Apostolus de commodis, & incommodis linguæ, & probat hoc in loco id quod dixerat, scilicet, nos in multis offendere, quia nullus ferè

ferè est qui vitio linguæ non labatur, vt inde etiam probat, sicut aduertit Glossa, nō appetendas Prælationes; quia qui cupit præesse aliis, debet ipsis esse perfectior: iam verò difficillimū est linguā coërcere, vnde Ecclesiasticus dixit: *Multi ceciderunt per gladium, sed non tanti quanti per linguam*: & iterum: *Quis est qui non deliquerit in lingua sua?* Verbum autem, *offendit*; est præsentis temporis, sicut & superiori versiculo; & sensus est. In multis omnes offendimus, vt patet in loquutione, in qua tot vitia reperiuntur, quale est verbum doli, detractionis, maledictionis, superbiæ, iactantiæ, excusationis in peccatis, æmulationis, dissensionis, hæresis, mendacij, luxuriæ, & periurij, vt otiosa, & superflua verba omittamus. Eccl. 28. Cap. 19.

QVIS ergo est qui non arrauerit per linguam suam? quòd si quis suæ linguæ lubricitatem superauerit, nónne hic idoneus est, qui totum corpus circumagat? ait Oecumen. Poterit hic totum corpus suum regere; nam qui deuicit illud quod facillimum est ad lapsum, nequaquam superari poterit ab eo quod longè tardius est; maximè quia hic perfectus ostenditur, seu, vt Syriaca habet, *hic sanè beatus est in opere suo*; quod etiam habet Pagnin. & Vatab. Nomine *corporis* hoc in loco omnia vitia intelligenda sunt, & corpus peccati, quod priùs frænandum, postea destruendum est. Sunt autem eius membra, singula vitia; qua de re videndus Hieron. in c. 6. epist. ad Roman. ad illa verba, *Destruetur corpus peccati*; & D. Thom. ibi lect. 2. Chrysost. hom. 10. in eandem epist. Ideóque hoc loco Caietan. ait. *Potens est circunducere totum corpus actionum suarum tanquam fræno.*

VEL etiam, & fortè meliùs nomine *corporis* intelliguntur animi perturbationes quæ vulgò passiones dicuntur. Quam expositionem mihi probat modus loquendi Iacobi, dum ait, *potens fræno circunducere corpus suum*: etenim in sacra Scriptura nomine *equorum*, quibus fræna competunt, intelliguntur prædictæ passiones; quod probat Hieron. in cap. 6. Zachariæ, & Orig. hom. 15. in Iosue, cùm ait: Sed etsi passiones corporis, id est, libidinem, lasciuiam, vel superbiam, ac leuitatem, quibus infelix anima, velut equitans vectatur, & fertur ad præcipitia, equos nunc dici, & currus intelligamus, & ipsos esse, qui ex præcepto Dei subneruari iubentur; non erit rationi nostræ contraria intelligentia.

ILLVD autem quod dicit Iacobus, *hic perfectus est*; non ita accipiendum est, quasi in euitatione prolationis verbi illiciti, dolosi, & nequam, tota hominis perfectio spiritualis consistat, alioqui sufficeret nunquam loqui: sed quia non excessisse in verbo, signum magnæ custodiæ cordis est, & indicat magnam perfectionem internam, quod ferè dixit Hugo de Sanct. Victor. in c. 13. epist. ad Rom. Non ideò, inquit, perfectus, quia in lingua non offendit, sed in cumulo perfectionis superponitur in lingua non offendere; sicut dicimus, quòd senex est, qui centesimum agit annum: hanc tamen senectutem non contulit centesimus annus, sed ex præcedentibus accreuit, & centesimo completa est.

§. I.

Quantæ perfectionis sit linguam custodire.

ILLVD hic locus apertè ostendit, moderationem scilicet in loquela, & parcitatem in verbis, signum apertissimum esse perfectionis internæ; nihil enim sic hominem ostendit, ac sermo. Quod notauit Chrysost. tom. 1. hom. de Iacob & Esau, cùm aduertit, quòd quantumuis attactu manus deceptus fuisset Isaac, quando existimauit eas esse Esau, cùm tamen non essent, sed potiùs Iacob, statim verò ac loquutus est; dixit: *Vox quidem, vox Iacob est.* Ait ergo Chrysost. Fallit habitus patrem; sed vox indicat veritatem, refert vox quod habitus refellebat, nudat lingua quod tegmina simulabant: ita enim alienum est, quod simulatur, & proprium quod per vocem sentitur. Hoc ipsum ostendit ille locus apud Iob, vbi dicitur: *Docuit iniquitas os tuum, assignatúrque ori pro magistro cor.* Ideóque Clem. Alex. 3. Stromat. Qualis sermo, talis est vita. Et Hugo de Sanct. Vict. lib. 2. de Anima. Mores hominis lingua pandit, qualis sermo ostenditur, talis animus probatur. Similiáque habet Basil. lib. de vera Virginitate: Fluentum, inquit, sermonis quod ministerio linguæ ad exteriora deducitur, fontis ex quo manat index, ac testis est. Quod etiam prosequitur epist. 41. Cui accinit Clem. Alex. 2. Pædag. cap. 5. vbi ait: Cùm verba omnia emanent à cogitatione, non est arbor bona, quæ fructus malos facit, nec è contrà. Et Climacus grad. 26. Sicut is qui fert aromata, etiamsi nolit, ex odore proditur; ita & qui spiritum Dei habet, ex verbis suis agnoscitur.

Gen. 27. — Iob. 15.

HINC quoque illud aptandum est: *Sermo est fructus cogitationis.* Quod etiam prosequitur Ambros. lib. 2. de Abraham c. 1. & explicat Philo lib. , de Migratione Abrahæ, eleganti similitudine petita ab horologiis, in quibus protensa manus ostendit quæ iam hora insonuerit, & quæ immineat: proindéque Philo appellat sermonem indicem rationis ac mentis, additque: Certè vmbræ, imaginíque sermo est similis; sicut enim proposita imagine in cognitionem exemplaris ac prototypi deuenimus; ita audito sermone mentem ac vitam loquentis colligimus. Quod etiam dixit Plut. lib. de ædificandis liberis; & Seneca in Prouerbiis: *Imago*, inquit, *animi sermo est: qualis vita, talis oratio.* Cùm ergo ex lingua colligatur animus, qui non delinquit in lingua sua, perfectum & compositum testatur animum, & qui effrænem equum domat, beatum se in facto suo ostendit. Qua de re videndus Basil. interrogat. 28. & Ephrem de vita religiosa.

VNDE iam nobis potest constare, qua de causa viri sancti, nec etiam lacessiti, & prouocati, durum aliquid proferunt; ne auditores fortè offendantur, docuit nos hoc ille Angelus, de quo Iudas in sua epistola ita ait: *Cum Michaël Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore; non est ausus iudicium inferre blasphemiæ, sed dixit, imperet tibi Deus. Hi autem quæcunque ignorant, blasphemant*, &c. Vbi videmus D. Michaëlem tametsi contumeliose à diabolo lacessitum, & cum eo contendentem, non fuisse ausum maledice

Ep. Iud.

maledicere;sed temperasse sermonem,& cum modestia citra maledictum aliquod in iudicium Dei totum negotium remisisse, dum dixit; *imperet tibi Deus*;hoc est,increpet Deus,& impediat petulãtem, & effrænem audaciam tuæ loquelæ; noluitque quidquam durius, & acerbius in Dei creaturam proferre.Est enim eo in loco aduertendum,vbi nostra vulgata habet,*imperet tibi Deus*;D.Hieron.in epistola ad Ruffinum,Hugon.Eterianum, & Andream Aret.ibi legere,*increpet*, quod & vox Græca ἐπιτιμήσαι, etiam sonat. Qui locus nos docet,si quando verbis aliorum duris offensi fuerimus, totum responsum diuinæ iustitiæ committere, & Deum maximè deprecari, vt petulantem erga nos linguam coërceat.

QVOD si necessum fuerit pro Dei Ecclesia, pro communi bono, pro fratrum defensione duriùs aliqua contra profanos,& maledicos, ac pestilentes profari,curandum maximè est,vt apertè constet,vnde acritas verborum proueniat,ne quis sola verba conspiciens existimet, venenum potiùs ore propinari,quàm medecinam. Vnde Epiphanius præfatione ad lib. de hæresib.ita ait: Ampliùs rogati sitis pro indulgenda venia, si alicubi reperietis nos aliquos impetere, aut cauillis incessere, cùm alias hunc morem non habeamus. Itaque si alicubi propter zelum aduersùs hæreses, & ad auertendos lectores,exacerbati dixerimus aliquos deceptores,aut circulatores,aut miseros homines,ignoscite.Ipsa enim necessitas aduersùs huius certaminis doctrinas instans, talem nobis sudorem efficit, & vt lectores auertantur,& vt ostendamus penitùs interdicta à nostra doctrina illorum opera,mysteriáque & doctrinas;quò etiam per orationis, ac contradictionis nostræ vehementiam,libertatem nostram ostendamus, & quò etiam aliquos ex ipsis per grauiores putatos sermones effugiamus.Vbi vides nullam prorsus in verbis debere dari acrimoniam, nisi in ordine ad communem vtilitatem,& Ecclesiæ,ac Sanctorum defensionem.

§. II.

Quàm difficile sit linguæ vitia superare.

OSTENDIT insuper hic locus raros admodùm inuentúq; difficiles qui vitio linguæ non laborent,quod prosequitur Ephrem de linguæ malo,aliisque vitiis;vbi ostendit sororem Moysis Mariam, quamuis esset alioqui Vates ac Prophetissa,propter maledicentiæ verbum lepra damnatam fuisse;& de Moyse ita loquitur.Magnum & horrendum mare viam Moysi præcludere non potuit; sed verbum vnicum iniquè ab eo prolatum (ad aquas scilicet contradictionis)velut murus aliquis ipsi obstitit.Et Ber.Ser. de triplici custodia.Si dixeris,rarus est,qui sermones suos in iudicio disponere videatur,vel ex hoc disces quàm sit rara perfectio, cùm nec perfectum inueneris omnibus esse commune.Similiáque hábet Orig. in epist. ad Rom. vbi loquens de vitio linguæ, ait. Quod crimen nescio si vel iustos quosque & electos relinquat immunes, sed puto quòd alius plus, alius mi- *Num. 12.*

minùs, nemo tamen sit ab hoc ad perfectum purus, nisi ille qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.

Hoc ipsum ostendit Aug. in Dauide, quando imprimis vitiosè tacuit, Psal. 38. ideóque dixit: *Quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea.* vbi Aug. ait: Peccauit tacendo peccata, & iactando merita sua. Et iterum ipse Dauid ait: *Dixi, custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea.* vbi idem Aug. sic ait. Credas quòd legendo, differendo, prædicando, monendo, obiurgando, hortando, homo agens inter homines Dauid aliqua pœnitenda dixerat, & lapsa erãt ex ore eius quæ vellet reuocare, nec posset. Ciceronémque proinde reprehendit idem Aug. qui in gloriam cuiusdam sapientis Romani scripsit, nullum ab eo emissum verbum, quod reuocare vellet; sed errabat, inquit Aug. quia hoc proprium est eorum, qui ab Spiritu acti loquuntur. Cæteri enim omnes multoties offendunt in lingua sua, &c.

Nazian. Orat. de silentio ieiunij Quadragesimal. sic ait: Terra mihi lectus fuit, asperrima vestis, peruigilias & lacrymarum imbres adhibui, labori humeros subieci. Nunc verò & morbo affectus, & senectute fractus, ac debilitatus, in aliam calamitatem incidi, indomitam linguam, præcipitique celeritate volubilem habens, quæ me inuidi hostis mei manibus semper tradidit, innumerisque incommodis affecit.

Et Nicephor. lib. 8. histor. c. 1. refert quendam virum doctum ad Pambonem Abbatem sanctissimum quidem, sed literarum imperitum, accessisse, eidémque persuasisse vt ad vitæ pietatem, literarum studia coniungeret; Psal. 38. assentienti Patri prælegit illud Psalmi. *Dixi, custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea.* Sat est, inquit Abbas, audiam reliqua cùm istud opere impleuero. Multo pòst tempore reuersus doctor interrogauit cur alteram lectionem non quæsiuisset, respondit, nec dum se priorem opere fecisse; ostendens quàm difficile sit cohibere linguam, ne delinquat.

Et hæc est ratio, cur vnam ex omnibus membris linguam communi vlcere, ac plaga exceptam reliquerit hostis Iob, quòd scilicet ex verbis victoriam sibi de illo polliceretur; & ipse Iob de seipso dixit; *Si iustificare me voluero, os meum condemnabit me;* vbi Septuag. habent; *Quòd si etiam fuero iustus, os meum impia loquetur.* & iterum: *Leuiter loquutus sum, manum meam ponam super os meum; vnum loquutus sum, quòd vtinam dixissem & alterum, quibus vltrà non addam.* Vbi Iob fatetur se parùm consideratè loquutum; & D. Thomas existimat intelligendum de eo quòd voluerit cum Deo disputare, & suas iustitias visus sit diuinis iudiciis prætulisse. Albertus intelligit de eo quòd dixit se à Deo affligi non æquo iudicio. Deinde quando queritur grauiorem esse calamitatem suis meritis, si appendantur in statera. Philippus de eo quòd dixit; *Elegit suspendium anima mea*; & illud alterum. *Si flagellat, occidat semel, & non de pœnis innocentum rideat.* Caietan. primum intelligit dictum de eo quòd sibi victoriam in diuino iudicio pollicebatur, cùm dixit; *Scio quòd iustus inueniar*; & alterum cùm postulauit ostendi sibi quantas haberet iniquitates & peccata. Greg. 32. Moral. c. 2. ex hoc loco colligit, nec sanctos viros omnino corã Deo excusari posse de verbis otiosis. Vtcunque

tamen

tamen se res habent, ex hoc loco Iob colligitur, ipsum verbo deliquisse. Nã,sicut notauit Caietan. manus super os posita,gestus videtur esse agnoscentis peccatum oris,& verborum;sicut manu pectori admota agnoscebat Publicanus peccata sua. Vnde Aug.Serm.8.de verbis Domini. Tundere pectus, quid est nisi arguere, quod latet in pectore, euidente pulsu occultum castigare peccatum?

PRAESTANTES itaque viri in loquela offendunt; nam,sicut dixit Hieron. ad Celant.pauci admodùm sunt,qui huic vitio renuntiãt,raróque inuentes; qui ita vitam suam irreprehensibilem exhibere velint, vt non libẽter reprehendant alienam. Tantáque huius mali libido mentes hominum inuasit,vt etiam qui procul ab aliis vitiis recesserunt, in istud tamen, quasi in extremum diaboli laqueum incidant;ideóque meritò Sponsus in perfecta anima perfectionem loquelæ commendat, cùm ait: *Labia tua sicut vitta coccinea*; qui color charitatem refert, in eóque similitudo consistere videtur,quam aliter alibi explicauimus;quòd sicut vitta constringit, continétque crines ne incompositi defluant:sic & labia animæ iustæ continere debent incompositam quamlibet cogitationem, ne foras erumpat per sermonem.Quod vtique meliùs fiet, si coccinea fuerit vitta,si scilicet amor Dei, & proximi verba contineat, linguámque coërceat. Et ad hunc ferè sensum exposuit hæc verba Bernard.tract.de Passione Domini cap.31. vbi ita ait: Sicut vitta coccinea sunt labia,quæ semper verbis ardentis charitatis abundant:quibus verbis motus, & cogitationes carnales restinguuntur;per coccineum quippe colorem charitas,per vittam qua crines restringuntur, restrictio cogitationum carnalium quæ per crines figurantur, accipitur. Videndus pro hoc argumento D.Hieron.in cap.3.Sophoniæ. *Cant.4.*

SED quis est homo,qui non lapsus est in lingua sua? hoc enim opus difficillimum, quódque supernam postulat gratiam;quia Domini est gubernare linguam. Vnde B. Ephrem de passionib. animi, sic nos pro hac re Deum orare docet: Digitus gratiæ tuæ Domine semper moueat linguam meam tanquam neruo citharæ,ad gloriam tuam, concede mihi Saluator petitionem cordis mei,fiátque lingua mea velut cithara,vt hinc testamentum exprimere queam ex multis rebus,quamuis pauca crimina. *Eccles.91.*

Vers.3. ***Si autem equis fræna in ore mittimus ad consentiendum nobis,omne corpus illorum circumferimus.***

EXPOSITIO LITERALIS.



OSTENDIT his verbis Apost.quo pacto cohibenda sit lingua, similitudine petita ab equo, cui si frænum ori non iniiciatur, in præceps fertur:at verò apposito fræno,quãtumuis fortis ac ferox,

obsequentissimus redditur, in orbemque facilè flectitur, & in medio cursu retardatur, & quantumuis is qui assidet calcaribus frequẽter admotis ilia cruentet & scindat, habenis colla verberet, tundátque virga, sibilísque, & cæteris id genus incitamentis compellat in arenam, modò leuiter tantùm adductis habenis, restrictóque ore, aduersùs hæc omnia incitamenta consistit immotus; quanto magis (hoc enim supplendum est in sententia Iacobi, sicut notauit Beda & recentiores) decet vt nobis ipsis frænum continentiæ in ore mittamus ad consentiendum Creatori, quatenus per lingua custodiam, operum quoque rectitudinem obtinere queamus? Aduertit autem D. Greg. 7. Moral. c. 7. rationem quare Apostolus ponat similitudinem fræni, cùm ait; Lingua sub magni moderaminis libratione frænanda est, non insolubiliter liganda, ne aut laxata in vitium defluat, aut restricta etiam ab vtilitate torpescat. Quod argumentum prosequitur Chrysost. ad ea verba Psalmi; *Pone Domine custodiam ori meo.* Græci autem Codices, vbi nos habemus, *Si autem*, habent, *Ecce*; quæ particula incitamentum denotat: vbi autem habetur *ad consentiendum nobis*, plerique clariùs habent, *ad obediendum*. Cæteráque clara in contextu sunt, & ex apposita doctrina meliùs innotescent.

§. I.

De refrænatione linguæ.

VT hæc doctrina Apostoli meliùs percipiatur, illud supponendum est, quod dixit Chrysost. hom. 52. in Matt. Regius quidem equus est lingua nostra; si ergo ei frænum immiseris, doctrina tua gradarium feceris; ascendet in eo Rex, & quiescet in eo. Etenim si effrænis relinquatur, facilè præceps fertur, quia in lubrico est. Ideóque Aug. Ser. 28. de verbis Apostoli. Maior consuetudo maiorem flagitat intentionem, lingua facilitatem habet motus; in vdo posita est, facilè labitur in lubrico, quanto illa citiùs & faciliùs mouetur, tanto tu aduersùs illam fixus esto. Domabis, si vigilabis, vigilabis, si timebis, timebis, si Christianum te esse cogitaueris. Et Nazian. Orat. 2. Apologet. Lingua nisi ratione gubernetur, in lapsum facilè homines impellit. Multáque habet Ber. de triplici custodia; vbi inter alia. Leuis quidem res est sermo, quia leuiter volat, sed grauiter vulnerat, leuiter transit, sed grauiter vrit, leuiter penetrat animum, sed non leuiter exit, tenerum membrum lingua, attamen vix teneri potest. Similiáque habet Ser, 2. de Petro, & Paulo: Vilis, & volatilis, inquit, res est verbum hominis, & sicut folium quod vento rapitur, effluit, & non est qui consideret. Quod etiam prosequitur Greg. 3. Moral. c. 10. Cùm ergo in tam lubrico lingua sit, necessariò iuxta Iacobi doctrinam, illi frænum debemus iniicere.

Est autem frænatio linguæ, sicut dixit Hierony. epist. ad Celant. cùm linguæ quæ ex sui initio semper prona est ad mendacia, aut silentium imponitur, ne in displicentiã Dei prorumpere audeat, aut ad bonũ exercetur, vt diuinas laudes persoluat. Videndúsque hac de re Ambr. 1. Offic. c. 3. & 4. & latiùs in Ps. 38. ad ea verba: *Posui ori meo custodiam.* Quod etiam habet

Cassi

Caſſiodor.ad eundem Pſ.ibi; *Dixi, cuſtodiam vias meas.*

HANC autem refrænationem ſignificatam eſſe voluit Chryſoſt. hom. ad baptizandos;in eo quòd Deus veluti muro duplici voluit linguam circundari:nam dentium tegmine,& labiorum cuſtodia continetur,ne verba improuida garrulitate proferantur.Refræna igitur linguam, & ſi non patitur reticere,dentium morſu quieſcat,& tanquam carnifici tradatur dentibus. Videndus idem Chryſoſt. in Pſal. 140. vbi ianitorem ori opponendum dicit memoriam mortis;ſic enim ait:Hunc adhibe ianitorem, & cuſtodem intentantem minas conſcientiæ, & hanc portam nunquam intempeſtiuè aperies.

PROPTEREA verò maiorem diligentiam, & diligentiorem cuſtodiam adhibendam in refrænanda lingua docet Ber. ſuprà, quòd ſit iuxta Scripturam,*mors & vita in manibus linguæ*:alioqui ſi ſola ineſſet vita, nec circunciſio quidem ei,ſed ſi ſola mors,etiam abſciſſio deberetur.Nunc verò ponenda nobis ori noſtro cuſtodia,& oſtium circunſtantiæ labiis;vigilemus ſuper verba noſtra,ne in eis vel offendere Deum,vel proximum contingat.Felix quem in omni confabulatione duplex timor ille ſolicitat, & duorum conſideratio ſtimulat auditorum,primùm Diuinæ maieſtatis, in cuius manum incidere prorſus horrendum, dehinc fraternæ infirmitatis, cui nihilominus perfacile eſt offẽdi culũ dare.Reſtringatur proinde,ait Amb.1.Offic. c.3.lingua habenæ vinculis, & frænos habeat ſuos, quibus reuocari poſſit. Prou.18.

QVALE autem debeat eſſe frænum linguæ,dixit Greg. 5. Moral. c. 11. Boni, inquit, viri fræno conſilij retinent præcipitationem verbi. Et Chryſoſt. in Pſ. 140 Os noſtrum, inquit, perpetuò cuſtodiamus, rationem tanquam clauem ei adhibentes.Quod etiam proſequitur Hilar.in Pſ.51 ad ea verba. *Tota die iniuſtitiã cogitauit lingua tua.*vbi ait: Linguæ humanæ officium eſt, vt naturali impulſa ratione vocem in verba diſtinguat, & quanuis quidem hic eius ad id efficiendum rationabilis motus ſit,tamen ipſa ſubdita potiùs eſſe rationi intelligitur;quod verò caret ſenſu intelligentiæ,caret & rationis inſtinctu:quicquid autem caret rationis inſtinctu, caret & meditatione conſilij, quomodo rectè à Propheta dictum intelligitur,linguam iniuſtitiam cogitare. Quod alius Propheta demonſtrat dicens. *In ore ſtultorum,cor eorum*;quia nihil ex rationis conſilio tractantes, & cordis meditatione pendentes,temerario tantùm motu linguæ inconſultæ reſponſiones fortuitas & inconditas eloquuntur ,atque ideo in ore ſtultorum,cor eorum eſt, quia non quod cogitauerint, loquentur, ſed quod loquuti fuerint, cogitabunt. Et hoc quidem de lingua ſtulti.At verò de lingua ſapientis ita legimus;*Lingua intelligentis meditabitur ſapientiam*;& rurſum; *Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis*; quia intelligentis lingua ex meditatione ſapientiæ ſit,& eadem rurſum tanquam calamus ſcribentis nihil incompoſitum, nihil incertum agat,& quia hæc lingua,quæ iniuſtitiam cogitauit, non naturæ ſuæ vſa docetur eſſe officiis,ſubditur:*ſicut nouacula acuta feciſti dolũ.*

Ex qua doctrina Hilar.illud apertè colligitur,lĩguã ſubditã debere eſſe rationi,& proinde id ſolũ quod à ratione dictatũ fuerit, proferẽdũ. Quod etiã

habet Hierony. epist. ad Celant. Diu, inquit, antè considera quid loquĕdum sit, & adhuc tacens prouide ne quid dixisse pœniteat. Verba tua ponderet cogitatio, & linguæ officium animi libra dispenset. Vnde Scriptura dicit Ecclesi. 18. *Verbis tuis facito stateram*: si enim hoc facimus in auro, multo magis faciendum est in verbis, vt nihil desit, nihil redundet.

ALIVD insuper frænum assignauit Guillelmus Neoburgens. ad illa verba sæpe citata; *Labia tua sicut vitta coccinea*. Vult enim ibi significari stringenda esse labia verecundo silentio, ac religiosa modestia; quod maximè virginibus necessarium est, sicut prosequitur Basil. lib. de vera Virginitate. Et Nazian. Orat. in Quadragesi. ieiunij silentium; hoc frænum se adinuenisse gloriatur, cùm ait: Omni facultate loquendi ad certum tempus linguam orbaui, sic fiet vt mediocritatem postea minimè aspernetur. O quantum vtilitatis fructum affert pulsato intus, atque incitato pectore linguam loqui gestientem cohibere duce extincto (scilicet sermone) perturbatio omniū grauissima (scilicet iracundia) confestim cedet, atque hac ratione à permolesta animi iactatione, ac tempestate respirabis. Quæ quidem omnia Christi primùm ductu, auspiciisque, pòst autem mentis nostræ clauo indigent. Quòd nisi tu linguæ frænum inieceris, idem tibi accidet quod ei, qui angustū stagni cuiusdam os manu clausum, atque obstructū rursus aperit; statim enim confertim aqua omnis effluit, &c. quæ videnda sunt pro hac re.

VIDENDVSQVE est Ambros. præfat. in Psal. vbi ait: Citiùs malum quod intus latet, extinguitur, si à prauo eloquio foris lingua frænetur. Similiáque habet Ser. 2. in Ps. 118. & Ser. 22. ad nostrum institutum explicat verba illa Ecclesiastici; *Sepi aurem tuam spinis*. Vtinam, inquit, & linguam obsepias, ne loquaris quæ sæculi sunt, audias quæ sæculi sunt; sed quod peius est, circundata est lingua tua spinis quæ compungunt & vulnerant, &c. Similia habet Basil. Ser. 2. de Instit. Monac. & Greg. 10. Moral. c. 9. Facit etiam id quod ait Curtius lib. 4. ad finem: Vetus, inquit, disciplina Regum silentium vitæ periculo sanxerat, nec magnam rem sustineri credunt posse Persæ ab eo cui tacere graue sit.

QVANDOQVE etiam conducit ad frænandam linguam, aures refrænare, & cohibere ab illicitis rebus audiendis, quæ nos prouocant propter vicinitatem. Namque, sicut dixit Clem. Alex. 1. Stromat. non linguam solùm: sed aures castas habere conuenit. Quibus habet similia Bern. lib. de ordine vitæ. Vnde inter alia ait: Non solùm nihil ipsi indecorum loqui, sed nec aurem quidem huiusmodi debemus præbere dictis. Et Ephrem lib. de linguæ malo, aliisque vitiis ponderat, Christum Dominum, ne vera quidem à dæmonibus audire voluisse, & tamē os aperientem, acetum cum felle gustasse, & eum qui scelesti verba excipere recusauit, os proditori osculandum exhibuisse. Sic, inquit ille, & tu os tuum maledicis osculandum præbe, aures verò minimè. Nam si tuum illis os præbueris, osculum illos condemnabit; si autem aures accommodaueris, iam te verborum gustus occidet. Magna quidem est auris fenestra, quippe per quam mors in mundum ingressa est. Seris igitur ac vectibus obstruĕdæ tibi sunt auriū fores, ne male-

Luc. 4.

dicentia

dicentia & obtrectatio subintrare possit. Et Hieronym. ad Nepotianum, de vit. Cleric. Caue ne aut linguam, aut aures habeas prurientes, &c. quæ prosequitur. Similiáque habet ad Celant.

VIDENDVSQVE hac de re Ambrof. 1. Offic. c. 18. & Bern. 2. de Considerat. Ideóque Dauid: *Qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum*; vbi verbum, *non direxit*, significat, non prosperatur, non feliciter procedit. Alij verò exponunt, non stabilietur, non firmabitur, non diutiùs apud me commorabitur. Quibus verbis gloriatur Rex se minimè pati malè de aliis obloquentem; sed statim eum à se repellere. *Ps. 100.*

VIDENDVS denique hac de re Plut. lib. de audiendis Poëtis. Ne igitur audiendo prouocemur ad loquelam prauam, frænandæ sunt aures: sic enim faciliori negotio comprimetur & ipsa lingua, quæ auribus vicina est.

CONTRA eos autem qui non refrænant linguam, dixit Dauid, *Sepulchrum patens est guttur eorum.* Orig. verò lib. 3. in c. 3. epist. ad Roman. ait: Clausa sepulchra dicuntur ij, quos aliquantulùm pudor prohibet proferre ad publicum crimina: patens verò ij, qui impuritates in propatulo habét, quibus vsus scelerum, quod est in malis vltimum, verecundiam sustulit, vt proferant verbum mortuũ, verbum diaboli, non de corde, sed de sepulchro. *Psal. 5.*

Vers. 4. *Ecce naues cùm magnæ sint, & à ventis validis minẽtur; circunferuntur autem modico gubernaculo, vbi impetus dirigentis voluerit.*

EXPOSITIO LITERALIS.

PROPONIT hoc loco secundum argumentum, vt probet cohibendam linguam, sumptum à re nautica, & duplicem patitur sensum. Primus est, quod in amplissimis nauibus est temo seu gubernaculum, hoc in humano corpore est lingua; sed naues quantumuis magnæ, in procellosis tempestatibus gubernantur, & diriguntur ad optatum portum tantillo gubernaculo. Ergo etiam & optimè dirigetur ad æternitatis portum vir fidelis, si lingua teneatur veluti clauus in naui.

VEL etiam potest habere hunc sensum: Sicut in magnis nauibus tantula ligni pars sufficit ad eas gubernandas, & dirigendas, proindéque tenenda est à perito [illegible]o nauarcho; sic & lingua, licèt minima pars, non est contemnenda, sed tenenda, si nobis rectè consultum velimus esse. Vnde Ecclesiasticus dixit: *Verbis tuis facito stateram*, capite 28. quod Ambrosius 1. Offic. cap. 3. *Ori tuo facito iugum, & stateram.* Per *iugum* autem intelligit subiectionem.

ILLVD igitur hoc loco notandum, huiusmodi comparationes familiares esse Spiritui sancto, & frequenter in Scriptura occurrere; vt patet ex Isai. 23. *Vlulate naues maris*, vbi Hieronym. Arguuntur quos malarum cogi-

tationum turba circundat: vt enim nauibus; sic mentibus portantur mer-
Prou. 31. cedes bonorum, & malorum operum. Et Prouerb. 31. Ecclesia dicitur *nauis institoris de longè portans panem suum.* Et Dauid mundum confert cum mari, vbi
Ps. 103. reptilia, quorum non est numerus. Vnde Augustinus præfat. in 2. enarrat. Psal. n. 25. Nauigamus per quoddam stagnum, & ventus, & procellæ non
Matth. 8. desunt, tentationibus huius sæculi propè completur nostrum nauigium; si non dormiret in te Iesus, tempestates istas non patereris.

Vers. 5. *Ita lingua modicum quidem membrum est, & magna exaltat.*

EXPOSITIO LITERALIS.



ACCOMMODAT hoc loco duas similitudines propositas ad institutam doctrinam de linguæ refrænatione, vt sit sensus: Coërcenda est lingua fræno, velut equus, nisi quis velit potiùs linguam esse frænum, quo totum corpus debet cohiberi, & sicut gubernaculum rectè moueri debet, quia etsi pusillum sit membrum, magna tamen operatur.

GRÆCVS igitur codex hoc loco habet μεγαλαυχεῖ, id est, *se iactat*; consentit Syriac. qui habet, *se extollit.* Et Vatabl. explicat; *magnificè se iactat.* Alij verò, *magna iactat*; Vetus interpres, *magna exultat.* Quod significat, immoderatè iactare secundùm Latinæ linguæ proceres. Nam Tullius 4. de Repub. habet; *Omni crudelitate exultare*; quod Nonius interpretatur, sæuire. Et apud eundem Ciceron. in Senectut. *Fabius Annibalem iuueniliter exultantem patientia sua emolliuit.* Eádemque phrasis videtur, atque ea, qua vtitur Cyprian. cùm ait: Non tam loquimur, quàm viuimus fortia; estque sensus; Licèt lingua inter reliquas partes minima videatur, magna tamen iactat, gloriatur, magnificè se venditat, proiicit ampullas, & effutit sesquipedalia verba. Et hoc ipsum aliis modis significat Scriptura, vt cùm in Abdia dicitur, *magnificare os*; & 1. Reg. 2. *dilatare os*; & apud Danielem 7. *loqui ingentia*; & in Prouerbiis cap. 20. *dilatare labia*; quod ex opposito intelligemus per illud quod de Sponsa dicitur Cantic. 4. *Labia tua, sicut vitta coccinea*: quod exposuit Theodoret. in Psal. 11. dicens: Magna loqui, & non metiri sermones cum re, sed parua, vt magna exaltare. Pusillum membrum lingua, sed iactabundum, tota regna, totósque populos inter se commiscens; proindéque minimè negligenda eius moderatio.

§. I.

Quomodo lingua res adaugeat, & exaltet.

PRIMVS igitur defectus linguæ in eo ponitur, quòd magna exaltet, potéstque hoc imprimis cadere supra falsam iactantiam, dum verbis fiunt magna, quæ reuerà parua sunt. Enimuerò in aliquorum ore contin

contingit id, quod olim in subterraneo illo ædificio, quod ea arte fabricatum erat, vt qui vnam vocem emitteret, eidem septem responderent; Hephtiphonon appellabatur, id est, septiuocum: sic similiter in ore aliquorum audiuntur aucta, multiplicatáque ea, quæ nullius fere momenti sunt.

SVMPSIT autem hoc vitium initium ab ea, quæ principium omnibus malis dedit, Eua scilicet, quæ statim referendo diuinum præceptum, illud adauxit, & multiplicauit dicendo: *Præcepit nobis Deus, ne comederemus, neque tangeremus*; cùm tamen comestionem, non tactum Deus prohibuerit; de quibus videtur dixisse Hierem. *Extenderunt linguam suam, quasi arcum mendacij*: quasi velit Propheta, extendisse, & ampliasse verba, quò sagittæ huius arcus, quæ sunt mendacia (sicut exponit Brixian.) longiùs attingant. In quam sentent. exponunt aliqui illud Deut. *Dentes bestiarum mittam in eos*; vt intelligatur de loquacibus, ac detractoribus, qui sicut detrahunt de bonis, sic augent ea, quæ iniqua sunt; & dictum fuerit per allusionem ad illos dentes interfectæ bestiæ à Cadmo, qui ab eodem terræ mandati, in armatos Gigantes statim pullularunt; sic & quælibet res parua, & contemnenda, statim vt os & dentes istorum attingit, magna apparet, & id quod nullam dissidij causam videbatur continere, ab ipsorum ore iam certaminis fomentum præbet, & in causa est, vt mutuis ictibus, ac vulneribus se dilanient, & discerpant.

Genes. 3.

Deut. 32.

EST optimus pro hac re locus apud Rupertum lib. 1. in Num. c. 34. vbi loquens de Maria & Aarone obloquentibus de vxore Moysis Æthiopissa, vel propter eam de Moyse, Num. 12. ait: Cùm Moyses vxorem duxerit filiam Iethro sacerdotis Madian; terra autem Madian vicina sit terræ Æthiopum, rectè intelligitur, quòd pro eo, quòd dicerent, vxorem Madianitidem, dixerunt vxorem Æthiopissam; sicut se habet amaritudo rixantium, vt semper è vicino rapiat quod valeat ad augendum contemptum; & lingua soleat minima augere, & parua exaltare.

MAGNA denique taliũ lingua iactat, quæ minima sunt, multóque plura, quàm audierit, defert, qui videntur eos imitari, de quibus Diodorus Siculus lib. 2. cap. vltimo refert: Qui in quadam insula Oceani versùs meridiem oriuntur, diuisam habentes linguam, & in inferiore parte scissam, vt à radice duplex esse videatur, & cùm in lingua cæteros homines excedant, in magnificandis rebus etiam superant, & cum diuersis diuersa loquuntur, vna parte lingua, cum vno; alia verò cum altero. Contra quos videndus est Basil. lib. de Virginit. cùm ait: Cúmque necessariò loquendum erit, multo pauciora, quàm audiet, referat; namque & natura loquendi, audiendíque modum ad proportionis regulam metiens, duas aures, linguam vnam nobis effinxit, quasi & duplum disciplinæ causâ audire debeamus, & ad ea, quæ rogamur, sesquialtera proportione contractum referre sermonem. Vnde Plutar. in institutis Laconic. refert Cephisophontem professum de quauis re per integrũ dié se dicere posse, vrbe eiecisse Lacedæmones, dicentes: boni Oratoris esse orationé rebus æqualem habere. Nã, sicut elegãter dixit Clem. Alex. 1. Stromat. dictio est tanquam vestis in corpore.

Iam

Iam verò vestis adaptari debet corpori, ne aut excedat, aut non capiat illud: sic itidem & verba non debent excedere res, de quibus proferuntur, sed illis commensurari, sicut vestis proportionem habet ad corpus, quod tegit, & cuius dicitur vestis. Quinimò & strictiùs sumpsit, coarctauítque hanc mensuram Plut. in vita Phocionis, dum de eo dicit quòd pauca verba loquebatur. *Animaduertit*, inquit, *idem orationi conuenire quod nummis; qui eo sunt præstantiores, quo in minori materia plus valoris, ac pretij amplectuntur, sic optimum videtur orationis genus id quo paucis multa sunt grauiter, sapienter, acutéque significata.* Ex quibus liquet qualis, quantúsque defectus sit is, quem nobis proponit Apostolus de paruula lingua, quæ magna per adiectionem exaltat.

§. II.

De exaltatione, & superbia linguæ.

SECVNDVS defectus est, magna exaltare, id est, immoderatè se iactare; quod proprium est superborum, qui verba vsque ad cœlum exaltant, & in cœlum ponunt os suum, vt fecerunt ij, qui turrim quæ cœlum contingeret, ædificare conabantur, & nolunt esse sicut cæteri homines. Sed quid omnibus magnificè se iactantibus contigerit, audiamus: de iis enim dixit author libri de mirabilibus sacræ Scripturæ lib. 1. c. 9. Rectissimo iusti arbitri iudicio, qui alto superbiæ tumore membra contempserant, in fragilissimo substantiæ membro, pœnam vtique sermonis sentiunt; & hoc non solùm in ipsis tantùm patribus, sed in filiis, vt qui æternā sibi posteritatis famam quærerent, mansurā in illis posteritatibus ipsius præsumptionis per vniuersa venturi sæculi tempora, animaduersioné inuenirent.

Psal. 71. *Luc. 18.*

ET ab hoc vitio nos pia exhortatione compescuit mater B. Samuëlis. *Nolite multiplicare loqui sublimia gloriantes*; sic enim hunc locum intelligit Beda in cap. 4. Iacobi. Et Euthym. ac Lyr. ibi sublimia dicunt esse verba superba, & aliorum contemptibilia. Et Ambros. Serm. 3. in Psalm. 118. de Pharisæo, qui magna iactabat super alios, dicens: *Non sum sicut cæteri*, sic ait. Quantùm laborauit, vt bis in Sabbato ieiunaret, quantùm laborauit, vt decimam daret, non mentiebatur Pharisæus, sed omnis qui se exaltat, etsi vera dicat, offendit. Denique probabilior Pharisæus ingressus est templum quàm Publicanus, & tamen condemnatus exiuit. Et Gregor. 19. Moral. cap. 12. expendens id, quod idem Pharisæus dixit, *Gratias tibi Domine, quia nō sum sicut cæteri*; sic habet. Gratias rectè egit, sed peruersè se super Publicanum extulit, ciuitatem cordis sui extollendo prodidit, quam abstinendo, & largiendo seruauit. Ideóque Augustinus Psalm. 85. aduertit, dixisse Regium Vatem, *Quoniam magnus es tu.* Video, inquit, quòd dixit, solus Deus magnus, taceat homo falsò magnus, ideo fallaciter magnus, quia dedignatur esse paruus. Immeritò ergo lingua magna exaltat, vbi omnia parua, & minima sunt, meritóque hæc superba iactantia hoc loco ab Apostolo repre

1. Reg. 2 *Luc. 18.*

reprehenditur. Vnde Bernardus lib. de ordine vitæ, monet alligandum sermonem, ne luxuriet, alioqui citò lutum velut amnis exundãs colliget. Qua de re videndus Ioannes Cassian. lib. 2. instit. Monast. c. 10. & 15.

Non est autem parui faciendum hoc vitium linguæ, dum per superbiam magnificè exaltat, & laudat ea, quæ laudanda non sunt; virtutique maximè officit, dum nomina virtutum vitiis plerumque attribuit. Quod videtur notasse Plutarch. lib. de Discrimine adulatoris, & amici, vbi docet plures Repub. euersas fuisse propter nomina virtutum in vitia cõmutata; additque. *Qui laudando penetrant ad ipsos mores, & his corrumpendis adulantur, perinde faciũt, ac famuli, qui non de aceruo, sed de semine furantur; nam dum virtutis vocabula vitiis tribuunt, inficiunt affectum, actionum seminarium, & habitum animæ, vnde ceu à fonte omnia vitæ officia proficiscuntur.* Eóque magis hoc metuendum est, quo res minùs felix plerumque est, quàm opinio, sicut dixit Philo lib. de Profugis, & falsa præualet opinio, dum lingua falsò, & superbè magna exaltat. Ideóque pulchrè Sertorius apud Plutarch. in ipsius vita, cùm alterum in prælio amisisset oculum, dixit se gloriari, quòd alij non semper virtutis suæ testimonium deferrent, sed torques, & hastas, atque coronas domi relinquerent, sibi verò bellicæ laudis insignia perpetuò adesse, eósdemque habere fortunæ, & virtutis suæ assertores, & inspectores, & laudatores, neque indigere, vt ab aliis exaltaretur.

Licet verò parua res sit lingua, magnum illi restat supplicium ob tot vitia, quæ habet, vt patet in diuite auaro, qui solius linguæ remedium exigebat. Quod etiam agnouit Plutarc. lib. de vtilit. capiend. ex hostib. vbi ita ait: *Orationi leuissimæ rei, vt est apud diuinum Platonem, & apud Deum, & apud homines grauissima pœna est proposita.*

Vers. 6. *Ecce quantus igni quàm magnam syluam incendit? Et lingua ignis est, vniuersitas iniquitatis.*

EXPOSITIO LITERALIS.

Postquam Apostolus ostendit, coërcendam esse linguam, pergit iam enarrare quænam mala ab ea oriãtur. Quemadmodum enim scintilla ignis, quæ initio sine labore potest extingui, si neglecta fuerit, vires concipit, vicináque in suum robur commutat, nulláque vi potest opprimi; sic & linguæ hominum nihil obstat sua paruitas, quominùs longè latéque noceat, sitque inter homines omnium malorum fœcundissimum seminarium. Græcè igitur hoc in loco habetur: *Quantulus ignis quãtam syluam incendit*; & ita nostra vulgata habet, *Quantus*, pro, *quantulus*. Vnde Vatabl. habet: *Ecce exiguus ignis quantam materiam incendit*; vertit autem *materiam*, quia vox Græca & *syluam*, & *materiam* significat.

Glossa autem aduertit, linguam incontinentem magnam materiam

operum, id est, meritorum, perire facere, vel etiam id dicetur, quia magna quælibet consumit. Arrius enim siue Lutherus scintillæ fuêre, qui tamen magnam Ecclesiæ partem deuastarunt, & quas plantauerant Apostoli, arbores incenderunt. De quibus, & similibus illud Ecclesiastici dicitur, *Apertio oris illius, inflammatio est.*

Eccl. 10.

DICITVR autem lingua ignis, sicut hic notauit D. Thomas, propter sui mobilitatem siue velocitatem; vnde in sacra Scriptura, ignis propter similitudinem dicitur lingua; *sicut deuorat stipulam lingua ignis.* Et alibi deuorandi ac lambendi munus linguæ tribuitur; *Cecidit ignis Domini, & vorauit holocaustum, & ligna, & lapides, puluerem quoque & aquam quæ erat in aquæductu lambens.* Vnde qui comburuntur, dicuntur cibus ignis in Scriptura sacra, *Deus viuus ignis consumens.* Hebr. *Ignis deuorator,* aut *comedens.* Vel dicitur ignis secundùm Carthusianum, propter actiuitatem.

Isai. 5.
3 Reg. 18.
Deut. 4.

DICITVR vniuersitas iniquitatis. Vox autem Græca significat *congeriem, & cumulummultarum rerum,* seu *mundum,* & ita legit Oecum. aut *promptuarium,* sicut explicat Vatabl. Etenim sicut mundus iste corporeus ex innumerabilibus rebus constat, sicut etiam suo modo mundus muliebris ex multis est compositus, sicut testatur Vlpianus in l. Argento. ff. de auro & argent. legat. & Beroaldus in Comm. lib. 4. Transformationis. Similique metaphora dicimus, Iliadem malorum, vel Oceanum malorum; sic & lingua dicitur vniuersitas, seu mundus, ac promptuarium iniquitatis, quia, sicut notauit Beda, vniuersa facinora per eam; aut concinnantur, vt latrocinia, stupra, aut patrantur, vt periuria, falsa testimonia; aut defenduntur, cùm quilibet impurus excusando scelus, quod admisit, simulat, ostentando bonum, quod non fecit.

VEL dicitur vniuersitas iniquitatis, sicut ait D. Thom. quia per linguam peccat homo contra Deum blasphemando, & peierando; contra proximum detrahendo, conuiciando, contra seipsũ iactãdo, & sic euacuat omnia bona.

ALII verò legunt, *mundus iniquitatis,* vt Oecumen. & intelligunt ornatum iniquitatis; vt sit sensus, quòd lingua soleat ornare peccata, & iniquitates. Vnde Syriac. habetur *mundus peccati est.* Vel tandem potest explicari locus cum Nazian. in Quadrag. ieiun. silent. quòd omnibus noceat, & proinde dicatur vniuersitas iniquitatis.

§. I.

Quare lingua dicatur ignis.

ILLVD ergo notandum est hoc loco, linguam dici ab Apostolo ignem, sicut iam à Dauide dicta fuerat, *Sagitta potentis acuta cum carbonibus desolatoriis.* Quæ verba, non pœnam, ac supplicium dolosæ linguæ inferendum significare puto sed comparationem, & similitudinem, licet oppositum velit Genebrar. & alii; nam vt omittam Rabbinos sic exponentes prædicta verba, eisdem similitudinibus vsus est ipse Dauid dum dixit: *In*

Psal. 119.

Intenderunt arcum rem amaram; vbi Symmachus, *Impleuerunt arcum suum sermonem amarum*;& Aquila,*verbum amarum*;& Theodotion,*sermonem amarum.* Psal. 63.
Et ea verba eiusdem Psalm. *Sagitta paruulorum facta sunt plagæ eorum*; intelligit Theodoret. & rectè, de linguæ offensionibus,ideóque additur, *Infirmatæ sunt contra eos lingua eorum.* Salomon etiam vsus est similitudine arcus, & ignis:nam in Prouerbiis dixit: *Iaculum & gladius, & sagitta acuta,homo qui loquitur contra proximum suum*; & iterum: *Sicut noxius est,qui mittit sagittas,& lanceas, & mortem, ita vir, qui fraudulenter nocet amico suo.* Deinde verò alteram similitudinem subiicit: *Cùm defecerit lingua,extinguetur ignis,& susurrone subtracto,iurgia conquiescunt;& sicut carbones ad prunas,& ligna ad ignem, sic homo iracundus suscitat rixas.* Prou. 25. Cap. 26.

LOCVM igitur Psalmi de lingua exposuit Vatabl. Brixian. & alij. Assimilatur igitur à Dauide lingua carbonibus desolatoriis, seu vindicibus, & cruciantibus, vt legit Nicetas ad Orat. 2. Nazianz.de festo Paschæ, seu desolantibus,consumentibus,& perdentibus,vt vult Chrysost.quia quamlibet materiam appositam in cineres redigit

NEQVE satis est huic pestifero igni,quòd magnam syluam incendat, & absumat, sed adhuc sub cineribus concrematæ materiæ viuus delitescit; quod significat verbum Hebræum רתמים *rethamim*, id est, *iuniperorum*,vnde plerique vertunt, *cum carbonibus iuniperorum.* De quibus carbonibus dicunt Theophrastus,& Plinius, teste Genebrardo, nobis sufficit authoritas Hieronymi lib. de Mansionibus ad Fabiolam;Mansione 15. vbi sic scribit: Ferunt lignum hoc,scilicet,iuniperum,ignem multo tempore conseruare, ita vt si prunæ eius cinere fuerint opertæ, vsque ad annum perueniant. Similis ergo carbonibus iuniperorum est ignis vitiosæ, ac maledicæ linguæ, quæ sub cineribus fratris iam demortui viuit. Meritò etiam hunc ignem nefariæ linguæ assimilat carbonibus, qui si non inueniant materiam aptam combustioni,fuligine tamen,ac nigredine atratum reddunt, vt videre est in pariete alicuius domus, quem cùm ignis non possit absumere, sicut ligna,denigratum, furuóque colore infectum reddit. Sic & ignis linguæ, si quem non tandem absumit,tamem vt ignis carbonis inficit.

VERITVS quidem Dauid mittere manum in Christum Domini, seu Regem Saülem,dum illum in spelunca præ manibus habuit;præscidit tamen oram chlamydis libenter:ita vt si quis deinde respiceret vestem Saülis, illam diminutam reperiret, & imperfectam; sic multoties contingit viris non vulgaris perfectionis,qui si non occidunt,oram,ac fimbriam saltem vestis abscindunt, detrahendo scilicet de fama, ac honore alicuius, quem non omninò exuunt, sed minuunt. Quibus illud memorandum & inculcandum necessariò est, quòd qui præscindit partem vestis, si postea eandem resarcire, & in integrum, ac priorem statum vellet reducere, vel non inueniet eiusdem coloris,ac qualitatis pannum, vel si inuenerit,fragmentum appensum,ac denuò consutum esse, facilè à videntibus deprehẽdetur;sic similiter qui detrahit,ac præscindit orã vestis honoris,& nominis, quantumcumque postea nitatur damnũ illatum compensare, vel

sermonem non retractabit circa eandem materiam, in qua nocumentum intulerat, vel tandem audientes æstimabunt id factum esse iussu Confessoris, aut conscientiæ stimulis; & sic ignis linguæ, quem non combussit, ac consumpsit, saltem infecit.

CVM igitur sit ignis lingua, initio illi occurrendum est, antequam vires sumat; quod dixit author sermonum ad fratres in Eremo, Ser. 3. cùm ait: O lingua, tu periculum immittis, tu luctum producis, discordiam spargis, proditionis venenum seminas, & ad infernum, qui tibi credunt, perducis; restinguenda est hæc parua fauilla, ne in magnam vertatur flammam, ne crescat in syluam, gutta ne crescat in fontem, &c. Et sicut ciuitatum proceribus incumbit cura restinguendi ignis, si accendatur, ita perfecti viri debent huic igni occurrere. Quod videtur dixisse Sponsus, dum labia Sponsæ laudauit, iis verbis sæpe à nobis relatis secundùm varios

Cant. 4. quos patiuntur sensus, *Labia tua sicut vitta coccinea*; vbi Septuag. Theodoret. & alij legunt, *sicut funiculus coccineus labia tua*; vt sit allusio ad funiculum coc-

Iosue 2. cineum, quem Raab ligauit in fenestra, per quam dimisit exploratores missos à Iosue. Etenim cùm ingressi Israëlitæ Iericho, omnia deuastassent, solóque æquassent nemini parcentes, statim ac perueniebant ac domum Raab viso signo, ac funiculo, sistebant ad ostium, & quantumuis cætera omnia euerterent, ad præsentiam signi appensi placabantur, consulentes potiùs domui Raab. Hoc igitur laudat diuinus Sponsus in perfecta anima, cuius verba, veluti coccineus funiculus, charitate imbuta quemlibet iratum animum mitigant, & accensum ignem linguæ extinguunt, placabilémque omninò reddunt, sicut ibi exponit Theodoret.

QVOD si lenibus verbis, surgenti incendio non possis occurrere, acrioribus debes curare: nam sicut dixit Hieron. ad Furiam, de seruanda virginitate: Maledicam linguam indictum emendat silentium. Quibus habet similia epist. ad Nepotian. de vit. Cleric. & epist. ad Celant. vbi ait: Non modò non audies, sed ne alij detrahenti aliquando credas, ne obtrectatoribus authoritatem de consensu tribuas, ne eorum vitium nutrias annuen-

Eccles. 28. do. Vnde Scriptura ait; *Sepi aurem tuam spinis.*

QVOD si hæc in nobis esset diligentia, ne passim obtrectatoribus crederemus, iam omnes detrahere timerent, ne non tam alios, quàm seipsos viles detrahendo facerent. Sed hoc ideò malum celebre est, quia penè ab omnibus libenter auditur. Et sicut dixit Ambros. 1. Offic. c. 18. quem delectat audire, alterum loqui prouocat. Et Ephrem de linguæ malo audiendo, & non reprehendendo maledicta eius, qui loquitur, comprobare videtur tanquam vera. Pluráque habet Bernard. 2. de Considerat. Serm. de triplici custodia.

NEC inefficax est remedium contra hunc ignem, si fratri furenti, & obloquenti, tacendo te opponas; sicut notauit Origen. in Psalm. 38. ad ea

Psal. 138. verba, *Obmutui, & humilitatus sum, & silui à bonis.* Silui, inquit, non vtcumque, sed à bonis, quia etiam tunc cùm frater amarulento est animo contra me, etiam bona verba sileo, ne vel illi ignem suæ perditionis inflamment. August.

gust.& Cyrilli Latinus interpres lib.12.in Ioan.c.12.vbi legimus, *obmutui*, legit, *obſurdui*; namque hoc efficacius erit remedium.

VIDENDVS hac de re Nazianz. Orat. de ſuis Sermonib. ad Iulian. vbi ait, aliquos per iniurioſa verba ab ipſo voluiſſe elicere ignem ſermonis,ipſum tamen tacuiſſe. Negant,inquit,vt Peryten ſic me conuitiis tundere deſituros,quàm ex parua ſcintilla ingentem ſermonum flammam excitarint. Super quæ verba Nicetas ita habet. Appoſitiſſima ſimilitudine vſus eſt Gregorius:ſicut enim Perytes ignem internè habet ac premit,percuſſus autem & vi attritus eum exerit; ſic ipſe ſermones apud ſe in mente habebat. Occurrendum eſt ergo huic igni, qui totam comburit ſyluam, niſi initio comprimatur, & tacendum,ne per loquelam ignis eliciatur. Videndus hac de re Ambroſ. in Pſalm. 38. & in exhortatione ad Virg. & de interpellatione Iob. lib. 2.

QVOD ſi non ſufficiat hoc remedium, ad extinguendum linguæ ignem, ſupereſt ignis de cœlo, qui ideo in linguis ignis apparuit,vt iuſtificaret eas,& decoqueret,in quibus aliquid de hoc nequam igne reperiebatur. Quod proſequitur D. Hieron.Pſal.119.tom. 8. in hæc verba: Quia tumet lingua mea, & pus habet, & venenum habet. Primùm ſagittis tuis vulnera,vt pus poſſit exire; deinde carbones tuos, & ignem pone, vt quicquid malum fuerit, excoquat, & deſertum faciat.

APOSTOLI antequàm acciperent Spiritum ſanctum, habebant in lingua ſua aliquos tumores humanos; propterea Spiritus ſanctus deſcendit in ſpecie ignis in linguas eorum, vt quicquid puris habebant,Spiritus ſanctus decoqueret. Et Iſai. *Væ mihi, quia immunda labia habeo*; propterea mittitur vnus de Seraphim,& tollit carbonem ignis de altari, & tangit labia ipſius, & linguam, & purgat eam.Et quid dicit? *Ecce hoc tetigi labia tua, & mundaui linguam tuam.* Et ſtatim quid dicit? *Quem mittam ad populum iſtum, & quis ibit?* O myſteria Scripturarum!quandiu habebat linguam doloſam, & labia immunda non ei dicitur;*Quem mittam?* mundantur labia, & ſtatim mittitur ad loquendum. Ergo qui labia immunda habet, non poteſt prophetare, non poteſt mitti in obſequium Dei. Vtinam præſtetur nobis, vt quodcumque malum eſt, tollat de lingua noſtra, vt vbi ſpinæ ſunt, vbi vepres ſunt, vbi vrticæ ſunt, mittatur ignis Domini, & vniuerſa exurat. *Iſai. 6.*

ET hoc videntur attigiſſe antiqui Ethnici, dum Mercurio linguam ſacrificabant per ignē, quaſi nō poſſit Dei obſequio deſeruire ea lingua,quæ omnino purgat diuino igne,& decocta non fuerit. At verò quæ igne cœleſti mundata fuerit,magni dabet fieri,& in capite geſtari in ſignum honoris, ac æſtimationis. Ideo enim igneæ linguæ ſuper capita Apoſtolorum apparuêre,ſicut optimè notauit Cyrill. Hieroſolym. Catech. 17.vt nouæ coronæ ſpirituales per linguas igneas. Eæ namque linguæ, quæ diuino igne purgatæ fuerint,nobis cæleſtes coronas comparant,dum omnibus proſunt docentes,nemini nocent delinquentes.

§. II.

Proponitur multiplex malum linguæ.

DICITVR etiam lingua, vniuersitas, seu congeries, ac cumulus iniquitatis propter multitudinem iniquitatum, quæ per linguam perpetrātur, vt ostendunt omnes literæ Alphabeti, in quibus vitia linguæ explicantur. Verbi gratiâ, A, adulatio. B, blasphemia. C, calumnia. D, detractio. E, excusatio in peccatis. F, famæ ablatio, fraudes, & falsum testimonium. G, gloriatio vana. H, hypocrisis, & hæresis. I, iuratio, ineptia. L, lamentatio, ludibrium. M, mendacium, & mordacitas. N, nugæ. O, otiosa verba. P, periuria. Q, querela. R, rixæ. S, susurratio, & secretorum reuelatio. T, taciturnitas vitiosa. V, vituperatio. Z, zelus amarus. Vbi vides plura esse vitia, quàm literas, cùm duplicata, & triplicata in vna litera videamus.

Hoc ipsum ostendit D. Basil. in Ps. 33. ad ea verba: *Prohibe linguam tuam à malo*, dicens: Peccatum, quod per linguam admittitur, omnium ferè propensissimum, sed & idem multiforme. Iratus es? mox lingua occurrit. Concupiscentia teneris? habes & hîc linguam ante omnia quasi lenam, & conciliatricem, quæ cooperatur peccato, quæ per simulationem proximis imponat? Est tibi lingua quoque vice scuti ad iniquitatem, cùm non ex corde loquitur; sed ea promit quæ ad fraudem & imposturam faciunt. Denique, quid opus est commemorare, quæ per linguam peccantur? Vita nostra referta est linguæ delictis, turpiloquio, vrbanitate, stultiloquio, & quæ non conueniunt, detractione, otioso sermone, periurio, falsis testimoniis: hæc mala omnia, & adhuc illis plura sunt linguæ opera. Et Ber. Ser. de Triplici custodia: Quis numeret quantas modicum linguæ membrum contrahat sordes? quàm multiplex in labiis incircūcisis immunditia copuletur? quàm sit grauis pernicies oris incircunspecti? &c. quæ latè prosequitur.

IDEM argumentum prosequitur Nazianz. Orat. in Quadrages. ieiun. silent. vbi ita ait: Lingua libidinosi homines fœda multa eructant, vt ridiculi ipsi procacem risum hominibus moueant, tum subsultantes ipsi, tum alios ad eundem modum afficientes, diuinæque imagini dedecus afferentes. Hæc multa, quæ tecta atque occulta esse oportebat, in hominū aures euomuntur. Hæc sæpe ex animo perturbato grauique ira percito, conuitiorum omnis generis velut spumam quandam extrà diffundit, sæpe rursus insidioso animo. suauitatem beneuolentiámque præfert, eáque labiis gerit, à quibus animus abhorret, ac sub sermonis illecebris, sub fraude & mendacio cædes occultat. Quis autem quot mala ex ea oriantur oratione consequi possit? Domum cum domo, si ita voluerit, vrbem cum vrbe, Principem cum populo, populum rursus cum Principe statim, ac sine vllo negotio committit, non aliter atque igniculus stipulæ admotus, in magnum incendium citò excrescens, conuictores, filios, parentes, fratres, amicos, vxores, maritos, omnes denique perfacilè in mutuam perniciem armat. Sceleratum hominem, bonum asserit, bonum contrà calculo suo perdit. Quis parem

parem linguæ vim habet? quæ vtinam improbis, ac flagitiosis hominibus confestim interiret.

Et quia, sicut dixit idem Nazian. quot mala ex lingua oriantur oratione consequi nemo potest; qui plura velit, videat Basil. lib. de Institut. Monach. & in regulis breuioribus in Respons. ad interrog. 24. 25. 26. 27. & inde videat Ephrem in oppositione virtutum, ac vitiorum, & de linguæ malo. Nazian. in carmine scripto super silentio obseruato Ieiunij tempore, & in citata Orat. & Orat. coram cētum & quinquaginta Episcopis. Chrysost. hom. 43. in Matth. tom. 2. & tom. 5. hom. 2. 5. 32. ad Populum. August. lib. de conflictu vitiorum tom. 9. c. 8. & de mendacio c. 16. tom. 4. Hieron. ad Rusticum Monachum, & alibi sæpe. Ber. Serm. 24. & 63. in Cant.

§. III.

Lingua contra vniuersa omnia audet.

Dicitur etiam lingua, vniuersitas iniquitatis, quia contra vniuersa quæque agit; imprimis enim cōtra ipsum Deum blasphemando; vnde Dauid, *Posuerunt in cœlum os suum*, Psalm. 72. quod August. Basil. & Euthy. explicant de blasphemis, & in Deum iniuriosis hominibus. Ideóque Nazianz. de humana natura: In bonam partem hoc accipe, Sancta Trinitas, nec tu stultorum linguas prorsus effugistis. Vt videre est in Hæreticis, qualis fuit Arrius, & Sabellius, contra ipsum etiam Christum Dominum, cuius pœnalitates intrinsecæ, etsi Resurrectione fuerint terminatæ, tamen, sicut optimè notauit Caiet. 3. par. q. 52. art. 4. extrinsecæ non fuerunt terminatæ; nam vsque ad consummationem sæculi infamiæ pœnam, & linguæ iniurias dignatur sufferre; dum merus homo à quibusdam dicitur, confusionem naturarum ab aliis patitur, & alia ferè innumera, cùm tamen ipsi debeatur, *vt in nomine eius omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & infernorum.* *Phil. 2.*

Advertit autem Caiet. quòd sicut cæteras pœnas suscepit sponte sua propter nostram salutem; ita & hanc mira dispensatione sustinet, non solùm vt suauiter disponatur regimen ac salus hominum; sed vt suauissimo exemplo abstrahamur à tam communi appetitu futuræ nostræ memoriæ, seu immortalitatis famæ. Adde, vt ad exemplum Christi Domini, nobis illatas iniurias æquo animo toleremus.

Ponvnt etiam homines in cœlum os suum, quod eleganter notauit Hieron. in c. 5. Amos; vbi reddens rationem, quare homines planetis cœlorum lucidissimis nomina turpissimorum hominum, Iouis, & Martis, imò & inhonestæ Veneris imposuerint, ita ait: Cœlum infamare conantur, & mercedem stupri inter sydera collocare; quasi ex eo quòd pulchrum, & lucidum vident cœlum, illud reproborum hominum vitiis deturpare voluerint.

Nec mirum quòd cœlum petierint, cùm etiam Sanctos in cœlo glorio

gloriosos aggrediuntur, sicut videtur dixisse Dauid, *Posuerunt in cœlum os* Psal. 72. *suum.* vbi Chaldaicè habetur, *Posuerunt in Sanctos cœlorum os suum* : & pro eo quod nos habemus; *Lingua eorum transiuit in terra*; habet Chald. *Lingua eorum vssit Sanctos terra*: & iterum ait; *Iniquitatem in excelso loquuti sunt.* vbi Theodor. ait: Non satis fuit ipsis contra homines iniustè agere, verùm cœlum ipsum verbis ausi sunt petere. Et huc sine dubio respicit illud eiusdem Prophetæ, Ps. 111. *In memoria æterna erit iustus, ab auditione mala non timebit.* Non dixit, liberabitur, quia & sacra, & profana solet iniusta lingua inficere; sed dixit, non timebit, quia in tranquillitate est. Et Nazian. Orat. de silent. Quadrages. ieiun. Protinus vt mens tela linguæ emiserit, statim prouolant omnia quæ feriunt cœlites, terrestres, posteros: non minùs eos qui ab huiusmodi sagittis sibi cauent, eásque sedulò obseruant, quam qui nihil mali suspicantur, non minùs bonos, quàm malos, non minùs amicos, quàm hostes, non minùs exteros longéque dissitos, quàm propinquos, denique nihil est quod à linguæ sagitta tutum atque immune sit. Quod videtur dixisse Dauid, cùm ait, *Deuorant plebem meam, vt cibum panis*; sicut enim communis cibus, panis est; ita & ipsorum communis cibus, est detractio, & veluti panis, sicut aduertit Aug. in Ps. 52. qui ad quascumque escas adhibetur, nullique hominum parcit, malis scilicet, quia gaudet plures habere socios iniquitatis, sicut notauit Nazianz. Orat. 1. cùm ait. Mihi verò ad improbos oratio est, & malignos, qui ex eo quòd alios calumniis incessunt, vitiis opem ferre moliuntur. Quod etiam dixit Plut. lib. de progressu in virtute: *In confesso, inquit, est, ita natura comparatum esse, vt isti quos nulla tangit admiratio virtutis, sedulò curent, quò ab aliis celebrata lacerent, atque insectentur.* Bonis verò & iustis viris detrahunt, quos sibi similes esse per contumeliam nituntur, ne ab illis reprehendantur, sicut notauit Greg. 13. Moral. c. 1. dicés: Esse hoc peruersorum proprium solet, quòd suas malitias per conuitium bonis ingerant, priusquàm de iis ipsi veraciter accusentur, & dum metuunt increpari de iis quæ faciunt, aduersantes suis prauitatibus iustos hæc facere testantur. Et Hieronym. ad Eustochium: Sanctos carpere solita est lingua maledica in solatium delinquendi. Rectè quidem de huiusmodi hominibus dixit Isaias cap. 59. *Cor impij quasi mare feruens*; dum enim mare velut feruet, & ebullit vndis vndique agitatum, seipsum purgat, ad terram, & littora euomens, & proiiciens quæcumque sordida & immunda ferebat, quod impij facere consueuerunt maledico ore, & virulenta lingua. Vnde D. Hier. epist. ad Demetriad. Qui suo merito placere non possunt, placere volunt in comparatione peiorum. Et in prooemio epistolæ ad Ephesios, ait idem Hieron. Obsecro vos Paula & Eustochion, ne maledicis, & inuidis mea opuscula tradatis, neque detis sanctum canibus, & margaritas mittatis ante porcos: qui cùm bona imitari non queant, quod solùm facere possunt, inuident, & in eo se doctos, eruditósque arbitrantur, si de illis detrahant. Quibus obsecro respondeatis, vt figant ipsi stillum, experiantur semetipsos, & ex labore proprio discāt ignoscere laborantibus. Denique *lingua transiuit in terra*, Psalm. 72. quia sicut exposuit Aug. nihil relinquunt intactum.

Cæterum huiusmodi calumniatoribus subtiliter dixit Hierony. ad Sabinian. Esto, ego flagitiosus sum, vt vulgò iactitas, saltem mecum age pœnitentiam, crimnosus sum, vt simulas, imitare lacrymas criminosi, num mea peccata virtutes tuæ sunt? an malorum tuorum putas solatium, si multos tibi similes habeas? Et Nazian. Orat. 2. de Pace: Nos quidem reprehensionem meremur, si quid mali admiserimus; at vos interea impij esse non desinetis, etiamsi in peccatum incidamus, imò eo etiam maior est impietas vestra, quo iis qui læduntur, acerbiores estis; debetur enim fratribus labentibus doctrina, & compassio. Vnde Arrianus lib. 1. in Epictet. c. 28. docet, non esse detrahendum, neque irascendum peccatoribus, quia scilicet cogitare debemus huiusmodi homines quodam errore falli, & quodammodo hallucinari in bonis ac malis rebus diiudicandis. Et quia hoc quod malum reuerà est, & à nobis malum iudicatur, illis videtur bonum, prout sic sunt affecti, & animati: quapropter non conuenit illis irasci, sed potiùs condolere & misereri, laborandúmque potiùs vt modestè & patienter doceamus eos, quemadmodum, & in quo decipiantur, vt sic docti euidenter intelligant errorem suum, & ab eo abstineant; quousque autem id non demonstrauerimus, patienter agendum & misericordia vtendum, quemadmodum & cæcorum, ac claudorum, & aliorũ huiusmodi debilium miseremur. Dum verò ipsorum defectus notamus, ipsisque iniustè detrahimus, nec vitia emendamus, sed aliena propria facimus, dum aliena corrigere non curamus.

Mirum autem est, quòd cum lingua igni comparetur, ignis fornacis ardentis pepercerit seruis Dei ipsum laudantibus, cùm tamen linguæ ignis nulli omnino parcat. Quod notauit Chrysost. ad finem tom. 1. hom. de trib. pueris, cùm ait: In fornace stans Azarias aperiens os suum in medio ignis dixit; *Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum, & aperuit os suum*; non audet autem ignis, inuocantis Dominum fauces irrũpere, nec nubilo ductu vaporans eloquentis ora conturbat; & tamen detrahentis os aggreditur, mordet, & inficit viros laudantes Deum, ipsiúsque obsequio dicatos vniuersitas vtique iniquitatis; quæ proinde vniuersos inficit, vt miraculum censeri debeat, si quis immunis euadat; quod videtur significasse Dauid, cùm dixit: *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ à contradictione linguarum*, vbi per *absconditum faciei Domini*, intelligenda est illa diuinæ præsentiæ occultatio, quæ humanos oculos, & animum fugit, vt conspici nequeat, quem nullus hominum vidit, inquit Apostolus; sed nec videre potest: in quo abscondito *1. Tim. 6.* faciei suæ, quem liberare vult ab hominum conspectu, subducit, & curat ne videatur, sicut cùm faciem suam abscondit, à nemine videri potest, ita vt ipse Dauid quamuis ante oculos penè Saül Regis in eadem spelunca versaretur, non tamen viderit, cúmque tot Regij satellites diligentissimè scru- *1. Reg. 24* tarentur, nusquam illum aut videre, aut reperire licuerit. Is enim qui *ponit* *Psal. 17.* *tenebras latibulum suum*, quibusdam quasi tenebris, & caligine quem voluerit inuoluit. Sic de Hieremia legimus, cùm eum, & simul Baruch illius scri- *Hier. 36.* bam Rex Ioachim irritatus comprehendi mandasset, absconditos fuisse à

Ioan. 8 Domino. Sic item de Domino nostro legimus per medium lapidare illum volentium transiisse, & absconditum exiisse de templo. Sic igitur per miraculum quis poterit euadere vniuersitatem iniquitatis quæ vniuersos attingit.

IDEOQVE Bern. in principio epistolæ ad fratres de monte Dei, illis hoc imprecatur: Abscondat vos Deus in abscondito faciei suæ à contradictione linguarum. Ideo & D. Hierony. vt nouum miraculum de Paula, ait ad Eustochion filiam ipsius Paulæ: Ita se gessit, vt nunquam de illa etiam maledicorum quicquam auderet fama confingere. Quæ igitur vniuersos inflammat, ac inficit, iure vniuersitas iniquitatis dicitur. Qua etiam de re videndus Ber. Ser. de Triplici custodia; dum hanc vniuersitatem nocendi in lingua probat ex eo, quòd inficiat loquentem, audientem, & ipsum etiam de quo loquitur. Gladius, inquit Bern. biceps, imò triceps, est lingua detractoris, ferocissima planè, quæ tres inficiat flatu vno.

NEC mirum quidem quòd vniuersis iniquè noceat, cùm nec sibi etiam
Psal. 35 parcat, sicut notauit Ambros. in Psalm. 35. vbi sic incipit Dauid, *Dixit iniustus, vt delinquat sibi.* Ita enim legit Ambros. qui ait: Quicquid ergo loquitur
Prou. 26. iniustus, iniquitas est, quæ in suum refertur authorem, nam *sicut spina nascuntur in manu ebriosi, ita in iniusti sermone nascuntur quæ compungant loquentem.* Cuius grauior est pœna quàm propria, cùm pro omni sermone det pœnas? Serpens aliis infundit venenum, iniustus sibi; in eum enim refunditur quicquid effuderit. Quod etiam habet Serm. 7. in Psalm. 118. & 1. Offic. capi. 4. Laqueus, inquit, est sermo noster. Loquimur plerumque quod excipiat inimicus, & quasi gladio nostro nos vulneret. Facitque ille locus Psalmi, *Sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorum, & infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum,* vbi Chaldæus habet; *& offenderunt seipsos lingua sua.* Theodoret. verò explicat: Istorum linguæ nihil offendunt eos qui conguntur, imò in caput eorum, qui percutere conantur, omne malum recidit. Namque, sicut dixit Hieron. epist. ad Marcum; non qui patitur, sed qui
Psal. 34 facit contumeliam, miser est. Vnde & Dauid dixit: *Cùm mihi molesti essent, induebar cilicio.* vbi Brixian. habet: *Ego autem cùm molestiam pateremur,* &c.

IN quem sensum etiam D. Hier. explicat de Iudæis id, quod dixit Dauid, *Conuersi sunt in arcum prauum.* Arcus prauus, inquit Hieron. est qui dum contra inimicos sagittas putatur iacere, sauciat tenentem, & cætera quæ pro hac re videnda sunt. Dixit hoc etiam Salomon in Prouerbiis, prout expo-
Prou. 26. nit Brixiam. Nam illud, *Sicut auis ad alia transuolat, & passer quolibet vadens; sic maledictum frustra prolatum in quempiam non superueniet.* Sic ergo habet Brixianus ad hæc verba. Sicut auis auolat & reuolat in nidum; ita maledictio redit in maledicentem, & non venit super eum, qui maledicitur. Et in hunc sensum intelligit. Bonauent, illud Sapiêtiæ, *A detractione parcite linguæ;* quòd seipsum primò lædat detractor. Exposuit autem rem hanc D. Athanas. de Passione, aptissima similitudine. Quemadmodum, inquit, siquis serpentem apprehendat manu, dum conatur in alterum proiicere; prorsus ipse mordetur; aut siquis ignem manu tenens, dum vult hostem lædere,

dere, non intelligat quòd ipſe prorſus exuritur: ſic malitia magis lædit eos à quibus habetur, quàm in quos intenditur: ideò cùm Scribæ, & Phariſæi diſcipulos Domini vellent maledico ore carpere, quòd non obſeruarẽt traditiones ſeniorum in lotionibus repetitis pro ſingulis cibis; ad ipſos Dominus increpationem conuertit dicens: *Quare & vos tranſgredimini*, &c.

VIDENDVS eſt etiam hac de re Euſeb. Emyſſen. homil. ad plebem, vbi ita eleganter habet. Quod malum eſt iſta paſſio, vt detrahas fortaſſe aut meliori, aut certè peccatum, quod alter incurrit operãdo, tuum facias obloquendo? Perniciosum itaque eſt, vt quiſquis ille offenſas alterius, velut ipſe immunis à culpa obtrectando condemnet, quas fortè ille neſcio quis apud Deum cõtrito corde, & fracto pectore iam redemit. Aduerte in quantum illius author lædatur, cuius contagio & auditor inficitur. Qui aliena inquirimus mala, quanta in nobis latent, ſi poſſumus, numeremus.

CVMQVE tam certum ſit, detrahentem ſibi maximè nocere ſpiritualiter, dum de alis malè loquitur, alio etiam modo ſibi graue nocumentum infert, ſicut notauit D. Hieron. ad Ruſtic de forma bene viuendi, dicens: Accuſamus ſæpe quod facimus, & contra noſmetipſos diſerti, in noſtra vitia inuehimur. Sic enim voluit diuina iuſtitia in promptu eſſe ſupplicium contra eos, qui temerè, & iniquè de aliis iudicant, ac loquũtur. Vnde Bern. epiſt. 233. ait. Si frater Ioannes in nos dixit, vel ſcripſit quod non decuit, vel quomodo non decuit, nõ tam nos læſit, quàm ſeipſum; magis namque ita ſcribendo ſuam prodidit leuitatem, quàm noſtrum deprehendit errorem. Quod etiam habet Chryſoſt. hom. 52. in Matth.

ET cùm conſtet iam de nocumento ſibi illato per detractionem vniuerſalem quorumcumque hominum, neceſſariũ eſt, vt conſtet etiam qualiter ſibi noceat is, qui linguã exerit contra viros Deo dicatos; de quibus intelligendus eſt ille locus: *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.* vbi in Hebr. Græc. Chald. Complut. & Reg. exemplari habetur, *tangit pupillam oculi ſui.* Et Cyrill. expoſuit; qui vos perſequitur, ſeipſum perſequitur. Et Vatabl. ſibi ipſi nocet, & affligitur vehementiùs. Hoc etiam notauit eleganter Rupert. lib. 2. in lib. Reg. c. 28. loquens de morte Ozæ ad extenſionem manus, vt ſuſtineret Arcam, quando calcitrabant boues. Myſticè, ait Rupert. per hanc ſimilitudinem vehementiùs commonemur, ne quando nos otioſi, & vacui, cùm ſimus humiles, Arcæ Dei portitores, ſi quando exceſſerint, velut boues calcitrantes temerè iudicemus. Igitur ad reprimendam audaciam iratus eſt Dominus contra Ozam indignatione ſuper temeritate, & percuſſit eum, quia, videlicet, qui Sanctorum infirma reſpiciunt, & non potiùs, quia conualuerunt de infirmitate, fortes ſunt in bello, ibi contra ſemetipſos diuinum prouocant iudicium. Sibi itaque potiùs quàm aliis nocent, qui in ſeipſis linguæ flammam accendunt. Cui verò parcent, qui ſibi non parcunt? Et quid mirum, ſi vniuerſos inficiat, quæ eſt vniuerſitas iniquitatis; nihilque in mundo patitur eſſe mundum? & ideò iure dicitur, mundus iniquitatis.

Zach. 2.

1. Par. 13.

§. IV.

Lingua dicitur mundus iniquitatis, quia concinnat, & exornat peccata.

Est denique lingua, mundus iniquitatis, seu ornamentum eius, sicut hoc in loco notauit Brixian. Etenim sicut mundus muliebris ad ornatum & cultum mulieris inseruit; ita lingua exornat iniquitatem per callidam Rhetorum eloquentiam, sicut hîc aduertit Oecumen. quod fit, dum vel persuasione quadam, & ornatu verborum, id quod iniquum est, efficit, vt æquum videatur, vel dum vitium extenuat, & verborum viridantibus folijs operit, sicut notauit Ambrosius lib. de Paradiso cap. 13. super ea verba. *Consueuerunt folia ficus.* Iacit, inquit, supra se folia, qui vel culpam velare desiderat, aut diabolum delicti memorat authorem, aut carnis prætendit illecebras, aut alium quempiam persuasorem prodit erroris. Gen. 3.

In quam sententiam D. Augustinus intelligit illud Psalmi, *Non miserearis omnium qui operantur iniquitatem.* Est, inquit, quædam iniquitas, quam qui operatur, non potest fieri, vt misereatur ei Deus. Quæres fortasse, quænam illa sit? Ipsa defensio peccatorum, quando quis defendit peccata sua, hoc defendit, quod Deus odit, si quod bonũ fecerit, sibi vult imputari, si quid mali, Deo. Nemo est qui audeat dicere, bonum est adulterium, bonum est homicidium, bona fraus, &c. sed quomodo ea defendunt? Si Deus noluisset, non id fecissem, quid vis faciam fato meo? Conuerte illos ante se, qui se ponunt post se. Psal. 58.

Alii verò nomine virtutis, zeli, aut amicitiæ, dolos prætendunt, quales fuêre ij, qui Miphiboseph filium Ionathæ occiderunt. *Ingressi* enim *sunt domum assumentes spicas tritici*; quod exposuit D. Hieronymus in traditionibus Hebraic. ad lib. Reg. Spicas tritici, ait, quasi causâ primitiarum tulerunt, vt honorem Regi deferre viderentur, & eorum dolus nequaquam deprehenderetur. Qualis etiam fuit Ioab, qui occidit Amasam verbis pacificis eum salutando dum dixit, *Salue mi frater.* Videndus de huiusmodi dolosis verbis Ambros. 3. Offic. cap. 11. Vtinam verò à mundo exulare faceret Deus mundum istum iniquitatis. 2. Reg. 4. 2. Reg. 20.

Non mihi videtur contemnenda expositio, quam affert Oecumen. Mũdus iniquitatis, veluti ad vilem & popularem turbam deuolutus, & respiciens, à nobilitate degenerat, & in vilitatem transit; ita vt is, qui malè loquitur, quantumuis nobilis sit, nobilitatem amittat. Quod videtur innuisse Christus Dominus, qui postquam interrogauit Discipulos, quomodo homines de ipso loquerentur, addidit: *Vos autem quem me esse dicitis?* quasi voluerit; vos nõ debetis loqui, sicut cæteri loquuntur, vtpote quia edocti in schola mea. Et in hoc sensu verè dixerunt Pharisæi. *Nónne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu?* Licèt enim male loquerentur, bene cohærebant verba cum animis, cum iniquitate, & ignobilitate eorum. Matt. 16. Ioan. 8.

Vers. 6.

Verſ. 6. *Lingua conſtituitur in membris noſtris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis noſtræ, inflammata à gehenna.*

EXPOSITIO LITERALIS.

PROSEQVITVR Apoſtolus enarrãdo linguæ mala, & his verbis tria aſſignat. Primum eſt, quòd totum corpus multorum vitiorum ſordibus contaminat. Secundum, quòd ad innumera ſcelera vitæ noſtræ curriculum inflammat. Tertium, quòd accendatur ab ipſo diabolo, gehennæ principe, & ab Angelis eius, inferni ciuibus. Et quia ſuperiùs appellauit eam, mundum iniquitatis, dicit totum corpus immundum reddere; eáque, quæ vniuerſitas iniuſtitiæ dicta eſt, vniuerſum corpus inficit. Et quia ignis dicta eſt, modò dicit rotam, ac curriculum vitæ noſtræ inflammare.

DICITVR ergo lingua conſtitui in membris noſtris; quaſi dicat: vnum eſt ex membris noſtris; maculátque totum corpus, non tantùm, quia eius iniquitas in cætera membra redundat: ſed quia totam congeriem & corpus bonorum operum perdit; ſicut dixit Beda ad ea ſuperiora verba, *Ecce quantus ignis*, &c. Incontinentia, inquit, linguæ ſuis nutrita leuitatibus, magnam operum bonorum materiam, multos vitæ ſpiritualis fructus vbi attaminauerit, perdit. Et hæc eſt expoſitio D. Thomæ hoc loco; & Iacobi Alogenhagen in annot. ad hanc epiſt. qui ait, *totum corpus maculat*, hoc eſt, omnem vitæ noſtræ rationem, ſeu totam actionem & vitam hominis.

NEC nouum in Scriptura, quòd per *corpus* intelligantur opera: ſic enim accipitur apud Lucam. *Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit*; vbi ſicut nomine *oculi* intentio ſignificatur ſecundùm Auguſt. Gregor. & Bedam: ita nomine *corporis* opera ſignificantur; ſicut etiam corpus peccati dicitur congeries peccatorum, vt docet Hierony. Rom. 6. *Luc. 11.*

INFLAMMAT etiam lingua rotam natiuitatis; vbi vox Græca ſignificat inceſſabilem vitæ curſum, quo à natiuitate vſque ad mortem, velut currente rotâ inceſſanter agimur, & comparatur rotæ, eo quòd ſemper à natiuitate vſque ad mortem in ſe reuoluatur. Ideóque Oecum. ait: Tempus vitæ noſtræ appellauit Pſalmographus coronam, dicens, *Benedices coronæ anni*. Rota verò & corona in eo conueniunt, quòd vtraque circularis eſt; rota verò dicitur vita, tanquam in ſeipſam reuoluta. *Pſal. 64.*

SYRIACVS codex habet, *Series genealogiarum noſtrarum, quæ currunt in modum rotarum, & ipſa quoque accenditur igne.* Quod poteſt imprimis intelligi de genealogiis, in quibus quidam gloriantur, & ob id alios præ ſe ipſis contemnunt, ac deſpiciunt. Vel etiam poteſt intelligi de genealogiis, quas alij inficiunt, detrahunt, & veluti in cineres linguarum igne conantur redigere. *Inflammat* itaque *lingua rotam natiuitatis*, id eſt, contaminat vitam no-

ſtram, vt ait Oecumen. vel inflammat totum curſum vitæ noſtræ litigando, detrahendo, blaſphemando, cæteriſque linguæ vitiis.

Et certè prodigio ſimile eſt, quòd cùm alia hominum vitia vel ætate deficiant, vel temporis ſucceſſu corrigantur, vel ſaltem non occupent totum hominem; vitia tamen linguæ per omnes vitæ partes ſpargantur, ac graſſentur, & per totam ferè vitam augeantur.

INFLAMMAT ergo, hoc eſt, incendit, & excitat nos in gehennam, idque *inflammata à gehenna*, hoc eſt, incitante dæmone, & Angelis eius, propter quos gehenna facta eſt.

GEHENNÆ vocabulo ad deſignandum locum, in quo pœnæ penduntur æternæ, priùs, & primus legitur vſus Saluator noſter in ſacris literis, quanquam priùs in vſu fuiſſe veriſimile ſit. Eſt autem nomen Hebraicũ *gehennõ* frequens inveteri inſtrumẽto, vt patet Ioſue 15. & ſignificat vallẽ Ieroſolymis vicinam ad plagam Orientalem, Cedrinis aquis irriguam. Huius igitur loci nomen tranſlatum eſt ad deſignandum Infernum, tum ob diram immanitatem, qua cultores Moloch adolere illìc ſoliti fuerant igne liberos ſuos in holocauſta, vt conſtat ex Ierem. 7. tum ob fœtidam loci ſpurcitiem. Ne quis enim amplius filios per ignem dæmoniis offerret; Deus magna multitudine occiſorum locum contaminauit, vt conſtat ex loco citato Ierem. c. 7. & c. 32. Quod etiam fecit Ioſias replendo eundem locum cadaueribus, excrementis, & ſordibus, vt patet ex 4. Reg. 23. Hinc itaque ad deſignandum crudelem, horrendum, fœtidum, ac deteſtabilem perpetuò cruciandis reprobis deſtinatum locum, alterius loci nomen tranſlatum eſt; quia verò continens accipitur pro contento, ideò hoc loco appellatur diabolus, gehenna, ſicut notauit Gloſſa, & Beda: quia ſicut gehenna ſemper ardet, ſic diabolus ſiue in aëre volitans, ſiue in terra, ſemper ſuarum ſecum defert pœnam flammarum, inſtar febricitantis, qui etſi in lectis eburneis iaceat, febrim patitur, & ardorem ſuſtinet.

§. I.

Lingua inficit, ac perdit quæcumque inuenit bona opera.

MACVLAT ergo, ac contaminat lingua totũ corpus, quia quæcumque opera virtutum inuenit, inficit, ac deturpat, & in cineres omnino redigit, quæcumque anima ſuperædificauerat. Quod notauit Ephrem de
Num. 11. linguæ malo in Maria ſorore Moyſis, quæ cùm Prophetiſſa eſſet, ob linguæ vitium, totum corpus eius maculatum eſt, perfuſúmque lepra: ita vt Moyſes eam penè mortuam reputauerit. Ait ergo Ephrem: Ex iis, quæ manifeſta ſunt, latentia atque occulta intelligi debent. Nam apertè corpus illius lepra occupauit, quia clàm lepra peccati animam ſuam infecerat; ex manifeſto eius malo peccatum innotuit, quod latebat. Ex teterrima ipſius lepra docemur, quàm graue, & deteſtabile vitiũ ſit obtrectatio. Corpus quod lepra infectũ cernebatur, velut ſpeculũ quoddam fuit animæ; ex illa carnis

cor

corruptione patefactum est, quomodo hominis maledici, ac detractoris corrumpatur animus. Similia habet Ambr.in I sai. 36. vbi loquacitatem appellat innocentiæ, virtutísque naufragium, namque sicut nauis, dum dehiscit, rimásque agit, magna aquarum copia collecta demergitur: ita per apertionem oris, linguæque scissuras in profundum inferni facilè demergitur anima, quæ veluti secundis ventis ad gloriæ portum nauigabat. Ideoque Salomon dixit: *Fili ne diffuas.* Quæ verba commentatus Ambr. Ser. 4. in Psal. 118. sic ait. Quicunque est facilis verbis, velut plenus rimarum, hac atque illac effluens, interiora euacuat sua, & exterioribus passionibus inundatur, tegere se nesciens, nec tenere verbum. Et super Psal. 38. ad ea verba. *Posui ori meo custodiam*; sic habet: Vectem sibi adhibuit ad os, quo thesaurum cordis, ac virtutum seruaret, qui aperto ore, fatiscentéque rimis facilè deperditur. Et Chrysost. super eundem Psalm. ait: Quoniam Pharisæus ori suo fores non apposuit, paucis verbis, quæ intus erant, perdidit; quemadmodum qui thesaurum posuisset in domo, in qua nullæ fores fuissent. Si ergo velimus vitam, & dies videre bonos, corpúsque lucidum habere, prohibeamus linguam nostram à malo. Quod argumentum prosequitur Chrysost. tom. 1. in Psal. 33. Et in hoc sensu Clem. Alexand. 2. Pædag. cap. 7. dixit: Terribilis in interitu suo vir linguosus; totum namque virtutum corpus inficit, imò interficit.

§. II.

Inconstantia vitæ nostræ in rota adumbrata.

APPELLATUR hoc loco ab Apostolo vita nostra rota, sicut etiam Ecclesiast. cap. 12. ex sententia multorum; *Et confringatur rota super cisternam, quæ per omnes ætatis gradus assiduè voluitur & decurrit.* Quem modum loquendi exposuit Nazianz. in sententiis, dicens: Rota est, incertò fixa, breuis hæc & multiplex vita: sursum mouetur, ac deorsum trahitur; neque enim stabilis est, quantumuis ita videatur, fugiens tenetur, & manens effugit, saltat plerumque, nec tamen fugere potest, stationem suam motu trahit, ac retrahit. Quod etiam prosequitur Bern. Serm. de nimia fallacia præsentis vitæ; vbi inter alia: Vita nostra vt multipliciter illudat, mutat faciem: modò enim se esse breuem causatur, modò simulat longiorem, cùm peccare delectat, adhuc gemit altiùs pro breuitate sua. Sicut igitur rota nūquā stat, sed perpetua volubilitate circumagitur; ita in hac vitæ rota nulla stabilitas, aut securitas reperiri potest, sicut notauit D. Ambr. Psal. 43. in eo, quòd Christus Dom. dum in nauicula cum Discipulis esset, voluit magnam excitari tempestatem, ita vt nauicula operiretur fluctibus. In naui, inquit Ambros. dormiebat Christus corpore; sed virtute vigilabat: Discipulos verò remissos, & negligētes esse non passus est, quasi de Domini præsentia & fauore securos; somnó corporis sese composuit, vigilabat tamen eius potestas, & prouidentia, quæ excitauit tempestatem in mari. Si ergo Christus Dominus

Eccl. 12.

Matt. 8.

Dominus, nec secum patitur quietos, ac securos esse Discipulos, quomodo patietur aliquem in vitæ curriculo, & circulo minimè circumrotari & commoueri?

PROSEQVITVR idem argumentum Basil. in Psal. 1. Talis est vita, quæ nec delectabilia, nec rursus acerba, & tristia diu retinet. Hodie terram coluisti? cras alter colet, & post eum alius. Vides agros hos, & domos sumptuosas, quot nomina iam vnumquodque horum permutauit? Cur vita nostra non dicitur via, quæ modò hunc, modò illum sortitur continuò statum? Beatus ergo qui in via peccatorum non stetit. Quis enim velit stare, vbi nihil stat, & omnia cum rota versantur? Ideóque Aug. lib. 6. Confess. c. vltimo. Versa, & reuersa in tergum, & in latus, & in ventrem, & dura sunt omnia, & tu solus requies. Et lib. 4. c. 10. Quoquò versum se verterit anima hominis, ad dolores figit alibi, præterquàm in te.

ET hæc est ratio, quare in sacra Scriptura mors dicatur *quies*, ac *requies*: quia tunc tandem quiescit rota, & motus eius circularis terminatur. Notauit hoc D. Chrysost. tom. 1. hom. de nomine *Abraham*; vbi exponit ea verba. *Lamech genuit filium, vocauitque nomen eius Noë, dicens: Hic nos quiescere faciet.* Sic enim legit id quod nostra ait; *consolabitur nos ab operibus.* Quietem, inquit Chrysost. diluuium vocans, eo quòd sub illo futurum erat diluuium diluuium autem mors fuit: mors verò quies viro est; & idcirco hominem, sub quo diluuium factum, quietis authorem vocauit. Mors quies liberans eos a laboribus, &c. *Genes. 5.*

HINC etiam est, vt quia hominis vita, rota est, ipse etiam nunquam in eodem statu permaneat, sed modò lætus, modò mærore affectus, nunc diues: postea pauper, hodie in honoris vertice, cras in imis infelicitatis ruinis. In quam sententiam aliqui ex recentioribus explicant cum Lyrano eum locum Ioan. vbi Discipuli dixerunt Christo, iterum in Iudæam redire volenti. *Rabbi, modò volebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc*, quibus ipse respondit. *Nonne duodecim horæ sunt diei?* vt sint verba prouerbialiter dicta, ad significandam mutationem facilem hominum, qui temporis variatione mutantur; ac si dictum esset: Duodecim horæ sunt diei, sed multo plures mutationes in homine, qui non persistit in eadem voluntate, sed quod modò intendit, statim dimittit. Quod videre est in Amnon, qui modò Thamar deperibat, eam iam odio prosequitur, & velut turpem ancillam poiicit. In Israëlitis, qui aquam exoptarunt, deinde panem, postea carnes; aquam tribuit Deus, panem misit de cœlo, innumeram coturnicum multitudinem coniecit, sed *cùm adhuc carnes essent in dentibus eorum, furor Domini concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis, vocatúsque est ille locus, Sepulchra concupiscentiæ.* Fuit enim necessarium, vt Deus eos homines occideret, ad hoc, vt finem concupiscentiis, & mutationibus imponeret; alioqui nunquam cessarent ab appetitione & variatione. *Iob. 14.* *Ioan. 11.* *2. Re. 13.* *Psal. 77.* *Num. 11.*

IDEOQVE Aug. lib. Soliloquior. c. 2. Nunc gaudeo, inquit, statim tristor, nunc vigeo, iam infirmor. Nunc viuo, statim morior, nunc felix appareo, semper miser, nunc rideo, iam fleo; sicque omnia mutabilitati subiacent, vt

vt nihil vna hora, in vno statu permaneat. Prosequitur idem argumentum Chrysost.hom.63. ad Populum. Sicut, inquit, nunc quidem nox, nunc autem dies, interdũ quidem æstas, interdũ autem hyems sic & in nobis. *Exi de terra tua.* Vides rem molestam imperari; verùm & lætam vides subsequentem. *Et veni in terram, quam monstrauero tibi; & faciam te in gentem magnam.* Quid ergo? Postquam venit in terram, portum attigit, infesta desierunt? Nequaquam, sed & rursum alia prioribus grauiora subsequuta sunt, fames, & peregrinatio, vxorísque rapina, & post hæc alia bona successerunt, quæ prosequitur; additque: Sed quoniam in lætitia semper esse volumus, propterea nos in tristitiis semper esse putamus, neque propter hoc tantùm; verùm quoniam lætorum quidem, & bonorum statim obliuiscimur; tristium autem semper recordamur. Neque enim fieri potest, vt homo sit semper in ærumnis, qui perpetua mutatione versatur, rationéque istius instabilitatis meritò Dauid mirabatur, quòd Deus hominem computaret. Sic enim legit Hieronym. illud Psalm. *Domine quid est homo, quia innotuisti ei, aut filius hominis, quia computas eum?* August. verò ibi; *quia æstimas eum?* rem scilicet instabilem, & cum cæteris quæ statum, & quietem habent, minimè computandam. Vnde Iacobus eius vitam cum rota perpetua volubilitate agitata meritò confert.

Genes. 12.

Psal. 43.

§. III.

Linguam præ cæteris membris diabolus inflammat.

INFLAMMAT autem gehennæ princeps linguam nostram, imò nullum aliud membrum constitutum in corpore humano sic aggreditur, & accendit. Quod notauit Chrysostom. tom. 5. hom. ad baptizandos, dicens: Vndique nobis insidias dæmon præparare consueuit, sed faciliùs lingua, & ore peccante; nullum enim æquè congruum illi organum, in ministerium est interitus atque peccati. Nam inde nobis mors, inde lapsus, inde perditio, inde naufragium præparatur. Videndúsque est hac de re Orig. hom. 3. in Exod. cùm explicat ea verba cap. 3. *Ego aperiam os tuum, & instruam te, quæ oporteat te loqui.* Beati, inquit, sunt quorum Deus os aperit, vt loquantur. Prophetis Deus os aperit, & implet eloquio suo; vereor tamen ne sint aliqui, quorum os diabolus aperiat; nam qui loquitur mendacium, qui falsum testimonium dicit, diabolus aperuit os eius. Aduertit autem idem Origenes, aliter Deum inflammare linguam nostram, atque diabolum; vt videre est in Isaia, ad cuius linguam purgandam missus est vnus de Seraphinis. Ideóque concludit hom. 4. in cap. 6. Isai. Tangat, inquit, labia nostra, vt & nos dicamus. *Tetigit, & inflammauit os meum.*

Exod. 3.

EST autem inflammare linguam, sicut notauit hoc in loco Caietan. efficere, vt lingua nostra mala loquendo mereatur flammam gehennæ; quia nullum aliud vitium est, in quo tam apertum cernatur demeritum, aut cui tam iustum debeatur supplicium. In primis enim nulla proposita vtili-

tate, commodóue lingua in damnum famæ, & honoris aliorum dilatatur, nullam hoc vitium secum affert voluptatem, cùm in cæteris peccatis, vel vtilitas, vel voluptas alliciat & impellat; sicut prosequitur Chrysostom. hom. 3. ad Popul. Tandem inexcusabile coram Deo videtur hoc peccatum, quo frater impiè incusatur, & de illo multoties sine culpa detrahitur, & qui fratrum defectus quantumuis minimos magni facit, & virulento ore inficit, quomodo proprio poterit coram omnium iudice integerrimo attenuare vel excusare, aut pro eis misericordiam Diuinam implorare, qui immisericors, & crudelis semper erga proximos extitit?

Vt flammam igitur gehennæ vitet, contra se quisque inflāmet linguam suam, & qui tam solerti studio aliorum defectus accusat, suos ipse propria lingua redarguat. quod dixit Chrysostomus loco suprà cit. Lingua armetur aduersùs peccata tua, non ad fratris plagam præparetur. Et Bernardus de interiori domo c. 42. Væ illi, qui suam renuit corrigere vitam, & alienæ non desinit detrahere, si vis detrahere, tua in te peccata retorque. Et c. 43. Tandiu quisque sua peccata ignorat, quandiu curiosè aliena considerat; qui semetipsum aspicit, non quærit quid in aliis freqúenter reprehendat, sed in semetipso quid lugeat.

Aliam rationem affert Chrysostom. cur debeamus linguam nostram custodire, ne quando à gehenna inflammetur, quia scilicet ea est, qua Deum alloquimur, & veniam à Deo peccatorum nostrorum postulare debemus. Sic igitur habet homil. 52. in Matth. Noli pati linguā sordescere; quo enim pacto pro te deprecabitur, si libertatem propriam amittat? Orna eam humilitate, atque modestia dignam fac Deo, qui per eam rogatur, oraturus magis vertice ipso capitis linguam tuam custodias. Veniat nobis in mentem, quem adire constituimus, & pro quibus, & quid facturi adimus.

Aliam etiam rationem custodiendæ linguæ affert ibi Chrysost. homil. 21. in epist. ad Roman. quæ sic habet: Quomodo sacram oblationem sumes, qui linguam humano sanguine cruentasti? Quomodo pacem das ore, bellis adeò referto, &c. Custodienda est igitur lingua, qua Deum alloqui & deprecari, imò & in sacratissima Eucharistia sumere debemus, ne à gehenna incendatur, & à diabolo prouocetur.

Vers. 7. *Omnis enim natura bestiar, & volucrum, & serpētium, & cæterorum domantur, & domita sunt à natura humana.*

Vers. 8. *Linguam autem nullus hominum dōmare potest, inquietum malum, plena veneno mortifero.*

EXPOSITIO LITERALIS.



OSTENDIT adhuc Apostolus linguæ petulantiam, & improbitatem maximam, eo quòd naturalibus viribus, & humana arte semper indomita permaneat, cùm cætera aninantia, quantumuis crudelia,

delia, cicurentur. Illud autem circa literam notandum occurrit, vbi nos legimus, *cæterorum*, alios legere, *cetorum*; Græcos verò & Vatabl. *marinorum*; & vbi nos habemus, *inquietum malum*, habere, *incoercibile*.

ILLVD deinde aduertendum, non loqui Apostolum hoc in loco de ea animalium mansuetudine ante peccatum, qua subdebantur homini, qui dominabatur piscibus maris, volatilibus cœli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur supra terram, neque de ea, quæ diuinitùs multoties facta est, vt quando cetus Ionæ pepercit, leones Danieli, serpẽtes B. Teclæ, vipera Apostolo Paulo; sed loqui de ea, quæ arte, & sagacitate hominum fit. *Genes. 3.* *Ion 2.* *Dan. 6.* *Act. 28.*

NON est igitur dubium leones, tigres, elephantes, rhinocerotes, vrsos, pantheras, atque alia immanissima animalia, solo nomine nos perterrefacientia, arte hominum mansueuisse. Etenim M. Paulus Venetus in lib. de Regionibus Oriẽtalibus refert, Magnum Cam Imperatorem Tartarorum habuisse cicuratos leones, leopardos, tigrides, lynces, vrsos & reliquas id genus feras. Et Plinius lib. 8. cap. 16. & 17. ostendit facile esse domare leones, tigridésque mansuefieri, & c. 11. ait: Iuncti primùm currum subiêre elephanti Pompeij Magni Africo triumpho. Nouimus etiam tigrides currum Liberi patris traxisse, de quo Poëta dixit.

Liber agens Nisæ summo de vertice tigres.

Nouimus elephãtes magistris obedire, Græcos quoque characteres depinxisse, teste Plin. & Heliano. Rhinocerotes scimus tempore Domitiani Romam aduectos, & morigeros se præstitisse suis præceptoribus, vt Martialis dixerit:

Sollicitant pauidi cùm rhinocerota magistri,
Et dum se tarda colligit ira feræ.

Serpentes etiã, quo nomine reptilia complectitur Iacobus, cicures redditi sunt. Nam Plinius lib. 10. cap. 7. in fin. cuius meminit Beda hoc in loco; refert immanissimam serpentium aspidem in Ægypto domitam à patre Fam: & quotidie de cauerna sua ad mensam eius egressam, annonam percipere solitam. Aues etiam, vt picæ, & graculi humanas voces sonare discũt. Nec tantùm paruas volucres, sed etiam grandes, vt aquilas & falcones, struthionésque mansuescere videmus. Ideóque dixit Baruch. *Vbi sunt Principes gentium, qui dominantur super bestias, quæ sunt super terram, qui in auibus cœli ludunt?* Enimuerò sicut olim gladiatores ludebant ad spectaculum populi, necem sibi inferentes; ita falcones ludere dicuntur, dum alias volucres nobis spectantibus interficiunt.

QVOD denique pisces domentur, nulli dubium esse potest. Legimus enim apud Plin. lib. 9. cap. 8. delphinum solitum fuisse voce hominis audita egredi ad littus, & quendam dorso suo suscepisse & vectasse per mare. Plura habet Aulus Gellius lib. 7. c 8. vbi ex Appione refert, delphinum inclamatum à puero apud Puteolos acciri; quin etiam adnatantem dorso puerum admisisse; ita vt pinnæ aculeos velut vagina conderet, ne pueri corpus lacerarent, receptúmque equitis modo insidentem per magnum æquor per ducenta stadia deferret. Roma, inquit ille, omnisque Italia confluebat, vt

piscem vectorem pueri spectaret.

HOMO itaque sola ratione instructus, vt ait Galenus, & manibus munitus, etsi ferocitate, ac fortitudine leones, & alias feras bestias non superet, instrumentis tamen quibusdam, manibus, ingenio omnia domat, aut saltem domare potest. solam linguam suam ipse domare nequit; & cùm animalia carniuora, vt leones, lupi, aquilæ, &c. in arca Noë à carnibus abstinuerint, vt colligitur ex August. lib. quæst. super Gen. q. 3. homines tamen humana carne crudeliter vescuntur, linguæque morsibus se dilaniant, ac lacerant: id enim in Scriptura significat, *vesci carne*
Iob. 19. *humana*; iuxta illud Iob. *Quare persequimini me, sicut Deus, & carnibus meis saturamini?* & illud Micheæ: *Qui comederunt carnem populi mei.*
Cap. 3.

SVPEREST alia difficultas, quo pacto intelligendus sit Apostolus; linguam nullus hominum domare potest, si illa indomita nulli prorsus salus contingere potest? Cui obiectioni imprimis possumus, respondere, primò cum Glossa, quam affert & probat D. Thomas, quòd linguam potest homo domare quoad delicta grauia, sed non à leuibus semper, cùm omnes offendant, vel superfluè, vel otiosè loquendo. Vel secundò respondetur, quòd nullus Doctor potest domare linguam discipulorum audientium. Vel tertiò tandem, & melius, cum D. August. lib. de Nat. & Grat. cap. 15. tom. 7. qui locus, quia totus aureus in præsenti transcribendus est. Ait ergo ibi: Non mihi videtur ita intelligendum, quasi per exprobrationē dictum, tanquam diceretur; ergóne linguam nullus hominum domare potest; tanquam obiurgans, & dicens, domare feras potestis, linguam non potestis; quasi facilius sit linguam domare, quàm feras. Non puto quòd iste sit sensus hoc loco. Si enim hoc sentiri vellet de facilitate domandæ linguæ, cætera sequerentur in bestiarum comparatione. Nunc verò sequitur inquietum malum, plena veneno mortifero, vtique nocentiore quàm bestiarum, atque serpentum. Nam illud carnem interficit; hoc verò animam. Neque hoc ideò dixit, vt huius in nos mali dominationem per negligentiam permanere patiamur; sed vt ad domandam linguam diuinæ gratiæ poscamus auxilium: non enim ait, linguam nullus domare potest, sed nullus hominum, vt cùm domatur, Dei misericordia, Dei adiutorio, Dei gratia fieri fateamur. Conetur ergo anima domare linguam, & dum conatur, poscat auxilium, & oret lingua, vt dometur lingua, domāte illo qui dixit ad eos; *Nō enim estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* Et idem Augustin. tom. 10. Ser.
Matt. 10. 4. de verb. Dom. cap. 2. Si linguā nullus hominum domare potest, ad Deum confugiendum est, qui domet linguam nostram: si eam domare volueris, non potes, quia homo es; linguam nullus hominum domare potest. Attende similitudinem ab ipsis bestiis quas domamus: equus non se domat, camelus non se domat, elephantus non se domat, aspis non se domat; sic & homo non se domat, sed vt dometur equus, camelus, & elephantus, quæritur homo: ergo Deus quæratur, vt dometur homo. Dubitare debemus quia mansuetos nos faciet Dominus, si nos domandos ei præbeamus? Domuisti leonem quem non fecisti, non domat te qui fecit te?

HVIC

Hvic expositioni etiam videtur fauere Oecumen. qui hæc verba; *Linguam nullus hominum domare potest*, non assertiuè, sed per interrogationem putat legenda. Nam vt ipse ait, si assertiuè dicerentur, nequaquam in progressu rectè videretur vti exhortatione, cùm ait: *Non oportet, fratres mei, hæc ita fieri.* Suffragatur etiam Isidorus Clarius qui idem sentit.

Cvm ergo ita se res habeat, meritò Dauid postulabat à Deo, vt domaret linguam eius, dicens: *Pone Domine custodiam ori meo.* vbi Chrysost. Postulationem incipit Dauid ab eo quod omnium malorum causa est, si negligatur, quemadmodum bonorum, si in eo cura, & studium ponatur. Quod argumentum prosequitur author Sermonum ad Fratres in Eremo.

§. I.

Ostenditur malum, & venenum mortiferum linguæ.

Appellatvr hoc loco lingua, *malum inquietum*, non solùm quia labile, seu lubricum est, cùm consistat in humido. Ideóque non tam citò fatigatur, sicut quodlibet aliud membrum; neque etiam quia citò transit de malo ad malum, vt à conuitiis ad scurrilia, ab illis ad detractiones, iuramenta, & falsa testimonia: sed quia plerumque magnarum commotionum, & perturbationum est causa. In quam sententiam intelligit D. Greg. 5. Moral. c. 11. illud Prouerb. *Qui dimittit aquam, caput est iurgiorum.* Aqua quippe dimittitur, cum linguæ fluxus effrænatur; sed dimissor aquæ caput iurgiorum efficitur, quia per linguæ incontinentiam, discordiæ origo propinatur. Quibus habet similia D. Hierony. in citata verba tom. 8. & author Ser. ad Fratr. in Erem. vbi suprà, cùm ait: O lingua, tu periculum immittis, discordiam sæpe spargis, &c. Prou. 17.

Dicitvr insuper *plena veneno mortifero*, quale est pestilentia. Vnde loquaces, & irrisores in Scriptura, pestilentes sæpe nominantur, vt patet in lib. Prouerb. cùm dicitur; *Tecta perstillantia, mulier litigiosa*; quæ verba sic habent aliqui Codices; *Tecta pestilentia.* Ideóque Maria soror Moysis quæ per linguam ceciderat, & contra fratrem murmurauerat, eiicitur extra castra, veluti pestilentia infecta. Et illud Exodi: *Ne forte occidat nos pestis*; ex Hebr. legi potest; *Ne fortè occidat nos lingua.* & in Ps. 1. vbi nos habemus, *in cathedra pestilentiæ non sedit*; D. Hierony. legit, *in cathedra irrisorum.* Qua de re videndus ibi August. Eugubin. cùm aduertit, non malè interpretes eiusmodi homines appellasse pestilentiam. Quibus habet similia Hierony. super Ezech. c. 18. & super Isai. c. 6. Facit etiam ille locus Psalmi; *Ipse liberauit me de laqueo venantium, & à verbo aspero.* vbi Heb. *& à peste celeriter necante.* Videndus item Origen. lib. 3. in epist. ad Rom. cùm ponderat ea verba Psal. *Venenum aspidum sub labiis eorum;* Morsus, inquit, serpentis veneno corpus interimit, morsus verbi venenati animam necat. Et Bernard. Serm. de Triplici custodia: Lingua, inquit, maledica, vipera est ferocissima, quæ lethaliter inficiat tres flatu vno, illum qui loquitur, & de quo loquitur, & quē verbis suis scādalizat.

Prou. 19. & 27. Num. 12. Psal. 90. Psal. 13.

SICVT autem venenum id, quod primò petit, est cor, quo citiùs toto corpori dominetur, vitámque eripiat; sic flagitiosa verba nihil priùs aggrediuntur, quàm cor. Vnde Origen. in cap. 19. Iob ait: Nihil sic hominis attingit animum, vt sermo durus; sæpenumerò qui corporis cruciamenta tolerauit, non passus est verba. Et Ambros. lib. 2. de interpellatione Iob: Nihil sic penetrat animam, nihil sic mordet, vt durior sermo. Ideóque Iob cõ-
Iob. 19 questus dixit, *Vsquequò affligitis animam meam, & atteritis me sermonibus?*

PROSEQVITVR hoc argumentum Chrysost. hom. 15. in Matth.
Matth. 5 vbi ait: Nescio quomodo omnibus penè rebus amariùs solent mordere maledicta, cùm certè multi ad laqueum conuolarint, opprobria non ferentes. Notauit autem ibi acutè sanè Chrysost. dixisse Christum Dominum, *Beati pauperes, beati mites*, &c. indefinitè quidem. At verò cùm de malo linguæ loquutus est, conuertit sermonem ad Discipulos, & ait illis: *Beatis estis, cùm exprobrauerint vobis homines, & dixerint omne malum aduersùm vos*; videlicet ostendens, ait Chrysost. ipsorum hoc esse præcipuum & proprium super omnes prorsus magistros, & quòd nisi quis armatus fuerit virtutibus, quas Christus præmiserat, & enumerauerat, tantum malum tolerare non possit. Sunt enim aliqui filij hominum, quorum *dentes arma, & sagitta*, sicut dixit
Psal. 56. Dauid. Quæ verba sic legit, & transfert Genebr. homines habent verba dentata, & sagittantia, ideóque Christus thoracibus ferreis, impenetrabilibúsque virtutum eos muniuit; & mortifero veneno occurrit per verba vitæ, & antidotum suæ doctrinæ desumptæ ab arbore vitæ Christi.

§. II.

Debemus prouidere famæ nostræ, & occurrere pestilentiæ linguæ.

CÆTERVM, quia lingua plena veneno mortifero dicitur, ne inficiat, & ineptos omninò reddat viros qui Reipub. Christianæ sũt per-
Exod. 5. utiles, ac necessarij, & ipsorum odorem fœtere faciat coram populo; ideò Religiosis, & Apostolicis etiam viris aliquando licet huic pestifero vene-
Epist. 3. Ioan. no occurrere, sicut notauit Oecumen. in epist. 3. Ioan. cùm Apostolus maledico Diotrephi ait: *Propter hoc si venero, commonebo opera, quæ facis verbis malignis garriens in nos.* Ait ergo Oecumen. Si præceptum est, non reddendum
Rom. 12. esse malum pro malo, quomodo iste nunc hæc comminatur? Dicimus ergo quòd hoc præceptum est, ne illi reddamus malum qui in nos ipsos solos deliquit; nam si peccatum est aduersùm nos, & fidei affert impedimentum, referendum est tali, sicut & Paulus Elymæ qui peruertebat vias Domi-
Act. 13. ni, dixit; *O plene omni fallacia*, &c. Et Beda etiam ibi. Linguas detrahentium, sicut nostro vitio non debemus excitare, ne ipsi pereant; ita per suam malitiam excitatas debemus æquanimiter tolerare, vt nobis meritum crescat: aliquando autem etiam compescere, ne dum de nobis mala disse

disseminant, eorum qui audire nos ad bona poterant, corda innocentium corrumpant. Prosequitur hoc argumentum Basil. epistol. 79. ad Eustathium.

Et hæc fortassis videtur causa, cur olim Reges, Sacerdotes, & Prophetæ vngerentur. De Regibus licèt lex taceat, Scriptura tamen tum ex ipso vsu, tum ex consensione omnium interpretum, etiam Hebræorum, constat, patétque ex 1. Reg. 10. & 16. ex 3. Reg. 1. ex 4. Reg. c. 11. quod etiam apud profanos vsitatū asserit Plut. in Artaxerxe; & Apuleius lib. 11. Transformationis. De vnctione verò Sacerdotum videndus est liber Exodi cap. 29. & liber Leuitici c. 8. & de Prophetis patet ex 3. Reg. c. 19. Vnde etiam vngi, erat destinari, & quasi cōsecrari ad Prophetæ munus, ad rectè, & ritè obeūdam diuinam legationem. Hoc igitur ideo factum præter alias rationes puto, vt intelligerent huiusmodi homines, curandum sibi esse bonum nomē, ac testimonium, nomine olei, & vnguenti in sacris literis significatum, vt patet ex lib. Cantic. cùm dicitur; *Oleum effusum nomen tuum*; quod de bona fama communiter explicatur, & è contra in Prouerb. dicitur; *nomen impiorum putrescet*. Sumptáque est metaphora à suauitate odoris, quam oleum vnguentáue longè diffundunt. Qua de re videndus Aug. 3. de Doctr. Christian. c. 12. Odor bonus bona fama est, &c. Et Basil. orat. in Sanctum Gordium. Proindéque resistendum detractoribus, & obstruendum os iniquè loquentium; quod docet D. Thomas 2. 2. q. 73. art. 3. vbi quærit; Vtrùm aliquis debeat contumelias sibi illatas sustinere? Respondétque in corpore art. necessariam esse patientiam in his quæ contra nos fiunt, & habere animum paratum ad contumelias tolerandas, si expediens fuerit: quandoque tamen oportere, vt contumeliam illatam repellamus, maximè propter duo. Primò quidem propter bonum eius, qui contumeliam infert, vt videlicet eius audacia reprimatur, & de cætero talia non attentet. Alio modo, propter bonum multorum, quorum profectus impeditur per contumelias nobis illatas. Probat autem sanctus Doctor hanc doctrinam ex Gregor. homil. 9. in Ezechiel. dicente: Hi quorum vita in exemplo imitationis est posita, debēt si possunt detrahentium sibi verba compescere, ne eorum prædicationem non audiant qui audire poterant, & ita in prauis moribus remanentes bene viuere contemnant. *Cant. 1.*

Docvit hoc Augustinus Serm. 49. de Diuersis, cùm ait: Propter nos conscientia nostra sufficit nobis, propter vos fama nostra non pollui; sed pollere debet in vobis. Et lib. de bono viduitatis c. 22. Placendum per omnia omnibus, nempe in bonum, & curanda quæ sunt bonæ famæ, siqua virtus, & siqua laus, vt illa pro nobis, hæc sit pro aliis. Veréque dixit tenax famæ Cicero 1. de Offic. *Negligere quid de se quisque sentiat, non solùm arrogantis esse, sed etiam omnino dissoluti.* Et Plato lib. 12. de Legibus, circa medium cauet, ne quis vnquam parui faciat, probúsne aliis videatur, an improbus. Quod cùm debeant facere priuati homines, maiori cura debet obseruari à viris Apostolicis, & in dignitate constitutis, qui ne fiant tanquam vas perditum ob vituperationes commorantium in circuitu, & inutiles *1. Co. 10.*

red

reddantur ad docendum in Ecclesia, huic mortifero veneno linguæ dilligenter admodùm se debent opponere, ne subditi ab eis fugiant, vtpote pestilentia infectis, ad quos deberent confugere, pro vitæ pane (doctrinæ scilicet) accipiendo.

Vers. 9. *In ipsa benedicimus Deum, & Patrem, & in ipsa maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt.*

EXPOSITIO LITERALIS.



STENDIT adhuc Apostolus, linguæ malignitatem, & abusum, quæ cùm Dei laudes celebret, ac celebrare debeat, hominem etiam, imaginem scilicet Dei, ipsum virulentis verbis impetit. Vitiúmque in hoc constit, quòd linguam ad maledicendũ exeramus, cùm tamen ad benedicendum, & laudandum Deum creata sit. Quod notauit Aug. lib. de salutar. document. tom. 4. *In ipsa* igitur idem est, atque *per ipsam*; vt peruium & tritum in Scriptura est. Illud autem quod dicitur, *benedicimus Deum, & Patrem*, explicat D. Thomas; vt significet totam Beatissimam Trinitatem, quæ Deus est per potentiam creationis, Pater per gratiam adoptionis.

CVM verò hoc in loco dicitur homo ad similitudinem Dei factus; ostendit imaginem & similitudinem Dei nihil diuersum significare; cùm Scriptura de hac re loquens, promiscuè his vocibus vtatur, aliquando vtrumque vocabulum coniungens, vt locis citatis: aliquando alterum solùm ponat, vt hìc, & Gen. 5. dicitur, *ad similitudinem Dei fecit illum*; & Gen. 9. *ad imaginem quippe Dei factus est homo*; Coloss. 3. *Secundùm imaginem eius qui creauit eum.* (Gen. 5. & 9.)

EST ergo homo imago, vel similitudo Dei, eáque non corporalis, sed spiritualis. Rursus hæc duplex, altera naturalis, altera supernaturalis. Naturalis quatenus animus noster incorporeus & indiuiduus, immortalis, intellectu, & voluntate præditus, libero arbitrio pollens, capax sapientiæ, virtutis, diuinæque gratiæ, ac gloriæ, cunctorúmque animalium dominus, ac præses est. Quæ rationes desumptæ sunt à Sanctis Patribus; quanuis illi vnam, aut alteram duntaxat ad rationem imaginis declarandam attulerint: & hæc ratio imaginis cùm sit connaturalis homini, peccato eiusdem hominis nequiuit adimi, & aboleri, nisi homo esse desineret.

SVPERNATVRALIS verò imago, est accidentalis gratiæ, & iustificationis, quæ in patria perficietur & cõsummabitur, quatenus pro libertate arbitrij potest in hac vita amitti, licèt possit iterum accipi & restaurari. De qua secunda ratione imaginis dixit Paulus: *Nos verò omnes reuelata facie gloriam Dei speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu.* vbi Diuus Thomas explicat, quòd cùm omnis cognitio (2. Cor. 3.)

gnitio sit per assimilationem cognoscentis ad cognitum, oportet vt qui vident Deum, aliquo modo assimilentur Deo. Et iterum idem Paulus dixit: *Renouamini autem spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundùm Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis,* id est, sanctitate vera, in qua similis Deo, conditus est Adam. Ephes. 4

§. I.

Legitimum munus linguæ, Deum laudare.

PRIMIS verbis nostri contextus proponit D. Iacobus legitimum vsum linguæ, Deum scilicet laudare in operibus suis, virtutem prædicare in miraculis, benedicere in donis, ac beneficiis ab eodem acceptis, proximósque nostros ad ipsum nobiscum timendum, amandum, & inuocandum excitare. Quod habet Orig. in epist. ad amicum ægrotum, de viro perfecto, tom. 9. Hęc sapientia, inquit, vocatorum, cogitare semper in corde; *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* ipsum habere semper in ore: quoniam panis; illum loqui omni tempore: quoniam linguas nobis nouas Spiritus eius aduexit.

PROSEQVITVR hanc doctrinam latè Chysost. homil. 14. in epist. ad Ephes. & D. Athanasius Orat. contra idola; vbi ostēdit esse abusum linguæ, si ipsam à laude Dei ad maledicētiam exeramus. Adeóque hoc est proprium linguæ officium, vt etiam siquis plures haberet, non sufficerent ad illud implendum; ideóque magis incumbit vni linguæ tot rationibus satisfacere.

NOTAVIT pulchrè in hanc sententiam D. Ambros. Ser. 73. id, quod contigit Apostolis in die Pentecostes, quando alienis linguis Dei magnalia loquebantur. In quo facto, inquit Ambr. ebrij esse videbātur, & sobrij. Ebrij enim putabantur, quòd in iis loquela præter naturam altera personabat. Sobrij erant, quòd iuxta consuetudinem mentis Deum laudabant. Quod quidem non elatione aliqua, aut impudentia contigit, vt viri Sancti peregrino sermone loquerentur; sed prouidentia diuinitatis factum est, vt quia ad magnificandum Deum vna loquela non sufficit, per plures linguas mentis deuotio solueretur. Act. 2.

ET quia hoc donum paucis contigit, debitúmque impensè Deum laudandi omnes comprehendit, proinde non sola lingua, quia non sufficit; sed tota vita laudandum Deum admonet August. enarratione in Ps. 148. dicens: Fratres, exhortamur vos, vt laudetis Deum, & hoc est, quod omnes vobis dicimus, quando dicimus, Alleluia, laudate Dominum, sed laudate totis votis, de totis vobis, id est, vt non solùm lingua, & vox vestra laudet Deum, sed & conscientia vestra, vita vestra, facta vestra, &c. Similiáque habet Psalm. 146. Cùm cantaueris syllabis aliquando, vita sic canta, vt nunquam sileas: lingua tua ad horam laudat, vita tua semper laudet, &c. quæ prosequitur. Et Concione 2. in Psalm. 34. ad ea verba, *Lingua mea meditabitur*

iustitiam tuam. Suggero, inquit, remedium, vnde tota die laudes Deum, si vis quicquid egeris, bene age, & laudasti Deum. Idem habet in Psalm. 56. & in Psalm. 102. ibi, *Benedicite Domino ministri eius, qui facitis voluntatem eius.* vbi Aug. ita habet. Quid prodest, quia hymnum canit lingua tua, si sacrilegium exhalat lingua tua? Si ergo vis benedicere Domino; esto minister eius, qui facies voluntatem eius. Videndúsque est Chryst. tom. 1. Ser. Quòd Dauidica cantica, &c. Os, inquit, canendo mentem erudiat; neque enim tenue illud, & exiguum videri debet, siquidem cùm linguam ad cantum instruimus, pudebit animam vel contraria sentientem, non saltem canentem illam imitari. Et hom. in Psal. 9. Psallere, ait, verbo, opere subsequi, fructus est inenarrabilis, qui psallit Deo, & facit id, quod cantat, psallit spiritu, psallit & mente, id quod facit, dicat, & quod dicit, facit, & vos germen Ecclesiæ, qui estis vno verbi semine concepti, agnoscite quid cātatis, quod cantatis, & cui cantatis.

Mirum equidem est, quòd Angelorum productio in Scriptura expressè non habetur, sed inuolutè, vt voluit August. Cuius rei rationes ex Basil. & Chrysostom. affert D. Thom. 1. p. q. 67. art. 4. & tamen Ps. 148. cùm inuitantur ad Dei laudem, explicitè inuocantur; *Laudate eum omnes Angeli eius*; sicut Daniel. 3. *Benedicite Angeli Domini Domino*; quasi hi nobilissimi spiritus superuacui censeantur in mundo, & veluti silentio inuoluendi, ac minimè nominandi, vsque dum Dei laudibus inseruiunt, & Deum benedicere incipiunt. Ideò Aug. in Ps. 54. Laus Dei ab ore, & corde Christiani recedere non debet, siue tribulemur, & angustiemur, siue lætemur, & exultemus, ille laudandus est, qui & in tribulationibus erudit, & in lætitia consolatur nos,
Psal. 33. quemadmodum Psalmus ille præscribit. *Benedicam Domino in omni tempore; semper laus eius in ore meo.*

QVANTI verò faciat Deus hanc nostrā laudationem, ostendit Chrysost. in Serm. quem habuit Presbyter factus, tom. 5. Prophetā quispiam eos, qui Deum offenderant, parabantque illum sibi propitium reddere, adhor-
Osea 14. tatur dicens: *Tollite vobiscum verba.* Et quale sacrificium dixerit aliquis, sunt
Psal. 68. verba? Maximum quidem, & splendidissimum. Et quis ista dicit? Dauid. *Laudabo nomen Dei cum cantico, & magnificabo eum in laude.* Mox huius sacrificij præstantiam nobis aperiens subiecit; *Et placebit Deo super vitulum nouellum, cornua producentem, & vngulas.* vbi Theodoret. *Magis gratum sibi erit laudis sacrificium, quàm sacrificium vituli.* Et August. *Ampliùs placebit Deo laus eius, exiens ex ore meo, quàm magna victima adducta ad aram ipsius.*

IDEOQVE Dauid dixit laudandum Deum primò, laudatum verò, inuocandum, & ab eo postulanda beneficia. Nam illud Psalm. *Laudans inuocabo*
Psal. 17. *Dominum*; Hieron. legit: *Laudatum inuocabo Dominum*; quasi tunc propitius cōcedat postulatus, cùm priùs fuerit à nobis laudatus. Et Clem. Alexād. 7. Stromat. Iubemur Deum non selectis diebus laudare, sed continenter per totam vitam hoc agentes, & modis omnibus. Et Augustin. in Psalm. 16. Postula à Deo, vt aliud non procedat ex ore tuo, quàm id quod pertinet ad gloriam, & laudem ipsius. Proprium itaque laudandi Deum mu-

nu

nus debet iugiter reperiri in lingua nostra, quæ ad hoc facta est, in hoc secura est, in hoc cum merito est, si semper in hymnis, & canticis Dei, & in recolendis diuinis beneficiis occupetur.

§. II.

Cur Deus tanti faciat laudem linguæ nostræ.

ILLVD autem inquirendum restat hoc loco; cur Deo sic placeat benedictio, & laudatio nostra. Primóque sese offert ea ratio, quòd scilicet solus Deus iure & verè laudandus, ac benicendus sit; quia ei soli competit quicquid in laudem dicatur. Ea verò sola vera laus, quæ & verè competit. Quod optimè dixit Philo lib. de Abraham. Laudi, inquit, ac vituperio non tam loquentes, scribentésque fidem astruunt, quàm ipsa rei veritas. Itaq; nec laudare, nec vituperare videntur qui in alterutro aliquid mentiuntur de suo. At verò cùm quicquid de Deo dicitur, multò perfectius in eo reperiatur, quàm à nobis possit lingua exprimi, verè semper, iuréque laudatur; indéque est, vt soli illi, qui Deo fruuntur, ipsiusque essentiam, & attributales perfectiones intuentur, ipsum possint laudare, qui etiam laudari tantùm possunt, sicut prosequitur Ber. Serm. 5. in festo Omnium Sanctorum. Est insuper & alia ratio, cur Deo placeat laus nostra, quia scilicet nihil habemus sermone præstantius, sicut dixit Nazian. Orat. 2. in Pascha, vbi videndus est Nicetas, qui ait. Nos orationem conferamus, idque pluribus de causis. Primùm, quoniam nihil sermone præclarius habemus, tum quia Christus præter alia nomina, Verbum quoque appellatur.

§. III.

Periculum in laudando homine.

EX dictis constat summa prudentia, maximóque examine opus esse ad laudandum hominem, vel quia laudem non meretur, ideóque falsò laudatur: vel imprudenter agit, dum indignum laudibus effert. Et hæc est ratio, cur omnia opera sua laudauerit Deus initio productionis eorum, vbi autem ad hominẽ ventũ est, solus non fuit laudatus, propter quẽ facta sunt omnia. Nã sicut notauit Ambros. de Institutione Virginis c. 3. antè probandus, sic prædicãdus nõ est homo, vtcũque laudandus, sed post probationem & post examen meriti ac virtutis. Quod prosequitur Ber. loco cit. cùm ait: Debeatis illorum laudi virtutem, quorum iam certa victoria est; illos deuotis extolle præconiis, quorum securè potes adaugere coronas; inde est quòd securè laudantur homines, qui non sua iam viuunt vita, sed Dei. Non est quòd laudare vereamur, verissimè certissiméque laudabiles. Non est quòd glorificare cunctemur sic absorptos in gloria, vt nostra omnino nequeãt laudatione moueri, nõ enim est, quò vanitas intret, vbi veritas iam

totum occupauit, quod etiam dixit Horatius epist. 2.

Qualem commendes, etiam, atque etiam aspice, &c.

SED illud hoc tempore deplorandum, quòd quilibet laudari vult, expetit, exigit, quod grauissimum est, sicut dixit Hieron. epist. ad Celant. Humilitatis, inquit, ac beneuolentiæ loco ducitur, eóque fit, vt qui adulari nescit, aut inuidus, aut superbus putetur. Est sanè grande, & subtile artificium, laudare alterum in condemnationem sui, & decipiendo, animum sibi obligare decepti, quódque hoc maximè vitio agi solet, fictas laudes certo pretio vendere: quæ tanta hæc leuitas animi? quæ tanta vanitas; rapi vento falsæ laudationis, gaudere ad circumuentionem suam, & illusionem pro beneficio accipere? Tu ergo, si laudabilis esse cupis, laudem hominis ne requiras. Sic Hieron. qui concludit, eos, qui humanas laudes aucupantur, eo ipso iisdem indignos reddi.

IS tamen poterit quemquam pro modulo laudare, qui cùm opus fuerit, reprehenderit, sicut dixit Bernard. epist. 78. his verbis: Securus gloriatur qui in Domino gloriatur, id est, in veritate; verùm si malis audacter cùm viximus, oblatrauimus, nunc cùm ad bona ventum est, silere debemus, & non magis testimonium perhibere bono; alioqui corrosores fuisse conuincimur, non correctores; quia mordere, quàm emendare maluimus, si bonis obmutescimus, qui in tantum reclamauimus malis. Volo talium præconiis delectari, qui tam timeant palpare vitia, quam detrectare virtutibus; veri isti sunt laudatores, qui ita bona laudare soleant, vt iactare in malis non nouerint, &c. quæ prosequitur in hanc sententiam. Hinc Hector à patre suo Priamo laudatus, dixit, *Lætus sum me laudari à te laudato viro*; vt refert Cicero lib. 15. Epist. epist. ad Catonem. Et Agesilaus iucundum sibi valde esse dicebat laudari ab iis, qui non verentur vituperare, si quid sibi displiceat: insupérque conuenienter dicere solebat, non minùs laudatoris inspiciendos esse mores, quàm eius, qui laudatur.

§. IV.

Quantum vitium sit, maledicere hominem ad imaginem Dei conditum.

ET cùm nostra lingua possit deficere in commendatione hominis, dum laudari non meretur, multò magis delinquimus, dum hominem maledicimus, qui factus est ad imaginem Dei. Vnde possumus colligere, quanti eum Deus faciat, quantámque offensam Dei contrahamus, dum hominem lingua offendimus. Ob oculos igitur proponamus, Deum in fabricatione hominis totum occupatum; quod eleganter prosequitur Tertull. lib. de Resurrect. carnis, his verbis: Prosequar propositum, si tamen tantùm possim carni vendicare, quantùm contulit ille, qui eam fecit, iam hinc gloriantem, quòd illa pusillitas, limus in munus Dei quicumque sit, peruenit,

satis

ſatis beatus,etſi ſolummodò contactus. Itaque toties honoratur, quoties manus Dei patitur, dum tangitur, dum decerpitur, dum deducitur, dum effingitur. Recogita totum illi Deum occupatum, ac dedicatum manu, ſenſu,opere, conſilio, ſapientia,prouidentia,& ipſa imprimis affectione, quæ lineamenta ductabat. Limus ille iam tunc imaginem induens Chriſti futuri in carne, non tantùm Dei opus erat, ſed & pignus. Hoc etiam proſequitur Ambr. Serm. 10. in Pſ. 118. Cætera dixit,& facta ſunt,vt homo fiat,ſpecialis quidam Dei, accedit hortatus; *Faciamus hominem ad imaginem,& ſimilitudinem noſtram*; vt tanquam laborantis Dei in huius munere creaturæ ſignificetur operatio. Deus quidem expers laboris eſt, ſed tamen Scripturæ verba, quid aliud, niſi ſtudioſam tui ob gratiam operationem eius oſtendunt? Baſil. verò hom. 10. de hominis conditione, expendens eadem verba. *Faciamus hominem*; ait: Per hoc ſanè, quòd curam condendo homini interſerit Scriptura, innuit Deum voluiſſe edere quidpiam operis, quod eximiæ ſuæ artis ſpecimen eſſet numeris omnibus abſolutum, perfectum,ſolertíque artificio elaboratum,ac perpolitum. Et,vt ait Philo lib. de Migratione Abrahæ: Propriè dicere licet, hominem mortalis, & immortalis naturæ eſſe confinium, vtriuſque, quantùm neceſſe eſt, participem. Et Ambr. epiſt. 38. Cœlum primò eſt conditum, nouiſſimus homo, quaſi quædam cœleſtis in terra creatura, primum cœlum, & nouiſſimum cœlum,in quo, quod vltra cœlum eſt, Deus cœli eſt, proceſſit poſtremus mente ſublimis, vt omni eſſet creaturæ miraculo; quòd nouiſſimus factus ſit ad honorem eius,referendum eſt. Currus elephantorum, quibus homo vectus,aſſiſtens cùm ſit poſtremus,priores regit,ideò nouiſſimus venit,tanquam creaturarum gubernator,rectè nouiſſimus,quaſi totius ſumma operis, quaſi cauſa mundi, propter quem facta ſunt omnia. Pro qua ſententia videndus eſt Honcala, cùm explicat ea verba, *Vidit Deus quæcumque fecerat, & erant valdè bona.* Antè quidem,inquit,erant ſingula bona,propter hominem autem omnia valdè bona.

Geneſ. 1.

Geneſ. 1.

HOMO igitur ad imaginem Dei factus,vt eſſet quodammodo finis omnium, non dubium, quin viſus fuerit valdè bonus, propter quem ipſum vniuerſum eſt valdè bonum. Si enim homo fuit finis omnium,conſequenter & bonum omnium; & ita bonitatem cæteris creaturis veluti impertiuit. Fecit denique hominem velut os & faciem totius vniuerſi. Ideóque de homine,veluti de facie terræ, ac totius mundi dictum vult Athanaſ. illud Pſ. *Renouabis faciē terræ.* Neque verò tantùm mundi facies; ſed etiam & Dei ſimilitudo & imago. In cæteris ſiquidē Dei operibus velut in veſtigiis,& remotis ſignis Deus cognoſcitur; in homine verò velut in facie& imagine.

QVOD ſi dicas, inquit Chryſoſt. hom. 3. ad Pop. quòd non eſt eiuſdem ſubſtantiæ cum Deo,quid hoc? Neque enim æs ſtatuæ,eiuſdem eſt cum Rege ſubſtantia; ſed tamen hanc auſi lædere pœnas dederūt,ſic & in hominibus, etſi non eiuſdem cum Deo ſubſtantiæ ſint homines,ſicut neque reuerà ſunt,verumtamen imago vocati ſunt, & propter appellationem, ipſos honorem recipere oportebat. Etenim ſi perfectiſſimi ſpiritus, quales ſunt

Angeli; ad hanc dignitatem non peruenerunt, sicut dixit Ambros. Ser. 10. in Ps. 118. Angeli ad ministerium, homo ad imaginem: ratione huius honoris, & excellentiæ, aliqua illi reuerentia exhibenda est. Fortéque diabolus hanc similitudinem Dei reueritus est in Adamo, in quo veluti in primo capite, primóque condito relucebat, ipsum siquidem per se non est aggressus, sed per instrumentum, serpentem scilicet, ac mulierem; sicut notauit D. Aug. 14. de Ciuit. c. 11.

Non est tamen eadem reuerentia homini exhibenda, vt imago Dei est, quæ tribuitur ipsi Deo, latria scilicet. Nam licèt nō sit intrinsecè malum, adorare hominem, prout ad imaginem Dei est; seu potiùs in illo adorare Deum cultu latriæ. (Quam sententiā bene explicat Caiet. 2.2. quæst. 103. art. 3. ad 3. & Vvald. tom. 3. de Sacramentalibus c. 154. Greg. Nyssen. lib. de Creatione hominis c. 4. Cyrill. Hierosolymit. Catech. 12. estque eadem ratio, quæ in cæteris imaginibus. qua de re videndi recentiores ad 3. p. D. Thomæ, q. 25. art. 3. Tamen rarò, vel nunquam expedit vti hac adoratione. Nam cùm homo sit per se capax propriæ adorationis, ratione propriæ excellentiæ, si adoraretur adoratione diuina, occasionem erroris, scandali, & deceptionis præberet.

Insvper & illud hoc loco aduertendū, quòd licet homo creatus sit ad imaginem Dei, tamen ex sola ratione imaginis, & naturali repræsentatione non refert Deum, vt Deus est, seu quoad attributa propria Dei; sed solùm quoad communia intellectualis naturæ, & cuiusdam superioritatis. Et cùm aliàs non sit hæc imago imposita ad repræsentandum Deum secundùm ea, quæ illi sunt propria, non videtur sufficiens ratio adorationis latriæ, licèt secluso scandalo, ac periculo, non esset intrinsecè mala talis adoratio. Est tamen sufficientissima ratio, vt homo, quem Deus commendat tanquam sui similitudinem, quem tot donis perfecit, & cæteris creaturis præfecit, ac tandem tanti fecit, nos etiam æstimemus, & ob has rationes veneremur, ipsúmque benedicamus, ac Deum in ipso.

§. V.

Quòd homo ad imaginem Dei conditus sit, ipsum debet cohibere in vitiis, & peccatis.

Qvod si imago Dei in homine nos debet cohibere, ne ipsi iniuriam aliquam inferamus, imò vt ipsum benedicamus; nos etiam contineat necesse est, ne Dei imaginem in nobis repertam deturpemus. Quod dixit Ber. lib. de Anima c. 1. Oportet, inquit, id quod ad imaginem est, cum imagine conuenire, & nō in vacuum nomen imaginis participare. Repræsentemus ergo in nobis imaginem eius: in appetitu pacis, in intuitu veritatis, & in amore charitatis: teneamus eū in memoria, portemus in cōscientia, vbique præsentem veneremur: mens siquidē nostra eo ipso eius imago est,

est,quo eiuscapax est.Meminerit itaque Dei sui,ad cuius imaginē facta est, eúmque intelligat,diligat,atque colat ,cum quo potest semper esse beata. Et D. Leo Serm. de Ieiunio decimi mensis : Si fideliter , inquit , atque sapienter creationis nostræ intelligamus exordium , inueniemus hominem ideo ad imaginem Dei conditum,vt imitator sui esset authoris,&hanc esse naturalem nostri generis dignitatem, si in nobis , quasi in quodam speculo , diuinæ benignitatis forma resplendeat. Videndus etiam est Aug. in Ps.4. vbi ait:Homo factus est ad imaginem Dei, quam peccando corrupit; bonum ergo eius est verum, atque æternum , si renascendo signetur.

Et ad hoc credo pertinere , quòd quidam prudenter intelligunt illud quod Dominus viso Cæsaris nummo ait : *Reddite Cæsari quod Cæsaris est, & Deo quod Dei est*, tanquam si diceret : Quemadmodum Cæsar à vobis exigit impressionem imaginis suæ ; sic & Deus , vt quemadmodum illi redditur nummus,sic Deo anima lumine vultus eius illustrata,atque signata. Accinit Cyprian. de Zelo,& Liuore,cùm ait:Si hominibus lætum est,& gloriosum filios habere consimiles,& tunc magis generasse delectat,si ad patrem lineamentis paribus soboles successiua respondeat , quanto maior in Deo Patre lætitia est,cùm quis sic spiritaliter nascitur,vt in actibus eius,& laudibus diuina generositas prædicetur?Et Ambros.lib. de dignitate humanæ conditionis c.3.Quis maior honor homini potuit esse,quàm vt ad similitudinem sui factoris conderetur , & eiusdem virtutum vestimentis ornaretur,quibus & Conditor ? De quo legimus , *Dominus regnauit,decorem indutus est*.i. omnium virtutum splendore , & totius bonitatis decore ornatus : vel quod maius homini potest esse dedecus , aut infelicior miseria , quàm vt hac similitudinis gloria sui Conditoris amissa,ad informem , & irrationabilem brutorum delabatur similitudinem?

Mat. 22.

Psal. 92.

Qvod considerans Bern. Serm. 35.in Cant. perpendit ea verba Psalmi:*Homo cùm in honore esset, non intellexit,comparatus est iumentis , & similis factus est illis*. Ecce,inquit,quomodo de grege facta est egregia creatura , puto , dicerent iumenta,si loqui fas esset ; *Ecce Adam factus est quasi vnus ex nobis*. Similia habet Basil. hom. 16. Examer. qui ex eo , quòd existimet hominem factum ad imaginem Dei,quia cunctis animantibus dignitate præcellit,& potestate , atque imperio dominatur (quæ est etiam opinio Nysseni & Chrysost.) sic ait:Externarum princeps factus bestiarum,internas sines impunè debacchari,nullo cohibitas imperio?Sanè in hoc creatus es princeps, vt imperites istis affectibus,vt domineris bestiis,reptilibus,vt præsis simul & volatilibus , cogitationes ne admittito aëriuagas , & plenas vanitatis. Videndus idem Basil.hom.13. in Psalm.48. & hom.17. in Psal. 115. Vnde Origen.hom.2.in Psalm. 38. dicit , quemlibet nostrum posse exquirere ex vniuscuiusque fide,& operibus, ex conuersatione, & actibus,ex cogitationibus,& verbis,vtrùm in imagine cœlestis ambulet,an in imagine terreni. *In ciuitate tua Domine imaginem ipsorum ad nihilum rediges*. Constat ergo quare peccatorũ imaginem Deus ad nihilũ redigit ; iustum autē tuetur,& seruat. Tandémque subdit. Omne quod agitur à nobis per singulas horas , vel momen

Psal. 48.

Psal. 72.

momenta, imaginem aliquam deformat, scilicet terreni, aut cœlestis.

Et non tantùm debemus curare, ne imaginem Dei in nobis factam deformemus, sed insuper cauere, ne ansam aliis eam maledicendi, dum de nobis detrahunt, præbeamus. Quod notauit D. Hieronym. epist. ad Celantiam, cùm ait: Hanc adhibeamus vitæ nostræ diligentiam, ne malæ mentes occasionem inueniant detrahendi, ne ex nobis scintilla procedat, per quam aduersùs nos sinistræ famæ flamma confletur; alioqui frustra irascimur obtrectatoribus, si eis ipsis obtrectandi causam, & materiam ministramus. Si autem nobis diligenter, atque solicitè omnia ad honestatem prouidentibus, illi nihilominùs insaniunt, consoletur nos conscientia nostra, nobis Saluatoris aptabitur sermo; *Beati estis, cùm maledixerint vobis homines mentientes.* Nos modò id agamus, vt mala de nobis nemo loqui absque mendacio possit. Nostrum itaque est vigilare, & eniti ne Dei imago in nobis iure maledicatur, quinimò pro posse curare, vt ad ostensionem lucis vitæ nostræ glorificent Deum & Patrem. Videndus Nazian. Orat. de suis Sermonib. ad Iulian. vbi inter alia ait: Creatori nos totos addicamus, imaginem Dei honore prosequamur, nomen nostrum reuereamur, vitam in melius commutemus.

Matt. 5.

Facit etiam pro hoc argumento id, quod ait D. Aug. lib. 3. de Ciu. c. 4. vbi ex Varrone refert, vtile esse ciuitatibus, vt se viri fortes, etiamsi falsum sit, ex diis genitos esse credant, vt eo modo animus humanus veluti diuinæ stirpis fiduciam gerens, res magnas aggrediendas præsumat audaciùs, agat vehementiùs, & ob hoc impleat ipsa securitate feliciùs. Quod in Alexandro Magno notauit Plut. in vita ipsius. *Quoties*, inquit, *Magnus Alexander diis genitum se putauit, toties in Barbaros multò ferociùs, & insolentius pugnauit; refert enim filius patrem, cuius imago est, proindéque vt talis sese debet gerere.* Quòd si filius ex eo, quia imago patris, ipsū debet referre, & imitari, nos cùm imaginem cœlestis Patris portemus, cœlestem & incorruptam vitam debemus gerere, ne Deo dissimiles reperiamur.

1. Cor. 15.

Debemus insuper & imagini, quam portamus, addere similitudinem, quasi aliquid distinctum, & à Deo maximè in nobis requisitum. Pro qua re videndus Orig. lib. 3. Periarch. cap. 6. vbi ponderat id, quod dixit Deus; *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*; continuóque addidit: *Ad imaginem Dei fecit eum*; & de similitudine nihil omnino dixit; nihil aliud indicans, quàm quòd imaginis dignitatem in prima conditione perceperit; similitudinis verò perfectio in consummatione seruata sit, vt scilicet ipse homo studeret, & Diuina gratia adiuuante procuraret, similitudinem Dei, ex Dei imitatione, eiúsque dilectione comparare, & conseruare.

Genes. 1.

Ad quam similitudinem comparandam, potestatem iam acceperat in eo, quòd ad imaginem Dei conditus fuerit. Pro qua re videndus est August. lib. de Genesi ad literam cap. 27. & 28. præsertim, si eius retractationem videamus lib. 2. cap. 24. & Nazianz. 1. Apologet. Similia etiam dixit Gregor. Nyssen. lib. de hominis opificio, cùm ponderat eadem verba Genes. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, & statim non fuisse apposita eadem

eadem verba;asseritque id ideo tacuisse Scripturam, vt innueret nos similes Deo per nos ipsos reddere debere, quò merces operis nostra foret, nec alius nostræ similitudinis nobis laudem auferret: quando enim aliquam imaginem optimè depictam, aut rectè effigiatam cernimus, non ipsam, sed artificem laudamus, & admiramur. Vt mea ergo, & non alterius esset admiratio, reliquit mihi, vt ad eius similitudinem fierem. Fecit itaque nos Deus ad imaginem suam, vt nos per bona opera, & imaginem conseruemus, & similitudinem denuò acquiramus.

Vers.10.*Ex ipso ore procedit benedictio, & maledictio; non oportet fratres mei hæc ita fieri.*

Vers.11.*Numquid fons de eodem foramine emanat dulcem, & amaram aquam?*

EXPOSITIO LITERALIS.

EX dictis colligit vnicam hominis linguam longè dissitorum, & contrariorum effectricem esse, quod prodigio simile est. Nam aduersatur naturæ legi, quòd ab eadem causa contrarij prodeant effectus, qui à contrariis etiam causis debent naturaliter prouenire. Ideóque monet hoc non ita fieri, sed linguam cohibendam. Experimentóque tandem ostendit fieri non debere, imò & non posse, vt lingua, quæ ad benedicendum Deum creata est, proximo maledicat. Nam, sicut dixit Glossa, Beda, & alij, si misces simul dulcem, & amaram aquam, commixtione amaræ, dulcis in amaram conuertitur, non amara in dulcem.

SI verò quæras, quare potiùs dulcis in amarã, quàm amara in dulcem conuertatur. Ratio est; quia dulce medium est in saporibus; quod probatur, quia sensus in mediis delectantur: at verò amarum, est extremum. Sensus enim tristatur in extremo. Facilè ergo receditur à medio; difficilè verò acceditur: amaritudo ergo maledictionis facilè in se conuertit dulcedinem benedictionis, eámque vitiat, & corrumpit. Proinde Nazian. Orat. in Quadrages. ieiunij silentium: Equidem ipse puris sacrificiis, quibus magnum illum Regem mortalibus concilio, puram linguam seruabo, neque enim committam, vt ab aliena lingua viuificum illud sacrificium purissimo Deo mittam, ex vno eodémque fonte non simul & dulcis, & amarulenta aqua scaturiet. Purpureæ vesti cœnum minimè conuenit. Quid enim? nónne Sacerdotis filiis ignis alienus olim exitium attulit, quòd sacrificio manus suas impurè admouissent? Nónne sacrosancta Dei Arca mortem ei accersiuit, qui labantem, & inclinatam contrectaret? *Leuit.10.* *2 Re.16.*

QVOD verò per *Linguam* manus intelligantur, probat Chrysost. homil. 79. in Matth. Ideóque eam incorruptam seruare debemus, & eniti ne

maledictione deprauetur. Videndus D. Hieronym. de Virginitatis excellentia, vbi ait: Nefas est, vt labia illa, quibus Dominum confiteris, rogas, benedicis, & laudas, alicuius polluātur sorde peccati. Nescio qua conscientia, ea lingua quis Dominum rogat, qua aut mētitur, aut maledicit, aut detrahit. Labia sancta exaudit Dominus, & ipsis annuit citò precibus, quas lingua immaculata pronuntiat.

Vers. 12. *Nunquid potest, fratres mei, ficus vuas facere, aut vitis ficus? sic neque salsa dulcem potest facere aquam.*

EXPOSITIO LITERALIS.

PROBAT denique cohibendam linguam exemplo arborum, quarum singulæ singulos fructus proferunt, & nunquam alterius fructum sibi edendum assumunt; neque enim vnquam ficus, quæ natura dulcis est, amaras oliuarum baccas profert. Sic enim habet Græcus codex, vbi nos habemus *vuas, oleas*. Nunquam vitis vuas proferens, ficus edit, nunquam quercus pro glandibus pyra; sed cuique arbori proprius respondet fructus. *Sic nec salsa*, &c. Græcè habetur; *Sic nullus fons potest salsam, & dulcem facere aquam.*

MONSTRVOSA ergo, & abominanda res est, quòd homo eisdem labils, eadem lingua, & ore pietatem, & impietatem, veritatem, & mendacium, benedictionem, & maledictionem promat. Pugnat enim cum natura, quæ diuersa omninò non patitur, vt patet in exemplis adductis; pugnat itē cum Deo authore, qui linguam in sui laudem condidit, sicut probat Hieron. Oseæ c. 9. Proindéque summa vigilantia cohibenda est, ne tam nefarios ac pugnantes fœtus edat.

§. I.

Qui maledicus est, semper ferè male loquitur.

HINC colligit Beda, quia sicut arbor non potest naturali fructu amisso, alterius arboris fructum ex se proferre; ita maledicus licèt ad tempus aliquid boni videatur loqui, fructúmque bonæ loquutionis ferre, illum tamen reuerà, & diu nequit proferre. Vnde illa verba Iob. *Docuit ini-*
Iob. 15. *quitas os tuum*; sic interpretatur Vatabl. Non est opus vt te doceam, in quo pecces, cùm ipse tuus sermo te doceat iniquum esse. Et Beda hoc in loco non inelegantem allegoriam affert, cùm per ficum, cuius foliis se operuit
Genes. 3. primus parens, & peccatum suum excusans in Authorem Deum refudit, intelligat eum qui excusationem quærit in peccatis declinans in verbum malum:

malũ:per oliuã verò intelligat eũ,qui misericordiam operatur,vt sit sensus: Vir nequam, & improbus sui excusator, non erit misericors,quia hic sicut oliua fructificãs sperat in misericordia Domini, proindéque peccatum suum confitetur, & elemosynis redimit. Per vitem verò intelligit diuinam charitatem, & calicem inebriantem; ideóque vitis non potest ficus producere, quia qui dilectione se perfectè inebriat, nullum iam de suis erroribus nisi seipsum accusat.

Ex hac doctrina Bedæ possumus colligere, quòd si aliquando maledicus aliquod bonum loquitur de proximo, id profectò est, vt postea maiori furore in ipsius vitam, & honorem debacchetur. In quam sententiam videndus omnino Greg. lib. 11. Moral. c.13. cùm ait; maledicorum hominum proprium esse defendere aliorum res, vt postea se inimicos in redarguendo ostendãt. Vnde bene per Psalmistam dicitur; *Vt destruas inimicum & defensorem*; quia vnde hunc quasi defendere nititur, inde veritati illius aduersatur. Et Ber. in sententiis notauit id, quod dixit Dauid. *Molliti sunt sermones eius*, &c. Et ipsi sunt iacula, non molles, sed molliti, quòd sit in eis non tam vera, & solida, quàm simulata suauitas. Psal. 8. Psal. 54.

Illud etiam non prætereundum hoc loco, Iacobum in doctrina linguæ vltimo loco arborum, ac fructuum similitudines attulisse, vt admoneremur non solùm proprium linguæ fructum afferre: sed etiam sermonem in hoc debere assimilari fructibus,quòd sicut hi non proueniunt, nisi in tempore suo; sic & lingua accommodato tempore debet proferre sermonem. qua de re in 1.cap. plura diximus.

Grando ea, quæ decidit de cœlo, præcoces fructus perdidit,serotinos illæsos reliquit. Ait enim sacer Textus. *Linum ergo, & hordeum læsum est, eo quòd hordeum esset virens, & linum iam folliculos germinaret: triticum autem & far non sunt læsa, quia serotina erant*. Sic & fructus labiorum nostrorum, citiùs quàm par est prodeuntes cœlum lædit, ac punit: ij verò, qui maturiori consilio, & suo tempore proueniunt, absque læsione maturescunt. Exod. 9.

Vnde August.lib.de Mendacio.c.16.ad illa verba; *Qui loquitur veritatem in corde suo*:Semper in corde veritas loquenda est, non autem semper in ore corporis,si aliquando causa cauendi maioris mali exigat. Ideóque D.Thomas 3.p.q.36.art.4.ait,quòd licèt sapientia abscondita sit inutilis, non tamen ad sapientem pertinet,vt in quolibet tempore manifestet seipsum,sed tempore congruo. Dicitur enim: *Est tacens,sciens tempus apti temporis; homo sapiens tacebit vsque ad tempus*.Videndus pro hac re Greg.hom.11. in Ezech. Chrysost.in Psal.50.Greg.7.Moral.c.vltimo.Ber. lib. de Ordine vitæ. Ambros.Serm.4.in Psalm.128. Nazianz.Orat.in Quadrag. ieiun. temp. Philo lib. *Quòd deter. potior: insid. sol.* vt alios omittamus. Psal. 14. Eccl. 20.

Vers. 13. *Quis sapiens, & disciplinatus inter vos? ostendat ex bona conuersatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ.*

EXPOSITIO LITERALIS.

POSTQVAM egit Apostolus de linguæ vitiis, hac tertia parte capitis post vehementem interrogationem, quæ & negandi, & increpandi vim habet, quia improbis Doctoribus silentium imposuerat, eósque magisterij gradum tenere vetuerat, quos nec vitæ perfectionem, nec continentiam linguæ habere cernebat, consequenter describit quibus virtutibus præditus, & quibus vitiis carere debeat magister ac pastor Ecclesiasticus. Et est sensus: Est in vobis aliquis, qui in rebus humanis, ac diuinis sibi sapiens videatur, audeátque aspirare ad cathedram, & magisterium? prodeat quidem; si tamen bene viuendo, priùs ostendat se posse esse exemplo subditis, & per mansuetudinem, ac humilitatem, quæ est sapientiæ comes, ostenderit se non despectui habiturum subditos, aut nō indignaturū contra pusillos, & imperfectos. Non iactet arroganter, & superbè scientiam, non laudes crepet, aliísque se præferat; quia tales magistros nec eligit, nec patitur Spiritus sanctus, qui ait. *In mansuetudine opera tua perfice, & super hominum gloriam diligêris.* Et ideo monuit Princeps pastorum, vt ab eo mansuetudinem disceremus.

Eccl. 7

PERCVTIT verò hoc loco, sicut notauit Oecum. ambitiosos homines, qui ob sapientiam huius mundi gloriabantur, & ex contentione & æmulatione prædicabant, apertè plebem ad seditionem solicitantes, & maximam arrogantiam, & superbiam ostentantes.

SAPIENS igitur hoc loco Græcè σοφὸς, significat *rerum diuinarum, & humanarum cognitione præditum*, quæ est definitio Ciceronis 4. Tuscul. August. lib. 1. contra Academic. c. 8. Pro qua re videndus est Lactant. lib. 3. c. 30. Disciplinatus verò, quæ est secunda conditio, Græcè ἐπιστήμων, id est, *sciens*, ac *peritus*. Glossa exposuit, exercitio vitæ; & ita habet Author libri de duodecim abusionum gradib. gradu 11. apud Cyprian. Disciplina est morum ordinata correctio, & maiorum præcedentium regularum obseruatio. Oecumen. & Vatabl. legunt, *scientia præditus*, alij, *bene institutus*. Vóxque hæc (*disciplina*) Ecclesiastica est, significans aptam in omni vita rationem agendam ex virtute. Extant de ea quorundam Patrum tractatus, vt Hugonis Victor. & Augustini, & propriè denominatur à discendo, respectúmque inuoluit ad discentem.

CONVERSATIO verò, nomen est frequens Apostolis, vt videre est apud Petrum 1. epist. c. 1. 2. & 3. & 2. epist. c. 3. apud Paul. ad Galat. 1. & ad Ephes. 2. Et si vim Græcam inspiciamus, significat commorari apud aliquem, & moribus cum alio communicare. Et hæc vox (*conuersatio*) apud bonos authores reperitur. Plinius enim lib. 10. cap. 33. Neue cui frequentior

tior conuerſatio ſuſpecta ſit. Vtitur etiam Quintilian.lib.1.c.2.

OPERATIONEM verò poſuit noſter interpres, cùm Græci habeant, *opera ſua*; & videtur eſſe ſenſus: oſtendat opera ſua procedere ex bona cõuerſatione, quæ fit verbis, factis, & cogitationibus, ſicut Petrus dixit: *In omni conuerſatione ſancti ſitis.* Mente ſcilicet, verbo, & opere: ſic enim oſtenduntur immaculata omninò eſſe opera, quando nihil mali redolent. 1.ep.c.2.

IN manſuetudine ſapientiæ; Vſitatiſſimus eſt Hebraiſmus, ſicut ille apud Paulum, *in regnum filij dilectionis*, id eſt, filij dilecti. Sic etiam hoc loco, *in manſuetudine ſapientiæ* ponitur pro manſueta ſapientia. Quod etiam docuit Paulus, quando dicit; *Epiſcopum manſuetum eſſe ad omnes.* D. Thomas verò expoſuit; In manſuetudine cum ſapientia facit, quia is, qui ſapiens eſt, manſuetus eſſe debet. Superior tamen eſt vera expoſitio. Coloſſ.1. 2.Tim.2.

§. I.

Prima conditio Eccleſiaſtici Paſtoris eſt, quòd ſit ſapiens.

TRES quidem aſſignat hoc loco conditiones Iacobus neceſſarias in vero magiſtro, ac Paſtore Eccleſiaſtico, de quibus ſine dubio loquitur. Prima eſt, vt ſit ſapiens, & diſciplinatus, quæ eſt ratio, cur in ſacro ſermone Paſtores & Doctores coniungantur, vt videre eſt apud Paulum, apud Hieremiam. *Conuertimini*, inquit, *quia ego vir veſter; dabo tibi Paſtores iuxta cor meum, qui paſcant te ſcientia, & doctrina.* Et apud Iſaiam: *Non vocabitur vltrà is, qui inſipiens eſt, Princeps.* Et Varro lib. 4. de lingua Latina; Magiſtratus, inquit, vocantur quaſi magiſtri. Coloſſ.4. Hierem.3. Iſai.32.

NOTAVIT hoc etiam Philo lib. de temulentia, in duabus tunicis ſummi Sacerdotis. Non temerè, inquit, ſummo Sacerdoti duas ſtolas Deus attribuit, ſed volens nos per hæc ſigna docere virtutes vtriuſque ſpeciei. Debet enim vir ſapiens, & intus in anima inuiſibili, & in externis actionibus ornatus eſſe prudentia omni auro pretioſiori: quoties autem ab humanis ſtudiis ſecedens, eum qui eſt, ſolum adorat, vnicolorem veritatis ſtolam induere, quam nihil mortale attigit. Eſt enim linea, quæ materia non enaſcitur à mortalibus. Rurſus quoties trãſit ad curam Reipub. depoſita interiori tunica, alteram pictam, & aſpectu mirandam ſumere. Cùm enim magna ſit in vita varietas; opus eſt varia ſapientia clauum tenentis gubernatoris.

QVOD etiam proſequitur Nazianz. Orat. in D. Athanaſ. vbi ait: Plebeiis hominibus, qui per errorem aliquid admiſerint, ignoſcendum fortaſſe fuerit, quibus plerumque ad ſalutem eſt, quod à curioſitate alienum animum habent. At Doctori, quo tandem animo id concedemus, qui aliorum etiam ignorantias emendat? Nam cùm Romanorum leges nemini eorum, qui Romanorum Imperio ſubditi ſunt, quantumlibet ruſtico, & indocto ignorare liceat, nec lex vlla extet, quæ facinoribus per ignorantiam commiſſis opem ferat, nónne abſurdum eſt ſalutis Doctores, & Antiſtites ſalutis principia neſcire, etiamſi alioqui ſimpliciores animo ſint, craſſioríque ingenio?

SIMILIA habet diuus Chrysost. hom. 15. in 1. ad Timoth. vbi inter alia: Multùm, inquit, ad Ecclesiæ ædificationem confert, si Præsules doctrinæ gratia polleant, quæ nisi adsit plurima, Ecclesiasticæ disciplinæ peribunt. Neque verò eum sermonem laudauerim, qui fastu tumidus externæ peritiæ iactantiam sequitur; sed qui virtutis, ac succi habeat plurimùm, qui sensibus grauis sit, & sapientia plenus.

Sap. 6. FACIT etiam pro hac re id, quod dixit Salomon: *Multitudo sapientiũ sanitas est orbis terrarum.* Notauit autem Aug. 4. de Doctrin. Christian. c. 5. non dixisse, multitudinem eloquentium esse sanitatem orbis terrarum, sed multitudinem sapientium; vt intelligeremus sapientiam non in solis verbis; sed in mente, & in recta vitæ ratione, simul cum doctrina consistere. Is est enim sapiens, & disciplinatus, vt loquitur hoc in loco Iacobus. Plura hac de re diximus initio huius capitis, vers. 1. §. 5.

§. II.

Mansuetudo, & lenitas, secunda Pastoris conditio.

QVONIAM verò sapientes debent prudentiam dulcorare, ne acerbi efficiantur, sicut dixit Guarricus Abbas Serm. 3. de Purificatione, id quod secundò in magistro ac Præsule exigit, est mansuetudo, ac lenitas: nam Ecclesiæ gubernationi ac præfecturæ benignitatem, ac pacem promisit Deus, cùm dixit: *Ponam visitationem tuam pacem*; iuxta Hebr. *præfecturam*, id est, præfectos qui pacificè, & leniter gubernent. Ideò de mansuetudine sæpiùs verba fecit, sicut notauit Chrysost. hom. 60. in Ioan. & se imitandum in hac virtute præbuit; *Quia mitis sum, & humilis corde.* Vnde Ambros. lib. 7. in Luc. c. 10. loquens de Apostolis missis ad prædicandum Euangelium, ait: Non virgas in manu iubentur tollere Apostoli. Sic enim Matthæus scribendum putauit. Quid est virga nisi præferendæ potestatis insigne, & vlciscendi instrumentum doloris? Eos ergo misit ad seminandum, qui non cogerent, sed docerent, nec vim potestatis exercerent.

Isa. 60. Math. 11. Math. 10. Marc. 9.

ET Apocal. c. 7. de Christo Domino ait Ioan. *Agnus qui est in medio throni reget eos, & deducet illos ad vitæ fontes.* Admirabile videtur, quòd ille Agnus, qui in throno est, deducat, & regat cœlestes oues, cùm hoc pastoris officium sit, non Agni. Sed videtur Ioan. eo in loco voluisse significare, qua ratione oues suas Christus deducat, mansuetudine scilicet, & benignitate Agni, quam debent etiam imitari qui Dei ouibus præsunt, quíque Pastores sunt & Doctores, ac ductores ouium Christi. Ideóque Basil. hom. 9. in Psal. 33. maximam omnium virtutũ mansuetudinem appellauit. Et Chrysost. Serm. 2. in epist. ad Rom. Nihil adeò vicinum Deo, conforméque facit, quemadmodum ista virtus. Propterea, & cùm Paulus dixit: *Imitatores estote Dei*; ad hoc dicit, vt huic studeant virtuti. Et Serm. 11. ex 25. variis ait: Seruus Christi magis à morum mititate, quàm à nomine, quod ei parentes imposuerunt, vocandus est: neque Deus homines ita diligit propter

1. Cor. 4.

virgi

virginitatem,ieiunium, contemptum diuitiarum,vt propter mites mores.

Et meritò ad magisterium, & Magistratum Deus mites, ac mansuetos requirit mores,qui rebellem,subditum,& indomitum discipulum reducat ac corrigant. Rogauit mulier illa Sunamitis Elisæum pro filio demortuo, 4. Reg. 4. quem susceperat precibus eiusdem Prophetæ, qui ad suscitandum puerum misit Giezi,cui tradidit baculum,vt poneret super faciem pueri,profectúsque est Giezi,posuit baculum super faciem pueri, & non erat vox, neque sensus.Ingressus verò Elisæus,incuruauit se super puerum,totúmque se illi accommodauit,carnémque calefecit defuncti, & sic ad vitam illum reuocauit. Quærit ergo Petrus Damian.lib.de Contemptu sæculi cap. 28. cur Elisæus nequiuerit puerum resuscitare,dum baculum illi apposuit:respódétque.Is quem terroris virga suscitare non poterat, per amoris spiritum ad vitam redit,dúmque se paruulo accommodauit,& cõposuit, facilè erexit & suscitauit.Non enim baculus demortuum iam subditum tam facilè sæpe suscitat, quàm lenis accommodatio, & attemperatio morum, benignáque compositio.

Eleganter hoc notauit Chrysost.hom.3.de Dauide,& Saüle.Etenim postquam mansuetus Dauid in spelunca pepercit Saüli,egressus de spelunca clamauit post tergum Saül dicens; *Domine mi Rex,quare audis verba hominum loquentium,Dauid quærit malum aduersùm te? Ecce hodie viderunt oculi tui quòd tradiderit te Dominus in manu mea in spelunca,& cogitaui vt occiderem te,sed pepercit tibi oculus meus:quin potiùs vide,& cognosce oram chlamydis tuæ in manu mea.Cùm autem complesset Dauid loquens,dixit Saül:Nunquid vox hæc tua est,fili mi Dauid?* 1. Reg. 24 Ostendit ergo mollia verba Dauid liquefecisse cor Saülis,qui nec proprio, ait, nomine eum censuerat dignum, vocans filium Iesse, iam adoptat in filium. Mansuetudo Dauidis ex homicida facit patrem,ex lupo ouem, non sustinuit Saül vocem audire Dauid sine lacrymis. Non perinde miror Moysen,quod è saxo prærupto fontes elicuit aquarum, vt admiror Dauidem,quòd ex oculis lapideis fontes eduxerit lacrymarum, &c. quæ prosequitur.

Cvm ergo mansuetudo emolliat durum inimicum, & in amorem conuertat odium, illis profectò pernecessaria est, qui ex officio reducere debent præduros filios, mansuefacere incompositos mores, & cicurare efferatos animos.Idque tandem quod inperfecto magistro, Pastore ac Præsule exoptari potest,accidere licet in mansueto viro; sicut elegãter prosequitur idem Chrysostom. Serm. 11.ex 25.diuersis.Facilè, inquit, ad misericordiam mãsueti trahuntur, neque ferre possunt contemni pauperes,sed aliorum inopiam suam opinantur càlamitatem; mitis orphanorum pater est, viduarum præses,paupertatis procurator, iniuria affectorum adiutor, &c. Videndus in hanc sententiam Theodoret.Serm.1.de Prouidentia, vbi ait: Reges vbi commissum sibi populum rectè iustéque gubernant,potestatem clementia temperant.

Non omittendus hoc loco D.Ferrandus, qui in septima regula ita habet; Pietas ad omnia vtilis, iustitia facit ducem terribilem, pietas facit amabi

amabilem, gubernationi autem Reip. securitati, saluti, cōcordiæ plus prospicitur, quando dux optimus amari eligit, non timeri, dux amabilis murus est patriæ; qui verò continuato rigore metuendus apparet, omnes subditos facit infideles; facilè timet proditionem, faciliùs patitur, extraneus viuit inter suos; tantùm postremò timet, quantùm timetur.

Intolerabilis denique omnino res est, si potentiæ nocendi volūtas accedat, sicut optimè notauit Philo lib. de præmiis & pœnis. Quis sustinere queat, inquit ille, quando potestas ei præbet nocendi licentiam, nec voluntas deest? Quæ fuit ratio quare D. Aug. Ser. 6. de verbis Dom. durum, & malum Præsidem ac Prælatum, tentatorem subditorum vocauerit.

Adeoque mansuetus Dominus in Ecclesia sua abominatur duriores Præsules, & immites, vt dixerit. Theodoret. Serm. 7. de Prouid. circa finē. Quòd si dominos aliquos nimiùm crudeles, & insolentes admodū esse videns, offenderis, dico quòd istiusmodi hominibus non Deus imperium commiserit; sed subditorum nequitia horum imperium sibi ipsi contraxerit. Videndus pro hac re Dionys. Areopag. epist. ad Demophilum. Et hoc prosequitur Plut. lib. ad Principem indictum; vbi docet beneficium peculiare esse Dei mansuetudinem in gubernando. Plura hac de re habet Ber. Serm. de sancta Magdalena.

§. III.

Aliquis rigor admiscendus mansuetudini.

Non tamen ex tradita doctrina velim colligat aliquis, summam, ac solam in magistro, ac Præsule requiri benignitatem & mansuetudinem, cùm hæc & supremis, & infimis hominibus maximè noceat, sicut notauit Philo lib. de Agricultura, in hæc verba: Officiunt autem nimis æquanimes Principatus; benignitas enim res est contemptibilis vtrisque, tum Principibus, tum subditis noxia; illis, dum contempti subditis, nec priuatim, nec publicè valent quicquam constituere: interdum etiam Principatu se abdicare coguntur; his verò, dum ex continuo Magistratuū contemptu negligentiores facti, magnum morbū, arrogantiam sibi contrahunt.

Leuit. 8. Vnde in consecratione Sacerdotum *Moyses assumpsit vnguentum, & sanguinem, qui erat in altari, & aspersit super Aaron, vestimenta eius, & super filios illius, ac vestes eorum.* vbi Oleast. sic ait: Non debet esse in Sacerdote sine oleo sanguis, neque sine sanguine oleum; cùm enim constitueretur populi Iudex, non solùm misereri, sed punire reos debebat. Ideóque Chrysolog. Ser. 145. rectè dixit: Æquitas sine bonitate, sæuitia est, & iustitia sine pietate, crudelitas; sed vtrumque admisceri debet. Et Rupert. lib. 8. in Gen. c. 37. Sicut clementia honor est Principis, sic & honor Regis, qui iudicium diligit. Etenim vbi totum punitur, Regia seueritas crudelitate polluitur; vbi verò totum remittitur, facies maiestatis sine metu disciplinæ contemnitur. Quibus habet similia Ber. epist. 25. & Ser. 23. in Cant.

Pro

Pro qua doctrina notauit Magnus Gregor. duplicem descensum diuini Spiritus, alterum in columbæ specie, alterum in igni. Rationem verò reddit hom. 30. in Euang. quatenus omne cor, quod Spiritus sancti gratia tangitur, & mansuetudinis lenitate tranquillum, & zelo iustitiæ accensum fiat, ne scilicet, vel mansuetudine despectus, aut rigore iustitiæ terribilis videatur is, quem Spiritus sanctus elegit, & vnxit ad magisterium Ecclesiasticum. *Act. 2.* *Ioan. 1.*

Ideoqve olim apud Ægyptios regni hieroglyphicum erat Apis, vt ostendit Pierius lib. 27. vtpote quia aculeum habeat, & dulcedinem: quod ipsum in Deo laudauit Dauid, cùm dixit: *Dulcis, & rectus Dominus, propter hoc legem dabit delinquentibus in via.* vbi August. Ama, quòd dulcis est, time, quòd rectus est, ama, scilicet benignitatem, rigorem tamen pertimesce iustitiæ. Videndus item est August. lib. 5. de Ciuit. c. 24. vbi ait: Felices eos Imperatores dicimus, si iustè imperant, si tardiùs vindicant, si facilè ignoscunt, si eandem vindictam pro necessitate regendæ, tuendæque Reip. non pro saturandis inimicitiarum odiis exercent. Quo in loco docet August. qualiter adhibendus sit rigor iustitiæ, & asperitas verborum, aut verberum apponenda, pro necessitate, scilicet, non pro voluntate, vt medicina morbo, nó vt quotidianus cibus. *Psal. 24.*

§. IV.

Multùm conducit, vt doctrina suscipiatur à magistro, si in mansuetudine inculcetur.

Illvd etiam notandum occurrit, mansuetudinem sapientiæ in magistro requiri, quia meliùs, & faciliùs ea doctrina suscipitur, quæ à leni & mansueto præceptore traditur. Vnde Chrysost. hom. 52. ad Pop. eleganter dixit; linguam nostram quodammodo fieri linguam Christi, si mansuetudinem Christi id loquendo, docendo, & disputando imitemur. Qua de re plura habet hom. de mansuetudine. & hom. 1. de incomprehensibili Dei natura. Et Dionys. Areopag. epist. 8. ad Demophilum. Hoc eximium, inquit, in se dilectionis Christus argumentum capit, si pascamus gregem ipsius modestissima gubernatione. Et Ber. Ser. de Sancta Magdalena: O quàm leni, & dulcissimo spiritu imbutus est ille, qui nouit in spiritu lenitatis peccantem instruere, suspendere vindictam, & affectuosis visceribus inuiscerare sibi peccatorem. Vnde idem Ber. Ser. 8. in Cant. eam scientiam, quæ lenis non esset, ex osculo Domini dixit non procedere.

Hæc est ratio, cur Paulus dixerit, magistrum oportere mansuetum, ac patientem esse, cum modestia corripientem eos, qui resistunt veritatis. vbi Occumen. ait: Quis persuadebitur ab eo, qui ferox & insolens est? Patientia nisi adsit, discenti cætera in cassum fiunt. Et Chrysost. etiam ibi. An non vides parentes quomodo filiis suis, licèt frequenter desperatis, & morituris, assiduè tamen omnia quæ possunt, illis admouent, & tamē illi non possunt *2. Tim. 2.*

lacrymis, nec morbum, nec mortem depellere? Tu verò frequenter poteris animam fratris deploratam assiduitate reuocare. Et Aug. contra epistolam Manichæorum, quam vocant Fundamentum, c.1. & 2. Ad vestram, inquit, correptionem aditum habeamus, non in contentione, & æmulatione, sed mansuetè consolando, beneuolè hortando, leniter disputando, &c. Videndus hac de re Ambr. lib.5. Examer. c.21. Clem. Alex. 7. Stromat. Ber. epist. 257. & Cypr. lib. de Vnitate Ecclesiæ.

§. V.

Requiritur in Magistro, ac Doctore Ecclesiastico optima operatio, & conuersatio cum doctrina.

TERTIO, exigit Iacobus in magistro, ac Doctore Ecclesiastico conuersationem, ac operationem cum prædicta sapientia mansueta. Magis namque retinetur mente quod visu, quàm quod auditu ad animum peruenit; sicut dixit D. Hierony. in c.19. Hierem. statim in principio. Et qui idoneus est ad docendos fideles, priùs debet ostendere se aptum, vt exemplo doceat; quod est totius doctrinæ fundamentum, idque efficacissimum. Vnde Paulus dixit Petro, *Cogis gentes Iudaizare*; quod intelligendum est, non imperio, sed conuersationis exemplo; vt explicat D. Thomas qui ait: Dicit, *cogis*, quia secundùm quod Leo Papa dicit; validiora sunt exempla, quàm verba.

Gal. 2

VNDE licet iam aduertere, inuentum fuisse diaboli, deorum nomina perditissimis hominibus imponere, quò liberiùs vitia vagarentur, & patrocinium vitiis præberent; dum in ipsis diis deprauatos mores cernerent veluti sacratos, & deorum nominibus insignitos; sicut notauit Aug. 2. de Ciuit. c.7. Quæ etiam fuit causa, cur Plato lib. 2. de Repub. inter alia, Poëtas nolit in sua ciuitate, quòd quæ de diis sunt commenti, pessimum sit legentibus exemplum, sicut bella, rapinæ, seditiones, adulteria, furta, & similia. Ex quo loco sumpta sunt illa verba, quibus loquentem Menippum Lucianus facit. *Ego*, inquit, *cùm puer adhuc essem, audirémque Homerum, & Hesiodum, seditiones, ac bella canentes, non semideorum modo, sed ipsorum etiam deorum adulteria, violentias, rapinas, patrum expulsiones, fratrum & sororum nuptias, hæc mehercle omnia bona pulchráque putabam, & studiosè erga ea afficiebar. Neque enim deos vnquam putaui mœchaturos, aut seditiones inuicem fuisse moturos, nisi de his rebus perinde, ac bonis iudicassent.*

EST igitur ad virtutem in Doctoribus, ac Præsulibus necessarium exemplum ante ipsam doctrinam. quod prosequitur D. Chrysost. homil. 38. ad Populum; Dicis quòd opus est modestiam sequi, & longum super hoc trahis sermonem, & inoffensè fluens dicendi copiam ostentas, sed te melior ille, qui per opera hoc me docet: non enim disciplinæ tam à verbis, quàm à factis animæ solent intromitti; quoniã si non habueris opera, non tantùm loquens non profuisti, sed & potiùs læsisti; melius est tacere.

Quare

Quare? quoniam opus mihi reddis impossibile. Cogita namque, quòd si tu tanta differens, non efficis, multo magis ego venia dignus. Propterea Propheta dicit: *Peccatori autem dixit Deus; Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* maius enim hoc damnum, cùm aliquis bene verbis docens per opera doctrinam impugnat. Hoc fuit multorum in Ecclesia malorum causa. Psal. 49.

Similia habet Lactant. Firmian. lib. 4. de vera sapientia c. 23. Homines, inquit, malunt exempla, quàm verba, quia loqui facile est, præstare difficile. Vtinam tam multi benefacerent, quàm multi loquuntur bene; sed qui præcipiunt, nec faciunt, abest ab eis fides. Et Nazian. Orat. 19. de patre suo sic loquitur. Ferinos hominum mores haud magno negotio mitigauit, tum pastoralis artis sermonibus, tum etiam, quòd se velut spiritualem quādam statuam ad optimæ cuiusque actionis pulchritudinem expolitam, ad imitandum proponeret. Videndus idem Nazian. Orat. 1. Apologet. & Orat. 11. & epist. 64. Tertull. lib. de Pallio; & lib. de spectaculis. Cypr. epist. 4. D. Ber. epist. 201. & 58. & 59. in Cant. Hierony. epist. ad Lætam. D. Chrysost. hom. 42. & 56. in Genes. & hom. 9. ad Populum.

Ex quibus omnibus clarè patet, necessarium omnino esse vt in vero magistro priùs sit vitæ, ac virtutis vox, quàm externa prædicatio, & ex bona conuersatione in operando colligendam esse aptitudinem, quæ illi inest ad docendum: & superiorem locum occupandum, sicut Iacobus ait. Vnde Nazianz. Orat. 21. de iniquis Prælatis ac magistris ait: Sunt quorum non mores dignitati, sed dignitas moribus fidem astruit, ordine præpostero. Quibus verbis apertè asserit, mores, ac conuersationem necessariam recto ordine debere fidem astruere, & testimonium reddere, quo iure ac merito locum obtineamus supremum, ne monstruosa res videatur, quam Ber. cap. 2. de Consider. Locus summus, & animus infimus, sedes primā, & vita ima, lingua magniloqua, & manus otiosa, sermo multus, fructus nullus. Vnde Philo de legatione ad Caium conqueritur de eodem Caio, qui cùm pessimus homo esset, reputari, ac coli volebat vt Deus. Insusitata specie, inquit ille, terror incutiebatur populo miranti, quòd honores sibi vsurparet eorum, quorum virtutes aspernabatur, contentus solis insigniis. Plura qui velit de hoc argumento, habet initio huius cap. §. 5.

§. VI.

Probatio in eligendis debet præcedere electionem.

Docet etiam apertè hic locus priùs probandos viros, quàm collocandos in dignitatibus, & priùs debere ostendere ex conuersatione operationem in sapientia, deinde fieri magistros. Sic enim & Pharao magistros pecorum constitui voluit viros industrios, iam vt tales cognitos, ac probatos. Sic & Deus in ducem populi elegit Moysen, quem ex nomine nouerat, & expenderat. Sic & Apostoli dixerunt: *Considerate ergo fratres* Gene 47. Exo. 33. Act. 6.

ex vobis viros boni testimonij. Vbi codex Syriac. habet *exquirite*; Græcus verò, *perspicite*. Vnde Ber. 4. de Consider. ait: Hoc tibi persuade, qui admittendi sunt, difficilè in Curia posse probari, & ideo si fieri potest, viros probatos oportet deligi, non probandos. Quod etiam eleganter prosequitur Chrysost. lib. 4. de Sacerdotio, cùm ait: Neque eos, qui elegerint sublevare quicquam poterit, si dixerint ignorasse eum quem elêgere. Verùm, vel ex hoc ipso crimen grauius efficitur, quòd quem ignorauêre perduxerint, aut certè quæ illis videtur excusatio, accusatio est. Nam quomodo id absurdum non sit, eos, qui mancipium aliquod empturi sunt, id tunc medicis ostendere, tum emptionis sponsores postulare, tum vicinos interrogare, quinimò, & diuturnum aliquod tempus poscere, intra quod probare illud possint: eos verò qui quempiam ad Episcopale munus huiusmodi cooptaturi sunt, si cui placitum sit, ad aliorum vel gratiam, vel inuidiam testimonium suum accommodare; ita eum temerè, atque vt casus tulerit, adlegêre, nulla prorsus alia discussione facta? Proinde illum oportet, qui aliquem electurus sit, rem diligenter admodùm expendere.

1. Tim. 5. ET in hanc sententiam affert id, quod dixit Paulus: *Manus citò nemini imposueris, neque communices peccatis alienis*. Quod Theophylactus sic explicat: Nam committendorum ab ipso flagitiorum tu causa es, si citò & temerè manus imposueris, & elegeris quem minimè nosti, aut antea non probasti. Clariùs hoc dixit Brixian. ibidem: Cernis, inquit, vt si quis minimè idoneos eligit, quidquid is, qui electus est, peccat, electionis author peccatorum illius est particeps. Pressiùs Chrysost. ibi. Quid sibi vult, inquit, citò? id est, non ex prima statim probatione, nec secunda, nec tertia; sed vbi consideratio diuturna præcesserit, exactissimáque discussio.

VIDENDVS idem Chrysost. hom. 1. in epist. ad Tit. & hom. 1. ad Pop. & Theodoret. quæst. 1. in Leuit. cùm quærit, quare Deus noluerit sibi in lege mel offerri. Quia, inquit, apis in impuris sedeat, & vndecumque conficiendi mellis occasiones coaceruet; illud namque colligit ex puris simul & impuris floribus, nullo delectu præcedente inter venenosos, & salutiferos flores; sed ex omnibus simul rorem percipit, fauósque fabricat, cùm tamen ea, quæ debent offerri Deo, & in Ecclesiæ altari, ac supremo loco apparere, priùs debeant probari, diúque antè examinari & perpendi; quod dixit Iacobus in præsenti, *ostendat nobis ex bona conuersatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ*.

Vers. 14 *Quòd si zelũ habetis amarũ, & contentiones sunt in cordibus vestris, nolite gloriari, & mẽdaces esse aduersùs veritatẽ.*

EXPOSITIO LITERALIS.



SVPERIVS dixit Iacobus quænam conditiones, ac dispositiones requirantur in Pastore, ac magistro Ecclesiastico: modò ostendit quibus vitiis carere debeat, amarulenta scilicet æmulatione, ac inuidia. Vnde prouenit, vt quis contra veritatem Euange

Euangelicam mentiatur, quam nemo dignè tractare potest, nisi sincero animo, ac candido omnes charitatis vinculo amplectatur.

ADVERTIT autem D. Hierony. ad Galat. 4. nomen *zeli* æquiuocum esse. Est enim zelus vicinus inuidiæ, de quo agit Ecclesiastes c. 3. Et hoc laborarunt fratres Ioseph, & Maria, & Aaron. Alter verò zelus est dulcis, à quo, sicut notauit Beda, Simon Petrus meritò perfecti cordis nomen accepit Zelotes. Quo etiam zelo Helias plenus fuit, cùm ait: *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, dereliquerunt pactum tuum filij Israël.* Et Zacharias etiam de hoc dicit: *Zelo zelatus sum Hierusalem, zelo magno.* Hoc etiam inflammatus fuit Phinees, Mattathias, & Paulus cùm dixit: *Æmulor vos Dei æmulatione.* Qua de re videndus Prosper. in Ps. 118. ibi, *Tabescere me fecit zelus meus*; & Nazianz. Orat. in laudem Basilij. *Gen 37. Num. 12. 3. Re. 19. Cap. 1. Num 25. 1. Mac 2. 1. Cor. 11.*

Hoc tamen in loco Iacobus loquitur de zelo amaro, & inuido, qui motus amarus est, quando ex alterius bono iudicamus nostra bona imminui, & contemni. Ideóque Vatab. hoc in loco legit, *æmulationem amaram*; de qua Paulus ait: *Omnis amaritudo* (seu amarulentia) *& ira, & indignatio tollatur à vobis.* Quia verò hic zelus, & inuidia cõtentiosa est, sicut dixit Ephrẽ de vitiis, & virtut. Beatus, inquit, qui inuidiæ, & æmulationi nõ est obnoxius: dependẽt enim à se inuicem, & qui vnã habet, alterã habet. Propterea Apostolus zelo statim addit contentiones, quæ propriè reperiuntur inter magistros, & inter discipulos, cùm quidam pro hoc, quidam pro altero, quasi doctiore contendunt, quod carnale est, & hominum prorsus huius mundi, sicut Iacobus statim subinfert, & dixit Paulus: *Cùm sint inter vos zelus, & contentio, nónne carnales estis, & secundùm hominem ambulatis?* Et August. lib. Euangelic. quæst. ex Matth. tom. 4. Boni, inquit, Catholici, quod ad fidei doctrinã pertinet, ita quærunt, si quid quærendum habent, vt absit certatio periculosa. Et lib. contra Cresconium cap. 2. Sophistica, & maligna possessio est, quæ sibi proponit non ex animo, sed ex contentione, vel commodo pro omnibus, & contra omnes dicere. *1. Cor. 3. Coloss. 4.*

MERITO proinde Paulus Philip. 2. *Eandem charitatem habentes, vnanimes idipsum sentientes, nihil per contentionem, & inanem gloriam*, seu vt Ambros. legit, *per irritationem, sed in humilitate superiores inuicem arbitrantes.* vbi Apostolus docet, idem in intellectu habendum, & in voluntate diligendum à fidelibus, vitandas deinde docet contentiones, quia vt ipse dixit 2. Timoth. 2. *Seruum Dei non oportet litigare.* Et contentio septimum locum habet in catalogo operum carnis, ad Galat. 5. & propriè est impugnatio veritatis cum fiducia clamoris; nam vt exponit Theophylact. tunc contendimus, cùm solemus dicere, danda est mihi opera, ne me alius vincat. Et in fine epist. ad Rom. & ad Galat. docet, hæreses de iustificatione ortas fuisse ex contentione, & inani gloria; nam *inter superbos semper iurgia*; Prouerb. cap. 3. Videndus hac de re Epiphan. hæres. 75. & D. Fulg. lib. 1. ad Monimum.

ADVERTENDVM est autem obiter hoc loco, multò plures contentiones, ac diuisiones, seu factiones fuisse semper in Ecclesia Dei, quàm apud Gẽtiles, aut Iudæos. Cuius rei rationem reddit Isidor. Pelusiota lib. 2. Epist.

epist.90.Quoniã diabolus author,satórque errorum, priusquàm quidem veniret Christus,hominum vniuersitatem maxima ex parte sibi deuinxerat vitij quodam sopore,atque temulentia:vbi verò Dei Filius cœlestis intulit vitæ documenta, & per eas minas, quas in peccatores intendebat pœnam,quæ diabolum manebat, pronunciasset, hic iam pietati obluctari magnopere non valens,contendit,vt sub pio Christi nomine plerosque ad impietatem induceret,ac pietatis specie, obtentúque pietatem euerteret, & illos quoque,qui optimæ vitæ laude persæpe excelluissent;& corrupta dogmata obtruderet,& qui pacem colerent,in diuisiones, & contentiones diuiderentur.

Si igitur inuidiam,inquit Apostol.& contentiones habetis in cordibus, quanuis non prorumpant in verba,vt ait Glossa,nolite gloriari de sapientia,superbiendo,aut de ea gloriam æternam sperando.Ita D.Thom.& Carthus.& mendaces esse aduersùs viritatem,& disciplinam ipsam,quam non habetis,simulando externis,scilicet ceremoniis,aut verbis.Proprium namque solet esse eorum,qui amarum zelum habent, & contra aliquem contendunt,se ipsos priùs velle iustificare,& suam partem,siue iure, siue iniuria defendere.

Vel etiam nolite mendaces esse contra veritatem agnitam, eam impugnando,quo facto mendaces profectò estis,vel etiam quia veritas ipsa probat non esse gloria dignos eos, qui sapientiæ verba ore promentes, zelum amarum, & contentionis infructuosæ studium gestant in corde.Ita Beda. Neque omittendus Caiet.cùm id notauit,inuidiam scilicet, & contentionem ad vtrumque ducere viros doctos, ad gloriandum scilicet intus,&. ad mentiendum foris.

§. I.

Infelicitas inuidiæ dum bonum odit.

PRIMVM igitur quod hoc loco detestatur Apostolus in vero magistro, & Pastore,est liuor, ac inuidentia. Cùm enim omnibus bene velle teneatur,bonáque omni modo procurare,quà fieri potest, vt eo vitio laboret, quod omnium bonis,& vtilitatibus aduersatur:hoc enim proprium est inuidiæ,vt videre passim est apud Sanctos Patres.Qua in re cætera vitia multùm excedit,sicut notauit D.Ambr.2. Offic. cap. vlt. cùm ait: Inter improbum,& inuidum hoc interest,improbus suo delectatur bono, inuidus torquetur alieno,vt propè tolerabilior sit,qui sibi vult bene, quàm qui malè omnibus.Quibus similia habet Chrysost.hom.41.in Matth.

Est optimus pro hac re locus in lib.Genes.vbi de inuidis fratribus Ioseph sic fatidicus Iacob moriens ait: *Inuiderunt illi habentes iacula.* vbi Hieron. in quæst.Hebr.adnotauit,cum arcu & sagittis inuidiam introduci,vt sagittet immaculatum,& pulchrum. Petitáque videtur similitudo à consuetudine eorum qui ad scopum sagittas collimant. Solent enim album lapidem,candidámue papyrum proponere, & in album ac candidum signum iacu-

cap. 49.

iacula dirigere, quantóque candidius, & lucidius fuerit signum, tanto libentiùs sagittis illud petunt. Inuidi ergo fratres Ioseph habentes iacula inuidiæ, pulchrum, & decorum aspectu Ioseph persequuti sunt; sicut & inuidi Iudæi dilectum Ecclesiæ sponsum candidum, & electum ex millibus, inuidentiæ iaculis petierunt, & quo pulchriorem viderunt, libentiùs transfixerunt: solet enim inuidia amabile bonum miserè odisse.

PLVS hac in re dixit Bern. de interiori domo c. 42. dum de maleuolo inuido ait: Inuidus alienum bonum, suum facit inuidendo peccatum; potiúsque eligit in malis versari, quàm in aliis bona cernere; ideóque contra proprium commodum contendit, vt videre est in Saüle, qui Dauidis musica à morbo liberatus, hastam in eum inuidia agitatus emisit, maluitque 1. Reg. 19.
ab spiritu nequam torqueri, quàm Dauidem omnibus charum cernere; sicut notarunt Basil. hom. 11. inter varias quæst. de inuidia; & Chrysost. hom. 37. in Ioan.

PRO qua etiam re facit id, quod notauit Chrysost. hom. 22. in Ioan. vbi quærit, cur tam bene tulerint Iudæi Christum eos veluti abiectos seruos de templo eiicientem, & flagellis cædentem, cùm tamen non possent ipsius miracula æquo animo tolerare? Quia, inquit, multo magis aliena gloria offendit inuidos, quàm proprium malum. Similia habet idem Chrysost. hom. 41. in Matth. vbi de inuido ait: Alienas iacturas, suos quæstus existimat, & aliorum felicitatem suam miseriam arbitratur.

QVOD si huic vitio adhuc aliquid addere licet; peiores diabolo reddit homines. Tota enim ratio, cur nobis malignus aduersetur, & inuideat diabolus, ea est, quòd bona, quæ amisit, vt sunt bona gratiæ, aut quæ non potuit habere, vt est vnio hypostatica, in humana natura videat; hæc causa liuoris, & origo inuidentiæ, quam superat humanus, amarúsque zelus, dum ea bona, quæ & assequi potest, & multoties habet, vt proprium damnum deplorat, ac dolet; non quòd non habeat, sed quod alius non careat.

HÆC mihi videtur ratio, cur in Scriptura hoc vitium dicatur pessimum, eóque laborantes nominentur pessimi. Primum patet ex Gen. vbi dicitur Iosephum accusauisse fratres apud patrem de crimine pessimo; vbi si verbum Hebræum perspiciamus, significat *obloquutionem*, seu *infamiam rumore acceptam & perlatam*. Ideóque probabilis, & fortè probabilior est eorum sententia, qui dicunt Iosephum patri detulisse, quomodo, & quid fratres de se murmurarent, & patri obloquerentur, & in se præ liuore, & inuidentia exasperarentur; quod crimen meritò vocatur pessimum, vtpote natum ex inuidia (sicut optimè cecinit Sanctus Oriensius in monitis) quæ præ omnibus vitiis est detestanda, & pessima, quandoquidem aduersatur virtuti optimæ charitati. Vnde & inuidi in sacris literis pessimi appellantur.

CVM enim Dauid persequutus est Amalechitas, iisque omninò superatis, & occisis, rediit ad ducentos viros, qui præ lassitudine non poterant comitari Dauid: eos verbis pacificis salutauit, quod ægrè tulerunt inuidi, de quibus sic ait sacer Textus: *Respõdénsque omnis vir pessimus, & iniquus de iis qui erant cum Dauid, dixit: Quia non venerunt nobiscum, non dabimus eis quicquam*, &c. 1. Reg. 30.

FACIT

FACIT etiam pro hoc argumento id, quod dixit Iacob; *Fera pessima deuorauit filium meum Ioseph.* Super quæ verba Rupert. lib. 8. in Genes. cap. 25. ita ait: Neque hoc dicens, falsus, aut mentitus est: talis namque sæuitia cum leone, & vrso, feræ, aut bestiæ vocabulo rectissimè æquiuocari potest. Videndus hac de re Nazian. Orat. 27. vbi hoc vitium iniquissimum appellat. Pessimum itaque malum, amarus zelus, pessimi itidem homines, inuidi, qui alieni boni inimici sunt, & communis pacis hostes, proindéque à magisterio, & Præsulatu abigendi, cùm ad præceptoris, Pastorísque officium maxima bonitas requiratur.

Gen. 37.

VNDE Christus Dom. cùm se viam, veritatem, lucémque appellauerit, nunquam bonitatẽ his vocibus addidit, nec dixit: Ego sum via bona, aut bona veritas; quando verò se appellauit Pastorem bonum, addidit. *Ego sum Pastor bonus;* quia ad pastorale officium bonitas, veluti fundamentum requiritur, sicut etiam, & zelus, & amor boni communis.

Ioan. 14.
Ioan. 11.

ETENIM siquis quærat, cur Deus Moysen gubernatorem populi sui elegerit? respondet Oleast. quia cognouerat Dominus Moysen, zelum habere ad bonum commune, & ad pacificandum inter frates, qui zelus tantùm aberat, vt esset amarus, quin potiùs dulcis zelus rectè dici potest; & ideo eum præfecit. Et Bernar. 2. de Considerat. reddens rationem, quare Christus Dominus toti Ecclesiæ vnum præfecerit Petrum, ait: Committens vni, vnitatem commendauit; vbi enim vnitas, ibi perfectio. Cùm ergo neque zelum boni communis, neque curam vnitatis possit habere is, qui zelum amarum habet, quẽ inseparabiliter comitantur contentiones; nullatenus admitendus est ad magisterium, aut pastorale munus nequissimus, & impiissimus inuidus.

§. II.

Inuidia acerbissimum tormentum est inuidi.

SED non omittendum hoc loco, inuidentiam, & liuorem, zelum amarum appellari; amarissimum enim hoc vitium est iis, qui eo laborant, quod videtur dixisse Iudas Apostolus: *Væ, qui in via Cain abierunt.* Et notauit Chrysost. hom. 46. in Genes. loquens de Saüle irato ob cantatrices, quæ decem millia dederunt Dauidi. Huius affectionis malitia primum corrumpit Cain, à quo generatur; sicut enim vermis, qui à ligno producitur, lignum primò corrumpit, & consumit; ita & inuidia illam primò animam corrumpit, à qua nata est. Quibus habet similia Basil. loco cit. Et Greg. lib. 5. Moral. c. 31. Non omittendus Cyprian. lib. de Zelo & Liuore, vbi ita elegãter prosequitur: Qualis verò est animæ tinea, quæ cogitationum tabes, pectoris quanta rubigo zelare (*i. inuidere*) in altero, vel virtutem eius, vel felicitatem odisse in eo, vel merita propria, vel beneficia diuina, in malum proprium bona aliena conuertere, aliorum gloriam, facere suam pœnã: nullius magis, quàm tuæ salutis inimicus, hostis semper in pectore tuo est, pernicies intus

Ep. Iud.
1. Reg. 18.

intus inclusa,calamitas sine remedio, &c. Prosequitur idem argumentum Bern. Serm.de Conuersione ad Cleric.c.12.August.Serm. 83.de Tempore. Prosper lib.3.de viriis,& virtutib.

Hoc etiam ostendit Chrysolog.Serm. 172. vbi ita habet: Omnia quidem vitia ad suorum semper intendunt, & prosiliunt læsionem, sed suos semper ampliùs inuidia consumit,inuidia suorum carnifex semper extitit, extendit sensus,torquet animos,discruciat mētes,corda corrumpit, & quid plura?hanc qui receperit,sua sustinet sine fine supplicia, quia in se domesticum semper diligit habere tortorem. Quis ibi malorum finis, vbi alterius bonum,pœna est?vbi cruciatus,aliena felicitas?Malū multiplex: quot sunt prosperitates hominum,tot tormenta sunt inuidorum.

Notandvm vtique hoc loco venit,quòd loquens Christus Dom.cum inuidis Iudæis,& tormenta inferni minitans, ea non assignat solummodò,sed modum patiendi præscribit,dicens:*Ibi erit fletus,& stridor dentium:cùm videritis Abraham,Isaac,& Iacob,& omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras.Et venient ab Oriente,& Occidente,& Aquilone,& Austro, & accumbent in regno Dei.*Quorsum igitur hæc futura enarrat,& non potiùs æternum flāmarum ardorē, & summum ab igni illatum dolorem proponit, aut carentiā diuinæ visionis,quod extremum malorū est?Respōdet eo in loco Caiet. Ad cumulū demū pœnæ adiicitur salus futura omniū nationū mundi.Nihil enim sic inuidum torquet,& discruciat,quàm si aliorū felicitatem videat. *Luc.13.*

Probat hoc locus ille Psal.vbi dicitur,*Intrauit Israel in Ægyptum, auxit Deus populum suum vehementer, & conuertit cor eorum, vt odirent eum*: Non quidem infundendo maleuolentiam, & odium, vt ibi rectè aduertit Geneb. neque ad malum incitando,& commouendo,sed multiplicando,& fœcundando eam gentem,vt cùm initio descēsus vix essent septuaginta, post elapsos quadringentos annos,vel etiam iuxta aliorum computationem, ducentos decem,sexcenta armatorum millia explerent, & totidem paruulos, & mulieres secum in terram Chanaan ducerent; ornandò, benefaciendóque populo illi,cui Ægyptij inuidebāt.Vnde Aug.eo in loco ait;In eo quod populum suum multiplicauit,hoc beneficio suo malos ad inuidētiam conuertit:vnde eos velut inimicos persequuntur, quasi ab iis plurima patiantur mala,dum solùm in eis bona considerant. *Ps. 104.*

Hæc est ratio,cur dixit Nazianz.optimè Orat.27.Solus ex omnibus affectibus iniquissimus simul,& æquissimus, inuida est. Iniquissimus, quia bonis omnibus aduersus est,æquissimus,quia dominos suos exest, & conficit,dum eos,quibus inuident,clariores reddit, &c. Quod ponderat Chrysost.tom.1.hom.1.in Ps. 50. vbi ostendit inuidentiæ proprium esse, inuisos illustriores reddere;quod etiam prosequitur homil.8.in epist. ad Rom. vbi hoc probat in Abele,& Caino, quorum iste illum interfecit, sperans fore, vt illū à dilectione Dei deturbaret,sed lōgè aliter euenit; quia Deus qui viuum diligebat Abelem,mortuum requirit, vt diligat. Plus autem est quærere aliquem diligendū,quàm inuentum & probatū diligere.Non inuidia, inquit Chrys.amorem extinxisti,sed magis accendisti, nec magis abscōdisti.

opera iusta cùm necasti, imò magis eadem iusta esse ostendisti.

Hoc ipsum videre est apud Plut. in vita Publicolæ strenuissimi Romanorum ducis, qui deuicta, ac triumphata Hetruria domum forsan altiorem præter Romanorum morem ædificauerat; certior verò factus, quòd ea domus populo inuisa esset, cùm ex ea, quasi ex regali domo, regio comitatu descenderet, inuidiæ populi cedens, noctu eam dirui iussit; statim verò vt dies illuxit, domus speciem Romani desiderare cœperunt, viri magnitudinem admirati. Et cùm ob inuidiam dirutam esse nouissent, excelsiorem illustrioremque domum publicis stipendiis ei construxerunt, atque ita quæ per inuidiam destructa est; per eandem clarior reddita, & celebrior facta est. Voluit enim iustissimus Dominus, vt iniquissimum inuidiæ vitium hac in re æquissimum esset, dum in maius, & acerbius sui supplicium clariores, & illustriores reddit, quos ignobiliores, & obscuriores facere conatur. Vnde Theologi in 4. sētēt. dist. 45. & in 1. p. q. 64. art. 4. ostēdunt, nō paucos dæmonū in hac aëris regione cruciari, vt inter iustos, qui in cœlo Deo fruūtur, & qui in via ad cœlū viuūt, vtrisq; inuideāt, & inuidēdo torqueantur. Qua de re multa eleganter habet Bern. Serm. 54. in Cant.

Cvmqve hoc vitium tam amarum sit, inde est, vt bona quæ dulcissima sunt, non possit amaro ore ac lingua attingere. Ideò inuidi Iudæi nequeunt proferre dulcissimum Iesu nomen præ liuore, sed dicunt; *Comminemur eis, ne vltrà loquantur in nomine hoc.* Indigni profectò inuidi, qui exprimant suauissimum nomen, quod nemo exprimit eo quo decet animo, nisi in Spiritu sancto, vt ait Paulus. Notauit eleganter in hanc sententiam Oecum. quòd cùm Petrus in nomine Iesu Christi claudū sanauit, postea comprehensum simul cum Ioanne, *statuentes eos in medio interrogabant. In qua virtute, aut in quo nomine fecistis hoc vos?* Vide, ait Oecumen. quàm subdolè interrogēt; malebant enim Apostolos fateri suum esse opus, quàm potentiā Christi. Et aduerte, quòd neque nominare volebant claudi sanitatē. Neque enim dicunt, quidnam sit; sed *fecistis hoc*: celebre vtique, & memoria, & commendatione dignum erat miraculum factum, sed non capit amarulentum os, plenū liuore, & amaro zelo, ea quæ dulcia & optima sunt, sed perpetua amaritudine vrget, & in animo, & in ore inuido. Notauit Rupertus id, quod dicitur Gen. 37. *Oderant eum, nec poterant ei quidquam pacificè loqui.* Quando, inquit Rupert. virus animi lingua dissimulare non potest, quod hi viri inuidi nequeunt à contumeliis abstinere.

1. Cor. 11.

Act. 3.

Ostendit hoc optimus ille locus, quem notauit Caiet. post D. Chrysost. & Theophyl. cùm Christus Dom. paralyticum sanum fecit, insupérque iussit tollere grabbatum, & abire, cui Iudæi dixerunt; *Sabbathum est, non licet tibi tollere grabbatū; ille verò respondit; Qui me sanum fecit, ille mihi dixit, tolle grabbatum tuum.* Iterum verò Iudæi: *Quis est homo ille qui tibi dixit, tolle grabbatum tuum, & ambula?* Vbi illicò notandum venit, cur Iudæi hominem iuxta datam responsionem non interrogant, cùm enim ipse dixerit; *Qui me sanum fecit, dixit mihi, tolle grabbatum tuum*; deberent potiùs Iudæi interrogare, quis est qui te sanum fecit, & simul iussit tollere grabbatum? at verò ipsi omittunt

sanita

sanitatem collatam, quæ laudẽ videbatur mereri; & violationem præcepti de custodiendo Sabbatho, vt putabant, proferunt: cuius rei rationem reddit optimè Caiet. Non interrogant, inquit, quis est ille homo, qui te sanũ fecit, sed tantummodò, quis est ille homo, qui dixit tibi, tolle grabbatum tuum: inuidorum etenim lingua bona nullatenus profari potest, neque ea ipsorum os capit, mala illicò profert, proinde sanitatem omittunt, & solam quam putant legis transgressionem, obiiciunt. Quod dixit Ouidius 2. Metamorph.

Pectora felle virent, lingua est suffusa veneno.

NEQVE solùm os, animúmue amarum habet inuidus, sed aures etiam, & oculos. Receperat verus pater perditum filium, & quem priùs induerat, & operuerat brachiis, veste postea contexit, annulo donauit, summáque lætitia, lauto conuiuio, & totius domus triumpho exceperat. Cùm verò rediret de agro senior filius, & appropinquaret domui, vt audiuit symphoniam, & choros, nolebat introire. Rationem, cur introitum paternæ domus quem alius de longinquo quæsierat, hic recusaret, reddit Chrysolog. Serm. 4. Inuidum fugat symphonia pietatis, chorus charitatis excludit, & quem venire ad fratrem, & appropinquare domui vocat ratio naturæ, hunc peruenire zelus non sinit, liuor non patitur introire. Habet etenim amaras aures sicut Saül, qui laudes Dauid minimè patiebatur. Qua de re videndus Chrysost. homil. 7. in epist. ad Rom. & Plut. lib. de auditione. Luc. 15.

AMAROS insuper habet oculos, quia sicut dixit Bern. Ser. 3. in Psalm. *Qui habitat.* Quid inuidere, nisi malum videre est? Nosse cupis Basiliscum, venenum in oculo gerit, pessimum animal oculum venenatum. Nosse cupis nequam, fascinantem inuidiam cogitato. Probat hoc quod Achis dixit Dauid. 1. Regum 29. *Viuit Dominus, quia rectus es tu, & bonus in conspectu meo, & non inueni in te quidquam mali ex die qua venisti ad me; sed Satrapis non places: reuertere ergo, & vade in pace, & non offendas oculos Satraparum Philistim*; veneno scilicet inuidiæ infectos.

Hoc etiam prosequitur D. Chrysost. homil. 52. in Gen. cùm ponderat, Cain inuidiæ causã fuisse, quòd fratris dona plus Deo placuissent, & in fratribus Ioseph, vidisse, quòd à patre plus diligeretur. Et D. Thomas ponderat, pulchritudini Ioseph statim additam fuisse fratrum inuidiam, & persequutionem. Namque, vt dixit Scriptura; *Filius accrescẽs Ioseph, & decorus aspectu*; illicò addidit: *Inuiderúntque illi habentes iacula.* Ipsam enim pulchritudinem Ioseph impetebant sagittis liuidi fratrum oculi. Vnde Oleast. notauit, quòd Dominus ad Abraham dixit, postquam ab eo diuisus est Lot. *Leua oculos tuos in directum, & inde à loco, in quo nunc es, ad Aquilonem, & Meridiem, ad Orientem, & Occidentem, omnem terram, quam conspicis, tibi dabo*, &c. Reddens ergo Oleast. rationem, cur priùs voluerit Deus, Lot recessisse. Quia, inquit, Dominus inuidiã, aut odium nepotis timuit ipsi Abrahæ. Quod etiam notauit in eo, quòd Deus nube voluerit obducere Moysen, dum in monte Sinai, veluti cũ amico os ad os loquebatur. Noluit, inquit Oleast. Deus populũ videre, quã familiaris illi seruus esset Moyses, ne inuidia torqueretur, & Gen. 49. Gen. 13. Exod. 24.

alios inuidia permotos in eum preuocaret.

NOTAVIT in hanc sententiam Chrysost. hom. 52. in Gen. id, quod contigit Isaac cùm esset in Geraris, & proficiens, atque succrescens locupletaretur, ob hócque inuidentes ei Palæstini, obstruxerunt illi puteos, ipsíque Abimelech dixit: *Recede à nobis, quoniam potentior factus es nobis valdè.* Ait ergo Chrysost. Cuius gratiâ abigis iustum? num aliqua tibi in re nocuit, num iniuriam intulit? Abi à nobis, quoniam potentior factus es; ita agere solet inuidentia; non potest benigniter videre aliorum felicitatem, sed suam putat infelicitatem. Et Chrysolog. Serm. 4. de duobus filiis. O zeli tumor, duos non capit domus ampla germanos! Et quid mirum fratres? fecit inuidia, vt mundi tota duobus esset angusta fratribus latitudo. Nam ipsa Cain iunioris erexit in mortem, vt esse solum zeli liuor faceret, quem primum fecerat lex naturæ.

Eccl. c. 4. VNDE iam licet cernere, quanta cum ratione Salomon dixerit: *Contemplatus sum omnes industrias patere inuidia proximi.* Hebr. habetur; *omnem rectitudinem operis*: vbicumque enim inuidus aliquid boni conspicit, statim illud venenato, & amarulento oculo nititur inficere, ac perdere. Ideóque olim fortunam inuidia fingebant colligatam, quod dixit Statius:

——— *Quisnam impacata consanguinitate ligauit*
Fortunam, inuidiámque Deus? ———

Et Philo lib. de Ioseph. inuidiam magnarum felicitatum perpetuam aduersariam vocauit.

QVOD si amarus oculus inuidiæ non potest inficere id, quod videt, alteri perdendum tradit. quod nouum amarulentiæ genus videtur esse, cùm sit *1 Re. 16* antiquum. *Dixit Saül ad seruos suos: Prouidete mihi aliquem bene psallentem, & adducite eum ad me. Et respondens vnus de pueris ait. Ecce vidi filium Isai Bethlehemitidem scientem psallere, & fortissimum robore, & virum bellicosum, & prudentem in verbis, & virum pulchrum, & Dominus est cum eo.* Videri, vt rectè hucusque viderat, perspicit oculus plura distincta, claráque bona. Audiamus nunc Rupertum lib. 2. in lib. Reg. cap. 1. Puer ille, qui hoc respondit Saül, Doëch Idumæus fuisse perhibetur inimicus Dauid, & omnia quæ de Dauid, in laudem dixisse videtur, in odium eius dixisse dicitur, quia volebat inimicitiæ causâ, & inuidiæ liuore, vt ad Saül veniret, quatenus ibi qualibet occasione necaretur. Idem dicunt ibi Hebræi, vt patet per Lyranum.

ET cùm Dauid ad Regem Geth diuertisset, serui Regis magnis celebra- *1. Reg. 21* runt laudibus Dauidem. *Nónne iste est Dauid Rex terræ? Nonne huic cantabant per choros dicentes: Percussit Saül mille, & Dauid decem millia?* Vbi Lyranus aduertit, propterea inuidos homines hæc dixisse, vt Achis Rex eum detineret, & occideret, quia inuidus erat Rex. Ideóque & addit sacer Textus. *Timuit Dauid valdè à facie Regis Achis*: quia inuidus non potest bona videre, quin statim perdere conetur; quòd si per se nequit id efficere, alteri committit.

§. III.

§. III.

Proponitur crudelitas inuidiæ.

NISI fortaſſis ea ſit ratio, cur inuidia dicatur amarus zelus, quòd præ cæteris amaritudinem propinet, venenúmque inferat iis, quibus inuidet: quo ſenſu meritò Iacobus dixit de Ioſepho. *Fera peſſima deuorauit eum, beſtia comedit illum*; imò feris ſæuior inuidentia, ſicut dixit Chryſoſt. hom. 37. in Ioan. Feris ſæuiores inuidi, dæmonibus pares, fortaſſe iniquiores: quia illi ſuo generi minimè inſidiantur. Proſequitur hoc argumentum D. Hieron. epiſt. ad Euſtochium de obitu Paulæ, vbi reddit rationem, cur Iacob in Meſopotamiam fugerit, & Dauid ad Achis, malens vterque, inquit Hieron. hoſtibus, quàm inuidis ſubiacere. Gen. 37. Gen. 28. 1. Re. 28.

IDQVE ampliùs oſtendit inuidiæ amarulentiam, & crudelitatem, quòd cùm cætera mala finem aliquem tandem, & terminum habeant, inuidia tamen eo caret. Quod proſequitur Cypr. lib. de Zelo & Liuore, dicens: Mala cætera habent terminum, & quodcumque delinquitur, delicti conſummatione finitur: quod ipſe latè oſtendit, tandémque concludit zelus terminum non habet, permanens iugiter malum, & ſine fine peccatum.

ET quia irrationale, crudele, & immane vitium eſt, ea, quæ rationi maximè conſona ſunt, deteſtatur, & abhorret. Humanum vtique & rationabile eſt, gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Vnde & Iob. *Si non ingemui, cùm viderem homines in neceſſitate.* Hanc verò humanitatem crudelis fera abhorret, inuerſóque ordine, ac peruerſo modo flet cum gaudentibus, dum ad eorum proſperitatem lacrymatur, & viſa eorum lætitia triſtatur: gaudet verò cum flentibus, quia ſola gaudere vult, nullíque alteri bonum aliquod exoptat. quod proſequitur Chryſoſt. homil. 41. in Matth.

ET cùm tam aduerſetur rationi hoc vitiũ, in hoc ſolùm rationabile apparet, adhuc tamen irrationabiliter; cætera namque vitia excuſationes, occaſionéſque prætendunt, licèt frigidas, & iniquas; inuidia verò nullam omnino, niſi intenſam malitiam, & odium totius boni. Qua de re videndus Baſil. in aliquot Scripturæ locas. Et Demoſthenes ad Leptinem.

POST inſignem victoriam quam Abraham de quatuore Rgibus reportauit, *factus eſt ſermo Domini ad eum dicens*: *Noli timere Abraham, ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis*; quo in loco D. Hier. ex Hebræo legit, *Ego ſcutum, ſiue clypeus circa te.* Mirabitur iure optimo quis, dum videt ſcutum Abrahæ poſt victoriam porrigi, & clypeum poſt vulnera; ſi ſcuta deuictorum hoſtium eſſent, & clypei eorum quos ſuperauerat poterant inſeruire triumpho: at verò in protectionem illud ſcutum concedebatur. *Ego protector tuus ſum*; & meritò quidem: ſtatim namque additur; *& merces tua magna nimis*: etenim magna à Deo promiſſa bona, & Dei adiutoria parta victoria expoſita erant oculis, ori, manibus, crudelitati denique inuidiæ: meritò proinde illi datur ſcutum, quo ab inuidia protegi, imò & abſcondi poſſit, ne vel videretur, vel deſtrueretur. Gen. 15.

paruulum animum habeat. Etenim, ſicut inter alios notauit Guarricus Ser. 5. de Purificatione, hac peſte nullus moritur, niſi qui terrena hæc appetit, quæ tota non veniunt pluribus. Vnde ſi quæ deſiderat, illi inuidet qui penitus ea accepit, vel illi qui partem habendo, quantitatẽ ei reſtringit. At verò bonum cœleſte, quod eſt obiectum beatitudinis, totum omnibus communicatur, licèt non totaliter, ſuáque beatitudine quilibet in patria contentus eſt, vt alteri minimè inuideat. Vnde Ber. epiſt. 103. Quænam verò inuidiæ cauſa poteſt eſſe, vbi ſortium magnitudini conſortium multitudo nihil detrahit?

Imo ſi rem ſubtiliùs rimari velimus, inueniemus tantùm abeſſe à beatis inuidiam & zelum amarum, vt vnus beatus plus gaudeat de beatitudine alterius, quàm ille alter de ſua propria gaudeat, & lætetur beatitudine. Rem ſi attendas, facilè ex Theologia tibi oſtendo: etenim perfectiones accidentariæ, quæ ex natura rei beatitudinem conſequuntur, dantur iuxta menſuram etiam beatitudinis. Vnde fit, vt magis beatus plus gaudij habeat de ſua beatitudine, quàm minùs beatus habeat de propria; quinimò & beatior intenſiùs gaudebit, & lætabitur de beatitudine alterius, quàm ille alter de ſua propria; quia gaudium beatioris ſemper eſt maius. Vnde rectè infertur, ſingulos beatos non ſolùm gaudere de proprio bono, & de bonis aliorum, vt docet Aug. tract. 67. in Ioan. & D. Greg. 4. Mor. c. 42. ſed etiam vnum beatum plus gaudere de bono alterius, quàm ille gaudeat, qui poſſidet tale bonum.

Qui ergo fieri poteſt, vt gloria afficiatur in cœlo, qui amarum zelum habet in terra, & vt in Deo complaceat, cui præ inuidia non placet frater, & adhæreat Deo per ſummum amorem in gloria, qui diuiſus eſt à fratre per inuidiam? Nam ſicut dixit B. Dorotheus doctrina 6. Studeat vnuſquiſque pro virili parte cohærere proximo ſuo: quo enim magis proximo in amore, & beneuolentia cohæſerit, eo ampliùs & Deo cohærebit. Et Bern. Ser. 17. in Cantic. eam aſſerit fuiſſe rationem, quare Deus ad Cain, & ad munera eius non reſpexerit, quia ſcilicet non rectè cum fratre ambulabat, illi inuidebat, & iniquè diuidebat, quatenus ab eo diuiſus erat. Quia verò contraria contrariis curari ſolent, D. Greg. 5. Moral. c. 31. admonet, vt qui liuoris peſte plenè carere deſiderat, illam hæreditatem diligat, qua cohæredum numerus non anguſtatur, quæ omnibus vna eſt, & ſingulis tota, quæ tanto longior eſſe oſtenditur, quanto ad hanc percipientium multitudo dilatatur.

§. IV.

Inuidiæ bellum periculoſum cur ſit.

Neque verò illud etiam omittendum, voluiſſe Iacobum hoc in loco aſſignare ea mala, quæ plerumque liuorum inuidiæ comitantur: vt ſunt contentiones, & mendacia contra apertam & manifeſtam veritatem. Hoc autem ex eo prouenit, quia cùm inuidus oppugnet, & perſequatur id quod

quod à parte rei bonum est, & amabile, inde fit, vt necesse habeat per mendacium aliquem defectum bono quod persequitur, imponere, quo tandem excusabilis ea malitia appareat.

MIRABITVR fortassis quis, si consideret acutissimum cõsilium Achitophelis ad Absalon, dum illi dixit. *Ingredere ad concubinas patris tui, quas dimisit ad custodiendam domum, vt cùm audierit omnis Israel, quòd fœdaueris patrem tuum, roborentur manus omnium qui tecum sint.* Cuius consilij vim rectè explicat Brixian. dicens: Si illam publicam confusionem feceris patri tuo, nemo non sciet tibi implacabilem esse cum patre tuo simultatem, alioqui nisi tale quid feceris, cogitabunt filij Israël te propediem in gratiam Regis venturum, & eos qui huius conspirationis sunt authores, & fautores pœnam daturos. Nihil equidem subtilius, nihil conducibilius Absaloni, eiusque rebellioni potuit proponi, sed sic solet inuidia proprium propinare venenum, sic malignitatem suam inculcare. Etenim, sicut notauit idem Brixia. hoc cõsilium dederat Achitophel Absaloni, quòd parum faueret ipsi Dauidi, imò inuideret ob stuprum quod intulerat Bersabe, cuius ipse auus erat. 1. Reg. 16.

REM magis aperit inuidus Saül, qui præ liuore tentauit configere Dauid cum pariete, cúmque vulnus declinasset Dauid, alia via tentauit eum morti tradere, ideóque illi dixit. *Ecce filia mea maior Merob, ipsam dabo tibi vxorem, tantummodo esto vir fortis, & præliare bella Domini*; cùm tamen illi solùm in animo esset interitus, ac perditio Dauidis. Addit enim statim sacer Textus; 1. Reg. 18 *Saül autem reputabat, dicens: non sit manus mea in eo, sed sit super eum manus Philistinorum* Et ita iniustam necem in bellum Domini commutauit. Vnde D. Chrysost. homil. 53. ad Pop. Inuidere, inquit, peius est, quàm bellum inferre; qui enim bellum infert, soluta causa propter quam bellum gerebatur, inimicitiam quoque dissoluit; inuidus autem nunquam efficitur amicus, & ille quidem apertam ostendit pugnam; hic autem obumbratam, ille quidem legitimam habet, quam dicat impugnandi causam plerumque; hic autem nihil præter inuidiam. Vnde fingat necesse est, vt mentiatur causam impugnandi, & persequendi.

SED certè mendaces sunt contra veritatem, ipsámque persequuntur, & bonum odio habent, contra naturam bonitatis, & veritatis. Quis enim veritatem pulcherrimam poterit odio habere, nisi cæca inuidia? Lætus enim, & speciosus vultus veritatis, sicut dixit Clem. Alexand. Orat. ad Gen. & Philo. lib. de officio Iudicis. Quid in vita tam pulchrum, quàm veritas, quam sapientissimus Moyses in stola summi Sacerdotis sacerrimo in loco propter pectus, vbi pars animi est, quæ præcipuum obtinet, collocauit, eo cõsilio vt illam monimento omnium pulcherrimo, præstantissimóq; exornaret? Et Plato lib. 5. de legibus. Veritas res diuina, omniúmque bonorum, & Diis, & hominibus causa est, quæ etiam sine alieno suffragio facilè se ad omnium conscientiam accommodat, sicut dixit Guarricus Ser. 3. de Sancto Benedicto. Vnde qui illam respuit, contra propriam conscientiam, vt mendax, nititur, qui illam impugnat, & persequitur velut inimicam, menda-

epist.90. Quoniã diabolus author, satórque errorum, priusquàm quidem veniret Christus, hominum vniuersitatem maxima ex parte sibi deuinxerat vitij quodam sopore, atque temulentia: vbi verò Dei Filius cœlestis intulit vitæ documenta, & per eas minas, quas in peccatores intendebat pœnam, quæ diabolum manebat, pronunciasset, hic iam pietati obluctari magnopere non valens, contendit, vt sub pio Christi nomine plerosque ad impietatem induceret, ac pietatis specie, obtentúque pietatem euerteret, & illos quoque, qui optimæ vitæ laude persæpe excelluissent; & corrupta dogmata obtruderet, & qui pacem colerent, in diuisiones, & contentiones diuiderentur.

Si igitur inuidiam, inquit Apostol. & contentiones habetis in cordibus, quanuis non prorumpant in verba, vt ait Glossa, nolite gloriari de sapientia, superbiendo, aut de ea gloriam æternam sperando. Ita D. Thom. & Carthus. & mendaces esse aduersùs viritatem, & disciplinam ipsam, quam non habetis, simulando externis, scilicet ceremoniis, aut verbis. Proprium namque solet esse eorum, qui amarum zelum habent, & contra aliquem contendunt, se ipsos priùs velle iustificare, & suam partem, siue iure, siue iniuria defendere.

Vel etiam nolite mendaces esse contra veritatem agnitam, eam impugnando, quo facto mendaces profectò estis, vel etiam quia veritas ipsa probat non esse gloria dignos eos, qui sapientiæ verba ore promentes, zelum amarum, & contentionis infructuosæ studium gestant in corde. Ita Beda. Neque omittendus Caiet. cùm id notauit, inuidiam scilicet, & contentionem ad vtrumque ducere viros doctos, ad gloriandum scilicet intus, & ad mentiendum foris.

§. I.

Infelicitas inuidiæ dum bonum odit.

Primvm igitur quod hoc loco detestatur Apostolus in vero magistro, & Pastore, est liuor, ac inuidentia. Cùm enim omnibus bene velle teneatur, bonáque omni modo procurare, quì fieri potest, vt eo vitio laboret, quod omnium bonis, & vtilitatibus aduersatur: hoc enim proprium est inuidiæ, vt videre passim est apud Sanctos Patres. Qua in re cætera vitia multùm excedit, sicut notauit D. Ambr. 2. Offic. cap. vlt. cùm ait: Inter improbum, & inuidum hoc interest, improbus suo delectatur bono, inuidus torquetur alieno, vt propè tolerabilior sit, qui sibi vult bene, quàm qui malè omnibus. Quibus similia habet Chrysost. hom. 41. in Matth.

Est optimus pro hac re locus in lib. Genes. vbi de inuidis fratribus Ioseph sic fatidicus Iacob moriens ait: *Inuiderunt illi habentes iacula.* vbi Hieron. in quæst. Hebr. adnotauit, cum arcu & sagittis inuidiam introduci, vt sagittet immaculatum, & pulchrum. Petitáque videtur similitudo à consuetudine eorum qui ad scopum sagittas collimant. Soient enim album lapidem, candidámue papyrum proponere, & in album ac candidum signum iacu

cap. 49.

iacula dirigere,quantóque candidius, & lucidius fuerit signum, tanto libentiùs sagittis illud petunt. Inuidi ergo fratres Ioseph habentes iacula inuidiæ, pulchrum, & decorum aspectu Ioseph persequuti sunt; sicut & inuidi Iudæi dilectum Ecclesiæ sponsum candidum, & electum ex millibus,inuidentiæ iaculis petierunt, & quo pulchriorem viderunt, libentiùs transfixerunt: solet enim inuidia amabile bonum miserè odisse.

PLVS hac in re dixit Bern.de interiori domo c. 42.dum de maleuolo inuido ait:Inuidus alienum bonum, suum facit inuidendo peccatum; potiúsque eligit in malis versari,quàm in aliis bona cernere; ideóque contra proprium commodum contendit, vt videre est in Saüle, qui Dauidis musica à morbo liberatus, hastam in eum inuidia agitatus emisit, maluitque ab spiritu nequam torqueri, quàm Dauidem omnibus charum cernere; sicut notarunt Basil. hom. 11. inter varias quæst. de inuidia; & Chrysost. hom. 37. in Ioan. 1.Reg.19.

PRO qua etiam re facit id, quod notauit Chrysost. hom.22.in Ioan.vbi quærit, cur tam bene tulerint Iudæi Christum eos veluti abiectos seruos de templo eiicientem,& flagellis cædentem,cùm tamen non possent ipsius miracula æquo animo tolerare? Quia, inquit, multo magis aliena gloria offendit inuidos, quàm proprium malum. Similia habet idem Chrysost. hom.41. in Matth. vbi de inuido ait:Alienas iacturas, suos quæstus existimat, & aliorum felicitatem suam miseriam arbitratur.

QVOD si huic vitio adhuc aliquid addere licet;peiores diabolo reddit homines.Tota enim ratio,cur nobis malignus aduersetur,& inuideat diabolus,ea est,quòd bona, quæ amisit, vt sunt bona gratiæ, aut quæ non potuit habere, vt est vnio hypostatica, in humana natura videat; hæc causa liuoris, & origo inuidentiæ, quam superat humanus, amarúsque zelus, dum ea bona, quæ & assequi potest,& multoties habet,vt proprium damnum deplorat, ac dolet; non quòd non habeat, sed quod alius non careat.

HÆC mihi videtur ratio, cur in Scriptura hoc vitium dicatur pessimum, eóque laborantes nominentur pessimi. Primum patet ex Gen. vbi dicitur Iosephum accusauisse fratres apud patrem de crimine pessimo; vbi si verbum Hebræum perspiciamus, significat *obloquutionem*, seu *infamiam rumore acceptam & perlatam*.Ideóque probabilis,& fortè probabilior est eorum sententia,qui dicunt Iosephum patri detulisse,quomodo, & quid fratres de se murmurarent,& patri obloquerentur,& in se præ liuore,& inuidentia exasperarentur;quod crimen meritò vocatur pessimum, vtpote natum ex inuidia (sicut optimè cecinit Sanctus Oriensius in monitis) quæ præ omnibus vitiis est detestanda,& pessima, quandoquidem aduersatur virtuti optimæ charitati. Vnde & inuidi in sacris literis pessimi appellantur.

CVM enim Dauid persequutus est Amalechitas, iísque omninò superatis,& occisis,rediit ad ducentos viros,qui præ lassitudine non poterant comitari Dauid:eos verbis pacificis salutauit, quod ægrè tulerunt inuidi, de quibus sic ait sacer Textus:*Respōdénsque omnis vir pessimus,& iniquus de iis qui erant cum Dauid,dixit:Quia non venerunt nobiscum,non dabimus eis quicquam*, &c. 1.Reg.30.

FACIT

Gen. 37. Facit etiam pro hoc argumento id, quod dixit Iacob; *Fera pessima deuorauit filium meum Ioseph.* Super quæ verba Rupert. lib. 8. in Genes. cap. 25. ita ait: Neque hoc dicens, falsus, aut mentitus est: talis namque sæuitia cum leone, & vrso, feræ, aut bestiæ vocabulo rectissimè æquiuocari potest. Videndus hac de re Nazian. Orat. 27. vbi hoc vitium iniquissimum appellat. Pessimum itaque malum, amarus zelus, pessimi itidem homines, inuidi, qui alieni boni inimici sunt, & communis pacis hostes, proindéque à magisterio, & Præsulatu abigendi, cùm ad præceptoris, Pastorísque officium maxima bonitas requiratur.

Ioan. 14. Vnde Christus Dom. cùm se viam, veritatem, lucémque appellauerit, nunquam bonitatē his vocibus addidit, nec dixit: Ego sum via bona, aut bona veritas; quando verò se appellauit Pastorem bonum, addidit. *Ego sum Pastor bonus*; quia ad pastorale officium bonitas, veluti fundamentum requiritur, sicut etiam, & zelus, & amor boni communis. Ioan. 11.

Etenim siquis quærat, cur Deus Moysen gubernatorem populi sui elegerit? respondet Oleast. quia cognouerat Dominus Moysen, zelum habere ad bonum commune, & ad pacificandum inter frates, qui zelus tantùm aberat, vt esset amarus, quin potiùs dulcis zelus rectè dici potest; & ideo eum præfecit. Et Bernar. 2. de Considerat. reddens rationem, quare Christus Dominus toti Ecclesiæ vnum præfecerit Petrum, ait: Committens vni, vnitatem commendauit; vbi enim vnitas, ibi perfectio. Cùm ergo neque zelum boni communis, neque curam vnitatis possit habere is, qui zelum amarum habet, quē inseparabiliter comitantur contentiones; nullatenus admitendus est ad magisterium, aut pastorale munus nequissimus, & impiissimus inuidus.

§. II.

Inuidia acerbissimum tormentum est inuidi.

Sed non omittendum hoc loco, inuidentiam, & liuorem, zelum amarum appellari; amarissimum enim hoc vitium est iis, qui eo laborant, Ep. Iud. quod videtur dixisse Iudas Apostolus: *Væ, qui in via Cain abierunt.* Et notauit Chrysost. hom. 46. in Genes. loquens de Saüle irato ob cantatrices, quæ de- 1. Reg. 18. cem millia dederunt Dauidi. Huius affectionis malitia primum corrumpit Cain, à quo generatur; sicut enim vermis, qui à ligno producitur, lignum primò corrumpit, & consumit; ita & inuidia illam primò animam corrumpit, à qua nata est. Quibus habet similia Basil. loco cit. Et Greg. lib. 5. Moral. c. 31. Non omittendus Cyprian. lib. de Zelo & Liuore, vbi ita elegāter prosequitur: Qualis verò est animæ tinea, quæ cogitationum tabes, pectoris quanta rubigo zelare (*i. inuidere*) in altero, vel virtutem eius, vel felicitatem odisse in eo, vel merita propria, vel beneficia diuina, in malum proprium bona aliena conuertere, aliorum gloriam, facere suam pœnā? nullius magis, quàm tuæ salutis inimicus, hostis semper in pectore tuo est, pernicies intus

intus inclusa, calamitas sine remedio, &c. Prosequitur idem argumentum Bern. Serm. de Conuersione ad Cleric. c. 12. August. Serm. 83. de Tempore. Prosper lib. 3. de viriis, & virtutib.

Hoc etiam ostendit Chrysolog. Serm. 172. vbi ita habet: Omnia quidem vitia ad suorum semper intendunt, & prosiliunt læsionem, sed suos semper ampliùs inuidia consumit, inuidia suorum carnifex semper extitit, extendit sensus, torquet animos, discruciat mẽtes, corda corrumpit, & quid plura? hanc qui receperit, sua sustinet sine fine supplicia, quia in se domesticum semper diligit habere tortorem. Quis ibi malorum finis, vbi alterius bonum, pœna est? vbi cruciatus, aliena felicitas? Malũ multiplex: quot sunt prosperitates hominum, tot tormenta sunt inuidorum.

NOTANDVM vtique hoc loco venit, quòd loquens Christus Dom. cum inuidis Iudæis, & tormenta inferni minitans, ea non assignat solummodò, sed modum patiendi præscribit, dicens: *Ibi erit fletus, & stridor dentium: cùm videritis Abraham, Isaac, & Iacob, & omnes Prophetas in regno Dei, vos autem expelli foras. Et venient ab Oriente, & Occidente, & Aquilone, & Austro, & accumbent in regno Dei.* Quorsum igitur hæc futura enarrat, & non potiùs æternum flãmarum ardorẽ, & summum ab igni illatum dolorem proponit, aut carentiã diuinæ visionis, quod extremum malorũ est? Respõdet eo in loco Caiet. Ad cumulũ demũ pœnæ adiicitur salus futura omniũ nationũ mundi. Nihil enim sic inuidum torquet, & discruciat, quàm si aliorũ felicitatem videat. *Luc. 13.*

PROBAT hoc locus ille Psal. vbi dicitur; *Intrauit Israel in Ægyptum, auxit Deus populum suum vehementer, & conuertit cor eorum, vt odirent eum*: Non quidem infundendo maleuolentiam, & odium, vt ibi rectè aduertit Geneb. neque ad malum incitando, & commouendo, sed multiplicando, & fœcundando eam gentem, vt cùm initio descẽsus vix essent septuaginta, post elapsos quadringentos annos, vel etiam iuxta aliorum computationem, ducentos decem, sexcenta armatorum millia explerent, & totidem paruulos, & mulieres secum in terram Chanaan ducerent; ornandò, benefaciendóque populo illi, cui Ægyptij inuidebãt. Vnde Aug. eo in loco ait; In eo quod populum suum multiplicauit, hoc beneficio suo malos ad inuidẽtiam conuertit: vnde eos velut inimicos persequuntur, quasi ab iis plurima patiantur mala, dum solùm in eis bona considerant. *Ps. 104.*

HÆC est ratio, cur dixit Nazianz. optimè Orat. 27. Solus ex omnibus affectibus iniquissimus simul, & æquissimus, inuida est. Iniquissimus, quia bonis omnibus aduersus est, æquissimus, quia dominos suos exest, & conficit, dum eos, quibus inuident, clariores reddit, &c. Quod ponderat Chrysost. tom. 1. hom. 1. in Ps. 50. vbi ostendit inuidentiæ proprium esse, inuisos illustriores reddere; quod etiam prosequitur homil. 8. in epist. ad Rom. vbi hoc probat in Abele, & Caino, quorum iste illum interfecit, sperans fore, vt illũ à dilectione Dei deturbaret, sed lõgè aliter euenit; quia Deus qui viuum diligebat Abelem, mortuum requirit, vt diligat. Plus autem est quærere aliquem diligendũ, quàm inuentum & probatũ diligere. Non inuidia, inquit Chrys. amorem extinxisti, sed magis accendisti, nec magis abscõdisti.

opera iusta cùm necasti, imò magis eadem iusta esse ostendisti.

Hoc ipsum videre est apud Plut. in vita Publicolæ strenuissimi Romanorum ducis, qui deuicta, ac triumphata Hetruria domum forsan altiorem præter Romanorum morem ædificauerat; certior verò factus, quòd ea domus populo inuisa esset, cùm ex ea, quasi ex regali domo, regio comitatu descenderet, inuidiæ populi cedens, noctu eam dirui iussit; statim verò vt dies illuxit, domus speciem Romani desiderare cœperunt, viri magnitudinem admirati. Et cùm ob inuidiam dirutam esse nouissent, excelsiorem illustrioremque domum publicis stipendiis ei construxerunt, atque ita quæ per inuidiam destructa est; per eandem clarior reddita, & celebrior facta est. Voluit enim iustissimus Dominus, vt iniquissimum inuidiæ vitium hac in re æquissimum esset, dum in maius, & acerbius sui supplicium clariores, & illustriores reddit, quos ignobiliores, & obscuriores facere conatur. Vnde Theologi in 4. sētēt. dist. 45. & in 1. p. q. 64. art. 4. ostēdunt, nō paucos dæmonū in hac aëris regione cruciari, vt inter iustos, qui in cœlo Deo fruūtur, & qui in via ad cœlū viuūt, vtrisq; inuideāt, & inuidēdo torqueantur. Qua de re multa eleganter habet Bern. Serm. 54. in Cant.

Cvmqve hoc vitium tam amarum sit, inde est, vt bona quæ dulcissima sunt, non possit amaro ore ac lingua attingere. Ideò inuidi Iudæi nequeunt proferre dulcissimum Iesu nomen præ liuore, sed dicunt; *Comminemur eis, ne vltrà loquantur in nomine hoc.* Indigni profectò inuidi, qui exprimant suauissimum nomen, quod nemo exprimit eo quo decet animo, nisi in Spiritu sancto, vt ait Paulus. Notauit eleganter in hanc sententiam Oecum. quòd cùm Petrus in nomine Iesu Christi claudū sanauit, postea comprehensum simul cum Ioanne, *statuentes eos in medio interrogabant. In qua virtute, aut in quo nomine fecistis hoc vos?* Vide, ait Oecumen. quàm subdolè interrogēt; malebant enim Apostolos fateri suum esse opus, quàm potentiæ Christi. Et aduerte, quòd neque nominare volebant claudi sanitatē. Neque enim dicunt, quidnam sit; sed *fecistis hoc*: celebre vtique, & memoria, & commendatione dignum erat miraculum factum, sed non capit amarulentum os, plenū liuore, & amaro zelo, ea quæ dulcia & optima sunt, sed perpetua amaritudine vrget, & in animo, & in ore inuido. Notauit Rupertus id, quod dicitur Gen. 37. *Oderant eum, nec poterant ei quidquam pacificè loqui.* Quando, inquit Rupert. virus animi lingua dissimulare non potest, quod hi viri inuidi nequeunt à contumeliis abstinere.

1. Cor. 12.

Act. 3.

Ostendit hoc optimus ille locus, quem notauit Caiet. post D. Chrysost. & Theophyl. cùm Christus Dom. paralyticum sanum fecit, insuperque iussit tollere grabbatum, & abire, cui Iudæi dixerunt; *Sabbathum est, non licet tibi tollere grabbatū; ille verò respondit; Qui me sanum fecit, ille mihi dixit, tolle grabbatum tuum.* Iterum verò Iudæi: *Quis est homo ille qui tibi dixit, tolle grabbatum tuum, & ambula?* Vbi illicò notandum venit, cur Iudæi hominem iuxta datam responsionem non interrogant, cùm enim ipse dixerit; *Qui me sanum fecit, dixit mihi, tolle grabbatum tuum*; deberent potiùs Iudæi interrogare, quis est qui te sanum fecit, & simul iussit tollere grabbatum? at verò ipsi omittunt

sanita

ſanitatem collatam, quæ laudẽ videbatur mereri; & violationem præcepti de cuſtodiendo Sabbatho, vt putabant, proferunt: cuius rei rationem reddit optimè Caiet. Non interrogant, inquit, quis eſt ille homo, qui te ſanũ fecit, ſed tantummodò, quis eſt ille homo, qui dixit tibi, tolle grabbatum tuum: inuidorum etenim lingua bona nullatenus profari poteſt, neque ea ipſorum os capit, mala illicò profert, proinde ſanitatem omittunt, & ſolam quam putant legis transgreſſionem, obiiciunt. Quod dixit Ouidius 2. Metamorph.

Pectora felle virent, lingua eſt ſuffuſa veneno.

NEQVE ſolùm os, animúmue amarum habet inuidus, ſed aures etiam, & oculos. Receperat verus pater perditum filium, & quem priùs induerat, & operuerat brachiis, veſte poſtea contexit, annulo donauit, ſummáque *Luc. 15.* lætitia, lauto conuiuio, & totius domus triumpho exceperat. Cùm verò rediret de agro ſenior filius, & appropinquaret domui, vt audiuit ſymphoniam, & choros, nolebat introire. Rationem, cur introitum paternæ domus quem alius de longinquo quæſierat, hic recuſaret, reddit Chryſolog. Serm. 4. Inuidum fugat ſymphonia pietatis, chorus charitatis excludit, & quem venire ad fratrem, & appropinquare domui vocat ratio naturæ, hunc peruenire zelus non ſinit, liuor non patitur introire. Habet etenim amaras aures ſicut Saül, qui laudes Dauid minimè patiebatur. Qua de re videndus Chryſoſt. homil. 7. in epiſt. ad Rom. & Plut. lib. de auditione.

AMAROS inſuper habet oculos, quia ſicut dixit Bern. Ser. 3. in Pſalm. *Qui habitat.* Quid inuidere, niſi malum videre eſt? Noſſe cupis Baſiliſcum, venenum in oculo gerit, peſſimum animal oculum venenatum. Noſſe cupis nequam, faſcinantem inuidiam cogitato. Probat hoc quod Achis dixit Dauid. 1. Regum 29. *Viuit Dominus, quia rectus es tu, & bonus in conſpectu meo, & non inueni in te quidquam mali ex die qua veniſti ad me; ſed Satrapis non places: reuertere ergo, & vade in pace, & non offendas oculos Satraparum Philiſtim*; veneno ſcilicet inuidiæ infectos.

Hoc etiam proſequitur D. Chryſoſt. homil. 52. in Gen. cùm ponderat, Cain inuidiæ cauſã fuiſſe, quòd fratris dona plus Deo placuiſſent, & in fratribus Ioſeph, vidiſſe, quòd à patre plus diligeretur. Et D. Thomas ponderat, pulchritudini Ioſeph ſtatim additam fuiſſe fratrum inuidiam, & per- *Gen. 49.* ſequutionem. Namque, vt dixit Scriptura; *Filius accreſcẽs Ioſeph, & decorus aſpectu;* illicò addidit: *Inuiderúntque illi habentes iacula.* Ipſam enim pulchritudinem Ioſeph impetebant ſagittis liuidi fratrum oculi. Vnde Oleaſt. notauit, quòd Dominus ad Abraham dixit, poſtquam ab eo diuiſus eſt Lot. *Leua* *Gen. 13.* *oculos tuos in directum, & inde à loco, in quo nunc es, ad Aquilonem, & Meridiem, ad Orientem, & Occidentem, omnem terram, quam conſpicis, tibi dabo,* &c. Reddens ergo Oleaſt. rationem, cur priùs voluerit Deus, Lot receſſiſſe. Quia, inquit, Dominus inuidiã, aut odium nepotis timuit ipſi Abrahæ. Quod etiam notauit in eo, quòd Deus nube voluerit obducere Moyſen, dum in monte Sinai, veluti cũ amico os ad os loquebatur. Noluit, inquit Oleaſt. Deus popu- *Exod. 24.* lũ videre, quã familiaris illi ſeruus eſſet Moyſes, ne inuidia torqueretur, &

alios inuidia permotos in eum preuocaret.

Notavit in hanc sententiam Chrysost. hom. 52. in Gen. id, quod contigit Isaac cùm esset in Geraris, & proficiens, atque succrescens locupletaretur, ob hócque inuidentes ei Palæstini, obstruxerunt illi puteos, ipsíque Abimelech dixit: *Recede à nobis, quoniam potentior factus es nobis valdè.* Ait ergo Chrysost. Cuius gratiâ abigis iustum? num aliqua tibi in re nocuit, num iniuriam intulit? Abi à nobis, quoniam potentior factus es; ita agere solet inuidentia; non potest benigniter videre aliorum felicitatem, sed suam putat infelicitatem. Et Chrysolog. Serm. 4. de duobus filiis. O zeli tumor, duos non capit domus ampla germanos! Et quid mirum fratres? fecit inuidia, vt mundi tota duobus esset angusta fratribus latitudo. Nam ipsa Cain iunioris erexit in mortem, vt esse solum zeli liuor faceret, quem primum fecerat lex naturæ.

Eccl. c. 4. Vnde iam licet cernere, quanta cum ratione Salomon dixerit: *Contemplatus sum omnes industrias patere inuidia proximi.* Hebr. habetur; *omnem rectitudinem operis:* vbicumque enim inuidus aliquid boni conspicit, statim illud venenato, & amarulento oculo nititur inficere, ac perdere. Ideóque olim fortunam inuidia fingebant colligatam, quod dixit Statius:

——— Quisnam impacata consanguinitate ligauit
Fortunam, inuidiámque Deus? ———

Et Philo lib. de Ioseph. inuidiam magnarum felicitatum perpetuam aduersariam vocauit.

Qvod si amarus oculus inuidiæ non potest inficere id, quod videt, alteri perdendum tradit, quod nouum amarulentiæ genus videtur esse, cùm sit
1 Re. 16 antiquum. *Dixit Saül ad seruos suos: Prouidete mihi aliquem bene psallentem, & adducite eum ad me. Et respondens vnus de pueris ait. Ecce vidi filium Isai Bethlehemitidem scientem psallere, & fortissimum robore, & virum bellicosum, & prudentem in verbis, & virum pulchrum, & Dominus est cum eo.* Videri, vt rectè hucusque viderat, perspicit oculus plura distincta, claráque bona. Audiamus nunc Rupertum lib. 2. in lib. Reg. cap. 1. Puer ille, qui hoc respondit Saül, Doëch Idumæus fuisse perhibetur inimicus Dauid, & omnia quæ de Dauid, in laudem dixisse videtur, in odium eius dixisse dicitur, quia volebat inimicitiæ causâ, & inuidiæ liuore, vt ad Saül veniret, quatenus ibi qualibet occasione necaretur. Idem dicunt ibi Hebræi, vt patet per Lyranum.

Et cùm Dauid ad Regem Geth diuertisset, serui Regis magnis celebra-
1. Reg. 21 runt laudibus Dauidem. *Nónne iste est Dauid Rex terræ? Nónne huic cantabant per choros dicentes: Percussit Saül mille, & Dauid decem millia?* Vbi Lyranus aduertit, propterea inuidos homines hæc dixisse, vt Achis Rex eum detineret, & occideret, quia inuidus erat Rex. Ideóque & addit sacer Textus. *Timuit Dauid valdè à facie Regis Achis:* quia inuidus non potest bona videre, quin statim perdere conetur; quòd si per se nequit id efficere, alteri committit.

§. III.

§. III.

Proponitur crudelitas inuidiæ.

NISI fortassis ea sit ratio, cur inuidia dicatur amarus zelus, quòd præ cæteris amaritudinem propinet, venenúmque inferat iis, quibus inuidet: quo sensu meritò Iacobus dixit de Iosepho. *Fera pessima deuorauit eum, bestia comedit illum*; imò feris sæuior inuidentia, sicut dixit Chrysost. hom. 37. in Ioan. Feris sæuiores inuidi, dæmonibus pares, fortassè iniquiores: quia illi suo generi minimè insidiantur. Prosequitur hoc argumentum D. Hieron. epist. ad Eustochium de obitu Paulæ, vbi reddit rationem, cur Iacob in Mesopotamiam fugerit, & Dauid ad Achis, malens vterque, inquit Hieron. hostibus, quàm inuidis subiacere. Gen. 37. Gen. 28. 1. Re. 28.

IDQVE ampliùs ostendit inuidiæ amarulentiam, & crudelitatem, quòd cùm cætera mala finem aliquem tandem, & terminum habeant, inuidia tamen eo caret. Quod prosequitur Cypr. lib. de Zelo & Liuore, dicens: Mala cætera habent terminum, & quodcumque delinquitur, delicti consummatione finitur: quod ipse latè ostendit, tandémque concludit zelus terminum non habet, permanens iugiter malum, & sine fine peccatum.

ET quia irrationale, crudele, & immane vitium est, ea, quæ rationi maximè consona sunt, detestatur, & abhorret. Humanum vtique & rationabile est, gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Vnde & Iob. *Si non ingemui, cùm viderem homines in necessitate.* Hanc verò humanitatem crudelis fera abhorret, inuersóque ordine, ac peruerso modo flet cum gaudentibus, dum ad eorum prosperitatem lacrymatur, & visa eorum lætitia tristatur: gaudet verò cum flentibus, quia sola gaudere vult, nullíque alteri bonum aliquod exoptat. quod prosequitur Chrysost. homil. 41. in Matth.

ET cùm tam aduersetur rationi hoc vitiũ, in hoc solùm rationabile apparet, adhuc tamen irrationabiliter; cætera namque vitia excusationes, occasionésque prætendunt, licèt frigidas, & iniquas; inuidia verò nullam omnino, nisi intensam malitiam, & odium totius boni. Qua de re videndus Basil. in aliquot Scripturæ locas. Et Demosthenes ad Leptinem.

POST insignem victoriam quam Abraham de quatuore Rgibus reportauit, *factus est sermo Domini ad eum dicens: Noli timere Abraham, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis*; quo in loco D. Hier. ex Hebræo legit, *Ego scutum, siue clypeus circa te.* Mirabitur iure optimo quis, dum videt scutum Abrahæ post victoriam porrigi, & clypeum post vulnera; si scuta deuictorum hostium essent, & clypei eorum quos superauerat poterant inseruire triumpho: at verò in protectionem illud scutum concedebatur. *Ego protector tuus sum*; & meritò quidem: statim namque additur; *& merces tua magna nimis:* etenim magna à Deo promissa bona, & Dei adiutoria parta victoria exposita erant oculis, ori, manibus, crudelitati denique inuidiæ: meritò proinde illi datur scutum, quo ab inuidia protegi, imò & abscondi possit, ne vel videretur, vel destrueretur. Gen. 15.

§. IV.

Non debent admitti in magistro, & Pastore Ecclesiastico contentiones ex inuidia.

SECVNDVM quod Iacobus in vero magistro, & Pastore Ecclesiastico respuit, est, quòd contentiones habeat, quæ ex inuidia nascuntur, quæque in sapiente homine nullatenus reperiri debent; sicut conuincit argumentum Plinij Iunioris lib. 6. epist. 17. ad Restitutum, vbi ita habet. *Disertior ipse es? tanto magis ne inuideris, nam qui inuidet, minor est.* Denique siue plus, siue minus, siue idem præstas, lauda, vel inferiorem, vel superiorem, vel parem. Superiorem, quia nisi laudandus ille est, non potes ipse laudari: inferiorem, aut parem, quia pertinet ad tuam gloriam quàm maximum videri, quem excedis, vel exæquas. Et sic à vero sapiente, veróque magistro contentiones inuidiæ ablegandæ sunt, quæ ad paruulos tantùm pertinent: Vnde in
1. Mac 8. Scriptura dicitur, apud Romanos, neque inuidiam, neque zelum fuisse. Aduertit autem ibi Lyranus, postea decrescentibus eorum animis, inuidiam excreuisse.

INDIGNE tulit puer quidam, quòd alij præter Moysen prophetarent in castris, & audito hoc, *Iosue minister Moysi, & electus è pluribus ait: Domine mi*
Num. 11. *Moyses prohibe eos. Cui ille. Quid æmularis pro me? quis tribuat, vt omnis populus prophetet, & det eis Dominus spiritum suum?* Vide vt nulla inuidia magistrum, & Pastorem illius populi tetigit. Quod etiam prosequitur Irenæ. lib. 3. cap. 14. in Apostolis; vbi ostendit, simpliciter, & nemini inuidentes quæ didicerant ipsi à Domino, omnibus tradidisse, necnon & Lucam quæ didicerat ab ipsis Apostolis.

Ex eo verò reiicienda est à Pastore Ecclesiastico inuidia, quatenus vnitati aduersatur, & contentiones secum portare solet: debent enim in primis curare vnitatem inter se, & inter subditos, ac discipulos. Pro qua sententia
Cant. 4. facit ille locus Cantic. *Vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum*, id est, in vnitate fidei, & consensu Doctorum tuorum, vt explicant Honorius, Philo, & Angelomus. Oculi enim Ecclesiæ sponsæ Christi, magistri & Prælati sunt;
Ezech. 1. vnde currus ille ostensus Prophetæ plenus oculis describitur; quia & Ecclesia plena debet esse magistris, & Doctoribus, qui ad instar oculorum ita debent esse vnanimes, vt quò vnus se verterit, & alter per charitatem abeat & deuoluatur, idémque sentiant, doceant, & prædicent. Vnde Paulus dice-
1. Cor. 1 bat: *Obsecro vos fratres, vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata.* Et Chry. hom. 8. in priorē epist. ad Cor. explicās ea verba c. 2. *Dei agricultura estis; Dei ædificatio estis*; dicit: Si ædificatio estis, non oportet dissipari, siquidem non esset ædificium; si cultura estis, separari non opus est: proinde ab ædificio, & agricultura Dei longè latéque omnis inuidia, & amarulentia iniqui zeli debet exulare.

Exod. 28. NEQVE solùm in doctrina tradenda vnitatem debet seruare magister; sed etiam inter ipsos fideles maximè curare, & prætendere: propterea

ea enim ſummus Sacerdos malogranata in veſte appenſa deferbat,quia hic fructus, vt ait Hierony. in epiſt. ad Fabiolam, ſignificat vnionem fidelium in Eccleſia, quæ omnem turbam credentium ſuo cortice tegit, iuxta illud: *Multitudinis credentium cor erat vnum,& anima vna*; ſicque diuiſi ſunt gradus, vt omnes eadem compage teneantur. Quam expoſitionem affert etiam Gregor.lib.1.Regiſtri epiſt.24.& 2.p.Paſtoral. c.4. *Act.4.*

HANC igitur vnionem debet conſeruare Pontifex ac magiſter Eccleſiaſticus, ſecúmque quoad vixerit,portare. Pro quo etiam facit idem Hieron. cap.1.Prouerb.ad ea verba.*Sapientiam,& diſciplinam ſtulti deſpiciunt. Audi fili mi diſciplinam patris*; vbi ſapientem ſingulari numero,ſtultos verò in plurali deſcribit, non ſolùm quia ſtulti plures ſunt ſapientibus, ſed quia ſapientum cœtus omnis vniformitatem ſeruat, quaſi proprium ſapientium ſit offificium vnitatem ſeruare, & contentiones, ac ſciſſuras non admittere. *Prou.1.*

IN quam ſẽtẽtiam notauit Aug.Serm.166.de Tempore,verba illa:*Domine dic fratri meo,vt diuidat mecum hæreditatem*; cui reſpondit Chriſtus Dominus. *Homo quis me conſtituit diuiſorem inter vos?*Non venit,inquit Aug. diuidere, ſed vnire.Videte ergo quàm mali ſunt homines qui volunt eſſe diuiſi, cùm Chriſtus (Dei ſcilicet ſapientia) noluerit eſſe diuiſor, imò hac in re docuit,vt quicumque ipſum vellet imitari,vnitatis amator,& conſeruator eſſet.Quod etiam proſequitur Chryſoſt.Serm.14.in epiſt.ad Epheſ.vbi ait. Cùm cuique fidelium competat quamlibet ſciſſuram, & contentionem vitare, cùm nobis Deus pacem & vnionem toties commendauerit, multò magis ſpectat ad maiores,ac proceres Eccleſiæ huic rei incumbere. *Luc 12.*

ILLVDQVE ad calcem huius annotationis addendum eſt:huiuſmodi contentiones interdum etiam reperiri ex vitio diſcipulorum,qui non imitantur virgines ſodales ſponſæ, quæ ad ipſius introductionem dixerunt, ſicut vult Origen. Theodoret.Bern.& alij. *Exultabimus, & lætabitur in te.* vbi Theodoret. Non obtrectant,inquit,non æmulantur, non inuident adoleſcentulæ dum foris manent,nec in thalamo admittuntur, præclaréque ſecum agi putant,quòd iucundiſſima ipſius voce perfruantur.Et Ber.Ser.23. Exultabimus, & lætabimur in te ô Regina, ô Mater. Nam in nobis necdum meremur; & æquanimiter ſuſtinemus, dum venies,ſcientes te plenã ad nos reuerſuram vberibus;à quibus pariter,& dulciter diuinam doctrinam participatam hauriemus.

§. V.

Ineptus eſt ad beatitudinem homo inuidus.

MONET autẽ eos qui amarum zelum habent,ne glorientur : quod ſecundùm D.Tomæ,& Carthuſiani explicationẽ, ſignificat,ne velint gloriam ſperare cœleſtem, idque meritò. Namque ille qui inuidentia laborat; ineptus eſt ad beatitudinem, & incapax futuræ gloriæ, cùm paruulum

paruulum animum habeat. Etenim, sicut inter alios notauit Guarricus Ser. 5. de Purificatione, hac peste nullus moritur, nisi qui terrena hæc appetit, quæ tota non veniunt pluribus. Vnde si quæ desiderat, illi inuidet qui penitus ea accepit, vel illi qui partem habendo, quantitatē ei restringit. At verò bonum cœleste, quod est obiectum beatitudinis, totum omnibus communicatur, licèt non totaliter, suáque beatitudine quilibet in patria contentus est, vt alteri minimè inuideat. Vnde Ber. epist. 103. Quænam verò inuidiæ causa potest esse, vbi sortium magnitudini consortium multitudo nihil detrahit?

IMO si rem subtiliùs rimari velimus, inueniemus tantùm abesse à beatis inuidiam & zelum amarum, vt vnus beatus plus gaudeat de beatitudine alterius, quàm ille alter de sua propria gaudeat, & lætetur beatitudine. Rem si attendas, facilè ex Theologia tibi ostendo: etenim perfectiones accidentariæ, quæ ex natura rei beatitudinem consequuntur, dantur iuxta mensuram etiam beatitudinis. Vnde fit, vt magis beatus plus gaudij habeat de sua beatitudine, quàm minùs beatus habeat de propria; quinimò & beatior intensiùs gaudebit, & lætabitur de beatitudine alterius, quàm ille alter de sua propria; quia gaudium beatioris semper est maius. Vnde rectè infertur, singulos beatos non solùm gaudere de proprio bono, & de bonis aliorum, vt docet Aug. tract. 67. in Ioan. & D. Greg. 4. Mor. c. 42. sed etiam vnum beatum plus gaudere de bono alterius, quàm ille gaudeat, qui possidet tale bonum.

QVI ergo fieri potest, vt gloria afficiatur in cœlo, qui amarum zelum habet in terra, & vt in Deo complaceat, cui præ inuidia non placet frater, & adhæreat Deo per summum amorem in gloria, qui diuisus est à fratre per inuidiam? Nam sicut dixit B. Dorotheus doctrina 6. Studeat vnusquisque pro virili parte cohærere proximo suo: quo enim magis proximo in amore, & beneuolentia cohæserit, eo ampliùs & Deo cohærebit. Et Bern. Ser. 17. in Cantic. eam asserit fuisse rationem, quare Deus ad Cain, & ad munera eius non respexerit, quia scilicet non rectè cum fratre ambulabat, illi inuidebat, & iniquè diuidebat, quatenus ab eo diuisus erat. Quia verò contraria contrariis curari solent, D. Greg. 5. Moral. c. 31. admonet, vt qui liuoris peste plenè carere desiderat, illam hæreditatem diligat, qua cohæredum numerus non angustatur, quæ omnibus vna est, & singulis tota, quæ tanto longior esse ostenditur, quanto ad hanc percipientium multitudo dilatatur.

§. IV.

Inuidiæ bellum periculosum cur sit.

NEQVE verò illud etiam omittendum, voluisse Iacobum hoc in loco assignare ea mala, quæ plerumque liuorum inuidiæ comitantur, vt sunt contentiones, & mendacia contra apertam & manifestam veritatem. Hoc autem ex eo prouenit, quia cùm inuidus oppugnet, & persequatur id

quod

quod à parte rei bonum est, & amabile, inde fit, vt necesse habeat per mendacium aliquem defectum bono quod persequitur, imponere, quo tandem excusabilis ea malitia appareat.

MIRABITVR fortassis quis, si consideret acutissimum cõsilium Achitophelis ad Absalon, dum illi dixit. *Ingredere ad concubinas patris tui, quas dimisit ad custodiendam domum, vt cùm audierit omnis Israël, quòd fœdaueris patrem tuum, roborentur manus omnium qui tecum sint.* Cuius consilij vim rectè explicat Brixian. dicens: Si illam publicam confusionem feceris patri tuo, nemo non sciet tibi implacabilem esse cum patre tuo simultatem, alioqui nisi tale quid feceris, cogitabunt filij Israël te propediem in gratiam Regis venturum, & eos qui huius conspirationis sunt authores, & fautores pœnam daturos. Nihil equidem subtilius, nihil conducibilius Absaloni, eiusque rebellioni potuit proponi, sed sic solet inuidia proprium propinare venenum, sic malignitatem suam inculcare. Etenim, sicut notauit idem Brixia. hoc cõsilium dederat Achitophel Absaloni, quòd parum faueret ipsi Dauidi, imò inuideret ob stuprum quod intulerat Bersabe, cuius ipse auus erat. 1. Reg. 16.

REM magis aperit inuidus Saül, qui præ liuore tentauit configere Dauid cum pariete, cúmque vulnus declinasset Dauid, alia via tentauit eum morti tradere, ideóque illi dixit. *Ecce filia mea maior Merob, ipsam dabo tibi vxorem, tantummodo esto vir fortis, & præliare bella Domini*; cùm tamen illi solùm in animo esset interitus, ac perditio Dauidis. Addit enim statim sacer Textus; 1. Reg. 18 *Saül autem reputabat, dicens: non sit manus mea in eo, sed sit super eum manus Philistinorum* Et ita iniustam necem in bellum Domini commutauit. Vnde D. Chrysost. homil. 53. ad Pop. Inuidere, inquit, peius est, quàm bellum inferre; qui enim bellum infert, soluta causa propter quam bellum gerebatur, inimicitiam quoque dissoluit; inuidus autem nunquam efficitur amicus, & ille quidem apertam ostendit pugnam; hic autem obumbratam, ille quidem legitimam habet, quam dicat impugnandi causam plerumque; hic autem nihil præter inuidiam. Vnde fingat necesse est, vt mentiatur causam impugnandi, & persequendi.

SED certè mendaces sunt contra veritatem, ipsámque persequuntur, & bonum odio habent, contra naturam bonitatis, & veritatis. Quis enim veritatem pulcherrimam poterit odio habere, nisi cæca inuidia? Lætus enim, & speciosus vultus veritatis, sicut dixit Clem. Alexand. Orat. ad Gen. & Philo. lib. de officio Iudicis. Quid in vita tam pulchrum, quàm veritas, quam sapientissimus Moyses in stola summi Sacerdotis sacerrimo in loco propter pectus, vbi pars animi est, quæ præcipuum obtinet, collocauit, eo cõsilio vt illam monimento omnium pulcherrimo, præstantissimóq; exornaret? Et Plato lib. 5. de legibus. Veritas res diuina, omniúmque bonorum, & Diis, & hominibus causa est, quæ etiam sine alieno suffragio facilè se ad omnium conscientiam acoommodat, sicut dixit Guarricus Ser. 3. de Sancto Benedicto. Vnde qui illam respuit, contra propriam conscientiam, vt mendax, nititur, qui illam impugnat, & persequitur velut inimicam; menda-

citer illi aliquam falsam notam debet inurere, & peregrinum nomen imponere, quo propriam malitiam aliqua ex parte possit occultare.

Qvis igitur nos liberabit ab inimico veritatis, ab occulto in insidiis hoste, nisi solus Deus, qui suis fit scutum bonæ voluntatis, quo igneos inuidiæ ictus possimus excipere, & vitare? Ostēdit hoc sacra Scriptura, quando reuertēti ex bello Abrahamo, victoríque quatuor deuictis Regibus ap-
Gen 15. paruit, & dixit. *Ego protector tuus sum, & merces tua magnu nimis.* vbi D. Hieron. & Caiet. ex Hebr. *Ego scutum*, seu, *clypeus circa te.* Quid ergo reuertenti de cæde clypeus offertur, & post inflicta vulnera, ictuúmque petitionem, scutum tribuitur, quando opus erat triumphali curru, non protegente, aut defendente clypeo? Sed certè voluit Deus indicare probum, iustum, felicémque in successibus virum propositum multorum inuidiæ esse, indigeréque diuino protegente clypeo, qui solus Deus est, quique sic inuidiam odit, vt inde Apostolus dicat ablegandam inuidiam, & amarum zelum.

§. VII.

Contra inimicos veritatis.

Sed proh dolor! nihil iam in vita certius, ac frequentius, quàm mendaces impugnatores veritatis: eo namque infelicitas nostrorum temporum deuenit, vt quodcumque homines amant, id tantùm pro veritate ha-
Ioan 8. beāt. Quod dixit Aug. lib. 10. Confes. c. 23. Quicumque, inquit, aliud amāt, volunt esse veritatem, & quicquid aliud est, vt mendacium mendaces ipsi persequuntur, imò nihil magis oderunt, quàm veritatem: ideóque ea die, qua Christus dixit se veritatem loqui, eadem tulerunt lapides, vt iacerent in eum. Et hoc sensu videtur Sponsa reddidisse rationem, quare Diuinus Sponsus Christus fuerit occisus, cùm tamen talis esset, qualem ipsa dilectum describit, & in eo nihil omnino desideraretur, quod amorem posset
Cant. 5. excitare; addit enim, *Labia eius distillantia myrrham primam.* Myrrha enim symbolum veritatis est, & propter virtutē, quam habet præseruandi à corruptione: & propter amaritudinem, quæ duo veritati maximè conueniunt. Non mirum igitur, quòd tulerint homines lapides, vt iacerent in Christum, quandoquidem ipse veritas erat, & veritatem loquebatur.

Gen. 20. Hæc est ratio, cur Isaac vsus simulatione ob imminens vitæ periculum dixerit, Rebeccam non vxorem, sed sororem suam esse, licèt alioqui ea in re non fuerit mentitus: sicut etiam neque pater Abraham. Non enim negauit esse vxorem, sed tacuit, & quæ cognata sibi erat, sororem moræ suæ
Gen. 26. gētis verè appellauit. Dixit igitur Regi Abimelecho. *Timui ne morerer.* Mortem namque timere debet quisquis veritatem palàm loquitur, & tot sunt persequutores veritatis, vt qui securè voluerit viuere, mendaciis, aut simulationibus vtatur, necesse sit. Et cum Achab eos, qui veritatem dicunt, ferè mundus persequitur, libentérque tantùm audit Prophetas mendaces, in quibus spiritus mendacij reperitur.

HINC

Hinc est, quòd cùm Christus Dominus dixisset Pilato: *Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati*; Pilatus cui veritas displicebat, veritatis nomine audito, exiuit iterum ad Iudæos: quem exitum eleganter explicat Ber. Ser. in illud Prouerb. *Beatus, qui inuenit sapientiam.* Reuerberata acie protinus resiliuit, & responsum non sustinendo, protinus egressus est; sic ei displicuit veritas. Nec mirum si eandem è medio sustulit, qui tam citò eam aufugit. Miseri profectò homines, qui pulcherrimam veritatem amaræ, & rugosæ frõtis inueniunt, sicut dixit Hierony. aduersùs Pelag. contra quos audiendus est Iacobus, dum ait: *Nolite mendaces esse aduersùs veritatem.* Ioan. 18. Prou. 3.

§. VIII.

Impugnatores veritatis eam magis illustrant.

Monet etiã Apostolus ne falsi magistri velint esse mẽdaces aduersùs veritatem, tum quia proprium est sapientis veritatem inquirere, sicut latè prosequitur Lactant. Firmian. lib. 1. Diuin. Instit. in præfat. Vnde Tullius lib. 1. de natura Deorum, in principio ait: *Quid tam temerariũ, tanquam dignum sapientis veritate, atque constantia, quàm aut falsum sentire, aut quod non satis exploratè perceptũ sit, & cognitum, sine vlla dubitatione defendere? Quomodo enim docebit veritatem, qui contra eam mendax est.*

Teophrastvs Chius, vt ait Ælianus de varia historia, venit legatus Lacedæmoniam, vir alioqui iactator & lasciuus, vt qui senectutem dissimulans, canos infecerat. Archidamus igitur surgens in Senatu: Quid, inquit, veri hic dicet, qui etiam capillos mentitur? Tum etiam hoc admonet Apostolus, quia qui mendax est contra veritatem, nihil aliud facit, quàm eam puriorem, pulchriorémque reddere. Nam, sicut dixit Tertull. lib. contra Valentinianũ, nihil veritas erubescit, nisi abscõdi. Quod etiam dixit Hierony. epist. ad Rusticum de viuendi forma, vbi ait: Veritas angulos non quærit, proindéque cedit in dignitatem veritatis, si apertè ei bellum inferatur.

In hanc sententiam est optimus locus ille Iob. *Quare detraxistis sermonibus veritatis?* vbi omnes fere Hebraizantes cum Hebræis legunt: *Quàm fortes sunt sermones recti?* quasi diceret: fortis est veritas, facilè concludũt quæ vera sunt. Additúrque apud Iob. *Cum è vobis nullus sit, qui possit arguere me.* Quod Chrysost. exponit; Neque vestras ego refutationes formido; nam veritas animum confirmat, cùm falsitas imbecillis, timidáque sit. Quibus habet similia idem Chrysost. hom. 3. cùm ait: Talis est conditio falsitatis, vel erroris, vt etiã nullo sibi assistente cõsenescat, ac defluat. Talis autẽ è diuerso veritatis status, vt etiã multis impugnantibus suscitetur atq; accrescat. Iob. 6.

Hoc ipsum ostendit locus ille Psalmi, vbi Dauid ait: *Dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus*; verti potest ex Hebræo, imò & Pagninus transtulit, *à facie veritatis*, vbi videmus esse aliquam conuenientiam Psal. 59.

inter arcum & veritatem. Causa autem videtur esse, quòd sicut arcus quanto magis comprimitur, & contorquetur, tanto longiùs emittit sagittas: Sic & veritas dum comprimitur, & oppugnatur, expugnat, & proiicit aduersarios clarior euadens, ac fortior.

Act. 3. In quam sententiam facit id, quod dicitur in Actis Apostolorum: *Etenim postquam submiserunt viros contra Stephanum, qui dicerent se audiuisse eum dicentem verba blasphemiæ in Moysen, & Deum*; subditur. *Et intuentes eum omnes qui sedebant in Concilio, viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli.* Hilarius Arelatensis hom. de Sancto Stephano docet, id fuisse aduersariis in pœnam peccati, & testimonium criminis, & veluti repercussionem luminis ex facie lapidati. Sic enim plerumque euenire solet, vt qui mendaciter veritatem persequuntur, & impugnant, eandem clariorem videant, illustriorem reddant, solidiorem experiantur, ac fortiorem fateantur. Frustra ergo falsi magistri mendaces sunt contra veritatem, qua in re & decipiuntur & cognoscuntur: è contrà verò verè sapientum proprium est, sicut dixit Greg. 10. Moral. nihil per ostentationem fingere, sensum verbis aperire, vera vti sunt diligere, falsa deuitare, bona gratis exhibere, mala libentiùs tolerare, quàm facere, nullam iniuriæ vltionem quærere, prò veritate contumeliam lucrum putare.

Vers. 15. *Non est enim ista sapientia desursum descendens à Patre luminum, sed terrena, animalis, & diabolica.*

EXPOSITIO LITERALIS.

HÆc est vltima pars huius cap. in qua Apostolus describit sapientiam terrenam, eiúsque affectiones, & proprietates, laudésque apponit sapientiæ cœlestis, vt inde colligamus hanc prosequendam, illam verò vitandam, & fugiendam. In his ergo verbis ostendit, quàm sit falsa sapientia, in qua meritò non est gloriandum. Imprimis enim non est à Deo, vnde & aliqui hoc loco legunt (*è supernis descendens*) à quo est omne

Eccles. 1. bonum, sicut dixerat cap. 1. Imò, sicut dixit Ecclesiasticus, *omnis sapientia à Domino Deo est.* Vnde bene colligitur cum D. Thoma hîc, sapientiam de qua hîc loquitur, non esse sapientiam secundùm existentiam, & realitatem, sed secundùm apparentiam. Est enim *terrena*, id est, terrenæ gloriæ cupida, vel terram sapiens, prætermittens ea, quæ ad pietatem & salutem conducunt. *Animalis*, quia potiùs spectat quæ sunt corporis, quæritque voluptuosa & carnalia, in quibus delectatur sensus, animalium more oblita eorum, quæ ad animum, & æternam vitam pertinent. Licèt enim nomen, *animalis*, ab anima deducatur, significat affectum humanum, qui spiritui opponitur. *Diabolica* tandem, quia instinctu, & suggestione dæmonum habetur; suggerunt namque ea quæ nos à cœlestis æternæque vitæ studio reuocant atque distrahunt.

§. I.

§. I.

Falsæ sapientiæ conditiones.

QVATVOR hoc loco tradit notas falsæ sapientiæ Iacobus. Prima est, quòd Deum authorem, & inspiratorem non habet, quod diligenter est obseruandum contra Buceri, Caluini, & Bezæ blasphemias, qui volunt Deum authorem esse omnium errorum, & falsarum opinionum illarum, quibus Pseudoprophetæ fascinati alios postea excæcant, & dementant, cùm tamen impossibile sit Patrem luminum, authorem esse tenebrarum, & primam veritatem esse principium falsitatis. Cùm ergo soli Deo conueniat sapientia, vt post Homerum quem citat, dixit Ammonius in Proœmio Porphyrij, imò est ipsissimus Deus: inde est quòd sola sapientia ab ea participata, & emendicata simus, & dicamur sapientes, sicut docet D. Thomas 2. 2. q. 23. art. 2. ad 1.

SECVNDA falsæ sapientiæ nota est, quòd sit terrena, quòd, scilicet, temporaria lucra auarissimè sectetur. Qua de re conqueritur Dominus, cùm per Michæam ait. *Principes in muneribus iudicabant; Sacerdotes in mercede docebant, & Prophetæ in pecunia diuinabant.* Ideò Paulus admonet, ne magister, Episcopúsque Ecclesiasticus turpis lucri sit cupidus. vbi D. Chrysost. Vult Apostolus Episcopum præferre magnum pecuniarum contemptum. Et Aristotel. de Anima, cap. 4. text. 4. dixit oportere intellectum nostrum esse immixtum, vt dominetur, hoc est, vt intelligat; quasi natura duce, intellectus, & sapientia non debeat immisceri, & adhærescere terrenis rebus, propriísque vtilitatibus; alioqui potiùs captiuus erit, & insipiens, quàm dominetur, & intelligat. *Mich. 3. 1. Tim. 3. & Tit. 1.*

EST autem proprium falsorum sapientum sequi lucrum, ac rapacitatem, vt patet in Balaam, in Simone mago, & cæteris Hæreticis. Vnde D. Ignatius epist. 3. de Hæreticis sui temporis dicit, fuisse alienorum appetitores, pecuniarum rapaces, & quasi vortices. Et Irenæ. lib. 1. c. 1. & 9. de Valentinianis ait: Solos illos docent, qui grandes mercedes præstare possunt. Similiáque habet Aug. lib. 1. contra literas Priscilianist. cap. 24. & lib. 3. contra Cresconium c. 42. & Donatist.

TERTIA conditio est, quòd sit animalis, quærens, scilicet, voluptuosa, & carnalia, in quibus sensus delectatur. Animalis enim homo spiritui opponitur, vt patet ex Paulo dicente: *Animalis homo non capit, quæ Dei sunt. Corpus seminatur animale, resurget spirituale.* Hæc est autem sapientia, & proprium ingenium Hæreticorum, vt de Gnosticis ait Irenæ. lib. 1. c. 1. de Carpocratianis. Clem. Alex. 3. Stromat. de Marcione. Tertull. lib. Præscription. & de Apelle, & Hermogene; de Montano Apollonius apud Euseb. lib. 5. histor. cap. 18. de Hæresiarchis sui temporis Cyprian. epist. 18. Vnde Hieron. in cap. 9. Oseæ ait, difficile esse inuenire Hæreticum qui diligat castitatem. De Luthero, Bucero, Caluino, & Beza res est notissima, cùm hic publicatis poëmatibus adulteria, scortationes, & pederastias suas celebrare non erubuerit. *1. Cor. 2. Ibid. 15.*

Nota verò est insipientiæ, quòd sit carnalis, quia vitium carnis opponitur sapientiæ. Vnde de iis, qui se dederant huic vitio, quasi de brutis dicitur apud Hierem. *Vnusquisque ad vxorem proximi sui hinniebat.* Et in Apocal. per equos carnales, viri intelliguntur. Vnde Clem. Alex. 3. Stromat. Planè, ait, fieri non potest, vt quis simul sit, & scientia præditus, & blandiri corpori non erubescat. Et Gregor. 31. Moral. c. 31. enumerans filias impudicitiæ, dicit esse cæcitatem mentis, inconsideratione͂, præcipitatione͂.

Hierem. 5. Apoc. 9.

Vel etiam dicitur falsa sapientia, animalis, quia humanis rationibus diuina metitur, & iuxta humanas leges indicat ea quæ Dei sunt. Qua de re dixit Aug. Serm. 151. In homine carnali tota regula intelligendi, est consuetudo cernendi. Pluráque hac de re habet Chrysost. hom. 23. in Ioan.

Qvarta conditio est, quòd sit diabolica, non ex eo tantùm, quòd cum dæmonum ingenio, quod est mentiri, ac seducere, conueniat, sed quòd professores suos, instar Satanæ, reddat ambitiosos, superbos, impacatos, perduelles, homicidas, &c. Magister enim insipientiæ, qui diabolus est, mores suos ingerit discipulis, & quantumuis dicat; *Eritis sicut Dij*, diabolo potiùs similes reddit. Veráque est ea sententia D. Bernardi de gradib. humilitat. Sapere malum, sapere non est, sed desipere. Indéque est, quòd in Scriptura, sapiens pro iusto, & insipiens pro iniusto sumatur. Vnde Petrus, *ne insipientium errore traducti, excidatis.* Ambros. verò legit, *nefariorum*; quod etiam recentiores versiones reddiderunt.

Genes. 3. 2 Can. c. 3

Qvomodo autem scientia hæreticorum sit diabolica, & ab eodem doceatur, probat hoc loco Feuardent. afferens loca ex Luthero, in quibus fatetur, se cum diabolo multoties loquutum. De Carolstadij, Zuinglij, Caluini, Anabaptistarum, aliorúmque Sacramentatiorum cum diabolo commercio, communicatísque consiliis, videndus idem Feuard. in D. Irenæum lib. 4. c. 32. Vnde in Apocal. Hæreticorum cœtus, sedes, & synagoga Sathanæ appellantur. Et Polycarpus Marcionem appellauit primogenitum diaboli. Et Irenæ. lib. 1. cap. 9. eundem vocauit os diaboli.

Apoc. 2.

Vers. 16. *Vbi zelus, & contentio, ibi inconstantia, & omne opus prauum.*

EXPOSITIO LITERALIS.

Enumerat fructus falsæ sapientiæ, quæ illa est, vbi zelus, & contentio reperiuntur. Fructus verò sunt inconstantia, & omne opus prauum, vel etiam possunt hæc omnia esse fructus falsæ sapientiæ. Nam Paulus ad Galat. enumerat inter opera carnis, inimicitias, æmulationes, contentiones, seditiones, sectas, cædes, & his similia. Discipuli ergo diaboli insipientes zelum amarum ab eodem accipiunt, qui ex zelo, & liuore inter initia statim mundi, & periit primus, & alios perdidit, sicut notauit Cyprian. lib. de Zelo & Liuore; quinimò videns Diuinam essentiam multo se præstantiorem,

Cap. 5.

tiorem, contra conſcientiam ſuam cœpit Deo inuidere, & voluit ſe ei parem facere, ſicut dixit Anſelmus in c. 12. Matt. & Chryſolog. Ser. 92. Diabolus hominum damnum, ſuum computat lucrum, & quod perierit hominibus, hoc ſe æſtimat acquiſiuiſſe. Videndus hac de re Ambr. lib. de Paradiſo c. 12. & Baſil. hom. 21. in aliquot Scripturæ loc. Auguſt. lib. 4. de Baptiſmo c. 8. Et hunc zelum, ac liuorem diaboli imitatus eſt Cainus primogenitus diaboli; ſicut dixit Baſil. hom. de Inuidia.

SECVNDVS fructus eſt contentio, tumultus, & irritatio, nullibi enim quieſcit inſipiens, nec ſibi conſtans eſt. Nam ſicut vera ſapientia gignit ſtatum mentis bene compoſitum, pacatámque, & tranquillam reddit animam, & ſibi & aliis: vnde congregatio verè ſapientum in hoc refert ſimilitudinem diuinæ vnitatis, ſicut proſequitur Nazian. Orat. 2. de Pace; qui etiam in prima dixerat; Nihil æquè germanos Dei cultores inter ſe conciliat, atque conſentientes de Deo ſententiæ. Sic etiam & contentio animam perturbat, vt ſecum ipſa tumultuetur, & ſine modo in alios efferueſcat, & inſurgat, quod meliùs intelligemus, ſi attendamus quid ſit contendere. Nam ex D. Aug. 4. de Doctrin. Chriſt. c. 28. contendere eſt, non curare, quomodo error veritate vincatur, ſed quomodo tua dictio dictioni præferatur alterius. Et lib. contra Creſconium Donatiſtam: Maligna profeſſio eſt, quæ ſibi proponit non ex animo, ſed ex contentione, vel quoquo modo coutra omnia, vel pro omnibus dicere.

VNDE poſſumus colligere, quòd ſicut vera ſapientia bonorum omnium eſt mater, & pulchræ inſuper dilectionis: ſic inſipientia, mater, & origo eſt odij, contentionis, & omnis operis praui; & ſicut incomparabilis eſt voluptas ex ſtudio ſapientiæ comparata, nec tædet vnquam eum, qui illi adhæret, imò tædio afficitur circa cætera omnia, vt de ſe ex Hortenſio Ciceronis fatetur Aug. 3. Confeſſ. c. 4. ipſéque Cicero 2. Offic. Philoſophiam appellabat animi oblectationem, requiémque curarum; vnde ei gratias agebat, quòd ipſum non modò à ſolicitudine abduceret; ſed etiam contra omnes fortunæ impetus armaret: ideóque Ariſtoteles 2. Politic. c. 5. ad Philoſophiam recurrere iubebat eum, qui abſque triſtitia vellet delectari. Sic etiam in inſipientia, tædium, mœſtitia, curæ, agitationes, contentiones, ac æmulationes iugiter reperiuntur. Nulla denique ingenuitas, ſed animus contentioſus, ac ſeruilis, vnde & cum ſeruis comparandus ex mente Platonis in Theat.

Sap. 7.
Eccl. 24.

TERTIVS fructus eſt inconſtantia, & fluctuatio, vbi non ſolùm animi leuitatem, & mobilitatem videtur Apoſtolus voluiſſe ſignificare; ſed etiam perturbati animi malignitatem, quæ imprimis reperitur, experimentóque probatur in inſipientibus Hæreticis, in quibus cæteræ inſipientiæ notæ notiſſimæ ſunt; nam de iis ait Irenæus: Cùm ſint duo, vel tres, de iiſdem non eadem dicunt, ſed & rebus, & nominibus contraria reſpondent. Et Tertull. lib. Præſcription. ait: A regulis ſuis variant inter ſe dum vnuſquiſque pro ſuo arbitrio modulatur.

PROBATVR inſuper inconſtantia inſipientiæ & malitiæ ex eo, quòd Adamus

Adamus statim, atque eam à serpente promissam voluit discere, instabilis; sibique minime cohærens redditus est. Vnde Dauid dixit: *Homo cùm in honore esset, non intellexit*, &c. Hebr. habetur, *non pernoctauit*. Vno, eodémque die, quo conditus, est commutatus, & à felici statu deiectus, dum falsam, & diabolicam scientiam appetiit. Vnde Philo hanc inconstantiam insipientis Adæ expendens lib. 2. legis allegor. Quærenti Deo, Adam vbi es? acutè admodum respõdet. Nusquam, nullum enim locum habet mali hominis anima, cui vel insistat, vel insideat, ideoq; malus à Græcis dicitur ἄτοπος, id est, *sine loco*, quia præ inconstantia, stare loco nescit: & contra insipientes dixit Dauid Ps. 1. *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum*. Heb. habetur, *in consilio inquietorum*; eósque ibidem comparat pulueri, qui leui flatu, huc, illúcque dispergitur, & continuò agitatur, sicut notarunt Ber. Ser. 6. in Cant. & Aug. lib. 1. de Serm. Domini in monte.

Psal. 1.

ID ipsum probat illud eiusdem Prophetæ dum dixit: *Propter dolos posuisti eis*; vbi Hebr. habetur, *in lubricitatibus constitues pedes eorum*, quò scilicet pedem nullatenus figere queant; sed perpetua inconstantia laborent; ídq. meritò, quia se ad vnam superni intuitus anchoram figere neglexerunt, sicut hoc loco notauit Beda. Et D. Thom. ait: Nec mirum huiusmodi instabilitas in bono, quia non habet firmum humilitatis fundamentum, asseritque hanc inconstantiam in hoc consistere, quòd in ea semper detur progressus in peccatis: quia talis non stat in vno malo, sed à malo cordis procedit ad malum oris, ab illo ad peccatum operis. Quod etiam prosequitur D. Dionys. lib. de Diuinis nominib. c. 4. quæ omnia à diabolo præceptore participant falsi sapientes. Ille enim nullam prorsus habet consistentiam, imò iugiter circuit, quærens quem deuoret, totámque perambulat terram, sicut ipse ad Deum dixit. Super quæ verba ita habet Gregor. Satan laborans terram circuit, quia quietus in cœli culmine stare contempsit, ideóq; nunquam deinde potuit stare, & qui ipsum sectantur perpetua laborant inconstantia.

Iob 1.

QVARTVS denique fructus, seu effectus est, omne opus prauum: nam sicut notauit hoc loco Beda, qualis cordis est radix, talis est omnis fructus actionis, & qui nequitias corde liuoris vel contentionis contegit, huius est prauum omne opus, quantumlibet rectum hominibus esse videatur. Denique ait ibi esse omne opus prauum: quicquid enim operantur huiusmodi æmuli, & contentiosi, ait Hugo de S. Vict. de Institutione nouitiorum, c. 6. malum est, cùm è radice mala eorum prodeant opera; sed non talis est sapientia quæ desursum est, quæ nescit semetipsam contra veritatem diligere, semper parata vel bonum, quod non habet, ab habentibus libenter petere, vel malum, quod sustinet cum aliis, & coram aliis, veraciter accusare, ne scilicet ex eorum perpessione infamiæ notam subeat, & iniqua reputetur.

Vers. 17.

Verſ. 17. *Quæ autem deſurſum eſt ſapientia, primùm quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordia, & fructibus bonis, non iudicans, ſine ſimulatione.*

EXPOSITIO LITERALIS.



OSTQVAM expoſuit falſam ſapientiam, ciúſque notas deſcripſit, fructúſque oſtendit, pulcherrima antitheſi nunc deſcribit veram ſapientiam, cuius conditiones aſſignat, fructúſque enumerat, dicítque proinde veram ſapientiam deſurſum eſſe, quia omne datum optimum, & perfectum donum deſurſum eſt, vnde Dei Spiritus dicitur Spiritus ſapientiæ, & intellectus: & Deus ſapientiæ dux. Vnde & Filius Dei in carne dixit: *Dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere.* Et de Spiritu ſancto. *Ille vos docebit omnia*, &c. *Iſai. 11. Sap. 7. Luc. 21. Ioan. 14.*

HÆC ergo ſapientia dicitur *pudica*, ſeu, vt Græci, & plerique alij legunt, *caſta*; quod expoſuit Oecum. pura, & ſine ſorde; nulli rei carnali adhærens, vel pudica, ait Beda, quia caſtè intelligit. Nam ſicut ait Gloſſa, niſi primò pudicitia ſedeat in mente, nulla perfectio ſequitur in opere, proindéque eſt optimus ſapientialis pudor, de quo ſcriptum eſt: *Eſt confuſio adducens gloriam.* Vnde Eccleſiaſt. c. 8. dicitur, *Sapientia hominis lucet in vultu eius, & impudentia faciei illius commutabitur*: quia, ſcilicet, vbi ſapientia animum poſſederit, impudentia recedit à fronte; eſt enim ſapientia pudica, teſte noſtro Apoſtolo, quem ibi affert Brixian. *Eccleſ. 8.*

POTEST etiam dici pudica, ſupernaturalis ſapientia, quia ad contemplationem Dei reuerenter accedit, non impudenter, aut temerariè ſe ingerens ad perſcrutanda diuina myſteria, & Sacramenta. Pudica, ait Bernardus Serm. 3. de Reſurrectione, contra propriæ voluntatis impuritatem; deinde pacifica contra conſilij proprij obſtinatam rebellionem.

EST & *pacifica*, quia ſicut dixit Eccleſiaſticus: *Vir ſapiens, ſuauis eſt anima ſua.* Et Salomon. *Intrans in domum meam, quieſcam cum illa*, ſcilicet ſapientia, quæ interiorem pacem ſecum affert, & conſeruat, & reſpectu etiam aliorum pacifica eſt. Vnde Gregor. 3. part. Paſtoral. cap. 23. Pacifica eſt ſapientia cœleſtis, quia per elationem ſe minimè à proximorum ſocietate diſiungit. *Sap. 8.*

EST *modeſta*, ſeu *æqua*, aut *æquabilis*, vt Græca vox ſonat, & plerique vertunt, in operibus ſuis modum tenens, humaniſſima ac faciliſſima, diſtánſque ab auſteritate: nam ſicut dixit Salomon; *Vbi ſapientia, ibi humilitas*; & qui ſapientiam ſpiritus habent, lenitatis ſpiritū debent habere, & præ ſe ferre, taléſque ſint oportet, qualis ipſa ſapientia patris, huiúſce ſcholæ præfectus eſt, mites ſcilicet, & humiles corde, manſueti, ac modeſti, vt temperent, & condiant ſeueriorē cultum, habitúmque hilaritate vultus, orationis *Prou. 11. Matt. 11. 2. Cor. 11.*

dulcedine, cōpositione mēbrorum, quæ omnia videtur dicere vox, *modesta.*

SVADIBILIS, vbi vox Græca significat *suadabilem*, vel *obedientem*, & ita habet Codex Syriac. alij, vt Oecumen. Feuard. & Vatabl. legunt *tractabilem*; & est sensus: reddit faciles, docibiles, & subditos saniori doctrinæ, melioribus consiliis, ac liquidæ veritati: Sapientis, inquit Beda, est, bonorum suasioni assensū præbere, quomodo Petrus redarguēti se Paulo annuit. Improborū verò est, doctrinam tota intentione, vel docēdo, vel viuēdo repellere.

Ex quibus infert D. Thomas. Cui ergo suaderi non potest, vt in aliquo se errasse cognoscat, sapientia caret. Ideoque Paulus admonet; *Nolimus prudentes esse apud nosmetipsos.* Quod ibi Theodoret. & Chrysost. homil. 22. & de laudibus Pauli hom. 9. optimè, & verè explicant: Ne existimetis vestra consilia vobis sufficere, ita vt aliorum consilio non indigeatis. Ille enim est prudens apud semetipsum, qui aliorum consilia detrectat, sua semet prudentia in omnibus regere posse existimans. Ideo Salomon in Prouerbiis;

Prouer. 9. *Argue sapientem, & diliget te, doce iustum, & festinabit accipere.*

BONIS consentiens; hæc verba addidit Interpres. Idcóque in plerisque antiquis codicibus desunt, & explicant id, quod significat *suadibilis*, vt scilicet bonis omnibus assensum præbeat.

PLENA misericordia, & fructibus. Syriaca habet; *Plena miserationibus, & fructibus omnibus.* Misericordia, quantùm ad effectum, inquit D. Thomas, per compassionem. Fructus boni, quantùm ad effectum per operationem; sic etiam explicat Beda, & alij. Sapientia ergo hominem compassiuum, atque beneficum aliis reddit. Nouit enim quòd homo ex se fragilis sit, & quātùm viro misericordi lucri accedat, si aliis benefaciat.

Mat. 7. *NON iudicans malè de proximo*, iudicando, vel suspicando sine fundamento quod Christus Dom. dixit. *Nolite iudicare, & non iudicabimini.* Illúdque hoc loco est aduertendum, imprimis non prohibere Apostolum hoc loco eos, qui publicam non solùm habent potestatem, sed publicam etiam obligationem, de aliis iudicare, quales sunt Iudices, & Magistratus. Neque pro-

1. Tim. 5. hibet etiam de apertis iudicare, de quibus Paulus. *Quorundam peccata manifesta sunt, præcedentia ad iudicium.*

PRÆTEREA, neque prohibet iudicare quicquam mali de altero, quando causæ sufficientes ad id suppetunt; nam tale iudicium omnino erit conforme prudentiæ, ac proinde rectum, vt docet D. Thom. 2. 2. quæst. 60. art. 3.

NEQVE etiam prohibet iudicare de dubiis, modò non vltrà, quàm nos ducunt indicia, iudicemus. Quæ verò ratio sufficiens putari debeat ad iudicandum malè de altero, non potest rectiùs definiri, quàm iudicio prudentis, vt notauit Sotus lib. 3. de Iustitia, q. 4. art. 3.

PROHIBET ergo iudicare plenè deliberatè, & pro certo sine causa suffi-

Matth. 7. cienti aliquid mali de altero, quod bonam eius famam notabiliter possit lædere; quod mortale peccatum est, vt patet ex Matth. 7. & Roman. 14. *Tu*

Rom. 14 *quis es, qui iudicas alienum seruum?* & iterum Paulus. *Nolite ante tempus iudicare.* Quem locum perpendens Augustinus tractat. 90. in Ioannem, affirmat debere nos continere, & cohibere firmas, definitásque sententias de proximo.

proximo. Et D.Thomas dicto art. 3. Quid tam humanum, quàm non posse aspicere cor humanum, & ideo non eius latebras perscrutari, sed plerumque aliud, quàm ibi agitur, suspicari? quamquam & his rerum tenebris humanarum, etsi suspiciones vitare non possumus, quia homines sumus, iudicia tamen. i. definitas, firmásque sententias continere debemus, neque ante tempus iudicare.

PROHIBET etiã malè iudicare de aliis, quæ bene, & malè interpretari possumus, vt docet Basil. in regul. breuiorib. interrog. 164. Hier. in c. 7. Matth. & Aug. lib. 2. de sermone Domini; & Ser. 202. de Tẽpore. Anastas. q. 83. Multi secundùm veteres codices legunt, & iungunt; *Iudicans sine simulatione, & fictione*, id est, in bonam partem, cuncta simpliciter (quãtùm fieri potest) referens. Ita Titelman. & alij. Syriaca habet, *Absque diiudicatione facies*, siue, *personas, non accipit.*

ILLVDQVE aduertẽdũ hoc loco, *non iudicans*, idem posse significare atque non condemnans: nam in Scriptura plerumque *iudicare*, significat condemnare, vt patet apud Paulum, *Si nosmetipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur*, id est, non damnaremur. Et iterum. *Fornicatores, & adulteros iudicabit Deus*, id est, condemnabit. Non iudicans ergo est sapientia de cœlo, id est, non condemnans fratres, eorúmque facta. 1. Cor. 11. Hebr. 13.

TANDEM, *sine simulatione*; non vult vera sapientia professores suos aliud corde, aliud ore profiteri, sed omnia candidè, sinceréque peragere, ab ea docti non curant videri hominibus doctiores, aut sanctiores, quàm reipsa sint; hoc vno contenti, quòd Deo placeant. Nam sicut dicitur. *Simulatores, & callidi prouocant iram Dei.* Et Aug. relatus hic à D. Thoma: Simulata æquitas non est æquitas, sed duplex iniquitas. Possunt autem, ait D. Thom. hæ octo conditiones sapientiæ reduci ad octo beatitudines Matt. 5. Ipsa quidem sapientia pudica est per munditiam cordis, pacifica per pacificationem, modesta per paupertatem, suadibilis per mititatẽ, bonis consentiens per esuriem iustitiæ, plena misericordia per misericordiæ amorem, non iudicans, sed compatiens per luctum, sine simulatione per tolerantiam persequutionum. Iob. 36.

§. I.

Vera sapientia à Deo tantùm accipitur.

SAPIENTIA ergo à Domino Deo est, ideóque sapiẽs Salomõ tot precibus eam à Deo postulauit. Nam iuxta doctrinam nostri Apostoli, si quis indiget sapientia, debet eam postulare à Deo. *Quis enim posuit in visceribus hominis sapientiam? vel quis dedit gallo intelligentiam?* seu, vt Hebræi interpretantur, *quis dedit intellectui intelligentiam?* Vnde Salomon: *Dominus dat sapientiam: & ex ore eius prudentia.* Meritóque per Prophetam dicitur; *Dereliquisti fontem sapientiæ.* Ideóque Bern. Epist. 107. Scientiam non lectio docet, sed vnctio, non litera, sed spiritus, non eruditio, sed exercitatio in mandatis Domini. *Seminate*, inquit Oseas, *vobis ad iustitiam*, 3. Reg. 3. 2. Para. 1. Sap. 9. Iob. 38. Prou. 2. Ezech 3.

Ose. 10 metite spem vitæ, illuminate vobis lumen scientiæ. Vides, quia non rectè proditur lumen scientiæ, nisi iustitiæ germen præcedat ad animam, ex quo formetur granum vitæ, & non palea gloriæ. Etiam Plato in Mænone dixit, solam esse sapientiam, quæ cum virtute à Deo esset, qua remota, non sapientiam, sed calliditatem esse.

Etenim cùm desursum sit sapientia, & non introëat in maleuolam animam, requiritur ad hanc supernam scientiam dispositio conscientiæ. Vnde Origen. lib. 1. in cap. 1. Prouerb. Qui thesauros sapientiæ inuenire desiderat, quicquid sibi terrenum inesse deprehenderit, expurget, carnales
Iob. 8. illecebras abiiciat, fossam in se humilitatis faciat. Et ad hoc respiciens Iob dixit c. 8. non inueniri sapientiam in terra suauiter viuentium: super quæ verba idem Orig. Hanc sapientiam non habet quisquam, nisi carnem suam crucifixerit cum vitiis, & concupiscentiis.

Et quia homo à primo parẽte accepit velle sapientiam, non quidem per labores, & assiduas postulationes ac vigilias, sed comedendo, & vacando, sicut serpens per comestionnem obtulit Adamo scientiam: multi quidem scientiam mundi quærunt, pauci verò conscientiam, sicut dixit Bernard. de interiori domo cap. 21. & supernam scientiam: sed quantumcunque scientiam sæculi quis acquirat, dummodò veram sapientiam non degustarit, & quæsierit, nullatenus erit sapiens. Nam, sicut dixit Bernard. Serm. de verbis Apostoli, *Non est regnum Dei, esca*, &c. est sapiens, cui quæque res sapiunt, prout sunt.

§. II.

De connexione sapientiæ cum castitate.

Debet deinde sapientia esse pudica, id est, libera ab omni impudicitia,
Psal. 11. & carnis libidine; *eloquia* enim *Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, purgatum septuplum*, id est, sine fæce, scoriæue labe, sed purgatum per septem dona Spiritus sancti. Et cùm hæc sapientia desursum sit, inde debet habere pudicitiam, & castitatem, quæ patriam sursum habet, sicut dixit Ambros. lib. 1. de Virginibus. In cœlo, inquit, profectò est patria castitatis, hic aduena, ibi incola est. Proindéque ij, qui sapientes, & prudentes verè sunt, pudici, ac puri sunt. Vnde id, quod Petrus dixit: *Estote itaque prudentes*,
1. Pet. 4. Caiet. Vatabl. Brixian. Gagneius, *Estote modesti*. Syriac. *Estote casti*, quasi idem sit sapientia, seu prudentia, ac modestia, & castitas.

Ideoque Nyssen. lib. de Virginitate cap. 4. 5. & 6. probat inter laudes pudicitiæ, eam esse præcipuam, quòd plurimùm conducat ad cognitionem diuinarum rerum: cuius rei rationem reddit Aristoteles 7. Ethic. cap. 1. quia impetus libidinis mentem humanam à suo statu, & sede deturbat. Pro qua re videndus est August. 4. contra Iulian. dum hoc ipsum probat ex Cicer. qui in suo Hortensio ex Platone dixit: *Luxuria motus, sicut maximus est, ita inimicissimus Philosophiæ, & sapientiæ, proindéque non potest stare voluptas cor-*

poris

poris cum cognitione, & sapientia, quæ mentibus pudicis sese maximè accommodat, sicut etiam ea corpora, quæ maximè splendida sunt, faciliùs radiis Solaribus perfunduntur, & illustrantur.

In hanc sententiam facit id, quod Sancti Patres communiter aduertunt, Euangelistam Ioannem ratione pudicitiæ virginalis plus cæteris è diuinæ sapientiæ thesauris hausisse. Qua de re videndus August. tract. in Ioan. c. 24. Epiphan. hæres. 58. Chrysost. de Virginitat. & Hieron. Isai. 56. Facit etiam quod Varro in lib. Rerum Diuinarum, Lactant. lib. 1. Diuinar. Institut. & alij dicunt, veteres dixisse, fatidicas mulieres Sibyllas, ratione pudicitiæ, & castitatis tot rerum futurarum notitiam accepisse, vsque adeò sapientia pudica est, vt animas, ac mentes pudicas semper quæsierit. Et clarus inter Prophetas Dauid, per impudicitiam veluti stultus, & hebes factus est, cùm illum alloquutus est Nathan. Ideóque non intelligebat, etsi proprium ei peccatum obiiceret in parabola ouis, sicut notauit Chrysost. homil. 1. in Psal. 50. Et Ambr. in Apolog. 2. Dauid, vbi inquit: Non mediocre quòd Nathã denũciauit Dauid, scilicet inferior Propheta; grauis enim verecũdia pudórque delicti ab inferiori reprehendi: sciebat Nathã, quod Dauid nesciebat, adeò caligabat oculus obũbratus quadã nube vitiorũ, impudicitiæ scilicet carnis, & ignorabat, qui alioqui ante impudicitiã sciebat. 2. Re. 12.

Qvapropter Auctor Ecclesiastici Salomonem, qui à Deo acceperat sapientiam, postquam luxuriæ adhæserat, vocat insipientem. *Dedisti*, inquit, *maculam gloriæ tuæ, & in cæteris stultitiam tuam.* In quam sentẽtiam notauit Rupert. lib. 1. in Num. c. 10. dixisse Scripturam; *Vir cuius vxor errauerit, &c. adducet eam ad Sacerdotem, & offeret oblationem pro illa, decimam partem sati farinæ hordeaceæ:* ait ergo Ruper. in oblatione ideo non similam frumenti, sed hordeum habuit, quod est iumentorum pabulum; quia fluxum sequuta est iumentorum adultera mulier. Eccl. 47. Num. 5.

Hinc sapientes, quorum dicta & facta in Scriptura commemorantur, pudicè & honestè admodùm semper loquuti sunt, vt patet Gen. 49. quando Iacob libidinem Ruben explicare voluit, dixit: *Ascendisti cubile patris tui;* honestissimísque verbis vsus est. Vnde Rabbini, quorum meminit Lyranus, occasionem sumpserunt dicendi, Ruben non maculasse thorum paternum, sed stratum tantùm ancillæ Balæ, patrísque concubinæ mutasse, quod pater ægre tulit. Et Ecclesiasticus, dum de libidinosa turpitudine Salomonis loquitur, ita ait: *Inclinasti femora tua mulieribus.* Et Iob. *Super vxorem meam incuruentur alij.* Sic Paulus: *Siue manducatis, siue bibitis, siue quid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Quæ verba, *siue quid aliud facitis*, Origen. hom. 5. in Genes. exponit, inuerecunda coniugij negotia committitis. In tota denique sacra Scriptura non inuenitur verum, propriúmque nomen fornicationis, aut impositum alicui membro, quod turpe sit nominare, sicut notauit Rabbi Moyses lib. 3. Ductoris cap. 9. Nam cùm sapientia cœlestis pudica sit, quòd castè intelligat, sicut dixit Greg. 3. p. Pastoral. c. 23. pudica etiam est, quòd castè loquatur. Gen. 49. Eccl. 47. Iob. 31. 1. Cor. 10.

Hæc est ratio quare Rebbecca, quæ venerat, vt vxor esset Isaac sapien-

tis, & contemplantis Deum, quique tempore aduentus Rebeccæ egressus fuerat ad meditandum, *citò tollens pallium suum, operuit se.* Super quæ verba D. Ambros. lib. 3. de Virginib. ait: Non decori timuit, sed pudori; quia cùm sapiens vir maximè pudicus sit, vxor sapientis pudicitiæ studere sic debuit. Et hæc est ratio, quare virgines quæ sponsæ sunt Verbi ac sapientiæ Dei, velentur, & operiantur. Sapientis ergo comes est pudicitia domi, foris, semper, sicut dixit Clem. Alexand. 3. Pædag. cap. 5. Oportet domi, parentum, & famulorum pudore affici, in viis autem eorum, qui fiunt obuiam, in solitudine autem sui ipsius.

3 Reg. 4. LOCVM illum, qui habet; *Dedit Deus Salomoni latitudinem cordis quasi arenam, quæ est in littore maris*; Abulens. Caietan. & Lyran. ad diuitias referunt, vt ei dederit animum liberalem & magnificum: sensus tamen literalis est de cognitione & sapientia, sicut inter alios transtulit, & exposuit Vatabl. sic enim vertit: *Dedit illi capacissimum animum, multa comprehendentem sua intelligentia*; quasi dicat, ait Vatabl. tam amplam mentem, quàm amplum locum occupat arena, quæ est iuxta mare. Sed quò vergit comparatio arenosi littoris cum sapientia? Sunt qui dicant, quòd sicut ad littus & arenam superbissimi æstuantis maris fluctus colliduntur; ita sanè ad sapientiam affectiones immoderatæ & furentes appetituum impetus allisi & fracti subsidunt. Optimè sanè: sed adhuc addimus, quòd fracti & allisi ad littus fluctus iterum redeunt ad se, & in se collecti, & reuoluti, recipiuntur. Qua in re propria similitudo sapientiæ ad arenam consistit, ni fallor. Etenim, sicut arena, terminus vndarum ac procellarum est, qui eas intumescentes frangit, & in se collectas reuerti, & complicari facit: sic sapientia in eo maximè probatur, quòd effrænes appetitiones pudore afficiat, surgentes cohibeat, & refrænet, ne ad exitum vsque perueniant. pudicáque sapientia pudefacit impudicos animi motus, & supra se reflecti, ac in se reuerti cogit, velut arena, quæ est in littore maris. Notauit Tertullian. lib. de corona militis, aliquod adhuc vestigium sapientiæ diuinitùs à Deo datæ, & per peccatum amissæ in Adamo relictum, in eo, quòd postquam diuinum præceptum transgressus est, assensúmque præbuit suasionibus serpentis, indumentum statim, quo se operiret, quæsiuit, & postquam de fructu arboris scientiæ boni, ac mali primi parentes gustarunt, hac in re tantummodo scientiam ostenderunt, quòd pudore affecti sunt. Ait ergo Tertullian. Vbi primùm de arbore agnitionis gustauerunt, nihil primùm senserunt, quàm erubescendum, intellectum tegmine notantes, quasi signum alicuius scientiæ, & nota intellectus adhuc remanentis fuerit, se foliis obtegere, & præ pudore se operire; sic enim manifestatur pudica sapientia.

ET hæc fortassis fuit ratio, cur Doctores, & sapiētes suæ Ecclesiæ Christus Dominus dixerit luces, ac ciuitates in montibus collocatas, vt scilicet intelligerent, quòd sicut is, qui in luce versatur, ad quodlibet inhonestum & indecens statim pudefit, cùm liquidò appareat, & omnibus sit conspicuum; sic veri sapientes iugiter debent esse pudici, nec aliquid indecēs patrare, cùm in luce versentur; imò admodùm indignari, ægréque

Matt. 5.

secum

secum ferre, si quid vitiosum in se viderint. Nam, sicut dixit Salomon; *In multa sapientia, multa est indignatio*, quod D. Hieron. & Olympiodor. explicant de indignatione sapientis viri contra se ipsum; siquando à via deflectat, & aliquid reprehensione dignum committat. Eccl. 1.

In quam sententiam facit, quod dixit Clem. Alex. 2. Pædag. c. 10. Verecundia tanquam lux rationis in animo est includenda, ne vel in tenebris, ac in occulto aliquid inhoneste, aut intemperanter agatur. Quòd si verecundia, ac pudor lux est, & sapientia, ac sapiens itidem lux, rectè constat, qua ratione noster Apostolus dixerit, sapientiam debere esse pudicam,

§. III.

Vera sapientia pacifica admodùm est.

PACIFICA deinde debet esse vera sapientia, vt diuinam sapientiam productam hac in re imitetur pacificantem per sanguinem suum, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt, & facientem vtraque vnum. Ideóque, sicut Filius Dei dicitur sapientia, sic & pacifici dicuntur Dei filij. Vnde Nazian. Orat. 14. Tantam beatitudinem pacificis reconditam esse, perspectum habete, vt in eorum, qui salutem consequuntur ordine, soli filij Dei vocentur. Et Chrysost. hom. 3. in epist. ad Coloss. Filij Dei, inquit, vocantur qui pacem efficiunt; nam Filius Dei ad hoc in terram venit: qui verò nouandis rebus studentes dissidia faciunt, filij sunt diaboli. Videndus hac de re idem Chrysost. hom. de predictione Iudæ tom. 3. Gregor. 3. p. Pastoral. c. 24. Hilar. Can. 4. in Matth. Coloss. 1. Ephes. 1. Matt. 5.

HINC est, quòd Angelus, qui in Apocalyp. ad homines mittitur, annunciaturus Euangelium, & inuitaturus ad pœnitentiam, coronatus mittitur Iride, sic enim habet text. *Et Iris in capite eius.* Iam verò Iris, pacis, ac fœderis, reconciliationisque signum est, vt patet ex Genes. Namque magister Ecclesiasticus pacificam debet habere scientiam, qua omnes ad Deum vocet, & ad vnitatem fidelium congreget. Et huius sapientis vox Ecclesiam sponsam Christi lætificat, sponsóque maximè placet. Vnde dicitur. *Vox turturis audita est in terra nostra.* Super quæ verba Bernard. Serm. 59. in Cant. ita habet: Non planè principatum sonat vox ista, sed consortium, & hac in re conuenit Dei legatis, ac Ecclesiæ magistris corona pacis, quam Angelus gestabat, quam etiam olim legati pacem petentes, aut promittentes, frondibus oliuæ coronati præ se ferebant, quod dixit Virgil. 7. Æneid. Apo. 10. Genes. 9. Cant. 2.

Centum Oratores augusta ad mœnia Regis
Ire iubet, ramis velatos Palladis omnes,
Donáque ferre viro, pacémque exposcere Teucris.

HINC cernere licet, cur Christus Dom. Discipulis, quos Doctores mundi creauerat, dixerit; *Vos estis sal terræ.* Et iterum: *Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos.* Quibus vltimis verbis explicauit, quid illis primis, *Habete* Matt. 5. Marc. 9.

in

in vobis sal, significare voluerit: etenim, vt legenti patebit, Apostoli inter se contenderant de principatu, ac primatu scholæ Christi, & quis eorum maior esset, proinde monere eos voluit, vt salem, id est, charitatem, & pacem inter se haberent. Vnde Basil. in Reg. breuior. interrogat. 266. sic ait: Ex verbis Domini nihil aliud docemur, quàm vt nullam causam demus mutuæ disiunctionis, sed ad vnitatem spiritus nos semper conseruemus; & quo magis hoc inculcatum intelligerent, discipulos, salem terræ dicit, qui pro amicitia & firma pace sumitur tam apud sacros, quàm profanos authores.

Num. 18. 2. Par. 13 ETENIM in Scriptura pactum salis, dicitur pactum, & amicitia perpetua. Creditque Oleast. in c. 18. Num. & in 2. c. Leuit in omni fœdere, pacéque inita, olim salem adhibitum, quo pacti incorruptio, & firma stabilitas significaretur. Qua de re videndus Alex. ab Alex. lib. 5. dierum genial. c. 21. & Pier. Valerian. lib. 31. vbi probat salem fuisse amicitiæ symbolum, ideóque hospitibus ante alios cibos apponi solitum, quò amicitiæ firmitas, & perseuerantia significaretur: eodémque teste, plerique ominosum putant, si sal in mensa profundi contingat; & Græcum prouerbium erat, *Non oportet transgredi salem, & mensam*. i. ius amicitiæ.

HVIVS rei rationem, quare scilicet sapientia, quæ desursum est, pacifica sit, inde desumere possumus, quòd ea quæ de cœlo sunt, pacifica prorsus sunt, cùm omnia, quæ in terris reperiuntur, pugnantia inter se sint, & belligera, vt cernere est in Elementis, vbi calida pugnant frigidis, & humentia siccis. In animantibus, quæ se inuicem absumunt, ac deuorant. Ideóque Nazian. Orat. 1. de Pace, soli Deo, & Angelis proprium dixit pugnas, & dissidia nescire, & qui pacis bonum amplectuntur, eíque contrariam discordiam, & seditionem infensè oderunt, ad Deum & diuinas mentes accedere.

Apoc. 7. VNDE, vt aduertunt recentiores, cùm Ioannes in Apocal. duodecim millia signata ex omnibus tribubus viderit, & enumerauerit, solam Ephraim tribum omittit, quòd discordiæ fuerit seminatrix: qua de re videndus Thodoret. in Ps. 77. vbi Dauid dixit, *Tribum Ephraim non elegit*. Quandoquidem, inquit Theodoret. ex hac tribu Ieroboam originē ducens ex Dauidico Regno ducem tribus abduxit, vsque adeò procul exulat discordia à pacifica Hierusalem, quæ desursum est, & in Ecclesia Christi, vt necessaria commendatur.

QVA etiā de re videndus est Cyprian. epist. de vnitate Ecclesiæ, & Ber. in Apolo. ad Guillelmum, Nazian. Orat. 1. de Pace, vbi inter alia ait; Iudas, & Israël principatum vnum constituunt, Hierusalémque & Samaria ad vnam cœlestem Hierusalem colliguntur, &c. & ea anima, quæ introducitur in cellam vinariam cum Diuino Sponso, vt inde sacratiorem hauriat sapientiam, *Sulamitis*, non verò *Sunamitis* (vt corruptè aliqui legunt) appellatur, quæ vox significat *pacificam*.

NOTAVIT hanc doctrinam Ber. Ser. 1. in Natali Domini, vbi hæc verba Iacobi sic explicat. Sola, quæ ex Deo est sapientia, salutaris est, & pacifica, non

non abundans in suo sensu, sed alieno magis acquiescens consilio, vel iudicio. quibus habet similia de multa vtilitate verbi Dei. Et Greg. 3. p. Pastoral. c. 23. Pacifica est sapientia desursum, quia per elationem se minimè à proximorum societate disiungit: econtrà verò illa sapientia, quæ desursum non est, pacem perturbat, & quietem exagitat, plenáque est conflictationibus, & contẽtionibus, sicut dixit Salomon, *In multa sapientia, multa est indignatio.* Quod Hugo Victor. Bonauent. & Lyran. explicant de humana scientia, quæ deorsum est, quæque indignationem, impatientiam, & anxietates solet excitare. Quem sensum etiam recipit Hugo Cardin. dicitque inde oriri simultates, odia, conflictus, pugnásque verborum, & animi contentiones. Et Gregor. loco cit. Sæpe dum quosdam maior scientia erigit, à cæterorum societate disiungit, & quasi quo plus sapiunt, eo à concordiæ virtute desipiscunt. Hi itaque audient, quid per semetipsam veritas dicat, *Habete sal in vobis, & pacem habete inter vos.* Sal quippe sine pace, non virtutis est donum, sed damnationis argumentum. Quo enim quisque melius sapit, eo deteriùs delinquit, si modum sapientiæ non seruet; & paci pro viribus non studeat.

Eccl. 1.

Marc. 9.



§. IV.

Sapientia debet esse modesta, & humilis.

Est etiam sapientia modesta, ac humilis, non superba, & inflata. Namque ea scientia, quæ inflat, & de qua loquitur Apost. non est solidata, neque habet fundamentum, sicut dixit August. Serm. 53. de verbis Domini; neque suis, ac debitis terminis concluditur. De qua eleganter Bernard. Serm. 36. in Cant. ait: Multa scientia ingesta stomacho animæ, si charitate decocta non fuerit, conuertitur in prauos, noxiósque humores, atque inflationes, mentísque tormina facit.

In quam sententiam etiam videndus est Rupert. lib. 1. in lib. Reg. vbi ponderat id, quod contigit viris Bethzamitis, qui, eo quòd vidissent Arcam Domini, percussi sunt à Deo. *Percussit enim de populo septuaginta viros, & quinque millia plebis:* sic nimirum, inquit Rupert. multa millia de viris Bethzamitis, de viris domus Solis, de viris Ecclesiasticis, multos primates viros percussit iudicium Domini, & errare eos fecit, eo quòd vidissent Arcam Domini, eo quòd indignè non dilectionis studio, sed præsumptionis, & curiositatis vitio ausi fuissent in Scripturis scrutari secreta diuinitatis. Et Ambros. Serm. 70. ait: Puto in ipsis auibus, ideo velociùs columbam penè præ omnibus volitare, quòd alacritatem & innocentiam comitetur. Denique Sanctus Dauid cùm puritate mentis volitare concupisceret, non alterius animantis, nisi columbæ optauit alas; intelligebat enim quòd altiora faciliùs penetrantur simplicitate mentis, quàm leuitate pennarum, & elatione, ac superbia, quæ potiùs insipientem reddit.

1. Reg. 7.

Psal. 54.

Vnde Rupert. lib. 1. in Leuit. c. 7. notat iussisse legem, vt pennæ reiicerentur in locum, vbi cineres effundi solebant. Iustam, inquit, significat

hominis humilitatem, qui ne de accepto munere; vel reuelationum magnitudine se extollat, meminit, quia cinis est, & reuertetur in cinerem, quátóque magis sui contemplationem fuerit assequutus, tanto plus de diuina cognitione consequetur. Solet enim Deus modestæ, ac humili animæ sapiētiam desursum communicare, sicut & superbis, & elatis se occultare consueuit. Quod dixit Greg. 6. Moral. c. 18. Legem, inquit, daturus Dominus, in igne, fumóque descendit, quia & humiles per charitatem suæ ostensionis illuminat, & superborum oculos per caliginem erroris obscurat. Quod ita intelligendum est, quasi Deus obscuret, se non communicando, & in errore manere permittendo.

POSSEMVS autem & superbos, quò modestè resipiscant, monere id, quod docuit Aug. Ser. 53. de verbis Domini: Magis, inquit, cogitare debetis, quid vobis desit, quàm quid vobis adsit. Si enim cogitas quantùm præcessisti, time tumorem, si quantùm tibi deest, adhuc humilis eris.

§. V.

Vera sapientia non obstinata, sed suadibilis est.

DEBET etiam vera, ac sancta sapientia esse suadibilis, seu obediens. *Qui* Eccles. 6. *enim dilexerit audire, sapiens erit.* Ideóque Salomon cùm sapientiam à 3. Reg. 3. Deo postulat, sibi quoque dari cor docile, seu, vt vox Hebr. sonat, audiens, poposcit. Vnde Plato, sicut ait Macrob. lib. 1. in somnium Scipionis, posuit docilitatem inter partes prudentiæ. Videndúsque est D. Thomas 2. 2. q. 49. art. 5. in corpore.

2. Tim. 2. IDEOQVE Paulus voluit, Episcopum esse docibilem. Quod Cyprian. in epist. ad Stephanum, & Aug. contra Donatist. c. 6. volunt intelligendum esse, & actiuè, & passiuè, sicut hoc in loco Brixian. intelligit suadibilem. Quia oportet, ait Cyprian. non tantùm docere, sed etiam discere; quia idem meliùs docet, qui quotidie proficit, & crescit discendo meliora. Ex quibus verbis colligit Aug. Cyprianum fuisse paratum, non solùm ad alios docendos, sed etiam, vt ab aliis inferioribus, & indoctis doceretur.

VIDENDVS etiam hac de re idem Cyprian. de singularitate Clericorum, & epist. ad Pompeium. Videndus item Bernard. Serm. 3. de Resurrect. vbi de Christo Domino ita loquitur: Attende, quid fecerit magni consilij Angelus, quomodo postposuerit consilium suum consilio, vel magis voluntati mulieris vnius, & fabri pauperis Ioseph; inuentus enim in medio Doctorum audiens eos, & interrogans quodammodo increpatus est à matre: *Fili quid fecisti nobis sic? at ille inquit. Quid est quòd me quærebatis? nesciebatis,* Luc. 2. *quia in his, quæ Patris mei sunt, oportebat me esse? Illi non intellexerūt verbum.* Et quid fecit Verbū? nō excipiebatur in se, descēdit, vt esset subditus illis. Quis iam nō erubescat obstinatus esse in cōsilio suo, quādo suū sapiētia ipsa deseruit? Sic mutauit consilium suum, vt quod iam tunc cœperat, ex tunc vsque ad trigesimum ætatis suæ annum prorsus dimiserit, O Domine, voluntas de qua

qua dixisti, vt non fieret, si bona non erat, quomodo tua erat? & si bona, quare derelicta est? Et respondet Bernard. Consilium Christi erat, & bonum erat, mutauit illud consilium, vt nos mundaret ab ea lepra, quæ proprij consilij est.

VIDENDVS pro hac re Cassian. Collatione 17. vbi ait. Si principia consilij non approbantur, prudétia est vt vtili addita prouisione reparentur, si claudicat & ad prima statuta dispositio, adhibeatur & secunda correctio; rectius est incongrua constitutione submotá, ad meliorem transire sententiam, quàm statutis pertinaciter inhærendo, grauioribus peccatis obligari. Quod probat ex parabola quæ est apud Matth. in qua pater duos filios misit ad operandum in vinea, quorum alter ire noluit statim, alter autem obediuit, sed non iuit. Sed nec illi profuit, inquit Cassian. humilis responsio, quia præceptum paternum non impleuit; nec alteri nocuit refragatio paternæ iussionis, quia exequutione cópleuit id, quod reprehensibiliter obtrectauerat, & definitione correcta laudabiliter emendauit; quod non faceret si obstinatus omnino permaneret. *Matt. 21.*

Sicut autem proprium est illius sapientiæ quæ desursum est, suadibilem se præbere; sic etiam proprium est sapientiæ terrestris, mundanæq; ignorantiæ induratam omnino esse, & nullis aut monitis, aut exhortationibus emolliri, & suaderi, Qua de re videndus Greg. 13. Moral. cap. 14. vbi ponderat ea verba Iob. *Igitur vos omnes conuertimini, & venite, & non inueniam in vobis vllum sapientem.* Quid est, ait Gregor. quòd eos ad sapientiam vocat, & tamen optat, ne illos sapientes inueniat? nisi quòd ad veram sapientiam venire non possunt, qui falsæ suæ sapientiæ fiducia decipiuntur, de quibus scriptum est; *Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes.* Et quibus rursum dicitur; *Nolite prudentes esse apud vosmetipsos.* Vnde idem Prædicator egregius, hos quos carnaliter sapientes inuenerat, vt sapientiam veram perciperent, priùs fieri stultos quærebat, dicens: *Si quis inter vos videtur sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, vt sit sapiens.* Quibus verbis vult Paulus, vt qui ad diuinam sapientiam accedit, suadibilis omnino fiat, se ignorantem omnino, & veluti stultum reputando, quò doctus euadat per infusionem sapientiæ desuper descendentis, alioqui indoctus remanebit, & frustra laborabit qui eum edocere voluerit. *Iob. 17.* *Isai 5.* *Rom. 12.* *1. Cor. 3.*

VNDE D. Irenæ. lib. 4. aduersùs hæref. cap. 41. existimat propterea dixisse Paulum se abundantiùs præ omnibus laborasse, quia cùm ipse Prædicator & Apostolus, & Doctor gentium esset constitutus, magis laboriosum, & arduum ipsi fuit gentibus, quæ scientia, & vana doctrina pollebant, veritatem suadere, & in earum animos introducere. Videndus etiam August. Serm. 13. de verbis Apostoli, vbi ait: Impia mens odit etiam ipsum intellectum, & homo aliquando nimiùm mente peruersa timet intelligere, ne cogatur, quod intellexit, facere: quibus qûando voluerint, non adueniet vera sapientia, quæ solis suadibilibus, & obedientibus; cùm suadibilis & obediens sit, communicari solet. *1 Cor. 15.*

§. VI.

Vera sapientia pietate, & misericordia plena.

PLENA deinde est sapientia cœlestis misericordia. Definitur autem misericordia ab Aug. lib. 19. de Ciuit. Dei c. 5. Est alienæ miseriæ in nostro corde compassio. Et D. Thom. 2. 2. q. 30. art. 1. & 2. & 4. Dicitur misericordia ex eo, quòd aliquis habeat miserum cor super miseria alterius, & de ea doleat: quia verò dolor, ac tristitia est de proprio malo, in tantum aliquis de miseria aliena tristatur, aut dolet, in quātum miseriam alienam apprehendit vt suam. Sapientia ergo cœlestis plena est misericordia, & hac in re Deum imitatur, qui diues est in misericordia, quia quo plus agnoscit aliorum miserias, & labores, eo amplius circa eos afficitur. Quod dixit Paulus;

2. Cor. 11 *Quis infirmatur & ego non infirmor?* Addit verò D. Thom. ibi lect. 4. In corde dolens de eo, sicut de me; quis scandala patitur, malo scilicet pœnæ, & quis patitur tribulationes, & ego non vror igne compassionis?

Cap. 9. ET Hierem. vult caput, aut cerebrum in aquam fundi, & oculos verti in fontes lacrymarum ad præsentiam calamitatum Hierusalem. Quod argumentum prosequitur Cypr. lib. de Lapsis; vbi ait: Doleo vobiscum fratres, cum singulis copulo pectus meum, cum iacentibus iacere me credo, in prostratis fratribus, & me prostrauit affectus. Quibus habet similia Greg. 3. Moral. c. 10. quod etiam notauit Chrysost. hom. 25. in Genes. in eo,

Genes. 9. quòd Deus à foris clausit ostium arcæ Noë in diluuio. Clausit Dominus, ait, forinsecus arcam, ita vt non posset videre iustus generalem omnium interitum, vnde fiebat, vt maiori dolore conficeretur. Nam si expédisset secum atrocissimam illam tempestatē, mœstitia correptus, & valde turbatus fuisset. Bonorum enim virorum animæ magnam compassionem habere solent, si quando vident puniri homines, etiamsi mali sint qui pereunt.

FACIT etiam id, quod dixit D Leo Serm 10. de Quadrages. Pulchrum valde est, & diuinæ beneuolentiæ comparandum, sui quemque in altero meminisse; & Serm. 11. Apud summum Patrem, qui non fuerit in charitate fratrum, non habebitur in numero filiorum, sed cum diabolo potiùs commutabitur. De quo Bern. Serm. 3. de verbis Isaię c. 6. Tu quidem habuisti miser lucem, sed ardorem non habuisti; bonum erat tibi, si ignifer magis esses, quàm lucifer, nec tam immoderato appetitu lucendi, vt eras frigidus, ipse frigidam quoque eligeres regionem. Quibus habet similia de gradibus humilitat. dicens: O Lucifer non iam lucifer, sed noctifer, aut etiam mortifer. Qui enim nullū charitatis lumē habuit, in cęcitatis nocte remāsit.

DEBET ergo verus sapiens instar apis esse portantis ceram & mel, vnde scilicet lumen accendat scientiæ, & infundat saporem gratiæ, ac misericordiæ, sicut prosequitur idem Ber. Ser. 8. in Cant. Proindéque ij, qui similes Filio Dei, ac Diuinæ sapientiæ esse debent, misericordes sunt; qui verò crudeles, insipientes omnino sunt, qui ad ostensionem alienæ calamitatis potiùs lætantur, quàm cōmoueantur. Ideóque Deus per Michæam dixit;

dixit; *Nolite annunciare in Geth, lacrymis ne ploretis*. Geth vna de quinque vrbibus Palæstinæ erat, vicina Iudææ confinio; vnde fuit Goliath, vt ait D. Hieronym. Ait ergo Deus: Nolite hæc mala, quæ vobis prædico, annunciare in Geth, à Barbaris scilicet habitata, ne ferarum more insipientes incircuncisi lætentur. Taléque est illud; *Nolite annunciare in Geth, neque annuncietis in compitis Ascalonis, ne fortè lætentur filij Philisthiim, ne exultent filiæ incircuncisorum.* Mich. 1. 2. Reg. 1.

In quam sententiam videndus Theophyl. qui aduertit, conseruum illum crudelem, & immisericordem egressum fuisse à domino suo, quando tenens suffocabat conseruum. *Egressus*, inquit sacer Textus, *seruus ille, inuenit vnum de conseruis*. Ait ergo Theophylact. Nullus, qui in Deo manet, cõpassionis expers est, sed ille seruus egressus erat, & à Deo alienus erat. Ideóque fatuæ & immisericordes Virgines à consortio, & nuptiis sponsi excluduntur; quia misericordiæ oleum secum non habuerunt, quod tamen non defuit sapientibus, quia vera sapientia misericordia plena est, & operibus bonis, de quibus à nobis satis dictum est. Mat 18.

§. VII.

Sapientia non malè de aliis iudicat.

SAPIENTIA etiam non iudicans est, id est, malè de proximo iudicans, & sine fundamento. Cùm tamen rectum iudicium ad sapientiam potiùs pertineat, sicut notauit D. Hieron. Isai. 1. ad ea verba; *Quærite iudicium.* vbi Hieron. ait: Ostendit non esse omnium rectè iudicare, sed eorum, qui prudentes sunt. Denique & Salomon in visione per somnium hoc à Deo postulauit, vt accepta sapientia, iustè populum iudicaret. Non est ergo iudicans sapientia, temere imprimis, & sine fundamento. Inde enim incepit hominis insipientia, ex eo quòd mulier iudicauit insipienter de oblato per serpentem pomo. Dicitur enim; *Vidit mulier, quòd bonum esset lignum ad vescendum.* Super quæ verba ita ait Ambros. lib. de Paradiso cap. 13. Infirma author iudicij, quæ de eo, quod non gustauerat, iudicabat. Et ideo non facilè, nisi quid diligentiùs pertractauerimus, quod interiori probauerimus affectu, videtur ad opus aliquod esse sumendum. Neque enim iudicat sapientia, nisi præuio examine, & præhabita probatione. Isai. 1. Gen 3.

Hoc imprimis Deus docuit, dixit enim: *Descendam, & videbo vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an non:* Quæ verba explicat D. Greg. lib. 19. Moral. cap. 14. dicens; Ecce malum, quasi cum difficultate credidit, cùm audiret, & tamen sine tarditate percussit, cùm verum agnoscendo reperit; vt nobis daret exemplum, quòd maiora crimina, & tardè credenda sunt, cùm audiuntur, & citiùs punienda, cùm veraciter agnoscuntur. Gen. 18.

FACIT etiam pro præsenti argumento id, quod notauit Chrysol. Ser. 125. circa parabolam de homine diuite, qui vocauit villicum diffamatum, eique dixit, Luc. 16. *Quid hoc audio de te?* cùm tamen homo diues Deum significet,

 cuius

cuius sapientiam nihil latet, aut fugit. Ait ergo Chrysolog. Cognita, velut audita imputat, quia in reum non vult accelerare sententiam, & conuictum penes se, velut accusatum conuenit; quia iudicium gestit venia sic præire, simúlque vt nos doceat iudicium suspendere, ne citò proferatur.

Ioan. 13. IDEOQVE, cùm Christus Dominus dixisset: *Et vos mundi estis, sed non omnes;* statim addit Euangelista. *Sciebat enim, quis esset eum traditurus, propterea dixit: Non estis mundi omnes.* Vnde Nazian. Orat. in laudem Athanasij; Malus celerrimè etiam adducitur, vt bonum etiam virum condemnet, contrà vir probus ne malum quidem facilè condemnauerit.

SI autem velimus rationem indagare, cur homines malè de aliis iudicent, ea profectò reperietur, quòd scilicet fratres non diligant: solet enim charitas & aliena peccata operire, & bene de aliis sentire. Quod appositè probatur ex eo, quod D. Irenæ lib. 3. cap. 11. legit illud Matth. 12. desumptum ex Isai. 42. *Ecce puer meus, quem elegi, & in quo bene complacui*, legit inquam, *ille in quo bene sensi:* statim enim atque aliquis per charitatem complacet in patre, illicò de eo bene sentit, ac iudicat. Similis prorsus est ille alius locus apud Matth. in cap. 17. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* vbi D. Cypr. lib. de Baptismo, & lib. 1. contra Iudæos legit, *de quo bene sẽsi.* Verbũ enim Græcũ vtrũque significat, sicut aduertit Card. Tol. in cap. 3. Luc. annotatione 51. Qui ergo rectè diligit, rectè iudicat. Et D. Hierony. de vitando suspecto contubernio: Faciliùs mala credunt homines. Videndus etiam Epictet. Enchirid. cap. 60. dum ait: Lauatur quis citò, ne dicas malè eum lauari, sed citò; bibit quis multùm vini, ne dicas malè, sed multùm: nisi enim eius consilium scias; vnde scis an malè? Sic enim accidet vt aliorum apprehensiuas imagines accipiamus, aliis autem assentiamus.

SICVT enim multi dixerunt, in simplici apprehẽsione non reperiri veritatem, aut falsitatem: sic & nos simplici apprehensioni non debemus tribuere veritatem, statim de eadem iudicando, sed debet iudicium præcedere informatio, quæ est velut apprehensio, sicut notauit D. Thom. 1. poster. lect. 1, Namque, sicut dixit Hierony. epist. 5. non conscientiæ latebras hominibus scire, aut nudare permissum est, dicente Scriptura; *Homo in facie videt: Deus autem in corde.* Propterea ergo sapientia non iudicat. i. sine fundamento, & insipientium more. Vnde Ber. epist. 42. ponderans ea verba Christi Ioa. 5. *Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio;* quia filius hominis est, ait, & ego mihi præsumam, quod nec ipse Pater ex eo sibi assumit?

NEQVE etiam malè de aliis iudicat: nam cùm & se sapienter agnoscat, & aliorũ imbecillitates nouerit, in iudicium iniquum nullatenus adducitur. Tota namque ratio malè de aliis iudicandi prouenit, quòd priùs impij, & imprudentes iudices nostri simus. Quod notauit Ambr. Ser. 20. in Ps. 118. dicens: Graue est de alio iudicare; scriptum est enim: *Nolite de alio*

Luc 6. *iudicare, & non iudicabimini.* Cùm enim vnusquisque sit suorum conscius delictorum, quomodo de alterius iudicare potest peccato? Iudicet de alterius errore, qui non habet, quod in seipso condemnet, iudicet ille qui non

non agat eadem, quæ in alio putauerit punienda, ne cùm de alio iudicat, in se ferat sententiam.

His habet similia Greg. hom. in c. 7. Luc vbi agit contra Pharisæum malè de Christo, & Maria iudicantem. Necesse est, inquit, semper, vt cùm quoscunque peccatores aspicimus, nosmetipsos prius in eorum calamitatibus defleamus; quia fortassis in similibus, aut lapsi sumus, aut labi possumus. Et 3. Moral. c. 18. Qui ad alta virtutum surgere veraciter appetunt, cùm alienas culpas ostendunt, mox ad cor proprias reducunt, & tanto rectiùs illas diiudicant, quanto veriùs istas deplorant. Luc. 7.

In quam sententiam facit id, quod Sponsa de diuino Sponso, Sapientia scilicet Dei, ait: *Venter eius eburneus*; ex Heb. verò dicitur, *Venter eius candidus, niuidus, splendidus, sicut ebur.* vbi indicatur ventris .i. pectoris, animi, seu mentis mundities, & puritas, cogitationum nitor, ac splendor. Septuaginta verò habent; *Venter eius, pixis eburnea*; vt nitamur imitari diuinam Sapientiam, quæ mentem habet vnguentis suauissimis plenam, vt nihil inde per verba exeat, nisi suauissimis odoribus conditum, nihil ibi fœtidum, aut putidum sit, nihil contra famam, ac bonum nomen proximi verbis eructemus, nullum fœdum, ac turpe iudicium contra proximum in nobis reperiatur: sed quicquid à mente nostra processerit, & quodcumque iudicium efformauerimus, efflet odorem è domo, & ventre eburneo, & audientes videant, & audiant iudicia, & verba nostra flagrantia vnguentis optimis. Is enim qui verè sapiēs est, de aliis minimè iudicat, eos condēnando, vel quia propria agnoscit mala, vel quia nescit de aliis nisi bona iudicare, Cant. 5.

Non iudicat etiam sapientia creata; quia sola diuina Sapientia potest de hominibus iudicare: *ipse* enim *noscit quid sit in homine*, cùm noscat omnes. qua de re videndus Tertull. lib. præscript. c. 3. Ioan. 2.

At verò hominis iudicium plerumque deficit, multísque modis aberrare solet. Præcipuus verò, maximéque vsitatus est, cùm secundùm præterita vult iudicare præsentia. In quo maximè decipitur, & de quo mysticè intelligit Lorin. illud. Ps. 6. *Inueteraui inter omnes inimicos meos*; solet enim ab inimicis repeti & renouari vetustas veteris hominis, etiamsi renouatus iam sit, cúmque iudicant secundùm priorem vitam, cùm tamen non sint reprobandi, nisi qui actualiter iniquè agunt, non verò qui iniquè egerunt, sicut optimè notauit D. Hierony. ad illa verba eiusdem Ps. *Discedite a me omnes qui operamini iniquitatem*; vbi aduertit, non dixisse Prophetam, omnes, qui operati estis, sed, qui operamini: potest enim qui operatus est iniquitatem, resipuisse, & virtutem modò operari. Vnde D. Hierony. epist. ad Rustic. de Deo ait: Vnumquemque iudicat, sicut inuenerit, nec præterita considerat, sed præsentia; si tamen vetera crimina nouella conuersatione mutentur. Ideóque deceptus est Simon, dum Mariam ex præteritis iudicans, Christū Dominū calūniabatur, quòd eam ad se recepisset; nō vidēdo, quæ & qualis tūc esset. Erat enim eadē, sed altera; altera, sed ipsa, sicut eleganter prosequitur D. Pet. Chrysol. Ser. 74. & 75. Verus proinde sapiēs ne in falsum & erroneum iudicium incidat, non iudicans debet esse. Luc. 7.

§. VIII.

§. VIII.

Vera sapientia secum non admitit simulationes, & falsitates.

Iob. 12 EST etiam iustorum sapientia sine simulatione; quod prosequitur D. Greg. lib. 10. Moral. c. 16. ad ea verba Iob. *Deridetur iusti simplicitas*, vbi sic ait: Huius mundi sapientia est, cor machinationibus tegere, sensum verbis velare, quæ falsa sunt, vera ostendere, quæ vera sunt, falsa demonstrare, at contrà sapientia iustorum est, nihil per ostensionem fingere, sensum verbis aperire, vera vt sunt, diligere, falsa deuitare, bona gratiæ exhibere, mala libentiùs tolerare, quàm facere, nullam iniuriæ vltionem quærere; sed hæc iustorum simplicitas deridetur, quia ab huius mundi sapientibus puritas vitæ, fatuitas creditur; & hæc est ratio, cur simplicitas prudentiæ
Mat. 10. adiungatur. *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ*; & è contrà in-
Isai. 32. sipientiæ adiungatur fraudulentia. *Non vocabitur vltrà is, qui insipiens est, Princeps, neque fraudulentus vocabitur maior.*

HÆC est ratio, cur Spiritus sanctus, qui Spiritus sapientiæ dicitur; secundùm elegantem, nec omnino improbabilem sententiam D. Thomæ 3. p. q. 39. art. 7. quicquid recentiores reclament, dixerit, eam columbam, in qua Spiritus sanctus apparuit, fuisse veram columbam; quæ est sententia Augustini lib. de agone Christiano. c. 22. Anselm. in c. 3. Matt. & Hugonis Cardin. in c. 2. Ioan. vt Scholasticos multos omittamus in 1. sentent. Nam, sicut dixit D. Thom. Spiritus sanctus, cùm sit Spiritus veritatis, non debuit fictione aliqua vti, & apparẽti columba homines fallere, qui etiam neque animabus nostris sapientiam infundit, quæ simulata & fallax sit: hoc enim maximè detestatur Deus, vt videre est in eo præcepto Deut. vbi pro-
Deut. 22. hibet ne vir muliebrem habitum simulet, aut mulier virilem induat.

VNDE Rupert. lib. 3. in Exod. c. 37. aduertit illud, quod habetur in
Exod. 21. Exod. *Siquis per industriam occiderit proximum suum, per insidias ab altari meo auelles eum, vt moriatur.* Ab altari, inquit Rupert. meo auelles eum, vt moriatur. i. etiamsi ad altare meum confugerit, illuc vsque persequeris eum, auulsúmque interficies, quia videlicet ei nihil debet fides altaris, qui per dolum occidendo proximum, omnem fidem perdidit.

IVRE ergo nemo, vel Salomonis iudicium, vel Banaiæ manum reprehendit, quia Ioab profugum in tabernaculum Domini, tenentémque cor-
3. Reg. 2. nu altaris, & dicentem: *Non egrediar, sed moriar*; ibidem ingressus interfecit, quia occidit duos viros iustos meliores se, Abner, & Amasan principes militiæ, & effudit sanguinem belli in pace. i. in osculo pacis dicendo, *Salue mi frater, tenens manu mentum eius, more osculantis*, non, inquam: iure quisquam hoc reprehendit, quòd hic talis auulsus est ab altari, & interfectus, dicente Domino de huiusmodi: *Ab altari meo auelles eum, vt moriatur.* Videndus etiam idem Rupert. ad ea verba Sophoniæ: *Visitabo super omnes qui induti sunt veste peregri*

peregrina. Vſque adeò inimicus eſt Deus ſimulationis, qui ſimplicem tantummodo ſapientiam, & ſine ſimulatione infundit. Plura de hoc argumento diximus cap. 1. n. 8. §. 4.

Verſ. 18. *Fructus autem iuſtitiæ in pace ſeminatur facientibus pacem.*

EXPOSITIO LITERALIS.

TOTAM doctrinam traditam claudit Apoſtolus docendo contra contumelioſos, & inuidos, de quibus ſuprà multa dixerat, pacis ſtudioſos ingentem fructum, ac mercedẽ recepturos eſſe.

PRO intelligentia ergo iſtius loci notandum eſt id, quod dixit hîc Beda. Omne quod in hac vita agimus ſemen eſt futuræ retributionis. Quod dixit Paulus ad Galatas; *Quæcumque ſeminauerit homo, hæc & metet; quicumque enim ſeminat carnem, de carne metet corruptionem, qui autem ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam.* Galat. 6. Fructus etiam iuſtitiæ interdum vocatur operatio virtuoſa ex iuſtitia procedens, iuxta illud; *Habetis fructum veſtrum in ſanctificatione*, Rom. 6. id eſt, vt magis ac magis ſanctificemini, continuis virtutum operibus. Et Ioan. Bap. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur.* Matth. 3. Duplex itaque fructus, alter in hac vita, ſcilicet maior ſanctificatio, nouáque gratiæ infuſio, alter in gloria. De vtroque poteſt intelligi hic locus, ſed ferè de poſtremo intelligitur.

FRVCTVS ergo *iuſtitiæ ſeminatur*, id eſt, exercetur, vel promeretur in pace. Imprimis cum Deo, eum ſibi per pœnitentiam reconciliando, illíque omnino adhærendo diuinæ conſortes naturæ facti per gratiam, in qua quãdiu ſumus pacem habemus cum Deo, quod dixit Paulus; *Iuſtificati in fide pacem habeamus ad Deum.* Rom. 5.

DEBEMVS etiam ſeminare in pace cum proximo, quam Deus maximè requirit, & monet Paulus: *Si fieri poteſt, quod in nobis eſt, cum omnibus pacem habentes.* Rom. 12. Adderent hoc loco nouiores Hæretici, debere etiam ſeminari fructus iuſtitiæ in pace, & tranquillitate conſcientiæ orta ex fide, qua homo credit ſibi eſſe remiſſa peccata per Chriſtum. Sed audiant Apoſtolum dicẽtem, *Cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini.* Philip. 2.

ILLVDQVE hoc loco notandum ex Orig. in c. 5. epiſt. ad Rom. pacem apud ſe iuſtos non habere, paſſionibus aduersùs rationem militantibus, & carne concupiſcente contra ſpiritum, & dæmone impugnante. Quod dixit Aug. Ser. 12. de verbis Apoſtoli. Nihil in te alteri reſiſtit? Vide ne fortè ideo non ſit bellum, quia pax peruerſa eſt, fortè in totum carni conſentiens, & nulla rixa eſt. Qua de re videndus Nazian. Orat. 16.

EST ergo ſenſus: Fructus gratiæ, vel gloriæ promeretur, ac obtinetur per opera facta in pace cum Deo, & cum proximo, fiúntque talia opera in commodum, & vtilitatem eorum, qui pacem faciũt, id enim ſignificat

(*facientibus pacem,*) id est, pacificis. Neque verò est contra hunc locum ille
Gal. 5. alius diui Pauli: *Fructus spiritus est pax*; quia semen & fructus eiusdem rationis sunt, & Deus pacis, & dilectionis eam semper in nobis voluit reperiri.

§. I.

Quàm necessaria sit pax fidelibus.

HIc ergo locus ostendit, quàm necessaria sit pax ad hoc, vt Deo placeamus in operibus nostris, quod Christus Dom. significauit, cùm di-
Matt. 5. xit: *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduersùm te, relinque ibi munus, & vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.*

Ex quo imprimis præcepto colligitur, quàm intolerabilis culpa sit inimicitia cum fratre, cùm propterea hostia, & oblatio reprobetur, qua etiam reprobata, Deo nulla fiunt acceptabilia; quantáque pax; & dilectio in Sacerdotibus, & fidelibus requiratur, qui immaculatam hostiam Patri offerunt, & incruento astant sacrificio. Vnde & olim in altari semper conseruatus est ille ignis, qui de cœlo descendit, vt obseruat Lyr. in c. 4. Num. ex Rabbi Salom. quia illa charitas decet viros Ecclesiasticos & Religiosos, quæ è cœlo oritur, & nunquam extinguitur, sed perpetuò conseruatur.

ILLVD insuper aduertendum, quod notauit Greg. 3. p. Pastoral. admonit. 23. Cùm mala cætera bonis sequentibus diluantur, pensemus, inquit, quanta mala sunt discordiæ, quæ nisi extincta funditùs fuerint, bonum sequi non permittunt, quia scilicet semen omnino corruptum reddunt; vnde fructus poterat exoriri, imò quantumuis cæteris virtutibus quis polleat, Deo sine pace, nullatenus placere poterit. Exemplúmque affert idem Greg. Vt si fortasse, inquit, carnem præ cæteris gulæ refrænatione quis edomat, concordare verò eis, quos superat, abstinendo, contemnat, quid eum admoneat Psalmista, perpendat; ait enim: *Laudate eum in tympano, & choro.* In tympano namque sicca, & percussa pellis resonat, in choro autem voces sociatæ concordant. Quisquis itaque corpus affligit, sed concordiam deserit, Deum quidem laudat in tympano, sed tamen eum non laudat in choro. Quasi inde colligat Greg. nostra opera quantumuis à cæteris virtutibus procedant, nisi in pace seminentur, nullatenus Deo placere posse, nec in laudem ipsius cedere.

Hoc etiam prosequitur Orig. hom. 7. in Num. cùm ponderat ea verba
Psal. 88. Ps. *Beatus populus, qui scit iubilationem.* Non dixit, ait Orig. qui operatur iustitiam, vel qui scit mysteria, vel qui scit cœli, ac terræ, & syderum rationem, sed beatus, qui scit iubilationem. In aliis timor Dei beatū facit, sed vnum
Psal. 111. tantùm hominem beatum facit. *Beatus vir, qui timet Dominum*; alibi plures
Matt. 5 fiunt beati, sicut pauperes, vel mansueti, vel pacifici, vel mundi corde. Hic beatitudo profusa est, & tantæ hic nescio quæ causa beatitudinis indicatur, vt vniuersum pariter populum faciat beatum. In tantum enim placet Deo sanctum

ſanctum pacis ſemen, vt ſanctos reddat vniuerſos fructus, qui in ea ſeminantur, & non in peculiari quodam ſolo, vt cætera terræ ſemina ſolent, fructificat, ſed in quancumque terram iaciatur hoc ſemen, quod è cœlo Angeli attulêre, inde ad cœlum iterum fructificando ſurgit, & terrenum hominem eleuat.

Qvod ſi velimus expendere, cur Deus tanti faciat pacem, nulla alia potior occurrit, quam quòd pax maximam Dei ſimilitudinem refert, in quo cùm tres perſonæ ſint, vnica voluntas eſt, vnus amor, omnimodúſque conſenſus reperitur. Etenim, ſi ex vnitate fidei ſimilitudinem cum Deo colligit Nazianz. Orat. 2. de pace in hæc verba: Quòd ad diuinitatem attinet, non minùs, quàm ipſa ſecum diuinitas (niſi hoc nimiùm ſublimiter, ac magnificè à me dictum videatur) inter nos conſentimus, cócordéſque ſumus, labiúmque vnum, & vox vna exiſtimus, contrario tamen modo, atque ij, qui turrim olim extruebant, animo, atque ore Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum celebremus, idque de nobis prædicetur, quòd verè in nobis ſit Deus, eos, à quibus vnitur, vniens; maiori cũ ratione ex dilectione, amore, & pace debet colligi. Qua de re dixit idem Nazian. Orat. 1. de pace. Trinitas quidem Deus vnus eſt, & eſſe creditur, non minùs propter concordiam, quàm propter ſubſtantiæ identitatẽ, ac proinde ait: Qui pacis bonum amplexantur, eiq; cõtrariam diſſenſionẽ ſeditionémque infensè oderunt, ad Deũ, diuináſque mentes accedunt, ipſúmque Deũ, & adorãdiſſimã Trinitatem in terra referunt. quod etiam proſequitur Ber. Ser. 5. de Aſſumptione. Si ergo, inquit, Deus noſter vnus eſt, dicente Moyſe; *Audi Iſrael, Dominus Deus tuus, vnus eſt*, & nos quiſque ſibi vnus per integritatem virtutis, & vnum cum proximis per vinculum dilectionis eſſe debemus. Deut. 5.

Hinc eſt, quòd Deus iuſſit arcam Noë interiùs, exteriúſque bitumine oblini, vt ſacer Textus aſſerit Gen. 6. Reddit autem rationem D. Iſid. in Geneſ. 14. Vt ex compage, inquit, vnitatis ſignificetur tolerantia charitatis, ne concuſſa Eccleſia ab his, qui intus, vel foris ſunt, cedat à fraterna iunctura, eſt enim bitumen feruentiſſimum, & ſignificat dilectionis feruorem ad tuendam ſocietatem omnia tolerantem, &c.

Deinde etiam tanti facit Deus pacem, quia, velut propriam virtutem, & peculiare Dei bonum in iis, in quibus reperitur, agnoſcit pacem, eámque proinde iis plus cæteris communicat. Pro qua re notandus celebris locus apud Nazian. Orat. 3. de pace. Vbi aduertit, Deum ſibi omnibus modis pacem vendicaſſe, & omnibus titulis propriam feciſſe. Sic enim ait Nazianz. Pax amica, meditatio mea, & Deus meus, quã & Dei, & cuius Deum, & quam Deum eſſe, Scriptura pronunciat. Namque modò dicitur pax eſſe Dei. *Pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum.* Modò ipſe Deus dicitur pacis. *Deus pacis, & dilectionis.* Deinde etiam pax, dicitur Deus, vel Deus, nominatur pax. *Ipſe eſt pax noſtra.* Non potuit autem ampliùs pax ipſa commẽdari, quàm vt Deo toties coniungeretur, & Deus illi veluti addiceretur. Philip. 4. 2. Cor. 13. Epheſ. 2.

Hanc & Filius Dei ſecum è cœlo detulit, prædicauit hominibus, legauit moriens, reliquit poſt mortem, profeſſúſque eſt, dum vel traditorem,

amicum appellauit, & quò omnes in visceribus pietatis vniret, & colligaret, latus aperiri voluit, proindéque dum pacem dedit, post resurrectionem latus insuper apertum ostendit. Dixit enim, *pax vobis, & ostendit eis latus.* Vnde Guarric. Serm. 4. in Ram. palm. Latus perforari sibi tulit, & se mihi totum aperuit, vt ingrediar in locum tabernaculi admirabilis, & protegar in abscondito taberneculi sui. Similiáque habet Bernar. Serm. 7. in Psalm. *Qui habitat.* Denique, si velimus perspicere omnia, quæ Filius Dei in carne egit, pacem redolent, ac resonant, vt iam liceat cum Psalmista dicere *Venite, & videte opera Domini quæ posuit prodigia super terram, auferens bella vsq. ad finem terræ, arcum conteret, & confringet arma, & scuta comburet igni.*

Ioan. 20.

NOTANDVSQVE venit hic quidam locus apud D. Paulinum epist. 2. qui rem prorsus videtur conficere, nobisque ostendere, quanti Christus Dominus pacem faciat; ponderat enim osculum proditoris Iudæ libenter Christum Dominum suscepisse, vt illo violatam, & repudiatam à Iuda pacem, & amicitiam, veluti ab indigno subiecto colligeret, ne pretiosum pacis donum, in pacis inimico periret. Osculum, inquit, Paulin. non ideo suscepit, vt pacem proditoris acciperet, sed vt suam ab alienato reciperet.

IN cœlo verò vbique relucet pax, imò cælestis Hierusalem pace circundata est, cùm muros de pace constructos habeat, sicut prosequitur August. Serm. 168. de Tem. Ibi enim confregit Dominus potentias, arcum, scutum, gladium, & bellum; quia in pace factus est locus eius, & non est vmbraculum Domini, nisi vbi pax est. Quod prosequitur D. Hieronym. in Psalm. 85. tom. 8. Cœlestibus insuper ciuibus nihil tam proprium est, quàm pax, & concordia, sicut docet Nazianz. Orat. 1. de pace. Itaque pacem æstimat Deus, vt propriam virtutem eam agnoscens, & fructus, qui in pace seminantur, remunerat. Ideóque vbi pacis vocem audit, statim fructus quibus delectatur, appropinquare censet. *Flores,* inquit, *apparuerunt in terra nostra, tempus putationis aduenit, vox turturis audita est, ficus protulit grossos suos.* Hæc omnia bona prædicat, & aduentare affirmat diuinus Sponsus audita voce turturis, quæ vox consortij, vnionis, & pacis est, sicut ponderat Ber. Serm. 59. in Cantic. Est enim ea auis socij amantissima.

§. II.

Prosequuntur rationes pacis inter fideles, & belli cum concupiscentia.

DEBEMVS etiam pacem habere cum fratribus nostris, eodem Deo parente natis, eisdémque doloribus in cruce renatis, pro qua ipse Patrem exorauit dum dixit: *Rogo vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te.* Intelligendum autem est de vnitate charitatis, non naturæ, id, quod ait, *vt & ipsi in nobis vnum sint,* sicut exposuit Aug. tract. 14. & 39. in Ioan.

Ioan. 17.

IDEOQVE Orig. hom. 13. in Leuit. ex præsenti Iacobi loco deducit, non posse accepta esse Deo opera nostra nisi in pace peragantur. De hac oliua,

ua,inquit(pace scilicet) oleum premamus operum nostrorum, ex quo lucerna Domino possit accendi, vt non in tenebris ambulemus: qui diligit fratrem in charitatis luce perdurat,& cū fiducia potest dicere:*Ego sicut oliua fructifera in domo Dei.* Est enim oliua symbolum pacis,& cōcordiæ. Et Chrysost.homil.8.in 1.ad Cor.Vt in Christo vniamur, multa mouere nos debēt, quia ipse est caput,nos corpus, ipse fundamentum, nos ædificium,ipse vitis,nos palmites,ipse pastor, nos oues,& cætera quæ prosequitur;& ostendunt necessitatem pacis & concordiæ inter nos,& ipsum Deum. *Psal. 51.*

VIDENDVS item Ber.Ser.5.de Assumptione,vbi ostendit semen meritorū,de quo loquitur Iacobus,in pace contineri, & insuper fructum in beatitudine,ita enim sibi correspondent,& semen, & fructus. Vnitas,inquit, Sanctorum alia est quæ iustificat,alia quæ glorificat.vna meritū, alia præmium;vnitas quæ in hac vita habetur,est decus suauitatis,de qua scriptum est; *Ecce quàm bonum,& quàm iucundum habitare fratres in vnum.*Cùm enim descripsisset Propheta pulchritudinem,non tacuit vtilitatem, quoniam illìc mandauit Dominus benedictionem, & vitam,hìc benedictionem,in futuro vitam æternam. *Ps. 132.*

SIMILIA habet Serm.1. de Sancto Michaële, vbi ponderat illud Pauli: *Nemo in Spiritu Dei loquens,dicit anathema Iesū*; quia anathema separatio est, & omnis quia ab vnitate diuiditur,nō dubites,quin ab eo recesserit spiritus vitæ;vbi autem spiritus vitæ non est,quomodo fructus vitæ adesse, & reperiri potest?Nec omittendus Ambros. dum reddit rationem quare fideles inter se pacem, & vnitatem debeant seruare; sic enim habet Serm.10. Si te non læsit frater,obsequium meretur, vt vincas;hæc enim nostræ Christianitatis summa est,vt amantibus vicissitudinem, lædentibus patientiam rependamus. *1.Cor.12.*

NOTAVIT etiam pro præsenti argumento August. Serm. 27. de Tempore,Deum iussisse Abrahamo,vt animalia diuideret in sacrificio, aues verò integras reliquisse.In turture,inquit, & columba spirituales possunt significari,vt in illis tribus animalibus carnales intelligi. Ergo diligenter attende,quia diuisit animalia in duas partes; aues verò non diuisit,quia in Ecclesia carnales diuiduntur, quòd sibi inuicem aduersentur. Spiritales non diuiduntur, quia est illis anima vna, & cor vnum in Deo; fructúsque iustitiæ in vitam æternam prouenientes, in mutua concordia,& vnitate seminant. *Gen. 15.* *Act.4.*

VIDENDVS denique Euthymius & Theophylact. in capit. 10. Matth. cùm explicant id, quod Christus Dominus suis Discipulis dixit: *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ*; vt scilicet pacifici omnino sint. Est enim symbolum pacis columba, sicut notauit Tertullian.lib.de Baptis.c 8. & Cyprian. lib. de vnitate Ecclesiæ; vbi sic describit columbinā naturā.Animal illud est lætum,non felle amarū,non morsibus sæuū,non vnguium laceratione violentum,hospitia humana diligit,vnius domus consortium nouit, cùm commeant, volatibus inuicem cohærent,communi conuersatione vitam suam degunt,oris osculo concordiam *Matt. 10.*

pacis cognoſcunt, legem vnanimitatis circa omnia implent.

CONSERVATVR autem optimè pax & concordia, ſi fideles columbæ naturam imitentur, vt immemores iniuriarum ſint, & placidè ad eos redeant, à quibus iniuriam acceperunt. Quod videtur notaſſe Oſeas quando
Oſe. c. 7. dixit: *Ephraim quaſi columba ſeducta non habens cor*, id eſt, ad eos ſæpe reuertitur
Pſ. 128. à quibus læſa eſt, & ſpoliata filiis. Vnde Dauid; *Cum his, qui oderũt pacem, eram pacificus*. Debent ergo fideles pacifici, paciſque amatores eſſe columbarum more, ne fructibus iuſtitiæ priuentur.

ADMONENDI tamen ſunt pacis amatores, ne dum nimis pacem diligunt, & cum omnibus quærunt, conſentiendo peruerſis, ab authoris ſui ſe pace diſiungant, ne dum humana foris iurgia metuunt, interni fœderis diſcuſſione feriantur. Nam Dauid dum totum ſe ad fœdera pacis internæ cõ-
Pſal. 138. ſtringeret, teſtatur, quòd cum malis concordiam non teneret, dicens: *Nónne qui oderunt te Domine oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam?*

HINC Leui aſſumptis gladiis per caſtrorum media tranſiens, quia feriẽ-
Exod. 32. dis noluit peccatoribus parcere, Deo manus dictus eſt conſecraſſe. Hinc
Matt. 10. per ſemetipſam Veritas; *Putatis quia pacem veni mittere in terram? non vtique, ſed gladium*. Et Ioſaphat, qui tot de anteacta vita præconiis attollitur, de Achab Regis amicitiis penè periturus increpatur, cui à Domino per Prophetam
2. Par. 19. dicitur: *Impio prabes auxilium, & his qui oderunt Dominum amicitia iungeris.*

PROSEQVITVR hoc argumentum Nazian. Orat. 1. de pace, cùm ait: Nec quiſquam ſuſpicetur, quòd pacem omnem amandam, complectendámque eſſe exiſtimem; nam vt optimam quandam diſſenſionem, ita pernicioſiſſimam quandam concordiam eſſe perſpectum habeo. Cùm igitur manifeſtè ſe prodit impietas, tunc nobis potiùs faciendum eſt, vt ferro, flammis, & turbulentis temporibus, ac principibus, atquè omnibus denique rebus obuiam eamus, quàm vt mali fermenti participes efficiamur; nec quicquam perinde metuendum, quàm vt ne quid magis, quàm Deum timeamus.

CVRANDVM tamen eſt pacis amatoribus, vt quamuis verbis, & zelo nolint conſentire peccantibus, parati tamen ſint animo, vt illis per
Pſal. 119. pacem, & dilectionem adhæreant, quod dixit Dauid; *Cum his, qui oderunt pacem, eram pacificus, cùm loquebar illis, impugnabant me gratis*. Quæ verba ita explicat Gregor. 3. p. Paſtoral. admonit. 23. Ecce, inquit loquens impugnabatur, ſed tamen impugnatus erat pacificus; quia inſanientes ceſſabat reprehendere, nec reprehenſos negligebat amare: & cùm temporalis pax in prauorum cordibus ex noſtra increpatione confunditur, inuiolata neceſſe eſt, vt in noſtro corde ſeruetur.


QVO tamen meliùs ſeruetur hæc pax, quæ cum Deo, & cum fratribus habenda eſt, bellum nobis ipſis inferamus, neceſſe eſt. Nam, ſicut dixit Auguſt. Serm. 6. de verbis Apoſtoli: etſi ſpiritus concupiſcit contra carnem, etſi modò rixa eſt in iſta domo, maritus litigans non perniciem, ſed concordiam quærit. Quod etiam proſequitur Serm. 13. de verbis Apoſtoli, & in Pſalm. 84. & Bern. de interiori domo cap. 24.

CAPVT



CAPVT QVARTVM.


ARGVMENTVM.



NCREPATORIVM cùm ſit totum hoc quartũ caput, tot ferè partes habet, quot vitia mordet. Verſatur tamen maximè circa noſtros moderandos affectus in appetitione diuitiarum, & in retentione auaritiæ. Secundò exhortatur nos ad pœnitentiam, & ad vitandas Dei & proximi offenſas: tandémque proponit vitæ breuitatem. Illúdque poſſumus hoc in loco cum Feuard. aduertere, quòd cùm noſtra hac ætate non minùs quàm ea qua Iacobus ſcripſit, plerique Chriſtiani laborent iis vitiis, quæ hoc loco Apoſtolus increpat, huic quoque ſæculo valde commoda, imò & neceſſaria eſt huius cap. doctrina.

Verſ. 1. *Vnde bella & lites in vobis? nónne ex concupiſcentiis quæ militant in membris veſtris?*

EXPOSITIO LITERALIS.



OCVERAT Apoſt. ſuperiori cap. originem & neceſſitatem pacis, modò oſtendit, vnde diſcordiæ, diuiſionéſq; oriantur. Non eſt autem hoc loco accipiendum nomen *belli*, quo pacto id definit Aug. 4. de Ciuit. Eſt hoſtilis diſſenſio, qua edicto Principis, vi, & armis, vel iniuſtè capta repetuntur, vel ſcelera reprimuntur, vt homines iuſtè, & tranquillè ex iuſtitia, & pietate poſſint

poſſint viuere. Et quomodo etiam Plato in Alcibiade dixit homines moue-re bellum cùm aut decipiuntur, aut coguntur, aut ſpoliantur. Qua de re videndus Auguſt. quæſt. 10. in Ioſue. Et in iure Pontificio 23. quæſt. 1. c. culpam; & Iſidor. lib. 17. Etymolog. c. 1. & apud Theologos D. Thom. 2. 2. q. 40. & eius recentiores expoſitores.

SED prohibet iniuſta bella, quibus & pij vi magna opprimuntur, leges omnes calcantur, & pacis bonũ non quæritur; quinimò ex appetitu inordinato proueniunt, ipsúmque excitant & fouent. Quòd verò attinet ad lites, non ſolùm intelligitur locus de verboſis litibus, ſed inſuper de iis, quibus ad tribunalia proceditur, vt cenſus augeantur, patrimonium dilatetur, proximus domo, facultatibúſque cunctis exuatur, ager agro coniungatur, & domus domo copuletur. Quam feralem immanitatẽ Deus abunde ſatis vlciſcitur. Nam alioquĩ Deus leges, & iudices in bonum humani generis inſtituit, vt patet Exod. 18. Deuteron. 5. & 3. Reg. 3. & Chriſtus
Matt. 17. & 22. Dominus Cæſareas leges confirmauit potiùs, quàm infirmauit. Et Eliſæus
4. Reg. 4. ad agendum in cauſa viduæ hoſpitis ſuæ cum Magiſtratu ſe obtulit. Quærenda tamen ſunt priùs honeſta remedia, per arbitróſque componendæ lites, & per internuncios hortandus aduerſarius, ne charitatem violet, ne magis ſua quærat, quàm quæ Dei ſunt; cúmque proximus non poteſt adduci, vt ab inferendis ceſſet iniuriis, vel aliena reſtituat, non impiũ fuerit, vt ad officium, & reſtitutionem, ſolutionémque Magiſtratus vi compellatur.

OECVMEN. hoc loco legit; *Unde pugnæ, &c. nónne hinc? népe ex voluntatibus veſtris.* Vatab. verò; *Vnde bella, & pugnæ? nonne hinc? nimirùm ex voluptatibus veſtris.* Sumitur autem nomen *concupiſcentiæ* hoc loco, vt notat Dionyſ. generaliter pro quouis inordinato affectu diuitiarum.

QVÆ militant. Vera militia eſt, vita noſtra ſuper terram, & cunctis diebus nunc militamus, ſed videndum, vt in carne ambulantes non ſecundùm carnem militemus, nec arma militiæ noſtræ ſint carnalia, aut militans homo Deo, implicet ſe negotiis ſæcularibus, ſed militemus bonam militiam, aduertamúſque iuge bellum partium oppoſitarum carne concu-
Rom. 6. piſcente aduersùs ſpiritum, & hoc aduersùs illam. Militant enim concupiſcentiæ, id eſt, naſcuntur ex terrenis, inordinatis, mundaníſque affectionibus, & imperant, ac regnant in noſtro mortali corpore; cùm ad ea, quæ mens improba prauè ſuggerit, manus, vel lingua, & cæterorum membrorum conſenſus intemperanter obediat, quæ eſt militia ſecundùm carnem, quam vitandam docet Paulus, imò & vincendam eo agone, & certamine, quod deſignat oleum, quo baptizandi olim corpore toto vngebantur.

QVA de re videndus Proſper in ſententiis ſentent. 342. quod etiam ſignificat oleum, quo confirmamur in altero Sacramento, cui nomen inde inditum, vt Confirmatio appelletur, in quo militiæ Chriſti aſcribi cenſemur. Lyranus verò, *militant*, explicat, vincunt. Quod confirmari poteſt ex doctrina Gregorij Papæ, 35. Moral. cap. 13. vbi ait poſt Adami peccatum victorem extitiſſe hoſtem in homine. Si autem velimus bonam militiam militare, debemus exhibere membra noſtra, arma probitatis contra iniquitatem;

quitatem; iisdem, quibus vincit armis, eam deuincere Nam, vt ait Chrysost. homil. 65. in Matth. Tam miles pro patria decertans, quàm sicarius contra domesticos armatus muniuntur, neque armatura crimen id sustinebit, sed illi potiùs, qui illam in malum conuertunt vsum.

§. I.

Intestinum bellum concupiscentiæ contra spiritum.

MISERAM hominis conditioné prædicat hic locus, cùm ostendat causam discordiarum, ac bellorum ex eo oriri, quod penè vitare non possumus, cùm quicquid in mundo est, concupiscentia sit, sicut docuit 1. Can. c. 2.
Ioan. quæ sola morte finitur. Et hæc videtur maledictio Adæ, vt in terra laboris nostri, & in agro corporis, vel cordis noxiæ, & inutiles cupiditates vltrò, & vbique prouenianť. Vnde Ambros. lib. 2. de Abraham c. 4. Passiones, punctiones sunt nostræ. Et D. Leo Ser. 4. de Ieiun. Pentecost. Terra carnis nostræ, nisi assiduis fuerit subacta culturis, citò de segni otio spinas, tribulósque producet, & partu degeneri dabit fructum, non horreis inferendum, sed ignibus concremandum. Bernard. verò Serm. 3. de fragmétis; Quàm domesticus, inquit, hostis, quàm perniciosa lucta, quàm intestinum bellum, hostem hunc crudelissimum nec fugere possumus, nec fugare; sed circunferre illum necesse est, quoniã alligatus est nobis. Nam, quod periculosius est, & mirabilius, hostem nostrum ipsi cogimur sustentare, perimere eum non licet. Vide ergo, quàm solicitè te custodire necesse sit ab ea, quæ dormit in sinu tuo. Quibus similia habet Hieronym. epist. 2. Chrysost. homil. 24. in Act. Apostol. Laurentius Iustinian. lib. 8. de interiori conflictu, cap. 8. Gregr. 8. Moral. cap. 13. vbi ait: Quasi latrunculus, est appetitus, recto itinere gradientibus ex latere iungitur, vt ex occultis educto gladio gradientium vita trucidetur. Cùm enim internus hic latrunculus sit, nouit quando fores inimicis possit aperire.

ILLVD autem hac in re notandum, quod idem Gregorius addit. Insuper, inquit, & voluptas, artem mendacium; rem enim inutilem transfert in ordinem vtilium. Est enim verum id, quod etiam dixit Philo lib. 2. legis Allegor. voluptatis, scilicet, decipere proprium esse. Quod prosequitur Nazianzen. Orat. 4. contra Iulian. vbi ait: Facilè imposturam facit quicquid delectat. Quod expendit Oleaster in Eua, quando vidit *pomum, quòd* Gen. 3.
esset pulchrum, & ad vescendum suaue. Cùm fœmina, inquit, cœpit affici scientiæ desiderio, statim pomum oculis apparuit desiderabile, & quod mirabilius est, gustui suaue; nunquam gustauerat, aut senserat; vnde ergo nouerat fructum esse bonum ad vescendum, nisi ex corrupto affectu, armatáque cupiditate? quapropter illi cum Daniele possemus dicere. *Species de-* Dan. 13.
cepit te, & concupiscentia subuertit cor tuum.

QVOD etiam probat locus ille Sapientiæ, vbi dicitur: *Inconstantia con-* Sap. 4.
cupiscentiæ transuertit sensum: quem locum Fulgentius epist. 2. cap. 4. ita

 legit;

legit, *Instantia concupiscentiæ*, vt eius importunum, ac repetitum congressum significet. Aliqui verò codices Græci habent; *Circumrotatio*: proponit enim nobis modò vnam rem, deinde aliam, eandémque modò pulchram, quæ antea fœda, & indecora erat, vt possit illi compétere, quod dixit Propert. lib. 3. Elegia 6.

Staminea rhombi ducitur ille rota.

Est autem rombus veneficarum proprium instrumentum quadrilaterum, cuius latera omnia sūt æqualia, anguli verò obliqui. De quo vidēdus Scholiastes Martialis lib. 9. Epigram. 22. Nisi ea in gyrum mutatio significet vertiginem concupiscentiæ, dum vna succedit alteri; quod prosequitur Tertull. lib. de pœnitent. dicens: Oppugnat, obsidet, non scandalis, non tentationibus deficit, &c. Transuertit denique sensum, seu elocat, quò facilius decipiatur, sicut Daniel de senibus impudicis dixit: *Euerterunt sensum suum*; quia libidinosa concupiscentia peruertere solet rationis sensum. Additur autem sine malitia; namque sicut dixit Dionys. epist. ad Demophil. qui mala minimè perspiciunt, facilè deprauantur, ac peruertuntur simplicium mentes voluptatibus.

Dan. 13.

EANDEM deceptionem in nobis ab appetitu exortam prosequitur Basil. in elegantissima hom. 6. ex 29. variis de Diuite. Quemadmodum, inquit, qui præ insania mente moti sunt, res non vidēt, sed ex affectione imaginantur, sic anima tibi pecuniæ amore occupata, omnia aurum, omnia argentum videt. Optas omnia ad auri naturam transmutari, quid enim non propter aurum machinaris? frumentum tibi aurum fit, vinum in aurum congelatur, lanæ in aurum mutantur.

Genes. 2. Genes. 3.

QVOD etiam prosequitur Ruper. in Gen. lib. 3. c. 9. *Vidit mulier quòd esset pulchrum, & ad vescendum suaue.* Vidit, ait Rupert. id est, considerauit, diligenter intuita est, curiosius attēdit, & iudex eorum, quæ audierat, ipsa esse voluit. Audierat quòd dixisset Deus: *In quacumque die comederis*, &c. Audierat serpentem è contrario; *Nequaquam moriemini*: at illi qui de hoc iudicare debuerunt interiores oculi, exteriorum iam erant oculorum concupiscentia præpediti, vt non viderent; neque solam mortem corporis, vel quòd duplicem illatura esset mortem non natura ligni, sed transgressio mandati. Itaque solis exterioribus oculis naturam ligni considerauit, & deprehendit malè cauta, quòd in fructu ligni esset venenum mortis.

VIDENDVS etiam hac de re Philo lib. legis Allegor. cùm docet, per sensus externos & internos deceptum fuisse intellectum primi hominis, atque etiam cæterorum: quasi sensus externi proposuerint obiectū, quod fucauerit sensus internos; & in hunc sensum intelligit ea verba Gen. *Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit de ligno, & comedi.* Per mulierem enim intelligit sensus externos proponentes cibum Adamo: & ad illa verba Euæ, *serpens decepit me*, per serpentem intelligit sensitiuam voluptatem. Propterea autem dixit, *decepit me*, quia voluptas non quale subiectum est, tale illud agnoscit, sed addit, sicut meretrices deformes, videlicet fucantes pingentésque faciem, vt tegant suam deformitatem.

VNDE

VNDE Ambros. ad Sabinianum dixit: Nunc intelligo qua causa Deus insufflauerit in faciem hominis; ibi enim sunt sensus omnes, ibi sedes, atque illecebra delectationis in oculis, auribus, naribus, atq; ore; vt sẽsus nostros aduersùs delectationes fortiores faceret, atque eos sãctificaret, ne aliquid profanum, aut falsum deferrent in animam. Videndus idẽ Philo lib. *Quòd meres meretricis non sit admittenda in sacrar.* & lib. De Pœnis & Præmiis. Cyprian. lib. de Disciplina, & bono pudicitiæ. Senec. lib. de Beata vita, c. 14. vbi ostendit miserrimum esse voluptate delectari: cuius aut inopia torquet, aut copia strangulat, sicut feras cum labore venamur, & captarum quoque illarum sæpe solicita possessio est, cùm sæpe lanient dominos; quod etiam contingere solet iis, qui propriis cupiditatibus se credunt, & incautè committunt.

HÆC igitur concupiscentia nobis innata, de qua iam plura diximus cap. 1. v. 14. §. 1. & v. 15. §. 1. nullam in nobis quietem permittit, vbi animam ingressa est, quod partim possumus deducere ex flagrantissimo desiderio Sponsi, cùm ita dixit: *Nesciui, conturbauit me anima mea propter quadrigas Aminadab.* Quem locum sic exponit Legionensis sequutus Septuaginta Interpretes; Posuit me anima mea quasi quadrigam Principum populi nostri: vt sit sensus; Nesciebam quónam terrarum te possem inuenire, hoc vnum tamen sciebam meam animam. i. meum desiderium tui videndi, nullam quietem passum fuisse in me, sed velociorem me reddidisse, quàm soleant esse currus optimatum nostrorum. Quòd si diuinus Sponsus hoc fatetur de ordinatissimo amore, quid dicendũ de miseris concupiscẽtiis, quæ militãt in mẽbris nostris, & quæ velocissimæ sunt ad insequendã rẽ concupitam, nullámque prætermittunt occasionem commouendi & decipiendi? **Cant. 6.**

HOC optimè probat ea metaphora, qua vsus est Hierem. ad significandam libidinem, qua Iudaicus populus ad quærenda idola inflammatus currebat, sicut ibi optimè explicat D. Hierony. ait ergo. *Onager assuetus in solitudine, in desiderio animæ suæ, attraxit ventum amoris sui*; estque sensus. Concupiscentia idolorum tam citato impetu ad ea defert hunc populum, vt ipsum aërem, quò citiùs perueniat, ad se alliciat; quod nos dicimus, ipsos ventos haurire. Nam, sicut dixit Gregor. 6. Moral. c. 11. desideria sunt, quibus tanquam passibus anima accedit, & recedit. Septuag. verò habent; *in desideriis spiritu ferebatur*; quasi concupiscentia vehiculo ex aëre constructo animam deferat, & tam celeriter, ac ventus ipse auolet. Rem magis exposuit Pagnin. & Brixian. dum hoc loco habent; *Attraxit ventum occasionis suæ.* Cùm enim concupiscentia, velut hostis, sit in insidiis, statim atque aggrediendi, decipiendíue adest occasio, illicò eam apprehendit, ac pertrahit, & quantumcumque cum vento ferri videatur, ipsum attrahit ventum occasionis suæ. **Hier. 2.**

QVANDO ergo nacta est occasionem, armatum exercitum contra rationem producit, nostrósque sensus, quos in nostram perniciem armat cõcupiscentia, quod dixit Naz. Orat. 1. Nos internè oppugnat, ac nobimetipsis, quo nihil miserius est, tanquam armis in perniciem nostram vtens, pec-

Tom 7. cati morte nos afficit, quod etiam deplorabat Paulus cùm dixit: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?*

Rem hanc prosequitur Chrysost. in fine Ps. 4. dicens. Neque quæcumque sunt feræ gentes, tam atrox bellum gerunt, quàm improba, ac nefaria cogitatio, quæ versatur in penetralibus animi, intemperans libido, & amor pecuniæ, & potentiæ vehemens desiderium. Quod etiam prosequitur Aug. Ser. 6. de verbis Apostoli, vbi de concupiscentiis ait; surrepunt, & vsurpant sibi oculum, aurem, linguam, &c. & in Ps. 49. ait, quinque imprudentes Virgines periisse, quia sensus externi, qui sub nomine mulieris significantur, deprædantur ipsam animam, sicut per insidias, aperto muro, obsessæ vrbes capiuntur, & deprædantur. Vnde pulchrè Cyprian. de cupiditate diuitiarum dixit ad Donat. Nec intelligit miser, auro se illigatum teneri, & possideri magis, quàm possidere diuitias. Quibus multa similia habet Amb. Ser. 81. de diuite auaro. Videndúsque est Philo lib. 2. legis Allegor. vbi ait: Quãdo brutus sensus primatum obtinet, confusio vehemens sequitur, non secus quàm dominis oppressis à suis seruis; tunc enim si vera fatenda sunt, Intellectus deflagrat, sensibus flammam nutrientibus, sensibilia in ea conijcientibus.

Occvrrendvm proinde est nefariæ concupiscentiæ, ne sensus ac mẽbra nostra vsurpet, & vt domina parere cogat. Sciendúmque & aduertendum, concupiscentias aliquando non aperto Marte nos aggredi, sed pacis
Iud. 4. voce vocare, lactareque, sicut Iahel Sisaram, vt operiens pellibus animam, clauo transuerberet. Nam, sicut dixit Amb. Comm. in Luc. 14. quasi quibusdam clauis suffigitur anima corporeis voluptatibus.

§. II.

Quomodo occurrendum sit bello concupiscentiæ, & ab ea arma detrahenda.

Cant. 2. Psal. 136. Gen. 25 Occvrritvr autem his hostibus externis, imprimis si demolitrices vulpeculæ capiantur; & paruuli allidantur ad petram: & si Iacob teneat plantam nascentis Esau. Si, scilicet, ratio primis motibus obsistat, eósque adhuc in incunabulis comprimat. Qua de re plura iam diximus cap. 1. deinde per subtractionem superflui tribuendo solùm ea, quæ necessaria sũt, carníque minimè indulgendo, ne materiam igni præbeamus; quod signifi-
Rom. 13. cauit Paulus cùm dixit: *Carnis curam ne feceritis in desideriis*; vbi non prohibet curam corporis, quæ dum viuimus necessariò habenda est, sed, sicut notauit Orig. lib. 6. in eandem epistol. tom. 3. non negando carnis curam in necessariis, sed in concupiscentiis ac desideriis. Etenim cùm ea mortalis sit, indiget sustentatione in cibo, & potu, vestitu, somno, reliquisque ad ipsius conseruationem necessariis. At quia ex corruptione peccati prouenit, vt caro multa præter necessaria appetat, quæ ad voluptatem solùm & luxum pertinent, idcirco opus est rescissione, vt amputentur hæc omnia, caróque frænetur.

Ideo

IDEOQVE Gregor. 30. Moral. c. 14. præfatum locum Pauli sic explicat. Quod fieri, inquit, in desiderio prohibetur, in necessitate conceditur, sed sæpe dum incautè necessitati concedimus, desideriis deseruimus, plerumque dum plus iusto caro restringitur, etiam ab exercitatione boni operis eneruatur, vt ad orationem, vel ad prædicationem non sufficiat, dum incentiua vitiorum in se funditùs suffocare festinat; adiutorem quippe habemus intentionis internæ hunc hominem quem exteriùs gestamus. Vnde necesse est, vt interior homo noster æquus quidem arbiter præsideat inter se, & eum quem exteriùs gestat, quatenus ei homo suus exterior, & semper ad debitum ministerium seruire faciat, & nunquam superbè libera ceruice contradicat, ne vitia contra virtutem præualeant, ne rursum virtus cum vitiorum omnimoda extinctione succumbat, & cætera, quæ pro hac re videnda sunt. Quibus habet similia cap. 13. & 15. & August. 10. Confess. c. 31. D. Leo Serm. 12. de Quadrages. Nazian. Orat. 16. vbi ait. Corpus vt conseruum amo, & vt inimicum odi, atque auersor.

ESTQVE elegans locus pro hac re apud Philonem lib. *Quod Deus sit immutab.* vbi explicat eam legationem, quam Moyses misit ad Edom Regem Idumeæ: interpretatur autem Edom, *terrenus. Obsecramus*, inquiunt, *vt nobis transire liceat per terram tuam, non ibimus per agros, neque vineas, non bibemus aquam de puteis tuis, sed gradiemur via publica, nec ad dexteram, nec ad sinistram declinantes, donec transeamus terminos tuos.* Philo igitur explicaturus hunc locum per allegoriam, præmittit. Fertur de quodam ex veteribus Philosophis, cùm spectasset pompam sumptuosissimam, ad familiares suos conuersum dixisse: Videte amici quàm multis rebus opus non habeo; compendio de re maxima veréque cœlesti gloriatus est; verùm apud Moysen non vnius tantùm viri hæc est gloriatio, sed totius gentis populosissimæ; celeriter transibo, inquit, per terram tuam. O promissionem magnificam, & quæ solis viris Israëlitis debeatur! Solent enim cæteri homines non celeriter transire, sed aberrare in via, fruentes quibus vtendum erat, facientes curam carnis in desideriis, arma ministrando inimicis, à quibus proinde prosternuntur, & expugnantur. *Num. 20.*

IDEOQVE D. Leo Serm. 11. de Quadrages. ait. Beata mens, quæ peregrinationis suæ tempore casta sobrietate transcurrit, & in iis, per quæ necesse est eam ambulare, non remanet, vt hospita magis, quàm domina terrenorum. Et Greg. 21. Moral. c. 19. Hoc, inquit, esse speciale electorum solet, quòd sic sciunt præsentis vitæ iter capere, vt nouerint se iam ad alta peruenisse, quatenus cuncta quæ præterfluunt sub se esse videant, atque omne quod in hoc mundo eminet, amore æternitatis calcent, & ita terrena ad hoc solùm inseruiunt, vt ambulent donec perueniant ad patriam.

VIDENDVS Euseb. Emyssen. homil. de pœnitentia Niniuitat. vbi ait: Per passiones nostras possumus ascendere post Christum, si vnusquisque nostrûm subdere eas sibi studeat, & eminentia dominantis animi super eas stare consuescat, sublimabunt nos, si fuerint infra nos, de nostris vitiis scalam facimus, si vitia ipsa calcamus. Quæ eadē habet D. Aug. Ser. 3. de Ascē-

sione Domini: Et Hugo Vict. super cap. 3. Ecclesiast. Diligenda caro quantùm ad compassionem pertinet naturæ, quantùm verò ad castigationem, & refrænationem culpæ spectat, odienda. Et Senec. epist. 17. dixit. Vis aduersùs hoc corpus liber esse? Tanquam migraturus illud inhabita. Et epist. 23. Corpusculum rem necessariam magis crede, quàm magnam, nihil sine illo fieri potest; itaque nutriendum est, non ad voluptatem, sed ad necessitatem.

Sed quoniam hoc remedium periculosum admodùm est, & difficile agnoscitur, qua de re conqueritur Nazian. Orat. de pauperum amore, vbi ait, se modum, & rationem non posse inuenire conueniendi cum corpore, quia mortificatio magna tollit eius vires ad honestas actiones, si verò ei indulgeatur, insurgit aduersùs animam, proinde aperto Marte cum concupiscentia carnis pugnandum est, flagellisque domanda tanquam ancilla; quo remedio vsus est Paulus dum dixit: *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo*: quod etiam factum est quando serui coniurarunt, vt vrbem Romanam incenderent.

Hoc etiam notauit Orig. hom. 13. in Num. vbi aduertit, quòd postquam obtinuerunt filij Israël ciuitates Amorrhæorum, ascenderunt viam, quæ ducit in Basan, sed ad hunc, inquit, neque legatos mittere dignantur, neque petere ab eo, vt per terram eius liceat transire, sed continuò configũt cum eo, & superant tam ipsum, quàm populum suum. Basan interpretatur, *turpitudo*, ait Orig. meritò ergo nec legati mittuntur ad istam gentem, nec trãsitus per terram eius poscitur, nullus enim transitus nobis debet esse ad turpitudinem, sed ab initio statim expugnanda, & omnimodè cauenda est. Aduersùs Og ergo ita præcipitur bellum gerendum, *vt non relinquatis ex eo*, inquit lex, *viuentem*; nullum ergo à filiis Israël oportet relinqui in regno turpitudinis viuentem.

Videndus etiam. Ambr. lib. 1. de Iacob, & vita beata; vbi ponderat, con-
2. Re. 23 cupitam aquam à militibus allatam Dauidem profudisse. Nam cùm aliis non defuisset aqua, & minùs Regi irrationabilis ea concupiscentia fuit, sed illud laudabile, ait Ambros. quòd irrationabilem concupiscentiam, rationabiliter parato fraudauit remedio. Laudo viros, qui erubuerunt desiderium sui Regis non impleri, sed plus laudo eum, qui erubuit in suo desiderio, simul quasi repressa victor cupiditate, fudit aquam Domino: magnitudinem animi ostentarunt adolescentes, dum medios hostium armatos cuneos penetrarunt, haurientésque aquam detulerunt, sed nec minorem probauit fortitudinem, qui contra militantem in corpore suo concupiscentiam pugnauit, eámque, dum aquam proiecit in terram, simul humi prostratam reliquit.

Ad hoc autem prælium ineundum alia armamenta requiruntur, ac solent indui in terrestri conflictu. Debemus enim non arma Saülis assumere, sed induere Dominum Iesum Christum: quòd si non possimus induere ipsum propter excessum ex parte nostra, quia ipse humilis, & paruulus datus est nobis, nos verò magni, & elati præ superbia sumus, debemus
Rom. 13. abscindere quicquid superfuerit, quò nos Domino conformemus, vt si vel

vel per oculos, vel per aures, aut linguam excedamus, abſcindendæ ſint, & proiiciendæ. Hæc enim veſtis non debet nobis adaptari, imò nos illi debemus conformari, vt quemadmodum ipſe ambulauit, ita & nos ambulemus, & ſicut ipſe vicit, ita & nos vincamus. Vide igitur vt Chriſtum indutus debellauerit Paulus concupiſcentiam ſuam: *Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo.* Quod expoſuit Ber. Serm. 7. de Quadrageſ. Non ſolùm, inquit, mortuus ſum mũdo, ſed etiam crucifixus ego illi, & ille mihi, omnia namque quæ mundus magni facit, vili ego pendo, imò cruci appenſus de ipſo triumphum porto. *Galat. 6.*

Sicvt enim in remedium morſuum ſerpens ſuſpenſus eſt æneus; ſic in remedium mordentis carnis, eadem debet ſuſpendi, & affigi. Vnde Baſil. in reſponſio. Interrogat. 8. Cui propter Chriſtum crucifixus totus mundus, & ipſe mundo, quomodo ampliùs poteſt eſſe ſeruus partium mundi? vbi videtur alludere ad id, quod dixit Ioann. *Quicquid eſt in mundo, aut eſt concupiſcentia carnis,* &c. Videndus hac de re Orig. hom. 3. & 7. in Geneſ. & homil. 1. in Leuit. *Num. 21.*

Videndvs item Gregor. 3. Moral. c. 17. vbi ait, hœdum occiſum fuiſſe à Gedeone, Iudic. 6. Angelus, inquit, occidi hœdum præcipit, id eſt, omnem appetitum carnis noſtræ immolari, carnéſque ſupra petram poni, & ius carnium deſuper fundi. Quem alium ſignificat petra, niſi eum, de quo per Paulum dicitur, *Petra autem erat Chriſtus?* Carnes ergo ſupra petram ponimus, cùm corpus noſtrũ Chriſti imitatione cruciamus, & cætera, quæ proſequitur in eadem ſententiam.

Arma etiam ad hoc bellum latè deſcribit poſt Paulum ad Epheſ. Sanctus Ephrem lib. de armatura ſpirituali. Accipe, inquit, pro thorace fidem, pro galea futurorum bonorum ſpem, balthei vice accingere charitate in Deum, atque in proximum, pro calceamento ſume tibi humilitatem, ſcuti loco Crucis ſigno teipſum muni, pro arcu extende manus tuas ad orationem, & erũt vt arcus æreus brachia tua, pro gladio ſume tibi timorem Dei, concidentem omnem concupiſcẽtiam animalem, & ſic affiges cruci quicquid in te inordinatum fuerit, vt contra rationem minimè poſſit inſurgere, aut præter ipſam appetere.

Videndvs etiam Anſelm. in 2. ad Corint. c. 6. vbi vocat inimicos Crucis Chriſti, qui carnem ſuam non affligunt, & crimina non mortificant: & in hoc ſenſu cruces inteſtina ſunt trophæorum, ſicut dixit Tertull. in Apologet. Nam, teſte Nonno authore Græco, ſpolia capta, & in ſtipitibus ad modum crucis tranſuerſis fixa, trophæa dicuntur: ſic, ſi corpus crucifixerimus, de eodem triumphum agemus, membráque ſic deuicta, & mortificata, & quæ contra animam militauerant, & trophæa erunt victoriæ, & ad aliam comparandam armatura. Neque hoc nouum erit cùm pro armis ſoleant ea habere triumphantes quæ vicerunt: quod Seneca dixit in Hercule furente, nempe,

——— Pro telis gerit
Quæ vicit, & quæ fudit, armatus venit

Leone,

Leone, & hydra. ———————

Eisdémque armis insignitus describitur eius pronepos Auentinus à Poëta 7.Æneid.

——— *Clypeóque insigne paternum*

Centum angues, cinctámque gerit serpentibus hydram.

IN Cruce igitur confixis cupiditatibus, de iisdem triumphat anima, eásque deuincit, & in seruitutem redigit, vt iam eius solius sequantur imperium, obediant obsequio, audiant vocem, & veluti ancillæ nomine dominæ suæ appellentur; quod notauit Ambr. Serm. 4. in Psal. 118. cùm ait: Non fiat anima nostra caro, hoc est, vt dicamur caro, sicut & illi qui in diluuio perierunt, de quibus dictum, *quia caro sunt*, sed magis caro nostra obediens animæ, & hoc appellari mereatur nomine, sicut appellata est familia Patriarchæ Iacob, & generationis eius sancta posteritas. Sic enim scriptum est; *Hi filij Bala, omnes animæ septem*: & alibi; *omnes animæ sexaginta tres.* Verus enim luctator Iacob, cui caro emarcuerat, totum in domo sua ad ordinem animæ ita redegerat, vt totum pro anima computaretur. Solet enim Scriptura animam appellare nomine eorum, quæ ipsa concupiscit, quasi anima desinat esse id, quod est, & in concupiscentias veluti conuertatur. Vnde illud: *Cœpit Noë vir agricola exercere terram*, Lipomanus vertit, *Noe vir terræ*: & apud Oseam; *Ephraim vitula docta diligere trituram*, appellatur vitula propter vitulos, quos adorabat: & Sponsa dixit, *Dilectus meus mihi, & ego illi*: quasi tota præ desiderio, & amore in Sponsum fuerit conuersa. Non mirum proinde quòd caro, quæ obedit animæ, nomine eius appelletur, & concupiscentia, quæ imperio spiritus subiicitur, in ordinem spiritus transeat.

Psal. 118. Genes. 46. Genes. 9. Osee c. 10.

QVOD intellexit Dauid cùm dixit: *Sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea.* Quibus verbis significauit Dauid, affectus animi sui in carnem etiam redundasse, eámque diuini amoris cupidam, velut animam reddidisse. Vnde Ambr. lib. 2. de Virginib. ita ait: Quid dubitas carnē macerare ieiuniis? nónne concupiscit aduersùs spiritum? nónne ipsa inimica est animæ? At si illam per abstinentiam maceraueris, ex inimica amicam facies, & quæ plurimùm prosit, & iuuet: nam, sicut dixit Sapiens, *frater adiuuans fratrem, ambo consolabuntur.*

EST autem corpus frater animæ, eodémque partu cum illa in lucem editur; proinde si illi obediens, quia & iunior frater, plurimùm conducet ad salutem; idque significatum est in eo quòd Deus ad Sacerdotalem vestē, & templi ornatum, byssum retortam acceptauerit: sic enim hoc explicat Origen. homil. 13. in Exod. Byssus, inquit, terræ habet formam, quod est caro nostra: carnem ergo non vult offerri Deo fluitantem luxu, & deliciis resolutam, sed torqueri iubet eam, & constringi; sic ergo est offerre byssum retortam. Significat autem hoc, templi ministerio, Deique obsequio admodùm aptam esse carnem edomitam, & spiritui omnimodè subditam. Vnde August. in Psalm. 140. Quid iustius, quid pulchrius seruire ei, qui fecit te, vt seruiat tibi, quod factum est propter te? Aliter qui non obtemperas Deo, torqueris à seruo: & hi sine dubio sunt violenti, qui rapiunt cœlorum

Regnum,

Regnũ, vimque illi inferunt, ex eo quia carnem torquent, violentiámque ei inferunt, & sub animæ redigũt potestatem, qui vtraque manu Regnum, & coronam accipiunt, anima scilicet, & corpore. *Matt. 11.*

NEC mirum si coronæ meminerimus, quia & Martyrij veluti species est, spiritu facta carnis mortificare, illo quidem quo membra cæduntur ferro, horrore quidem mitiùs, sed diuturnitate molestiùs; sicut dixit Bernar. Serm. 30. in Cant. In quem sensum interpretari possumus illam iugem, & quotidianam mortificationem, de qua Dauid dixit: *Propter te mortificamur tota die.* Quoniam enim, ait Chrysost. hom. 15. in epist. ad Rom. homines sumus, atque ideo non datur innumeras subire mortes, & cùm naturæ nostræ velut hæreditariò datum sit semel tantùm mori, præstitit tamen hoc Deus, vt voluntati si placuerit quotidie mortẽ pati liceat. Si enim desideria carnis mortificantes, & corpus ipsum torquentes quotidie propter Deum mortificamur, tot veluti coronas nobis paramus, quot huius mortificationis dies viuimus. *Psal. 43.*

SED illud præ oculis habendum adhuc; concupiscentiam meliùs vinci si abigatur, quàm si subigatur, & si obliuioni sit, quàm subiectioni; quod dixit Bernar. lib. de ordine vitæ. De concupiscentiis igitur triumphantes, armáque de manibus cupiditatum auferentes, imò in ipsas conuertentes, victricem & gloriosam cœlo carnem inferamus, vt post confectum bellum perpetua pace fruamur.

POSTVLANDVMQVE tandem est Dei auxilium ad superandos armatos in membris nostris milites; nam post ruinam primi parentis difficilior est de iisdem victoria, sicut eleganter prosequitur D. Greg. 35. Moral. c. 13. quia si Adamus stare sicut est conditus, vellet, hostem extrà positum vincere sine difficultate potuisset. Postquam verò per assensum semel aduersarius ad intima irrupit, laboriosus iam victor eiicitur, qui adhuc impugnans sine labore repelleretur.

IDEOQVE dixit hoc loco Apost. concupiscentias militare, quod secundùm mentem Lyrani intelligendum est, quasi ex arce iam deuicta pugnent. Vt igitur expugnentur, magna opus est virtute, & à Deo imploranda, & hoc est quod Sponsus laudauit in Sponsa, Ecclesia scilicet, choros castrorum, qui Deum laudant, ab eodémque postulant auxilium in fine Psalmorum, & horarum, vt castra Dei ab eodem armaturam, & vires accipiendo victricia euadant. Quæ est ferè expositio Honorij ibi. Nec mirum si Deus manus doceat ad prælium, & digitos ad bellum. *Cant. 6.* *Ps. 143.*

HINC est, quòd victi sunt primi parentes à concupiscentia, quia obliti quærere, & postulare Dei auxilium, necessarium vtique ad victoriam. Quod eleganter sanè notauit Rupert. lib. 3. in Gen. cap. 3. cùm ponderat, Scripturam post commissum primorum parentum peccatum addidisse, Deum ambulantem ad auram post meridiem. Dedecebat enim Dei maiestatem, quòd tanquam homo post curas, vel post labores pransus dormiat, & sopori suo, vel quieti deputatas habeat horas pomeridianas. Sed nec mireris, ait Rupert. nam reuerà tunc homini Deus nimiùm dormierat: si

enim tunc non dormisset is, de quo nunc dicitur; *Non dormitabit,*
Psal. 120. *neque dormiet qui custodit Israël*, nequaquam tantum malum accidisset, nequaquam tantum damnum rei familiari fur diabolus intulisset. Quid ergo inquis? Culpandúsne Deus, quia toto meridie dormiuit, & eo dormiente lupus ouem centesimam tulit? non vtique sed tota culpa illius est, qui custodē suum dormire permisit. Nā vt ille non dormiat, in arbitrio hominis est, qui semper illum ne dormitet, aut dormiat, inquietare debet. Vnde &
Isa. 6. per Prophetā spiritus eius dixit: *Qui reminiscimini Domini, ne taceatis, & ne detis silentium ei.* Quomodo non dandum est silentium ei? videlicet toto die, & tota nocte non tacendo laudare nomen Domini. Quia ergo ipse custos noster est, iugiter debemus eum inuocare, ne quando dormitet, sed semper nos custodiat, protegátque, vt victores tandem contra concupiscentias militantes in membris nostris euadamus. Hæc Rupertus.

§. III.

Prosequuntur pugnæ, & dissidia concupiscentiæ.

VT meliùs huic bello incumbamus, & ab internis hostibus caueamus, quænam bella, & dissensiones ex inordinatis desideriis oriantur, breuiter prosequemur. Excitant enim imprimis magnam in nostra anima tempestatem, sicut prosequitur Diuus Ambr. 2. Apolog. Dauid. cap. 3. quam cernere licet in diuitiarum cupiditate, de qua D. Chrysost. homil. 17. in 1. ad Timotheum ait: Nónne diuitiarum gratia rapimus? inimicitias subimus? contentiones teximus? ad mortuos vsque impias quidem extendimus manus, ad parentes, ad fratres? quemadmodum furentes venti miscent maria, vel arena ipsa è fundo excitata, ita cupidi omnia penitus miscent, neminem, qui huiusmodi est, amicum nouit, & quid amicum dicimus? ne ipsum quidem Deum; quod etiam notauit Aug. ad ea verba Psalmi. 53. *non proposuerunt Deum ante conspectum suum.* Quæ verba ipse intelligit de iis, qui temporalibus rebus inhiāt. Quomodo, inquit, ponent ante conspectum suum Deum, ante quorum conspectum non est nisi sæculum? quomodo sit nummus super nummum, quomodo augeantur greges, &c. Mirum proinde non erit, si inter homines bella, & lites ex concupiscentiis oriantur, quando nec cum Deo amicitiam, ac fidem seruant.

VNDE nullum aliud remedium ad vitandas lites agnoscitur vtilius, quàm si diuidantur amici, & consanguinei separentur, ne tandem inimici-
Genes. 13. tiis, & iurgiis intereant. Non poterat capere terra Abraham, & Lot, ratione diuitiarum, vnde facta est rixa inter pastores gregum Abraham, & Lot: quia scilicet quilibet eorum vberiora pascua, & meliores adaquationes sibi vendicabat; *Dixitque Abraham: Ne, quæso, sit iurgium inter me, & inter te, & inter pastores meos, & pastores tuos, recede à me obsecro: si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo.* Vbi Hamerus fructum diuitiarum inquit discordiam, & auulsionem charissimorum. Et Chrysost. hom. 32. in Gen. Vide, inquit, quòd facultatum

cultatum multitudo ſtatim cauſa fuit diſceſſus, diuiſionem operatur, concordiam impedit, & cognationis vinculum dirimit.

QVOD etiam proſequitur Chryſolog. Serm. 1. de duobus filiis, vbi ponderat ſtatim, ac pater filiis ſubſtantiam dedit, diuiſos, & ſeparatos fuiſſe; Facultates, inquit, vnitatem ſcindunt, fraternitatem ſeparant, parentum perdunt & violant charitatem. Idipſúmque etiam ponderat in eo fratre, qui in agro verſabatur, qui hominem terrenis cupiditatibus implicatum indicabat; proindéque rediens, vt percepit aduétum alterius fratris, qui reſipuerat, & in ſe reuerſus ad patrem redierat, parentis lætitiam, ac paratum conuiuium indignatus eſt, & nolebat introire. Dixerat autem Euangeliſta quòd *erat in agro.* Sic, inquit Chryſolog. Ser. 3. in ſegete cupiditatis fructum zeli colligit, & liuoris, & qui terram colebat, fructúſque inde ſperabat, fratrem videre nolebat, ne cum ipſo in domo paterna habitaret. *Luc. 15.*

ET hæc videtur cauſa, cur in ſacra Scriptura, viri diuitiarum cupidi, dicantur bellicoſi. Sic enim illud Pſal. *Nihil inuenerunt viri diuitiarum*; plerique legunt; *viri bellicoſi.* Qua de re videndus Ambroſius lib. de Nabuthe, vbi ait. Quouſque extenditis diuites, inſanas cupiditates? nunquid ſoli habitabitis ſuper terram? In commune omnibus diuitibus, atque pauperibus terra fundata eſt. Cur vobis ius proprium, ſoli diuites, arrogatis? *Pſ. 75.*

QVOD ſi in ſacra Scriptura diuites, bellicoſi dicuntur, in eadem etiam arma huius prælij aſſignantur. Hinc eſt, quòd Iacob legaturus partem agri Ioſeph dixit: *Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo*; quæ verba non vulgarem continent difficultatem, cùm conſtet, Iacob emiſſe pretio agrum illum; omiſſiſque multis expoſitionibus, illa præſenti inſtituto inſeruit, quæ deſumpta eſt à D. Hierony. in traditionib. Hebr. gladium, & arcum hoc loco appellaſſe Iacob, pretium, ſeu pecuniam, qua agrum comparauerat. Eſt enim reuerà arcus, qui indiſtans etiam peruenit, dum vel etiam promiſſas munitiſſimæ vrbis aperit fores, & quicquid inuenit, deuincit. Eſt etiam gladius, qui arctiſſimos neceſſitudinis, conſanguinitatis, & religionis nexus frangit, vímque nobiliſſimis pectoribus infert; arma denique, quibus concupiſcentiæ militant, vt quicquid intendunt, tandem perficiant. *Geneſ. 48.* *Geneſ. 33.*

QVOD verò bella, & lites excitet concupiſcentia carnis, quis eſt, qui non videat? quis enim occidit Sichem? quis cubantes cum Madianitis, innocétémue Vriam interfecit? quis eruit oculos Sãſon? quis deprauauit Salomonis cor? quis ſenes in pueros conuertit? quis tot vrbes extinxit? tot regna profligauit? quis tot mala perpetrauit, ſicut hoc vitium? quod non tantùm ſæuiſſimum eſt in eum, qui illo laborat, ſicut dixit Ambroſ. lib. de Abele, & Cain; ſed in alios etiam crudele eſt: quod eleganter probat Tertull. lib. de Pudicitia, ex eo quòd præceptum de non mœchãdo inter occiſores, & latrones poſitum ſit in Decalogo. Priùs enim dicitur: *Non occides,* deinde, *Non mœchaberis,* poſtea additur, *Nõ furaberis.* Inter duos apices facinorũ, inquit Tertul. eminétiſſimos, ſine dubio, digna conſedit mœchia: quis enim

talibus lateribus inclusam, talibus costis circunfultam; &c. Cùm ergo, & latrones, & occisores comites habeat luxuria, quid mirum si ex ea bella, & lites prodeant?

Excitat etiam bella, dominandi, & præeminendi concupiscentia, sicut imprimis in cœlo nouimus, cùm impius Angelus dixit: *Ponam sedem meam ad Aquilonē*, &c. Qua de re Bern. de gradib. humilitat. sic ait: Dum tu solus sedere affectas, fratrum concordiam, totius cœlestis patriæ pacem, ipsius quantùm in te est, quietem æternitatis infestas. Hoc ipsum cernere est in collegio Christi, vbi, cùm orta est quæstio de primatu inter Discipulos, dū dexteram, & sinistram petierūt filij Zebedæi, cæteri indignati sunt de duobus. Ideóque Dauid; *Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam.* Timuit enim, nè totam domum subuerteret. Et superbos, rebelles appellauit Iob, sicut exposuit D. Greg. 16. Moral. c. 24. Superbia denique semper ascendit.

Isai. 14. *Matt. 20.* *Psal. 100* *Iob. 24.*

Et quid mirum si superbia bella, & lites excitet, cùm se solam velit esse dominam? In quam sententiam interpretatur Bernard. Serm. de fallacia præsentis sæculi illud Psalm. 106. *Errauerunt in solitudine.* Solitudo, inquit, hæc superborū est, quia solos sese reputant, solos appetunt reputari, neminem vellent sibi similem inueniri. Nec mirum, quòd solitudini huic inaquosum additur. Elatum enim cor, durum, & expers est pietatis. Quomodo ergo lites non excitabit, & bella, qui solus vult reputari, & qui nullam erga fratres pietatem habet? vbi licet superborum malignitatem ostendere, qui se solos volunt esse, & sibi similē neminem patiuntur. Vnde superbus Pharisæus dicebat: *Non sum sicut cæteri homines*; cùm tamen Deus hominem ad imaginem, & similitudinē suam fecerit. Ideo Oleast. in Genes. Nunquid maior es Deo, qui sui similem, non solùm patitur, sed facit?

Psal. 106

Qvod si lites verborum sunt pugnæ, nullas maiores excitabit aliud vitium, quàm superbia, quæ tota iniuriosa est. Vnde Isaiæ c. 8. vbi nos legimus; *Væ coronæ superbiæ*; Septuag. habent: *Væ coronæ iniuriæ.* Nescit enim superbia loqui, nisi iniurias, & opprobria in fratres. In quam sententiam facit illud Ecclesiast. *Sicut eructant præcordia fœtentium, sic & cor superborum.* Fœtore enim superbiæ, ab ore per iniuriosa verba excedente, & egrediente, quemque obuium offendit, longéque semouet.

Qvod si veneno velimus superbiæ malum comparare, authorem habebimus Aug. Serm. 4. de verbis Apostoli, vbi ait: Superbia, venenū est, quod serpens initio mundi euomens, eodem omnes in Adamo offendit, ex quo lites, & bella orta sunt, primùm quidem in nobis. Si enim superbiæ venenum non epotassent primi parentes, neque concupiscentias in nobis militātes haberemus, neque tot bella, & lites cōtra fratres quotidie insurgerēt.

§. IV.

Quantùm Deo displiceant bella, & lites.

Docet etiam hic locus, vitanda esse bella, & lites, quæ maximè Deo displicent, sicut notasse videtur Sponsa, cùm ait: *Surgam, & circuibo*

Cant. 3.

cimi

ciuitatem, per vicos, & plateas quæram, quem diligit anima mea, quæsiui illum, & non inueni. vbi Septuag. pro eo, quod nos habemus *per vicos, & plateas*, legunt, *in ciuitate, in foro, & in plateis*; quæ verba expendens Ambros. lib. de Isaac, & anima cap. 5. ait: Fortasse ideo non inuenit adhuc, quia in foro quæsiuit, vbi lites, in plateis, vbi nundinæ rerum venalium.

Et D. Hier. lib. 16. in Isai. ad hoc ipsum comprobandum, ita ait: Quid prodest ieiuniis ora pallere, & ad lites, & ad iurgia ieiunare? dicente Scriptura; *Qui amat peccata, gaudet in iurgiis*; seruum autem Domini non oportet litigare, sed esse mansuetum, sicut dixit Paulus; & Salomon etiam; *Honor est homini, qui separat se à litibus.* 2. Tim. 2. Prou. 20

Facit pro hoc argumento ille locus Num. c. 24. vbi Balaam recedit à Balac, vt consuleret Dominum, ex cuius permissu posset dira Israëlitico populo imprecari, & maledicta coniicere. Si autem quis quærat, cur a populi congregatione recederet, ad rem nostram respondet Lyran. Vt libentiùs, inquit, ei dæmon occurreret: iis enim qui congregationes effugiunt, mala tamen mente, vt fratrum consortia deuitent, & vnionem fidelium, fratrúmque pacem auersentur, facilè diabolus se comitem adiungit, qui solas diuisiones nouit, & zizania seminat, belláque & lites excitat.

Vnde constat, Deum maximè odisse lites, quæ fraternam concordiam scindunt, ac diuidunt: Deus verò in medio pacificorum reperitur. Deinde & lites proueniunt ex concupiscentiis rerum terrestrium, à quibus longè abest Christus, qui totus est eorum, qui nihil de sæculo exoptant. Quod notauit Ambrosius in eo, quòd ager figuli emptus sit pretio, ac pecunia illa, qua Christus fuit venditus, in sepulturam peregrinorum, eorum scilicet qui veluti aduenæ, & peregrini sine domo, sine supellectili, ac diuitiis degunt. Ager, inquit Ambros. Serm. 51. emptus est peregrinis, qui erant sine domo, sine patria, & toto orbe exules iactabantur, requies Christi sanguine prouidetur, vt quibus non est in mundo possessio, iis in Christo sit sepultura. Istos autem peregrinos, quos esse dicimus, nisi deuotissimos Christianos, qui renunciantes sæculo, & nihil possidentes in mundo, in Christi sanguine requiescunt? Christiànus enim, qui mundum non possidet, hic totum possidet Saluatorem. At verò qui sæculi voluptatibus, ac diuitiis inhiantes, porcis similes redditi sunt, sicut dixit Clem. Alex. Orat. ad Gent. lites, belláque pro terrenis exercent, & excitant, & terræ, quam concupierant viui, miserè traduntur mortui, nihil habituri de cœlestibus, qui pro terrenis totis viribus decertarunt. Vnde Greg. 31. Moral. c. 8. Si quis, ait, tibi tulerit tunicam, & voluerit tecum contendere iudicio, dimitte illi & pallium. Si quis, quod tuum est, tulerit, ne repetas. Mat. 27.

Pavlvs quoque discipulos suos cupiens exteriora despicere, vt valeant interiora seruare, admonet, dicens: *Iam quidem omnino delictũ est in vobis, quòd iudicia habetis inter vos: quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini?* Et tamen hypocrita, assumpto sanctæ conuersationis habitu, temporalia quæque defendere, & quasi per negligentiam amittere patrimonia terrena formidat; mox patientia rumpitur, mox dolor 1. Cor. 6.

cordis in vocibus effrænatur, cunctis veraciter indicat, teste mentis perturbatione, quid amat; ibi quippe est grande studium defensionis, vbi & grauior vis amoris: nam quanto magis terrena diligit, tanto priuari eis vehementiùs pertimescit. Aduertit autem D. Gregorius in Psalm. 31. quòd in hoc mundo tanto celeriùs quis trahitur, à diuina scilicet gratia, quanto nihil habet, in quo delectetur in sæculo. Perfectus igitur Christianus res terrenas iurgando defendere non potest, quas præcipitur non possidere.

Vers. 2. *Concupiscitis, & non habetis: occiditis, & zelatis, & non potestis adipisci; litigatis, & belligeratis: non habetis, propterea quòd non postulatis.*

EXPOSITIO LITERALIS.

POSITA radice, mala, scilicet, concupiscẽtia, ait hoc loco D. Thomas, determinat ramos eius, quorum primus est rei alienæ desiderium, *concupiscitis.* Secundus, personæ possidentis odium; *occiditis, & zelatis.* Tertius, vtriusque effectus; *litigatis, & belligeratis.* Certum namque est, quòd mali effectus procedunt ex internis affectibus. Concupiscitis igitur carnalia, & mundana, & non habetis, & sic solo inordinato affectu fœdamini, imò ipse vos discruciat, & accẽdit, vt vel alios occidatis, si potestis, sin minùs, litem intendatis, & bellum indicatis, vt, qua tandem potestis via, dites reddamini; vel vos ipsos spiritaliter occiditis. Vnde Scriptura dicit;
Prou. 18. *Ipsi quoque contra sanguinem suum insidiantur, & moliuntur fraudes contra animas suas.* Quo sensu intelligunt hunc locum Græci. Vnde & Oecumen. habet. Animaduertendum est autem hoc loco, quòd cædem, & bellum dicit, non corporalia; hoc enim graue esset etiam de latronibus cogitare: multò ergo magis de his, qui aliquantulùm fideles erant, & ad Dominum accedebant; sed, vt mihi videtur, occidere dicuntur illi, qui temerariis his conatibus suam occidunt animam, propter quod etiam bellum ipsis est aduersùs pietatem; & quemadmodum in progressu adulteros vocat, & adulteras, non quòd omnino tales sint, sed quòd diuina, rectéque instituta præcepta constuprent, declinando ad alia illegitima: neque toleraret quispiam scortatorem præceptorem, etiamsi magis, quàm porci, cœno inuolutus esset: ita ergo cædes, ac bella dicit, non corporalia, sed animam concernentia. Sic ait Oecumen. cui ex parte accedit Carthus. Vnde Vatabl. legit, *inuidetis, & æmulamini.*

VEL etiam poterit intelligi per verbum (*occiditis*) odium, quod nomine homicidij interdum venit intelligendum, vt patet ex epist. Ioannis, cùm
1. Ioa. c. 3. ait: *Qui odit fratrem suum, homicida est*; quod saltem dispositiuè intelligit Carthus. ibi. Quoniam odium, via est ad homicidium. Et Sixtus Papa III. tract.

tract. de malis Doctorib. & oper. fid. ante medium ait, difficillimum esse, vt quem oderis, superesse velis.

LITIGATIS insuper verbis; qua de re Paulus dixit, *Noli contendere verbis.* Ad nihil enim vtile est; & opere *belligeratis* contra proximos pro terrenis: *& non habetis, propterea quòd non postulatis* Deum humiliter, atque ordinatè pro eis habendis. Propter hoc nimirùm, inquit Beda, obtinere non valetis, quia Dominum postulare non curatis salutaria: si enim illum pia intentione postularetis, & terrena vobis necessaria ad vsum temporalem, & ad fruendum, superna bona tribueret. Caietan. verò ad hæc vltima verba ita ait. Ratio redditur, quare hæc omnia vana sint: quia scilicet nó innituntur postulationi à Deo, hoc est, quia innituntur viribus tantùm humanis, & non habetur ratio diuinæ gratiæ. *2. Tim. 2.*

§. I.

Proponitur bellum auaritiæ.

IAM ergo auaritia ad bella procedit, armatósque profert milites, & in ordinem inordinatè disponit. Sunt autem strenuissimi auaritiæ milites, vtpote qui omnia, quantumuis difficilia, aggrediantur, nullum omnino pertimescant, nulliue cedant; quod ostendit Ambrosius 2. Offic. cap. 26. vbi ponderat, victorem exercitum, profligatum, ac deuictum fuisse ab auaritia, aurique cupiditate. Nam cùm de vrbis incensæ spoliis sustulisset Achan vestem auream, & ducenta argenti dragmata, & linguam auream, statim ij milites, qui contra Hai profecti fuerãt, terga vertentes, ac percussi, re infecta redierunt. Et Iesus Naue, inquit Ambrosius, qui potuit Solem sistere ne procederet, auaritiam hominum non potuit sistere, ne serperet. Ad vocem eius Sol stetit, auaritia non stetit. Sole itaque stante, confecit Iesus triumphum; auaritia autem præcedente, penè amisit victoriam. *Iosue 7.*

HOC ipsum prosequitur in auaritia Dalilæ, quam Samson deperibat, ad quam venerunt Principes Philistinorum, atque dixerunt; *Decipe eum, & disce ab eo, in quo habeat tantam fortitudinem, & quomodo eum superare valeamus, & vinctum affligere, quod si feceris, dabimus tibi singuli mille, & centum argenteos:* statimque ipsa rem aggreditur, & à Samsone ter illusa, tandem, cùm Samson rem seriò aperuisset; *Si rasum, inquit, fuerit caput meum, recedet à me fortitudo mea, & deficiã, eróque sicut cæteri homines*; conuocánsque ipsa Philistæos, assũpta pecunia, quã promiserãt, dormire eũ fecit super genua sua, & in sinu suo reclinare caput, vocauítque tõsorẽ, & rasit septẽ crines eius, id est, ligaturas capillorum, & ideo eũ apprehenderunt, ligarũt, & excæcarunt, & molere fecerunt. Ait ergo Ambros. Quid? fortissimum omnium Samson nónne Dalilæ auaritia decepit? Itaque ille qui rugientem leonem manibus discerpsit suis, qui vinctus, & alienigenis traditus, sine vllo adiutore, solus dissolutis vinculis, mille ex his peremit viros; qui funes intextos *Iudic. 16.*

neruis,

neruis, velut mollia stuppæ fila dirupit, is super genua mulieris, inflexa ceruice, truncatus, inuicti crinis ornatum, prærogatiuam suæ virtutis amisit, influxit pecunia in gremium mulieris, & à viro discessit gratia.

Num. 21. PROPTER auaritiam Balac putauit Balaam præmiis posse tentari, vt malediceret populum Patrum; & vicisset auaritia, nisi Dominus à maledicto abstinere vetuisset. Fuit itaque necessarium, Deum auaritiæ occurrere, & Balaam auaritiam retundere, ne victrix contra populum Dei euaderet. Vnde & Dauid fortes appellauit auaritiæ milites, ac clientes, cùm ait: *Irruerunt in me fortes*; quæ verba sic explicat D. Gregor. 7. Moral. cap. 8. Annon fortes sunt, qui ad præsentis vitæ concupiscentiam tot laboribus currunt, periculis se audenter obiiciunt, pro lucris contumelias libenter ferunt, ab appetitus sui libidine nulla victi cõtrarietate resiliunt, percussionibus durescunt, & mala mundi tolerant pro mundo, ciúsque (vt ita dixerim) gaudia quærentes, perdunt, nec tamen hæc perdendo fatigantur?

Psal. 58

AVARITIÆ verò milites contra quoslibet bellum gerunt atrocissimũ, cùm nec Deum timeant, nec parentes reuereantur, nec affines cognoscant, nec amicis parcant, imò nec sibi; quod notauit Chrysost. hom. 63. ad Populum, dicens: Propter pecunias, nullam nostrorum agimus membrorum rationem, qui namque pecunias diligit, & innumera proximo mala patrabit, & sibi pariter cum illo. Nam & facilè irascetur, & conuitiabitur, vocabit stultum, & iurabit, ac peierabit, nec antiquæ legis seruabit mensuras, non enim diliget proximum, qui diligit aurum, cùm nos, & inimicos

Matth. 5. diligere propter regnum iubeamur: qui pecunias amat, non tantùm inimicos non diligit, verùm & amicis, tanquam inimicis vtetur, & quid amicos dico? nam, & frequenter ipsam ignorauêre naturam, qui pecuniarum amore sunt capti; talis consanguinitatem non nouit, familiaritatis non reminiscitur, non reueretur ætatem, amicum habet neminem, sed in omnes se gerit inimicè, ante alios omnes, in semetipsum.

QVA etiam de re videndus Ambros. lib. de Nabuthe c. 6. cùm ait: Satiato diuiti non est, quod sinat eum dormire, excitat eum cupiditas, &c. Videndus Guarric. Abbas in Serm. omnium Sanctorum, cùm ait. Iam nũc vindicat in peccatores diuina iustitia, res ipsas, quas amant, conuertens eis in tormenta, & vitia faciens esse supplicia: pecunia enim, quæ iustum ampliùs iustificat, & veriùs ditat, dispensata, auarum cruciat, seruata, prodigum polluit, profligata.

HANC etiam crudelitatem auaritiæ significauit Leo Papa Serm. 10. de Passione, cùm ait: Amore pecuniæ vilis est omnis affectus, & anima lucri cupida, etiam pro exiguo perire non metuit, nullúmque est in eo corde iustitiæ vestigium, in quo auaritia fecit habitaculum. Similiáque habet Ambros. Serm. 59. dum ait: Non videt, quæ diuinitatis sunt, sed cogitat, quæ cupiditatis sunt.

PRO quo argumẽto facit id, quod notauit Rupert. lib. 1. in Exod. c. 39. vbi per plagam tenebrarum in Ægypto, intelligit cupiditatem, Quid tenebrosius, inquit, oculo nequam, cùm intuetur aliquam rem proximi, vt rapiat

cam?

eam? Vnde signanter de Ægyptiis est dictum, quia *tribus diebus nemo vidit fratrem suum*, cupiditate namque præoccupatus animus, non videt fratrē suum, non agnoscit proximum suum, eò tantùm intentus, vt furetur, quia concupiuit, quæ illius sunt, vt mœchetur vxorem eius, quia cōcupiuit eam, quod proculdubio non est videre fratrem, vel agnoscere proximum. Vnde Lucan. 3. Pharsal. Exod. 10.

——*Perimit discrimine nullo,*
Amissas leges, at pars vilissima rerum,
Certamen mouistis opes.——

PRÆDONES etiam habet sibi subiectos milites auaritia, quò omnia diripiat, sicut idem notauit Ambros. Serm. 16. in Psal. 118. dicens: Auaritiæ ipsi rapina est subdita. Notanda tamen est differentia inter cæteros latrones, & huius ducis milites, quam assignauit Cypr. lib. ad Demetrianum. In latronibus, inquit, est vtcunque aliqua scelerum verecundia, desertas solitudines eligunt, & sic illic delinquitur, vt tamen delinquentium facinus tenebris, & nocte veletur, auaritia palàm sæuit, & ipsa audacia in fori luce, abruptæ cupiditatis arma prostituit. Nihil enim diuitiarum cupiditas reueretur, aut timet: & cùm, sicut dixit Tertull. in Apologet. omne malum, aut timore, aut pudore natura perfuderit, sola auaritia, & timorem abstulit, & pudorem operuit, quò licentiùs in omnes cuiuscumque ordinis desæuiret.

VNDE sapienter cautum est à quodam ex amicis Alexandri, sicut refert Curt. lib. 4. ne ipse Alexander publicè eas literas legeret, quibus Darius magnam vim pollicebatur auri ei, qui vellet Alexandrum interficere; Ne legas, inquit, nihil enim nefas est auaritiæ.

QVA de re videndus est D. Leo Serm. 6. de Epiphania, vbi aduertit: postquam diabolus vidit se persequutionibus fidem Christi non posse ablegare, concupiscentiis id tentasse. Terrores, inquit, proscriptionum, in auaritiæ mutat incendium, & quos damnis non fregit, cupiditate corrumpit, inflammat concupiscentiis, quos non potest vexare tormentis, serit discordias, accendit iras, &c.

HOC ipsum etiam ingenium deprædandi, in auaritia notauit Cyrillus Alex. lib. 1. in Isai. cùm explicat ea verba Prophetæ: *Væ his, qui coniungunt domum cum domo, & agrum cum agro copulant, vt vicino aliquid auferant: an soli habitabitis in terra?* Ait ergo: Inest omnino his, qui ditescere volunt, vt semper acquisitis iam aliquid adhuc velint accumulare, insidiantur semper accolis vicinis, & dominos suis prædiis finitimos opprimunt, & cum suis copulant, ac coniungunt. Est enim insatiabile quiddam vir diues, si quidem accedat quoque, vt quod velit, nō possit rectè conficere. Quiescet enim nunquam, neque desinet ad proximi bona assilire, imbecilliores cogit, & impiè rapit ab illis eiulantibus interdum, & contra talem sæuitiam, ac ferociam vociferantibus. Isai. 5.

ECCE atrocissimum bellum à concupiscentia rerum ortum; vbi notandum venit id, quod dixit Dauid, dum diuitias, ac bona sæculi appellauit

Psal. 16. abscondita, ait enim: *De absconditis tuis*, &c. vbi Lyran. per abscondita, bona sæculi intelligit, quæ nobis Deus abscondit, & occultauit, vt materiam rixarum, & bellorum semoueret. Ideóque Seneca epist. 95. eleganter sic dixit: Aurum, & argentum, & propter ista nunquam pacē gerens, ferrum natura abscondit in terra, vt materiam, ac instrumenta bellorum nobis occultaret, qui in summa pace, & fraternitatis amore debemus viuere. Sed nos, inquit ille, propter quæ pugnaremus, extulimus nos, & causas periculorum nostrorum, & instrumenta, disiecto terrarum pondere, eruimus, nec erubescimus summa apud nos haberi, quæ fuerant ima terrarum. Possemúsque proinde cum D. Hier. dicere epist. ad Lætam. Si tanti facimus vitrum, quare maioris nō sit pretij margaritum? Si tanti facimus ea, quæ nullius pretij sunt, vt propterea quotide inter nos bella, & lites excitentur, cur non pluris facimus, pluráque sustinemus pro iis, quæ in æternum sunt duratura, quæ fures non furantur, & quorum gaudium nemo tollet à nobis? Cur non vim facimus regno cœlorum, vt violenti priùs in nobis, illud tandem rapiamus?

§. II.

Quantis laboribus, & dispendiis minima bona comparemus.

Illvd deinde notandum est, quantis curis, ac dispendiis non pecuniæ tantùm, ac salutis, sed etiam vitæ temporalis, ac spiritualis, temporales, ca terrestres diuitias homines inquirant, zelantes quidem, occidentes, litigantes, & atrocissimum bellum gerentes, cùm tamen nihil omino pōderis, ac momenti habeat quicquid sæculi est, postquam terræ maledixit Deus, vt spinas tantùm, tribulósq; nobis germinet. Vnde meritò insultauit Orig.

Luc. 16. hom. 12. in Hierem. diuiti, qui multa bona reposita habere dicebat. Frumentum, inquit ille, & vbertatem terrenorum fructuum esse arbitratus est bona, nesciens, quia vera bona non nascuntur in maledicta terra; sed in cælestibus regionibus; thesaurizauit sibi in terra, quia in terra esse thesauros arbitratus est.

Longe alie Discipuli, ac Apostoli Domini, & recenter ad fidem con-

Act. 4. uersi. *Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum.* Quorsum autem hoc ita fieret, exposuit D. Hierony. tom. 1. epist. ad Paulinum. Quādo Domini nostri adhuc calebat cruor, & feruebat recens in credentibus fides, vendebant omnes possessiones suas, & pretia earum ad Apostolorum deferebant pedes, vt ostenderent pecunias esse calcandas, nihilique faciendas.

Matt. 25. Facit etiam ad præsens institutum id, quod notauit Hierony. in c. 25. Matt. scilicet, illū patremfamilias, qui vocauit seruos suos, eísque dedit bona sua: dum, & post multùm temporis venit rationē ponere cum seruis suis, illis, quibus plura, ac pauciora talenta commiserat, dixisse: *quia in paucis fuisti fidelis*, cuius rei rationem reddit. Notandum, inquit, quòd omnia, quæ

quæ in præsenti habemus, licèt magna videantur, & plurima, comparatione futurorum parua, & pauca sunt.

ADEOQVE pauca esse in oculis Domini sensit Aug. 1. de Ciuit. c. 8. vt dixerit: Si non eas Deus quibusdam petentibus euidentissima largitate concederet, non ad eum ista pertinere censeremus. Quis enim dixit amplissimum Regem curam gerere eorum, quæ in palatio vilissima, & abiectissima sunt? Attamen Deus longè aliter ac Rex, sicut omnibus rebus præstò adest, sic & quæcumque minutissima curat, quasi ea sola curaret. Dicitur tamen non tam curare ea, quæ terrena sunt propter eorum vilitatem: sicut Paulus dixit: *Numquid de bobus cura est Deo?* 1. Cor. 9.

HINC est quòd ea iniustis quandoque concedat Deus, nihili omnino ea faciens, minorísque æstimans ipsorum salutem, sicut desperatis ægris medici quicquid velint, dare præcipiunt. Eis verò, quos reduci posse ad salutem præuident, quæ appetunt, dare renuunt. Quod eleganter prosequitur D. Greg. 16. Moral. c. 9. Hinc est, quòd se vilem, & abiectum sicut ea, quæ concupierat, iudicauit Dauid, dum se rebus mundanis adhærētem iudicauit, cōfessúsque est: *Afflictus sum, & humiliatus sum nimis*; seu, vt legit Gregor. hom. 31. in Euang. *Incuruatus sum, & humiliatus sum.* Vt quicunque superna, inquit Greg. non appetit, infimis intēdit, terrena semper in animo versat, si sola carnis necessaria homo cogitaret, incuruatus, & humiliatus esset; sed tamen vsquequaque non esset. Quem ergo à supernis cogitationibus non solùm necessitas deiicit, sed etiam voluptas illicita sternit, non solùm incuruatus, sed etiam vsquequaque incuruatus est. Hinc alius Propheta de immundis spiritibus dixit: *Incuruare, vt transeamus*; quia si ipsa se anima ad ima appetenda non deiicit, contra hanc Dæmonum peruersitas non conualescit, & transire per eam nequeunt, quam contra se rigidam in superna intentione pertimescunt. Nos ergo viam malignis spiritibus in nostris cordibus damus, cùm terrena concupiscimus, cùm ad temporalia appetenda curuamur. Ex quibus Gregorij verbis clarè constat, quàm vilis, & contemptibilis reddatur ea anima, quæ vilia, & humilia mundi bona inquirit, & exoptat, & pro eis zelat, inuidet, litigat, ac belligerat. Psal. 37. Isai. 5.

VNDE Theodoret. expendens ea verba Psalmi. *Perierunt propter iniquitatē, velut somnium surgentium*, &c. Meritò, inquit, eorum felicitatem somnio comparauit, quandoquidem scena præsentis vitæ ab insomnio nihil differt. Et Ambros. lib. de Nabot c. 6. Somnium loquimur, non patrimonium, & cætera quæ prosequitur in hanc sententiā. Quibus habet similia Philo lib. de Ioseph, dicens: Profana gaudia somniis sunt simillima, veniunt, abeunt, occurrunt, refugiunt; priusquàm comprehendantur, auolant. Quod etiā dixit Seneca lib. 3. de Ira, c. 34. Crede mihi, leuia sunt, propter quæ non leuiter excandescimus, qualia pueros in rixam, & iurgium concitant; nihil ex his, quæ tam tristes agimus, serium est, nihil magnum. Imò, si attentiùs rem perpendimus, quia omnia parua sunt, & abiecta, ideo pro illis contendimus, & litigamus. Psal. 72.

EXPVLSVS olim Isaac ab Abimelecho, venit ad torrentem Geraræ, Genes. 26.

foderúntque serui Isaac in torrente, & repererunt aquam viuam. Sed & iurgium fuit pastorum Gerara aduersus pastores Isaac, dicentium, nostra est aqua. Quamobrem nomen putei ex eo, quòd occiderat, vocauit Calumniam. Septuag. *vocauit nomen loci illius Iniustitiam.* Chaldæ. verò; *Iurgium.* Vatab. & Brixian. *Contentionem:* hæc enim omnia ibi cum aqua etiam reperta sunt. *Foderunt autem & alium, & pro illo quoque rixati sunt, appellauitque eum, Inimicitias,* siue, *Odium*, vt exposuit Vatab. *profectúsque inde, fodit alium puteum, pro quo non contenderunt: itaque vocauit nomen eius, Latitudo,* id est, ideo vocauit eum, Latitudo, seu, Latitudines. Namque hoc significat רחבות *Rechoboth, dicens. Nunc dilatauit nos Dominus*, id est, ex angustia eripuit, & ex persequutionis pressura liberauit, metaphora desumpta a redactis, & constrictis in arcum, quod etiam significauit Dauid.
Psal. 4 *In tribulatione dilatasti mihi.*

ILLVD igitur hac in re notandum censeo, rixas, & contentiones fuisse in apertione primi, & secundi putei, quia scilicicet parùm aquæ habebant, & dum quilibet vas aliquod aqua implebat, totam hauriebat aquam, & sic contendebant pro eo, vt quis prior ad puteum accederet, vt plerumque fieri solet in terris, quæ aquæ penuria laborant. Pro tertio verò puteo minimè sunt rixati, quia latitudines aquarum habebat, vt constat ex nominis impositione, quam ideo talem habuisse videtur, quia quicumque accedebant, hauriebant, ac deferebant quantùm cuique satis esset.

IDEO concupiscunt homines, & non habet, quia omnes nequeunt habere, neque omnes capiunt res paruæ sæculi. Ideo itidem litigant, & belligerant, & occidunt, quia quilibet concupiscit, & omnes haurire nequeunt, donec deueniamus in affluentiam torrentis voluptatis, quæ omnes capit, ideóque omnes in eam intrare iubemur. Quod notauit Caiet. ad
Luc. 16. ea verba Christi; *Intra in gaudium Domini tui.* Quando, inquit, tam magnum est gaudium cœlestis patriæ, vt non possit concludi in homine, & ideo intrat homo in gaudium illud incomprehensibile, & non intrat gaudium illud in hominem, velut comprehensum ab homine: at quia breuia sunt quælibet sæculi bona, à quolibet comprehenduntur, vt nihil alteri possidendum remaneat, ideo semper de possessione contendunt; vno enim possidente, alterum vacet, necesse est.

NOTAVIT hoc ipsum Ambros. lib. de Nabuthe c. 8. cùm ponderat, dixisse diuitem auarum: *Quid faciam, quia non habeo, quò congregem fructus meos?*
Matt. 25. De inopia, inquit, queritur abundans fructibus, miserior iste fœcunditatibus suis, quàm pauper, cui periculum de egestate est. Et Hieronym. ad Edibiam, quæst. 1. Non potest, inquit, vnus esse diues, nisi alter amittat: & dum quisque proprium tueri conatur, & alter alienum auferre, litigant, & contendunt. Quod etiam eleganti similitudine ostendit, ac prosequitur Seneca lib. 3 de Ira, c. 35. Iter, inquit, angustum, rixas transeuntium concitat, diffusa, & latè patens via ne populos quidem collidit: ista, quæ appetitis, quia exigua sunt, nec possunt ad alterum, nisi alteri erepta, transferri, eadē affectātibus, pugnā, & iurgia excitāt. Dixerátque superiori c. illud notatu dignissimū, quod vinculum amoris esse debebat, seditionis, atque odij causa

causa est, idem velle. Ex eo enim, quia multi idem volunt, & exoptant, nec tamen simul habere possunt, nascuntur contentiones, dum quilibet consequi, & habere nititur.

VNDE, quia Sancti pacifici omnino sunt, nihil, quod pacem conturbet, & pro quo possint contendere, cósue in via ditinere, habere curant. In quam sententiam venit id, quod notauit Chrysost. hom. 48. in Genes. Primum scilicet, quod sacra Scriptura dicit Abrahamum de terra possedisse, fuisse sepulchrum in morte Saræ à filiis Heth. In morte, inquit, Saræ à filiis Gen. 23. Heth possessionem sepulchri, empto loco, accepit. Hoc primum principium possessionis fecit: qui verò solo intuitu mortis terram possidebat, parùm illi viuendo adhærebat, & meritò amicus Dei factus est: qui enim Dei amicitia dignus est, vel nihil, aut tantummodo necessaria, de terra possidet, & exoptat.

NOTAVIT hoc Diuus Hieronymus in Psalm. 76. *Vox tonitrui in rota.* Dicamus, inquit, hoc de interiori homine. Rota modico quodam vestigio stat in terra, & non solùm stat; sed quasi percurrit, non stat; sed tangit, & præterit: denique voluitur, & ad altiora transcendit; ita & sanctus vir, quoniam in corpore est, necessitatem habet aliqua de terrenis cogitare, & quando venerit ad victum, & vestitum, & cætera huiusmodi, habens victum, & vestitum, his contentus est, & tangens terram ad altiora festinat; in illo est sermo tuus, quem legimus & in Propheta Zacharia: 1. Thess. 4. *Sancti lapides voluuntur super terram.* Vide quid dixit, *Sancti lapides voluuntur super terram, & ad altiora festinant.* Vnde alibi: *vbi ducebat spiritus, sequebatur & rota.* Zach. 9. Ezech. 1.

SED adhuc aliquid perfectius ea sancta anima profitebatur, quæ dixit: *Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* quasi timuerit pedum inquinationem, Cant. 5. etiam dum ad Spósum per terram accedit: quod meliùs percipiemus, si coniungamus id, quod notauit Philo lib. de victimis, in eo præcepto legis, quo inculcatum erat, vt pedes victimæ lauarent filij Aaron. Pedum lotio, inquit Philo, significat, non humi posthac incedendum, sed per æthera. Qua de re videndus Gregor. in Psalm. 31. cùm dicit, tanto celeriùs animam ad Deum trahi, quanto nihil habet, in quo delectetur in sæculo: qui verò sic transit per terrena omnia bona, pacificè quidem transit, & ipsius membra pro terrenis non militant, nec pugnant, cùm sola necessaria, quibus possit transire, exoptet. Qua de re videndus idem Gregor. lib. 31. Moral. cap. 19. Leuit. 1.

§. III.

Sola desideria, non verò bonorum possessio datur in mundo.

ILLVD etiam ostendit hic locus, totam vitam homines consumere in desideriis, & concupiscentiis, raróque, aut nunquam potiri iis, quæ desiderant, ideóque nihil ferè in mundo reperiri, nisi desideria, & concupiscentias rerum; quod videtur dixisse Ioannes, cùm ait: *Omne, quod est in mundo,*

1. Ioan. 2. do, *aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, & superbia vitæ*; totam enim vitam consumit miser homo in desideriis, vt iam de quolibet homine, longè aliter, ac de Daniele dixit Deus, possimus dicere: *Vir desideriorum est*, cùm nihil habeat præter desiderium habendi, & circa vanitatem concupiscẽtiæ, & desiderij totus occupetur; quod videtur dixisse Dauid; *Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* vbi Chrysost. ita habet: Vanum illud dicitur, quod est inane, quod nomen quidem fuerit, res nequaquam, ita nomen diuitiarum, res nequaquam, nomen potentiæ, & ideo remanet solum nomen. Quis est ergo adeò excors, qui quærat nomina, quæ rebus destituuntur, & totam vitam insumat pro desideriis, cùm desideratum nunquam adueniat, cùm nihil sit?

Dan. c. 9.

Psal. 4.

Cap. 7. IDEOQVE modò intelligetur, cur homo dicatur habere dies, menses, ac vitam totam vacuam, quod dixit Iob. Super quæ verba Greg. 8. Moral. cap. 7. ait: In hac vita quædam laboriosa sunt, quædam vacua, quædam verò vacua simul & laboriosa. Amore Conditoris, præsentis vitæ tribulationibus exerceri, laboriosum quide est, sed vacuum nõ est: amore autem sæculi, voluptatibus solui, vacuum quidem est, sed non laboriosum: amore verò eiusdẽ sæculi aduersa aliqua pati, & vacuũ simul est, & laboriosũ, quia ex aduersitate mens afficitur, & remunerationis præmio non repletur.

EX qua Gregorij sententia rectè colligimus, eos qui pro rebus sæculi zelant, litigant, occidunt, & belligerant, nec tamen habent dies, menses, ac totam vitam, laboriosam quidem habere, cùm tot laboribus eam transigant, vacuam itidem, cùm nihil fere eorum, quæ concupiscunt, habeant: imò tolerant, addit Greg. simul noctes vacuas, & laboriosas, quia eorum vitam, & retributio subsequens nulla remunerat, & præsens tribulatio angustat. Misera quidem talium hominum conditio, quam vtrinque claudit labor, & dolor, quia, & in vita laborant, vt habeant, nec tamen habent, & post mortem etiam laborant, & dolent pro iisdem laboribus, quos viuentes exantlarunt, & meritò futura gaudia non excipiunt eos, qui præsentibus desideriis se totos dederunt, terræque deuouendos commendauerunt. Eos enim aperto ore inhiantes terrenis, terra ipsa etiam deuorat.

Exod. 15. NOTAVIT hoc Orig. hom. 6. in Exod. vbi põderat ea verba; *Extẽdisti manũ tuam, & deuorauit eos terra*. Annõ, inquit, tibi videtur terra deuorare illũ, qui semper de terra cogitat, qui sẽper terrenos habet actus, qui de terra loquitur, terram desiderat, de terra litigat, & omnẽ spẽ suã ponit in terra, qui ad cœlum non respicit, qui futura non cogitat, qui iudicium Dei non metuit, nec beata eius promissa desiderat, sed semper de præsentibus cogitat, & terrena suspirat? talem cùm videris, dicito: *Quia deuorauit eum terra*. Sic ille. Et meritò tales deuorat terra, qui nihil aliud cogitant, quàm deuorare terram, cùm pro ea litigent, occidant, & iugiter laborent.

Mat. 14. PRO qua sententia facit illud, quod notauit Aug. Ser. 13. de verbis Domini, cùm ponderat, Petrum super aquam ambulasse. Amas Deum, inquit, ambulas super mare, sub pedibus tuis est timor sæculi, amas sæculum, absorbebit te; amatores suos vorare nouit, non portare; sed cùm fluctuat cupiditate

cupiditate cor tuum, vt vincas tuam cupiditatem, inuoca Christi diuinitatem. Ideo & in Genes. dicitur; *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Quòd Gen. 1.
si nomine (*Spiritus*) intelligatur amor, id potest mystice significare, quòd Dei amor super aquas ambulat, non ab eisdem mergitur. Ideóque Lactant. lib. 2. de origine erroris c. 19. ait: Homo non sub pedibus quærat Deum, nec à vestigiis suis eruat quod adorat, quia, quicquid homini subiacet, infra hominem sit necesse est; sed quærat in sublimi, quærat in summo. Qua de re plura habet Aug. Serm. 13. de verbis Domini.

ILLVD QVE mirum hac in re est, quòd cætera peccata initium habēt à desiderio, & affectu, vt quando quis appetit occisionem alicuius, aut alienam vxorem; complentur tamen in effectu: at verò peccatum concupiscentiæ circa res sæculi, incipit à desiderio, & in eodem finitur desiderio, quandoquidem nunquam expletur. Vnde Paulus dixit: *Qui volunt diuites* 1. Tim. 6.
fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & in desideria multa: semper enim concupiscunt, & in concupiscentiis emoriuntur, cùm nunquam habeant, quod cupiunt, quod appetunt, imò in laqueo diaboli detinentur ab eodem, ne tandem voti compotes fiant, & experimento noscant, quàm vanum, & inutile sit id, quod tanta anxietate inuestigarunt. Quod si contingeret, proculdubio cessarent à concupiscentiis: in iis enim rebus, quas homines concupiscunt, solus appetitus, & desiderium delectat; possessio verò fastidium generat, experimentum cognitionem parit vilitatis earum rerum pro quibus zelant, litigant, ac laborant. Quod argumentum prosequitur D. Greg. hom. 36. in Euang. quæ sic incipit: Hoc distare, fratres charissimi, inter delicias cordis, & corporis solet, quòd corporales deliciæ, cùm non habentur, graue in se desiderium accendunt, cùm verò auidè eduntur, comedentem protinus in fastidium, & satietatem vertunt; at contrà spirituales deliciæ, cùm non habentur, in fastidio sunt, cùm verò habentur, in desiderio. Tantoque à comedente ampliùs esuriuntur, quanto ab esuriente ampliùs comeduntur: in illis appetitus placet, experientia displicet, appetitus saturitatem, saturitas fastidium generat. Quod idem argumentũ prosequitur 14. Moral. c. 6. Delectationem totam huius vitæ in desiderio solùm cõsistere probat Ber. Ser. de primordiis, med. & nouissi. vbi sic rẽ ostẽdit. Comedere appetis, quia fames te cruciat, postquã fames depulsa fuerit, vide si nõ grauius ducis comedere, quàm esurire. Sic se habẽt vniuersa sub Sole, vt nihil sit in eis verè iucũdũ, sed de vno sẽper trãsire velit homo ad aliud soláque vicissitudine releuetur. Quibus habet similia Greg. 8. Moral. vbi inter alia ait, ideo ad varia obiecta appetitum hominis respicere, vt scilicet, quia qualitate rerum non potest, saltem varietate satietur.

HINC est, quòd Oseas dixerit de iniquis hominibus, *comedent, & non saturabuntur*; quantumuis enim sese voluptatibus, & peccatis dedant, nũquam pleni erunt, sed semper esurient, & cum filio prodigo cupient impleri siliquis: nam sicut D. Hier. illic notauit, voluptas insatiabilis est, & quanto magis capitur, tanto plus vtentibus se famem creat, &c. Sunt enim aliqui cibi exigui nutrimẽti, quibus iugiter quis potest vesci, nec vnquã saturari, Ose. 4.

&

& repleri: his igitur similes dicit Propheta esse voluptates. Et Isai. ad hunc sensum dixit: *Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem vestrum, non in saturitate?* quorum verborum sensum exposuit Ribera. Cur tanto pretio & labore emitis voluptates, & bona sæculi, quæ tamen nec alere, nec satiare vos poterunt? E contrario verò de iustis ibidem dicitur; *Audite audientes me, & comedite bonum, & delectabitur in crassitudine anima vestra:* qui enim malo vescuntur, nec laborem fugient, nec saturitatem consequentur.

Isai. 55.

Ex quo discursu illud iam colligitur, delectationem comestionis, sicut & cuiuscumque alterius rei huius vitæ in sola esurie, appetitu, & desiderio consistere, quod si tandem expleatur, tota statim delectatio cessabit. Ideóque diabolus nihil magis curat, quàm vt is, qui aliquam rem desiderat, pro ea zelat, litigat, & occidit, nunquam ea potiatur, ne statim à nequitia desistat, fastidio affectus, sed perpetuam rabiem cupiditatum patiatur, sicut dixit Origen. hom. 6. in Leuit.

§. IV.

Ea solummodo bona sunt, quæ à Deo postulantur, & accipiuntur.

QVONIAM verò receptissima est ea expositio huius loci, quam assignat Lyran. & prosequitur Brixian. ibi; *non habetis, propterea quòd non postulatis;* id est, non expectatis à Dei beneficentia id, quod habere optatis, sed existimatis vestro vos ingenio assequi illud posse; quare indigni estis qui habeatis. Postulat hic locus, vt aliquid dicamus contra eos, qui spem suam in alio ponunt, præter Deum, aliáue bona procurant, quàm quæ à Deo possūt assequi. De quibus sanè videtur dixisse Dauid; *Odisti obseruantes vanitatem superuacuè:* quæ verba explicat Aug. 6. de Ciuit. Dei, cap. 8. contra eos, qui in re aliqua spē suam collocant, præterquàm in Deo, quos quidem tāquam in ipsum iniuriosos Deus odio habet. Speras, inquit Aug. in pecunia? obseruas vanitatē. Speras in honore, & sublimitate aliqua? obseruas vanitatem. Ego autem in Deo speraui, quando non obseruo vanitatem.

Psal. 30. ILLVD autem cōtra huiusmodi homines notandum est, quod addit Propheta; *Odisti obseruantes vanitatem superuacuè*, id est, vanitatem vacuitatis, siue inanitatis, seu vanitates vanissimas, sicut exposuit ibi Genebrar. Vacua enim sunt, & vanissima quæcumque obseruamus, & in quibus speramus. Hoc autem dixit Dauid postquā expertus fuerat, nullam omnino confidentiam posse haberi etiam in diuitiis, apparatu, & magnificentia regia. Nam præcedenti Psalmo fatetur, se aliquādo confidisse abundantiæ suæ, ait enim:

Ps. 29. *Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum.* quæ verba sic explicat Aug. Serm. 2. de verbis Apostoli. Tanta erat abundantia mea, vt hoc dicere auderem; non mouebor in æternum. Quid deinde? ait Augustinus *Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.* Ostendisti, inquit, mihi,

mihi, vnde peterem, cui retribuerem, quod acceperam, ad quem currerem sitiens, vt implerer, & quo impletus essem, ad quem custodirem; fortitudinem enim meam ad te custodiam. A Deo enim sunt postulanda bona, ab eo conseruanda, & ad ipsius cultum custodienda. Consonátque illud Ps. *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* vbi Paraphras. Chald. *Psal. 15.* habet; *bonum meum, non nisi à te.* Quibus verbis ostendit nullum omnino bonum posse alicui contingere, nisi Deo largiente, & conseruante, proindéque frustra quemlibet zelare, litigare, & occidere, si à Deo non postulat, & accipit, qui solus pauperem facit, & ditat. Vnde Abraham oblata bona recusauit dicẽs: *Nõ accipiam ex omnibus, quæ tua sunt, ne dicas; Ego ditaui Abraham,* *Genes. 14.* vbi Lyran. post D. Chrysost. aduertit, non dixisse Abrahamum, ne tu dites Abrahamum, sed, ne dicas; Ego ditaui Abrahamum, quia cùm solus Deus diuitem facere possit, poterit homo falsò hoc sibi assumere. Vnde Fulgen. epist. 6. ad Theodorum, de conuersione c. 6. ita ait: Homo quidem sic à Deo factus est, vt temporalia bona habere possit, sed habere non potest, nisi dono Dei miserantis acceperit. Nam & oculus sic factus est, vt videre lumen possit, sed videre non potest, nisi se illi lumen infuderit. Quòd ergo videt oculus, beneficium est luminis, & quòd bona quis habeat, id conceditur à Deo.

Vnde Philo lib. de somniis, ponderans ea verba, quæ Deus dixit Iacob. *Ero custos tuus quocunque perrexeris.* vbi ipse legit; *Ecce ego sum tecum.* Quid; in- *Genes. 28.* quit, igitur nobis deest amplius, cùm te possideamus veras diuitias? Ideóque Sponsa secundùm expositionem D. Ambrosij Domino dixit, se in nullis omninò sæculi rebus posse exultare, & confidere, nisi in Diuino Sponso, quem pro diuitiis habebat, & à quo solo cũcta bona sperabat. Exultabimus, inquit, & lætabimur in te. Non in diuitiis, ait Ambros. lib. de Isaac, & anima, c. 40. auri, argentíque thesauris, nõ in possessionum fructibus, non in potestatibus, non in conuiuiis, sed in solo Deo exultat, in quo, & à quo sunt veræ diuitiæ, & sine quo nihil boni possideri potest. Ideóque aduertit idem Ambros. Iosephum missum à patre inuenisse iniquos fratres suos in Dothaim, quæ significat *defectionem.* Vbi enim, inquit Ambros. lib. de Io- *Genes. 37.* seph c. 3. nisi in defectione, qui Deum deserit? Tantùm enim abest, vt bona inueniat is, qui recedit à Deo parente, vt potiùs iis quæ habet, priuetur, donec tandem deficiat. Quod dixit August. in Psal. 123. Vt lucrum, inquit, faceres, offendisti Deum, vt augeres pecuniam, fides diminuta est, & aurum crescit. Quid perdidisti? quid acquisiisti? Quod acquisiisti, aurum vocatur, quod perdidisti, fides vocatur, lucra tua cogitas, damna tua non cogitas? de arca gaudes, de corde non plangis? abundat nescio quid in arca tua; sed vide quid diminutum sit in corde tuo.

Est in hanc sententiam notandus locus ille, quando milites de tribu Dan ingressi domum Michæ, tulerunt sculptile, Ephod, idola, atque conflatile, clamantibúsque Micha, & seruis eius post Danitas, dixerũt ipsi ad Micham: *Quid tibi vis? cur clamas?* vbi Vatab. *Quid sic queritaris? qui respondit:* *Iudic. 18.* *Deos, quos mihi feci, tulistis, & Sacerdotem, & omnia, quæ habeo, & dicitis; Quid tibi est?*

est? quem locum sic transtulit Vatab. *Deos meos, quos mihi feci, abducitis, & abitis; quid verò mihi vltrà est?* id est, quid mihi putatis esse reliquum? Existimauit enim Michas, post Deos etiam falsos nihil omnino illi superesse, neque aliquid boni illi ampliùs remanere. Quòd si nihil reliquum habebat Michas, spoliatus idolis falsis, quid poterit habere infelix anima, quæ verum Deum nec habet, nec vera bona ab eo postulat?

Ridet meritò D. Chrysost. hom. de proditione Iudæ, insanam Israëlitarum postulationem ad Aaron, dum ei dixerunt: *Fac nobis Deos, qui nos præcedant.* Incredibilis, inquit Chrysost. est hæc insipientia, & stupiditas, dum scilicet relicto Deo, qui eos fecerat, & in manu potenti eduxerat de manu Ægypti, aperiendo illis mare rubrum, & in eodem insequentes hostes submergendo, postulant Deum factum, quasi fieri possit Deus, eúmque ducem profitentur, antequam fiat. Sed, sicut notauit optimè D. Clemens Rom. lib. 6. Constitution. Apostolic. cap. 10. hac vna re sapiunt, quòd se sine Deo nihil posse fatentur, & in medio errore veritas elucet, nullam scilicet Rempub. populum, domúmue posse consistere, & perdurare, quæ Deum non habeat protectorem, ductorem, ac datorem; imò statim inueniendam fore in Dothaim, scilicet in defectione, & perditione omnium bonorum.

Exo. 32.

Pro quo argumento facit id, quod Dominus latroni in cruce pendens dixit: *Hodie mecum eris in Paradiso.* quasi enim parum fuisset dicere, *hodie eris in Paradiso,* addidit, *mecum eris.* Veritus enim fuisse videtur Filius Dei, ne latro Paradisum recusaret sine ipsius societate, vtpote qui sine Deo posset amitti, aut de eo cadere, sicut cecidit Lucifer, & amisit Adamus. Dixit hoc eleganter Ambr. in Psal. 39. Pulchrè, inquit, subiunxit, *mecum eris in Paradiso,* hoc est, noli timere, ne & tu cadas de Paradiso, sicut cecidit Adam, sed audi, quia mecum eris, quo præsente cadere non possis. Quòd si bona, quãtumuis excelsa, & sublimia sine Deo nequeunt securè possideri, quomodo acquirentur, si ab ipso concessa non fuerint?

Luc. 23.

Hæc igitur est ratio, cur non habemus ea, pro quibus tot curas sumimus, tot labores impendimus, occidimus, litigamus, ac prælíamur, quia præ omnibus de Deo non curamus, & ad Deum non confugimus; quod docet Iacobus in præsenti; & post eum D. Chrysost. hom. 8. in epist. ad Heb. Omne studium in iis, quæ ad vitam pertinent, euacuatur; propterea nobis pro voto non proueniunt.

Longe aliter quidem Iob, qui post annunciata tot mala, & amissa omnia bona, dixit: *Dominus dedit, Dominus abstulit sicut Domino placuit, ita factum est.* Dedit, inquit August. & abstulit, manet qui dedit, & abstulit quod dedit. *Sit ergo nomen eius benedictum.* Quibus verbis censet Aug. propterea Iobum Deum laudasse, quia quãtumcumque omnia bona resciuerat ablata, adhuc tamen sibi remanere Deum bonorum omnium agnouerat, cuius sola præsentia sufficiens illi erat, vt in laudes prorumperet ipsius, qui bona omnia abstulerat. Qui ergo vera bona desiderat, Deum primò inquirat, & à Deo eadem postulet, & cum Deo lætetur, etiam post amissa omnia.

Qvod si aliquando iniquis hominibus bona videmus à Deo concess

cessa,cùm nec ipsi à Deo postulent, nec ipsi mereantur sibi à Deo concedi, duplicem solutionem dabimus. Primam desumimus ex Gregor. 6. Moral. cap.4. vbi ponderat ea verba Iob. *Vidi stultum firma radice, & maledixi pulchritudini eius*;&statim eius maledictionis causã assignat dicens. Qui honoratur in via;in peruentione damnabitur,& quasi per amœna prata ad carcerem peruenit,qui per præsentis vitæ prospera ad interitum tendit. Clariúsque hoc habet 15.Moral.c.35.vbi sic ait. Quia videt Deus,ad quam damnationis foueam tendant iniqui,hoc eis pro nihilo esse existimat,quòd hîc relinquenda multiplicant. Permisit enim diuina bonitas, vt qui tot mala post mortem subituri sunt,aliquibus, licèt breuibus, licèt fragilibus bonis in vita fruerentur. Iob c.5.

SECVNDAM solutionem adhibet D.August.loco citato dicẽs:Quòd bona temporalia det malis, admonet bonos, vt alia desiderent, quæ non habent cum malis communia,quæque non zelando,litigando,& belligerando,sed postulando possunt haberi,imò & lucrari,si hæc vilia bona contemnant,pro quibus sic impij,& stulti laborant, nec habent. Vnde Dauid, qui *sicut ceruus ad fontes aquarum*) solum Deum bonorum fontem desiderabat, dixit: *Quia non cognoui literaturam, introibo in potentias Domini.* vbi D. August. concione 1.legit. *Quoniam non cognoui negotiationem.* Audiant,inquit,negotiatores, & mutent vitam. Hinc enim auiditate nescio qua acquirendi, ô negotiatior,quando damnum passus fueris,blasphemas:quando autem pro pretiis rerum,quas vendis,non solùm mentitis, verùm etiam falsum iuras, & propter te dicũt Pagani:Ecce quales sunt Christiani,&c.Et D. Chrysost. Serm. in Psalm. *Qui habitat*;super prædicta verba ait:Malum negotium pecuniarum,quod animam inescat,& captiuat.Videndus hac de re Hierony. lib. 3.in cap.12. Oseæ,ad ea verba;*Chanaan,in manu eius statera dolosa, calumniam dilexit, & dixit Ephraim: Veruntamen diues effectus sum*;id est, vt exponit Hieron.nõ refert,vnde possideam,dummmodo possideam:Similiáque habet Hilarius in Psalm. 125. Psal. 70. Osee c.12

Vers.3. *Petitis, & non accipitis, eo quòd malè petatis, vt in concupiscentiis vestris insumatis.*

EXPOSITIO LITERALIS.



QVONIAM in promptu erat obiectio,qua quis posset dicere, multos studiosè, & assiduè Deum precari, totóque affectu, Deum postulare,nihil tamen ab eo obtinendo, ideo rationem statim huius rei reddit Apostolus; propterea scilicet non exaudiri,quia noxia,& in malum finem petunt,constituendo Deum libidinum, & voluptatum administratorem, vtpote qui ipsarum materiam ab eo velint accipere; qua in re tantũ abest,vt à Deo exaudiantur, quin potiùs ipsum grauissimè offendunt, & in ipsa oratione plus delinquunt.

VNDE Cyrill.lib.9. in Ioan.c.43.explicans hæc verba Iacobi,ait:Quæ ipse Deus odit,quoniam turpia sunt,quomodo cæteris largietur? quomodo dulcedinis fons amarum aliquid scaturire poterit?Ideoque quemadmodum Pharisæus Deum orando,deliquit,sic etiam delinquunt ij, qui taliter Deum orant;sicut hic notauit Oecum.idque propter prædictam rationem, atque etiam,quia,sicut aduertit Interlinearis,magis ea,quæ petunt, quàm Deum videntur amare. Vnde Aug.in Psal.85 dicit eos,qui sic orant, Deum non inuocare,secundùm illud Psalmi; *Deum non inuocauerunt.* Inuocant, inquit,sed non Deum,inuocas quicquid amas, inuocas quicquid in te vocas, inuocas quicquid vis vt veniat ad te.Porrò si Deum propterea inuocas,vt veniat ad te pecunia, vt veniat ad te hæreditas, vt veniat ad te sæcularis dignitas,illa inuocas,quæ vis,vt veniant ad te; sed Deũ tibi ponis adiutorem cupiditatum,non exauditorem desideriorum.Et subdit;Inuoca Deum, tanquam Deum,illo melius nihil est,ipsum desidera,ipsum concupisce.Vide inuocantem Deum, *Unam petij à Domino,hanc requiram.* Delinquit etiam, qui sic petit,quia non obedit Dei præceptis,qui dixit: *Quærite, seu,petite,* vt legit Oecumen. *primùm regnum Dei, & iustitiam eius.* Iam verò *qui declinat aurem suam, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis*; sicut dixit Salomon.

Psal 52.

Prou.28.

TANDEMQVE deficit,sicut notauit Caiet.quia propriam voluntatem, & appetitum præponit Dei voluntati,dum postulat, vt perficiatur voluntas propria, cùm tamen oporteat in supplicando præferre voluntatem diuinam,alioqui malè petitur, proindéque nec exauditur.Sic enim intelligenda est ea promissio Christi Domini,vt hîc aduertũt cum Didymo Alex. omnes grauiores interpretes,& in illud Matth. *Petite, & dabitur vobis*: & Luc. *Omnis,qui petit,accipit,* &c. si,scilicet, adsint conditiones rectæ petitionis,quarum vna est,vt rectè petatur.Deinde malè petitis, quia petitis superflua,non necessaria,nociua, non vtilia.

Matt 11.
Luc.11.

NOTANDVM verò est verbum illud *insumatis*,quod sic interpretatur D. Thomas,vt consumatis,scilicet,vos ipsos in concupiscentiis vestris. Vnde & alia litera eodem teste habet; *vt insumamini.* Lyran.verò sic explicat illud; vt in concupiscentiis vestris insumatis, vt sit sensus: concupiscentias vestràs impleatis.Insumo enim est verbum compositum ab in,& sumo.Et sic, insumere,est intus sumere, quod est concupiscentiam malorum adimplere;& eum sequitur Carthus.dicens:Vt eas insumatis, id est,intra vos accipiatis,& consumatis in concupiscẽtiis vestris,scilicet, iuxta impetum concupiscentiarum,non secundùm rationis iudicium.

PLENIOR tamen erit sensus;si sic intelligamus hunc locum; malè petitis,vt in concupiscentiis vestris insumatis, id est, expendatis in completione concupiscentiarum vestrarum.Hanc enim vim habet apud Latinos hoc verbum (*insumo.*) In hoc sensu explicatur hic locus à D.August.tractat.73.in Ioann. cui accedit ex parte D.Thomas hîc,& videtur esse de mente Bedæ.

§. I.

§. I.

Non sunt petẽda à Deo priùs temporalia, sed potiùs spiritualia.

CVM certum sit, orationem esse clauem, qua reserantur quæcunque difficillima sunt, sicut probat Chrysost. hom. 36. in Act. Apost. cum ponderat illud de Paulo, & Sila; quòd *media nocte orantes laudabant Deum, & audiebant illos vincti. Repentè autem terramotus factus est magnus, ita vt mouerentur fundamenta carceris. Aperta sunt autem statim ianuæ, & omnium vincula soluta sunt*; vbi clauis carceris, ac vinculorum oratio extitit: nec mirum, cùm clauis etiam cœlorum sit. Ideóque Helias clausit, & aperuit cœlum oratione; sicut ibidem ponderat Chrysost. Clauémque cœli vocauit orationem D. August. Serm. 226. de Tempore. Qua in re oratio videtur assimilari sanguini Christi in nomenclatura; sic enim eum clauem cœli appellauit Hieronym. epist. 129. ad Dardanum. Act. 16.

CVM itaque oratio clauis sit cœli, ipsúmque aperiat, vt nobis inde omnia bona decidant; quo sensu dixit Chrysost. Ser. de Moyse, tom. 1. orationem esse colloquutionem cum Deo; responsum verò ipsius esse beneficia, quæ nobis largitur. Colloqui, inquit, tecum, etsi non verbis, tamen beneficiis dignatur; imò & beneficiis solet diuina bonitas nostras præuenire, & anteuertere preces, sicut notauit idem Chrysost. Ser. in c. 3. Sap. ad ea verba; *Iustorum animæ*, &c. tom. 1. cùm ponderat, cur Petrus, & Ioannes non post egressum è templo, quò ierant ad orandum, sed ante ingressum, claudum sanauerint, & ambulare fecerint. Ascendunt, inquit, Apostoli Dominum deprecaturi, sed preces claudi non poterant aspernari, neque permittit claudus orare illos, quos petit, nisi priùs acciperet quod optauit, vt antè ab eis, quod voluit, impetraret, quàm ipsi à Domino, quod volebant, expeterent: antè operantur, quàm ipsi Dominum deprecentur, antè virtus ostenditur, quàm oratio ad Dominum præmittatur, effectus preces præueniunt, virtutes desideria antecedunt, nec expectatur, vt vota ad Dominum præmittantur, quia Dominus ipse antè efficit, quàm oretur. Hæc Chrysost. quæ ostendunt, quomodo Deus nos præueniat oraturos. Act. 3.

MAGNAM parit difficultatem locus ille initio Cantic. vbi Sponsa alloquuta absentem sponsum, & dicens: *Osculetur me osculo oris sui*, statim conuertit sermonem, tanquam si præsentem alloqueretur Sponsum, illicóque dicit: *Quia meliora sunt vbera tua vino*, cùm potiùs debuisset dicere, quia meliora sunt vbera sua vino. Acutè sane aduertit Origen. quæ mutatio hæc fuerit, dicens; vim fidelis, & feruentis orationis per hanc mutationem indicasse Spiritum sanctum; nam, cùm Sponsa ex imo corde effunderet animam suam ad Sponsum absentem, quem præsentem, & osculantem desiderabat, dicebat; *Osculetur me osculo oris sui*, tamen vix intra se verba compleuerat; & ecce Sponsus Deus adest tali modo, vt ab Sponsa videretur, quem præsentem intuita, inceptam orationem, tãquàm ad præsentem Domin. conuertit, *Quia* Cant. 1.

meliora sunt vbera tua vino: docet nos Spiritus sanctus diuinam prouidentiam, atque assistentiam nostris precibus.

Cap. 58. Hoc idem docuit per Isaiam, cùm dixit: *Tunc erumpet quasi manè lumen tuum*; pro quo Chrysost. legit, *scindetur*, id est, subitò te illuminabit, ait: Quod plus est, adhuc te loquente, dicam: *Ecce adsum*; vel vt est in Hebr. *Ecce ego*, quasi dicat: quid tibi est opus? adsum opem laturus. vbi D. Hier. Ecce adsum, non voce, sed opere, non responsione, sed beneficiis: quod iuxta literam in Euangelio comprobatur, quando dicente ad Dominum Leproso: *Si vis, potes me mundare*: videtur, ait D. Hier. velle ostendere, quomodo rebus responderit vocibus, dixit Leprosus; *Si vis, potes me mundare*; *respondit: volo, mundare*. Iisdem duobus verbis, quibus Leprosus fuerat loquutus, velut fidem effectu comprobans, vt notauit D. Ambr. lib. 5. in Luc. c. 1. dicens: Illud mirabile, quòd eo sanauit genere, quo fuerat obsecratus, *Si vis, potes me mundare, volo, inquit, mundare*. Quibus habet similia Chrysos. ho. 17. ex variis in Matt. locis.

Gen 38. Extat insigne huius prouidentiæ testimonium in Genes. quo loco orabat seruus Abraham Deum, vt puella virgo, quæ prima occurreret, & aquam petenti sibi concederet, illa ipsa vxor futura esset Isaac filij domini sui, orabat certè in fide. Notanda verò maximè verba Scripturæ: *Nec dũ*, inquit, *intra se verba compleuerat, & ecce Rebecca egrediebatur, virgo pulcherrima, & incognita viro, quæ petenti sibi aquam, non solùm largiter dedit, sed etiam omnibus famulis, & camelis hausit liberaliter.*

Cernitur etiam vis orationis in eo, quòd Deus plura concedat petenti, quàm ab eo postulentur. Etenim, cùm Daniel solam Hierosolymitani

Dan 9. templi reparationem postulasset, plus inuenit diuina liberalitas, quod largiretur, atque ita promisit Deum in carne venturum, quod nec sperare posset humana fragilitas, nec postulare auderet. Solet enim excedere diuina bonitas vota postulantium, & merita.

Hoc argumentum prosequitur Paul. Burgens. in Scrutinio 1. p. d. 3. cap. 3. Similisque est locus Genes. vbi, cùm Abraham tantùm postulasset; *vtinam*

Gen. 17. *Ismaël viuat in conspectu tuo*; audiuit diuinum responsum dicens: *Sara vxor tua pariet tibi filium, vocabisque nomen eius Isaac*. Qua de re vidẽdus Chrysost. hom. 29. in Gen. & 38. & hom. 79. ad pop. & Ambros. super Psal. 3. cùm ponderat

Luc. 23. ea verba latronis. *Domine memento mei*. Ille adhuc rogabat, vt sui meminisset Dominus, cùm venisset in regnum suum, & Dominus, cùm nondũ venisset, iam ei regnum cœleste tribuebat. Similia habet Hier. epist. ad Rufi. tom. 1.

Cvm igitur hæc sit vis, & efficacia orationis, mirum sanè posset videri, quod hîc ait Iacobus; *petitis, & non accipitis*, nisi statim rationem adiungeret dicendo; *eo quòd malè petatis, vt in concupiscentiis vestris insumatis*. Ex quibus verbis illud imprimis colligimus, Deum propterea non exaudire postulationes nostras, quia terrena postulamus ad complendas inordinatas concupiscentias. Porrò, si Deus non vult, vt ab eo, quæ sunt sæculi, primariò postulemus, quî fieri potest, vt cõcedat, si ad nostras concupiscentias petierimus? Quòd verò nolit, vt postulemus primariò terrena, probat id, quod dixit;

Matt. 6. *Quærite primùm regnum Dei*. Vnde Basil. lib. const. Monast. Quandocũq. ores, caue

tane diligenter ne quæ petis, peruersè petas, & aduersùm te Dominum irrites: non pecuniam, non gloriam humanam, non aliud quippiam ex numero eorum, quæ citò præteruolant, sed pete regnũ Dei, & quæ ad vsum corporis pertinent, omnia tibi suppeditabit munificentissimus, atque augustissimus Rex noster, qui indignè fert, quandocumque quis exiguum à se aliquid petit, quandocumque quis nostrùm de rebus minimè ipsi conuenientibus rogat. Noli igitur illum tibi oratione tua iratum facere, sed ea pete tibi, quæ digna sunt, & Rege, & Deo; hæc autem petens ab eo, ne priùs recesseris, quàm quod petis, impetraueris. Sic Basilius. Cui addendus est August. in Ps. 36. cùm ponderat ea verba; *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* Discerne, inquit, petitiones carnis tuæ à petitionibus cordis tui: Petitiones carnis sunt, quibus petuntur carnalia, petitiones cordis, quibus postulantur spiritualia, quæ à Deo facilè consequemur, si à carnalibus fuerint separata. Psal. 36.

VIDENDVS etiam pro hac re est Greg. 15. Mor. c. 23. vbi aliam rationem adducit, cur Deus nos non exaudiat, cùm temporalia ad concupiscentiis indulgendum postulamus. Se magis, inquit, Dominus, quàm ea, quæ condidit, vult amari; æterna potiùs, quàm terrena, sicut scriptum est: *Quærite primùm regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis:* qui enim non ait, dabuntur, sed adiicientur, profectò indicat, aliud esse, quod principaliter datur, aliud verò quod superadditur.

IDEM argumentum prosequitur D. Chrysost. hom. 54. in Genes. Ne temporale, inquit, aliquid à Deo petamus, indignum enim valde est, à tam liberali, & tanta virtute præstanti, huiusmodi petere, quæ in præsenti vita dissoluuntur, & versionem experiuntur. Accinit Nazian. Orat. in sanctum Baptisma, cùm ait: Iucundiùs Deus dat, quàm alij accipiant; hoc vnum caueamus, ne sordidi, ac præparci animi notam subeamus, parua postulantes, ac Dei liberalitate indigna.

NEC mirum, si Deus nolit, vt primariò ab ipso postulemus, quæ ad sæculum pertinent, quando nec ipsorum recordationem voluit haberi, dum ipsum deprecaremur: quæ fuit ratio, cur ascendentibus ad orationem, iuxta ipsius præscriptum, dixerit: *Nullus insidiabitur terræ tuæ ascendente te, & apparente in conspectu Domini Dei tui ter in anno.* Reddit autem rationem huius sententiæ D. Aug. quæst. 161. in Exod. dicens: Hoc vult intelligi, vt securus quisque ascenderet, nec de terra sua solicitus esset, Deo promittente custodiam. Ex qua expositione illud colligimus, Deum non solùm velle, vt ab eo terrena minimè postulemus, quin potiùs, nec ipsorum memoriam, curam, ac solicitudinẽ habeamus, dum ad orationem accedimus. Vnde D. Aug. lib. 2. de Serm. Domini in Monte, c. 17. & 24. & 25. & deinceps, concludit, nullo modo posse à Deo temporalia peti, quia pro quibus non licet esse solicitum, non licet etiam orationem offerre: quod tamen ita intelligendum est, vt temporalia non postulemus, nisi pro necessitate, & vt ad res spirituales conseruandas conducunt, ideóque superiùs dixi, malè à Deo postulare, qui primariò ab ipso temporalia bona postulabat: Exo. 34.

quia

quia non sunt postulanda, nisi secundùm necessitatem, & vt pertinent ad spiritualia, quæ est mens Augustini Serm. 6. de Orat. Dominic. & lib. 50. homiliarum, hom. 11. & Chrysost. de orat. Dominic. & Tertull. lib. de orat. Sicque intelligendus est Basil. Greg. & Chrysost. suprà allati, & Cassian. collat. 9. cap. 24.

§. II.

Digna Deo debet esse nostra oratio.

CVM ergo temporalia bona non debeant à Deo postulari summa solicitudine, nec nisi in ordine ad spiritualia, qui ea sola inquirunt insuper nequissimo proposito fine, scilicet, vt in concupiscentiis ea insumant, quomodo à Deo accipient, quem dum postulant summè offendunt? quomodo exaudietur oratio, quæ in peccatum fit, & conuertitur? sicut dixit Dauid. Grauissimum autem malum est, contrahere in oratione peccatum, in qua alij remedium consequuntur, sicut optimè notauit Ambros. *lib.* 1. de Cain, & Abel. c. 9.

Ps. 168.

QVÆ fuit ratio, cur Tertull. in Apologet. aduersùs Gent. c. 40. rideat Gentiles, qui dum Deorum opem pro suis necessitatibus implorant, eosdem maximè offendunt; cùm ab imbribus æstiua, inquit, hyberna suspendunt, & annus in cura est. Vos quotidie pasti, statímque pransuri, balneis, & cauponis, & lupanaribus operati, aquilicia Ioui immolatis, cœlum apud Capitolium quæritis, nubila de laquearibus expectatis, auersi ab ipso, & Deo & cœlo. Ideóque cap. sequenti eosdem appellat publicorum incommodorum, & malorum illices, quia dum precarentur, Deum potiùs irritabant. Quibus similes omnino sunt ij, qui à Deo postulant bona, vt *in malis* insumant, qua in re, & propriam fatentur nequitiam, & Deum per impudentiam iniuria afficiunt.

HOC vt explicem, notandum est id, quod dixit Clem. Alex. 7. Stromat. Nos Deum nostrum precibus honoramus; quod intelligendum censeo, non solùm de reuerentia, & submissione, qua toto corpore procumbentes profitemur Dominum, & Creatorem; sed insuper, quia, dum quæ bona sunt, ab ipso postulamus, & quæ petimus, in ipsius cultum conuertimus & impendimus, & bonorum authorem, & finem etiam nostrum, & eorum, quæ condita sunt, prædicamus. Ideóque D. Ber. Ser. de quatuor modis orandi, vbi præsentem Iacobi locum pertractat, ex eo deducit, quæ sequuntur. Caueat quis, ne fortè postulet nō postulāda, aut minùs postulet, quàm à Deo sint postulāda; quasi velit iniuriā inferri Deo, dū quæcumque iniusta sunt, & nequā fini diriguntur, à Deo postulantur. Quis enim audeat ea, quæ dedecent, nisi per summā impudentiā, & iniuriā, vel etiā à prudenti Rege petere? Ideóque & filia Herodiadis caput Ioannis Baptistæ inter pocula, & in conuiuio ebrietatis postulauit, nihil quidem tale ausa à sobrio Rege quærere. Iniustæ enim preces pudore, & iniuria afficiunt eum, cui proponūtur, sicut & quæ rationi conueniunt, vel ipsum etiam Deū videntur honorare.

Marc. 6.

VNDE

Vnde Dauid, *Domine ante te desiderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus.* vbi D. Gregor. expositione in Psalm. pœniten. ait. Tale est desiderium meum, vt dignum sit in conspectu tuo: quasi dicat, nihil omnino desidero, quod pudeat à te postulare, à quo non nisi digna postulanda sunt. Pulchrè verò addit Aug. Ideo non est absconditus, sed exauditus gemitus. Ideóque & Senec. epist. 10. perfectum, & omnibus cupiditatibus solutum eum virum dixit, qui nihil Deum roget, nisi quod rogare possit palàm, quando scilicet non nisi quæ postulanda sunt, possint à Deo peti. Qui enim malè petit, & ignorantiam, ac nequitiam propriam profitetur, & iniuriam Deo infert. Proptereáque sic petentes non accipiunt. Videndus hac de re Chrysolog. Serm. 132. vbi explicat ea verba Christi Domini Matth. 18. *Si duo ex vobis conuenerint super terram, de omni re quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo;* salua tamen ea cautela, & reuerentia, vt à Deo, quæ Deo digna, postulentur: qui enim mala à Deo postulat, Deum mali iudicat, & sentit authorem, & qui vilia, & indigna precatur, præstantis potentiam degener petitor ignorat. Psal. 37.

§. III.

Beneficium Dei est, nobis postulata aliquando negare.

Neqve verò Diuina bonitas nobis, etiam dum negat, deest, imò magnum beneficium largitur, dum ea, quæ noxia, iniustáque sunt minimè concedit; quod iam suprà in c. 1. notauimus v. 6. §. 5. Est enim peculiare Dei beneficium, sic postulata negare: quod dixit August. in Psalm. 85. Deus, inquit, bonus, si det, quod vis, quid si malè vis? nónne erit magis tibi non dando misericors? quid enim petebas? fortè mortem inimici: tristis es; quia non es exauditus contra illum: gaude, quia non es exauditus contra te. Hoc etiam cernere est in patre diuidente substantiam duobus filiis. Si enim portionem prodigo non tribueret, neque abiret in regionem longinquam, nec viueret luxuriosè. Luc. 15

Videndvs pro hac re Bern. Serm. contra vitium ingratitudinis; vbi ostendit, ex Dei misericordia prouenire, quòd aliquando non concedat ea, quæ nobis noxia forent. Misericordiæ, inquit, res est, hac in parte subtrahere misericordiam, quemadmodum iræ, & indignationis misericordiam exhibere. Ideóque Chrysost. hom. 5. in Genes. admonet, vt Deo semper gratias agamus, siue consequamur quod petimus, siue non: Nam, cùm Deus, inquit, aliquid nobis negat, non minus est, quàm si concessisset. Negat enim aliquando, quia nescimus, quid petamus, idque confirmat exemplo Pauli, qui ter Dominum rogauit, vt ab eo auferretur stimulus carnis, nec tamen exauditus est: cùm tamen diabolus exauditus fuerit, quando Iob petiit tentandum, & dæmones exauditi sint petentes licentiam, vt porcos ingrederentur. qua de re videndus August. in Psalm. 85. & tract. 6. in 1. epist. Ioan. vbi ait. Apostolus magis exauditus est ad salutem, non ad voluntatem; diabolus ad voluntatem, sed ad damnationem: si voluntati nostræ dat, sa- 2. Cor. 12

luci non dat. Similia habet in Psalm. 26. ad ea verba; *Vnam petij à Domino, hanc requiram*. Et epist. 150. & tract. 73. in Ioan. & lib. 5. contra Iulian. cap. 3. & Serm. 3. de verbis Apostoli, vbi ait. Deus & cùm differt, adest, & differendo adest, ne prosperam cùm implet voluntatem, perfectam non impleat sanitatem. Videndus hac de re Prosper. lib. sententiar. sent. 212. & D. Thom. 3. p. q. 15. art. 1. & 2. Chrysost. hom. 79. ad pop. vbi ait. Non nosti vtilia, ô homo frequenter damnosa petis, & periculosa; sed Deus magis tuæ curam gerens salutis, non tuam intuetur petitionem.

PROINDEQVE non mirum, si qui petunt bona, vt in concupiscentiis insumant, non exaudiantur. Si enim filij Israël monilia, & inaures non haberent, idolum quidem non adorarent; & si perditus filius substantiam non acciperet, non viueret luxuriosè: multíque nisi temporalia superadanter haberent, & ni pecu nia abundarent, tot scelera non committerent. Ideò enim fortassis Nazian. Orat. 24. in principio, pecuniam occultum tyrannum appellauit, quia multam tyrannidem operatur, multa im-
Osea 12. piè deuastat, & occultè aggreditur. Quo sensu apud Oseam dicitur: *Diues effectus sum, inueni idolum mihi.* vbi aliqui ex Hebr. legunt; *inueni vim mihi*, vt sit sensus: Mihi iam est vis, qua quæque obuia possum aggredi, & volita committere, etiam per vim, & tyrannidem. Quibus igitur bona, non nisi ad res malas sunt, si Deus ea, dum postulâtur, deñegat, singulare præstitit beneficium, quando materiam peccatorum subtraxit, & occasionem Deum offendendi abstulit.

PRO qua re facit ille locus Scripturæ, quando Dauid misit nuncios ad
2. Reg. 3. Isboseth dicens: *Redde vxorem meam Michol, quam despondi mihi centum praeputiis Philisthiim, misitq; Isboseth, & tulit eam à viro suo Phaltiel, sequebatúrque eam vir suus plorans vsque Bathurim.* vbi Rupert. lib. 2. in lib. Reg. c. 12. ait. Plorasse dicitur præ gaudio, eo quòd eum Dominus custodisset, ne tangeret eam. Quibus addendum est, plorasse præ gaudio, dum ablatam sibi vidit occasionem cadendi, quod singulare est Dei beneficium, proindéque tale confert, dum nihil confert, & postulata negat iis, qui concessa conuerterent in Dei offensionem.

QVOD confirmat Gregor. ex eo quòd Deus filiis Israël cóceßit ea, quæ vitiosè appetierant, dum dixerunt flentes: *Quis dabit nobis ad vescendum carnes? Ventus ergo egrediens à Domino, arreptas trans mare coturnices demisit in castra, volabántque in aëre duobus cubitis altitudine super terram. Surgénsque populus toto die illo & nocte, ac die altero congregauit conturnicum multitudinem; adhuc esca eorum*
Psal. 77. *erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos*; ait Dauid. Huius autem rei causam aduertit Paulus cùm dixit 1. Corinth. 10. *Hæc in figura facta sunt nostri, vt non simus concupiscentes malorum, sicut & illi cupierunt.* Quid igitur concessit Deus tam citò beneficium, quod consequuturum erat tam velox; atróxque suppliciũ? Hoc explicat D. Greg. 15. Moral. c. 12. Maioris, inquit, iracũdiæ est, cùm hoc tribuitur, quòd malè desideratur, atque inde repétina vltio sequitur: nã quãto citiùs malũ votũ impleri permittitur, tãto celeriùs punitur. Et hæc est ratio, cur D. Aug. tract. 73. in Io. vbi eũdẽ locũ Num. tractãs, ait:

ait:Malè vsurus eo,quod vult accipere, Deo potiùs miserante non accipit. Proindéque si hoc ab illo petitur, vnde homo lædatur exauditus, magis metuendum est, ne quod posset non dare propitius, det iratus. Fastidiebant,quod habebant, & quod non habebant, impudenter petebant,quasi non meliùs peterent,non vt cibus, qui deerat, indecenti desiderio præstaretur, sed vt ille,qui aderat, sanato fastidio sumeretur. Quando enim nos delectant mala, & non delectant bona, rogare debemus potiùs Deum, vt delectent bona,quàm vt concedantur mala. Vnde iam colligimus, singulare beneficium esse Dei, si dum malè, aut mala petimus,non accipimus. Sicut supplicium esset,si eadem nobis malè petentibus concederet, quandoquidem materia fuissent maiorum scelerum. Pro qua re videndus est Burgensis ad prædictũ locum Numerorum additione 4. vbi quærit,cur Moyses Dominum nõ fuerit deprecatus pro desiderio carnium,& pro illa inordinata concupiscentia, sicut fuerat deprecatus pro peccato vituli, Exodi 32.& pro murmuratoribus, vt cessaret ignis; hic autem non se conuertit, vt oraret pro populo,sed solùm ad subtrahendum se à regimine principis, dicens;*Non possum solus sustinere onus populi*;& respondet, quòd noluit pro hac vice pro populo orare,vt sc.Deus prouideret populo de his,quæ petebant, ne eorum malitia augeretur:quia secundùm August.7.confessionum,concupiscentia, si ei satisfiat, maius robur accipit: at verò populus peccauit peccato concupiscentiæ inordinatæ habebat enim cibum continuum suauissimum, & saluberrimum; iam verò si concupiscentiæ indulgetur, liberéque satisfit,materia multorum datur peccatorum, singulare proinde est beneficium, si cùm malè petimus, non exaudimur pro votis.

§. IV.

In explendis concupiscentiis suis consumunt homines bona sua.

ILLVD etiam ostendit hic locus, quæcumque homines habent,& à Deo etiam malè petendo,possunt consequi, in explendis concupiscentiis absumere, non contenti, si necessitati satisfaciant; quæ est causa, cur semper indigeant, multotiésque non tantùm à Deo, sed etiam ab hominibus cogantur postulare. Vnde Bern.Serm.de 4. modis orandi versans hunc Iacobi locum; *Petitis, & non accipitis, eo quòd malè petatis; vt pote, vt in concupiscentiis vestris consumatis*, ait: Sic agit omnis, qui terrena quærit vltra necessitatem, qui mundialem gloriam sectatur,aut voluptatem. Et Gregor. 21. Moral. cap. 11.ex hoc etiam loco subinfert; valde superbire,est extra metas inopiæ aliquid desiderare: vnde & superbè petentibus dicitur: *Petitis, & non accipitis*, &c.

IDEOQVE Chrysost. hom. 37. in Genes.alia mala,quæ ex hac cupiditate oriuntur, enumerans, ait: Vnde adulteria, stupra,rapinæ, auarorum fraudes, cædes, latrocina, & totius animæ labes? nónne quia plus concu-

1.Tim. 5. piscimus, quàm nobis conuenit? Sicut enim Paulus radicem omnium malorum auaritiam vocauit: sic quis non aberrauerit, si fontem omnium malorum dicat immoderantiam, & quòd transgredi volumus suum quisque vsum. Nam si vellemus in alimentis & vestibus, & domiciliis, & aliis corporalibus cunctis vsibus nihil immodicè concupiscere, sed necessaria tantùm quærere, multis damnis liberaretur humanum genus. Verùm nescio qui fiat, quòd nunquam inter nostros maneamus limites. Quali venia dignandi sunt, qui in vestimentis tantā vanitatem ostentant, neque necessarij vsus gratiā, sed tantùm ob vanitatem, & inanem gloriam, & vt vulgo forensi admirationi sint? quo supplicio non sunt digni, qui modis omnibus dant operam, vt sericis, & auro intertextis induantur, & post se pompam trahunt in foro? quot pauperum ventres poterant inde pasci? quot corpora in nuditate egentium poterant contegi ex his, quæ e solo collo, & humeris pendent? Et post multa, quæ pro hac sententia videnda sunt, tandem concludit. Veræ diuitiæ sunt, & inexhaustæ facultates, cupere tantùm, quantùm vsui satis: neque enim ille, qui hoc facit, inopiam timere poterit, neque execrationes sustinet.

Et Senec. epist. 4. Magnæ diuitiæ sunt, lege naturæ composita paupertas. Lex autem naturæ scis quos terminos nobis statuerit? non esurire, non sitire, non algere, vt famem, & sitim depellas, non necesse est superbis assidere liminibus. Parabile est, quod natura desiderat, & superfluè sudatur, ad manum est, quod sat est. Ignaui fuerunt, at è Gedeonica militia exclusi, qui ad aquas sese totos inclinarunt, Iudicum 7. genibúsque flexis prostrati auidiùs, otiosiùs, largiúsque biberunt, & tamen sitibundi erant, & meridianum (vt ait Iosephus) tempus erat, quo post cibum, & iter solet esse sitis molestior. Namque modicè, subitò, & quasi obiter, & perfunctoriè necessariis, cibo, & potui operam dare oportet. Vnde Salomon Prouerb. 23. ait. *Cui væ: nónne his, qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis?* & Orig. hom. 9. in lib. Iudicum. Ille probabilis, ille electus, qui postea quam ad aquas Baptismi ventum est, flecti ad necessitates terrenas, & corporeas nescit, qui vitiis non indulget, &c. Videndus Chrysost. homil. 54. & 55. ad Popul. & Cass. collat. 5. cap. 8.

Provenit autem hoc malum ex eo, quòd nullus mensuram suam agnoscit, vt illi sumptus commensurentur, quos solis cupiditatibus adaptant; ideóque Ambros. lib. de Naboth c. 5. ait: Non parcunt homines dispendio, dum indulgent cupiditati; parcerent autem si necessitati vellent occurrere, & pro posse, pro tempore, pro ratione expendere. Notanter qui-
Gen. 41. dem dixit Scriptura; omnes quidem Prouincias dum fames septennio vrgeret, venisse in Ægyptum, vt emerent escas, & malum inopiæ temperarent. Neque enim, dum sterilitas aderat, & fames grassabatur, homines saturabātur, sed duntaxat esuriem temperabant; alioquin imprudenter egissent, & nusquam in communi inopia frumentū pro saturitate habuissent.

Pro qua re facit locus ex eodem cap. vbi postquàm Ioseph somnium interpretatus est Pharaoni, septémque abundantissimos prædixit annos, itidem

itidémque alios septem miserrimos præ sterilitate, ac fame, sic infert: *Nunc ergo prouideat Rex virum sapientem, & industrium, & prefic at eum terræ Ægypti, qui constituat præpositos per cunctas regiones, & quintam partem fructuum per septem annos fertilitatis colligat.* Cur, quæso, non dimidiam saltem partem fructuum cuiusque anni vbertatis seruare commendat in remedium vniuscuiusque anni sterilis? Rem quidem videtur attigisse Martinus Del Rio ibi, qui dixit; sufficiebat quinta, quia famis tempore, parciore homines victu contenti esse debent; proindéque nec tantùm cibi adhibere, quantùm, dum fructus abūdant, nec concupiscentiam omnino perficere, sed famem, ac inopiam temperare, ne illa omnino adstricti pereant. Ideóque D. Ambr. lib. de Viduis, dicit: Nescit egere optima disciplina, quia scilicet, & loco, & tempori sese accommodat, & nouit quando occurrere debeat, & quando abstinere.

NON est hoc loco vtcumque omittendum, quòd cum Elias iubente Domino impiissimo se regi subducens, in torrente Charith lateret absconditus, eo loco corui mane, & vespere asportabant panem, & carnes. Vbi eleganter Auctor. lib. 2. de mirabilibus sacræ Scrip. c. 16. apud August. ait; Coruo ministrare Prophetæ præcipitur, vt culpam quam in diluuio commiserat, in terra purgare auis illa videretur. Cæterùm cùm Iezabelem declinasset, eiúsque persecutionem fugeret, namque deseri cuperet idem Propheta, dum mœrore affectus subter vnam iuniperum sederet, animæ suæ petit vt moriatur; ecce ad caput ipsius subcinericius panis, & vas aquæ: comedit, & bibit, & rursum obdormiuit. Cur igitur illi modò non allatæ carnes, aut dapes, sed subcinericius panis tantùm apponitur? Diuina id dispensatione factum esse credo; quando enim corui deferebant panem, & carnes, non instabat persecutio, nec inimici ad mortem quærebant. Diuino iussu Propheta abscesserat, debuit proinde ad victum necessaria habere ministrata. At dum mortem videt, dum crudelem Iezabelem fugit, tenuissimo victu contentus, subcinericio pane sumpto dormit, neque carnes, neque alios cibos, aut quærit, aut postulat; debet siquidem vir prudens pro loco, & tempore largiori, strictiorísue vti mensa, vestitu, & comitatu. Sed audiamus Tertull. lib. contra Psychicos c. 9. rem luculenter disserentem. Defecerunt corui qui eum liberalius pascerent; an difficile Angelo fuerat aliquem aliunde de conuiuio Regis ministrum, cum instructissimo ferculo raptum, ad Eliam transferre, sicut Danieli in lacu leonum esurienti prandium metentium exhibitum est? Sed constitui oportebat exemplum docens, in tempore pressuræ, & persecutionis & cuiuscumque circunstantiæ xerophagiis esse viuendum. Sic ille.

3. Re. 17.

3. Re. 19.

HÆC est ratio, quare Paulus Apostolus, sicut notauit D. Chrysost. hom. 2. ad Pop. nihil de paupertate diuitibus loquutus est, sed de parsimonia, & humilitate; quia optimè sciebat, inquit, quòd modestè agere, breui faciet ipsos à studio diuitiarū liberari: quia, scilicet, ad nihil aliud diuitias inquirimus, & petimus, nisi vt in concupiscentiis consumamus. Et qui parsimoniæ studeret, multis non indigeret. Domos, inquit ibi Chrysostomus, ædificemus, vt habitemus, non vt superbiamus, quæ enim superbiæ non

s[illegible] habitationi amplæ sunt, imò adeò amplæ, vt iam non domus, [illegible]es in Scriptura appellentur. Quo pacto intelligendus ille lo[illegible] Iob. *Cum Regibus & Consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines.* vbi (*solitudines*) vocat amplissima, & immensa palatia, qaæ implere nulla possit familia, & licèt multi ibi inhabitent. adhuc præ vastitate, solitudo, aut eremus desertúmue esse videtur. Qua de re videndus Sueton. in vita Neronis.

Qvis ergo poterit domus adimplere iuxta mensuram superbiæ constructas? quis concupiscentiis satisfacere, quantumuis insumat? Ideóque Chrysost. aduersùs impios Hæreticos, de iis, qui soli appetitui subseruiũt, ait: Quando sumptuosa conspexeris prandia, ac cœnas, & delicias, quando tripudiantes videris, canticáque dæmoniaca recitantes, tunc ingemisce, ac lacrymare, & Dauidis recordare dicentis: *Nescierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant.* Et quia hoc miserum, inutile, & vanum est, meritò ad hoc bona petentibus Deus denegat.

Vers. 4. *Adulteri, & adulteræ nescitis, quia amicitia huius mundi, inimica est Dei? Quicunque ergo voluerit amicus esse sæculi huius, inimicus Dei constituitur.*

EXPOSITIO LITERALIS.



Ostqvam Iacobus loquutus est de cura & laboribus, quibus homines in acquirendis huius sæculi rebus insudare solẽt, & ostẽdit nihil aliud præ oculis habere, quàm concupiscentiis satisfacere, ostendit iam eos, qui sic se totos mundi deliciis, & propriis concupiscentiis tradunt, eo ipso inimicos Dei constitui, cùm ipse in amicos elegerit, & assumpserit eos, qui nihil fere de sæculo, aut cum sæculo volunt, sed qui sola cœlestia quærunt, ac desiderant.

Advlteros ergo vocat secundùm explicationem Oecumenij, eos quos suprà falsos dixerat sapientes, qui diuinam constuprant Scripturam, & peruerso ordine ipsa vtuntur ad suam voluntatem, vt hinc patrocinium habeant, honestæ vitæ præferentes voluptuosam; profanam, turpémque pulchritudini veræ, ac diuinæ. Phrasísq; est fere Pauli, dũ adulterare verbum

2. Cor. 2. Dei dixit de illis, qui, vel solùm auditoribus placere student, vt Hierony. ibi exponit, dicens: Pseudoapostolos, inquit, tangit, de quibus Isaias,

Cap. 1. *Caupones miscent vino aquam.* i. veræ doctrinæ adulationis mollia verba, quibus homines, non tam inebriati ferueant, quàm delectati tabescant: vel secundùm Greg. 22. Moral. c. 12. de illis, qui aliter sentiunt de verbo Dei, quàm est, aut non spirituales fructus, sed adulterinos fœtus quærunt.

D. Chrysost. Serm. aduersùs impios hæreticos, qui habetur post opera Ephrem, intelligit hunc locũ de iis, qui fauent hæreticis; sic enim legit. Siquis videatur horũ amicus esse, inimicus Dei constituitur. Feuard. intelligit de

de adulteris vtriusque sexus, tam mentis, quàm corporis. Vel tandem intelligitur locus de peccatoribus, qui à Deo auertuntur, & sese totos dedunt vitiis, & concupiscentiis, quæ est communis expositio, eámque docuit Aug. lib. 50. hom. hom. 38. Si deseris inquit, Deum, qui te fecit, & amas illa, quæ fecit, adultera es; & tales vocantur ab Apostolo Iacobo: *Adulteri, & adulteræ nescitis, quia amicitia huius mundi inimica est Deo?* Anima enim, deserto Creatore, amans creaturam, adultera est.

CÆTERVM, vt res clarior fiat, aduertendum est, auersionem per peccatum à Deo appellari in Scriptura imprimis fornicationẽ, iuxta illud Psalmi; *Qui elõgant se à te, peribunt. Perdidisti omnes, qui fornicantur abs te.* Et iuxta illud Oseæ; Fornicati sunt à Deo. Appellatur deinde peccatum, adulterium, quia anima nostra sponsa est Dei, vt constat ex Osea. Desponsatur verò Deo in iustitia, vt ibidem dicitur. i. in iustificatione, dum enim Deus animam sanctificat, eandem in sponsam assumit. Desponsatur insuper in iudicio, iudicando pro ea contra diabolum, iniquum, & iniustum possessorem. Tandem desponsatur in fide, quam Deus animæ, vt radicem omnium bonorum supernaturalium tribuit, & quam anima Deo seruare debet. Psal. 72. Ose. c. 4. Cap. 2.

CVM ergo per peccatum à Deo auertitur, & dæmoni per mortale peccatum adhæret, adultera redditur anima, secundùm regulam D. Hieronymi super Ezech. c. 16. ibi. *Iudicabo te iudiciis adulterarum.* Vbi Deus addit per explicationem. *Dabo te in sanguinem furoris*, id est, crudeli, & truculenta morte puniam te, sicut solent mariti furore, & zelotypia incensi adulteras vxores occidere. Et in hoc sensu passim in Scriptura adulterare dicebatur populus Israel cum idolis gentium, dum relicto Deo, ad illa se conuertebat, vt apud Oseam c. 2. Hierem. 13. & 23. Ezech. 23. & in hoc sensu Christus Dominus dixit. *Generatio praua, & adultera signum quærit.* Vbi Hieron. Egregiè dixit adulteram. Quia genus ducit à peccatoribus, & quia dimiserat virũ, & iuxta Ezechielem, multis se amatoribus copulauerat. Ideóque Beda hoc in loco. Adulteros, inquit, vocat quos derelicto amore sapientiæ cœlestis, ad amplexum potiùs amicitiæ mundialis esse deflexos increpat. Ezec. 16. Mat. 12.

VEL etiam adulteros vocat, quòd à Deo vero Patre desciuissent, vt degeneres filij per improbam vitam, & cùm patrem non agnoscant, aut saltem non referant, spurij censentur, & ex adulterio geniti: & hac fere ratione Paulus vocat adulteros eos, qui extra disciplinam patris sunt; ad Hebr. 12. tanquam quos pater non agnoscat pro filiis suis.

AMICITIAM verò huius mundi vocat amorem mundanum, & inordinatum, vbi nomine *mundi* non intelligit aggregatum ex cœlo, ac terra, & elementis, sed ea omnia, quæ inordinatè appetuntur, quod etiam *sæculum* sonare videtur, quod apponit dum ait: *qui voluerit amicus esse sæculi.* Vnde Abbas Isaias Orat. 21. tom. 1. Biblioth. Patr. Mundus, inquit, est animi ad peccata distractio. Mundus est, cùm ea quæ naturæ contraria sunt, sequimur: mundus est, cùm carnis voluptates implemus: mundus est, cùm arbitramur diu in hoc sæculo nos permãsuros: mundus est, cùm maiorẽ corporis, quàm animæ curam gerimus: mundus est, cùm de iis, quæ caduca sunt, gloriamur.

SVP

SVPPONIT igitur tanquam notissimum, amicitiam huius mundi contrariam esse Dei amicitiæ, proptereáque per interrogationem dicit, *nescitis?* & infert eum, qui vult amicus esse sæculi, constitui Dei inimicum. Verbum autem, *voluerit*, non tantùm denotat libertatem; sed insuper significat eum, qui de facto est amicus mundi: & eum, qui secundùm affectum, ac voluntatem curat esse amicus, quanuis non possit esse, constitui Dei inimicũ, sicut notauit D. Thom. Contraria enim sunt amor mundi, ac Dei, & cùm duo sint, circa quæ homines student, nempe Deus, & mundus, & circa vtrũque horum duo versentur, amicitia, & odium: circa vtrumuis horum studiosi esse deprehendimur, vel odisse. Neque enim cor nostrum duos secum pugnantes amores capit; angustum enim, arctúmque stratum, & pallium duos non capit, nec duobus dominis seruire potest: nec iidem oculi terram simul aspicere, cœlúmque possunt, sicut dixit Augustin. lib. de Abusionib. tom. 9.

Isai. 28. Matt. 6

PROINDE rectè infert Apostolus, amicitiam mundi inimicam esse Dei, & amicum sæculi inimicum Dei constitui. Similisque est hic locus illi alteri apud Ioan. in sua 1. epist. cùm dixit: *Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt; si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo*, seu, vt legit August. tract. 9. *non est spiritus Patris in eo.*

1. Io. c. 2.

§. I.

Acriter quandoque reprehendendi sunt peccatores.

ILLVD igitur sese hoc loco offert notandum, quanta acrimonia, & iracundia in peccatores insurgat, & excandescat Apostolus, qui mansuetudinem prædicauit, & eos, quibus scribit, fratres hucusque appellauit: & sese in multis offensorem humiliter confessus est: tamen, quia nunc necesse erat contra peccatores acriùs agere; ideo zelo Domini incensus eos acriter increpat, facto docens quid nos facere debeamus. Nam, sicut notauit Chrysost. hom. de nomine Abraham, si semper argueremus, impudentiores fierent, si semper obsecraremus, ignauiores.

PRVDENS verò magister, & Princeps adamare debet, & reprehendere, ac punire. Quod notauit Rupert. lib. 4. in Exod. c. 27. in Moyse, qui orans pro subditis dicebat; *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo.* Deinde verò ait: *Si quis est Dei, iungatur mecum.* Ait ergo Rupert. Circa subditos suos Rectoribus inesse debet, non solùm iustè consulens misericordia, sed & piè sæuiens disciplina; qui tanto populi amore constringitur cõtra culpas eius, considera quanto zelo rectitudinis accendatur. Intus arsit ignibus amoris, foris accensus zelo seueritatis: tanta fuit pietas, vt se pro illis coram Domino morti offerre non dubitaret, tanta seueritas, vt quia eos diuinitùs feriri timuit, ipse iudicij gladio feriret; sic amauit eos, quibus præfuit, vt pro eis, nec sibi parceret, & tamen delinquentes sic persequutus est, quos amauit, vt eos etiam Domino parcente prosterneret. Vtrobique legatus

Exod. 32.

legatus fortis, vtrobique mediator mirabilis, causam populi apud Dominum precibus, causam Dei apud populum gladiis alligauit.

VIDENDVS D. Aug. Ser. 92. de diuersis; vbi inter alia Dominus amarè, & acerbè arguit Iudæos, sed amando. *Væ vobis hypocritæ.* Matt. 7. Quis verò diceret, quia oderat eos; venit ad crucem, & ait: *Pater ignosce*, &c. Sic & noster Apostolus, quos diligit, blandè, beneuoléque hucusque alloquutus est, eosdémque dum delinquentes agnoscit, seuerè increpat, duréque reprehendit. Zelus etenim iracundiam acuere solet, sicut dixit Naz. Orat. 21. *Matt. 7.*

IN quem sensum exponit Gregor. 26. Moral. c. 5. illud Ezechiel. *Tu sume tibi sartaginem ferream.* Quid, inquit, ita magistri, atque Doctoris mentem, quàm zelus Domini figit, & excruciat? Vnde Paulus huius sartaginis incendebatur frixura, cùm diceret. *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?* Quisquis enim zelo Dei contra peccantes accenditur, forti in perpetuum custodia munitur, ne is neglectæ prædicationis, & regiminis cura damnetur. Hanc sartaginem posuerat Paulus, cùm dicebat. *Mundus sum à sanguine omnium, non enim subterfugi, quominùs annunciarem vobis omne consilium Dei.* Nunc ergo necesse est, vt Doctores appetant zeli ardoribus frigi, ne cogantur postea de torpore negligentiæ, igne gehennæ cruciari. Ideóque simul cum sartagine, Ezechieli dictum fuit. *Ordinabis aduersùs Hierusalem obsidionem, & ædificabis munitiones*; quod quidem per reprehensionem factum est. Videndus idem Greg. hom. 1. in Ezech. *Ezec. c. 4.* *2. Cor. 11.* *Act. 20.* *Ezec. c. 4.*

AGNOVIT hoc esse necessarium Ambros. cùm Ser. 6. dixit: Malui peccatum vestrum incusando acriter increpare, quàm leniter dissimulando nutrire. Quisquis enim fratrem non arguit peccantem, quodammodo hortatur, vt peccet. Ideóque sponsa, quamuis pulchra & decora esset, zelo tamen accensam, & nigram se dixit contra malignantes, non candorem serenitatis ostendens, sed obscurum seueritatis zelum exhibens, vt exponit Ber. Serm. 28. in Cant. Qui antè præmiserat, nigrescit candoris zelo, lucro pulchritudinis multos candidos fecit vnius denigratio. Nam sicut dixit Clem. Alex. 1. Pædag. c. 9. Qui ad gratiam loquuntur, parum diligunt: qui autem ad vtilitatem, acerbi sunt, in futurum sæculũ beneficio afficiũt.

INVEHITVR moribundus Iacob in Ruben, aitque. *Non crescas.* & ad Simeonem, & Leui. *Maledictus furor eorum, quia pertinax.* Mirum autem est quod addidit Scriptura, dicens. *Benedixit singulis benedictionibus propriis.* vbi Caiet. eleganter. Omnia dicit benedicendo: nam & arguere, & punire, & præmonere, aliena non sunt à benedictionibus paternis. Et D. Chrysost. hom. 7. ad pop. Parentes omniũ maximè filios amantes, & mensa prohibent, & flagella infligunt, & afficiunt ignominia, & tamen parentes sunt, nec tamen dehonorant, dum hæc faciunt, & tunc maximè patres, cùm hæc faciunt. Videndus Aug. lib. quæst. in Iosue, & lib. de verbis Domini super Matth. c. 17. *Gen. 49.*

NON sufficit autem quælibet reprehensio, sed interdum grauis, ac vehemens adhibeatur oportet. Ideo enim, cùm Heli filios reprehendisset, dixit Samuël, *non corripiebat eos*, quæ verba ponderans Chrysost. lib. 3. aduersùs

vituperat. vit. Monast.ait. Certè corripuerat, sed hanc Deus pro correptione non accipit, ideóque illum, quòd vehementia, & inuectione caruisset, reprehendit. Lenis enim reprehensio, quando acrior necessaria est, quasi nulla reprehensio est.

VNDE iam possumus colligere, propterea Iacobum acriter reprehendisse impios, vt eos in meliorem reduceret frugem, & vt nequitiam euomerent, ac proiicerent. Nam exprobratio criminis, potioni est similis, quæ resoluit, vt ait Clem. Alex. sup.c. 8. Neque verò inferat aliquis ex duris Iacobi verbis, ipsum odio exprobrasse peccatoribus, quos adulteros appellat: vt enim ibidem ait Clem. Beneuolentiæ, non odij signum est reprehédere; ambo probrum obiiciunt, & amicus, & inimicus; sed inimicus quidem irridens, amicus autem bene volens. Non ergo propter odium Dominus homines maledictis incessit, quos, cùm propter nostra ipsorum scelera licuisset perdere, ipse pro nobis passus est. Pædagogus enim admodùm artificiose, vel per maledictum ad vituperanda irrepit maledicta, tanquam flagello mentis socordiam excitans.

HOC ergo flagello increpatorio voluit Iacobus è lecto adulterij, peccati scilicet, excitare, quo facto, seu dicto, docuit magistros, ac prædicatores inuehi, & excandescere zelo salutis contra præuaricatores, nè postea dicant illud Ber. lib. de anima c. 11. Aliorum transgressiones reprehendere timui, & ideo mortis author extiti, quia virus, quod clamando expellere potui, non expuli.

§. II.

Magna insania peccantis animæ, dum Deum sponsum peccando offendit.

SECVNDO loco sese obiicit dementia animæ nostræ, quæ relicto pul-
Osea c. 2. cherrimo sponso, cui copulata est iuxta illud Oseæ. *Sponsabo te mihi in*
2. Cor. 11. *sempiternum.* Et illud Pauli. *Despondi vos vni viro, virginem castam exhibere Christo*: fornicata est cum amatoribus plurimis, admodúmque turpibus; proindéque talis reddita est, sicut ea quæ dilexit, & sicut ante matrimonium cum Deo, erat: cuius turpem statum ex parte narrat Hieron. epist. 22. ad Eustoch. vbi animam sic alloquitur. Non est sponsus tuus arrogans, Æthiopissam duxit vxorem, statim, vt audire volueris sapiẽtiam veri Salomonis, vt ad eum veneris, confitebitur tibi cuncta, quæ nouit, & inducet te Rex in cubiculum suum, & mirum in modum colore mutato sermo tibi
Cant. 3 ille conuenit. *Quæ est ista, quæ ascendit dealbata?*

CLARIVS hoc dicit Aug. Ser. 6. de verbis Domini, cùm ponderat ea
Psal. 44 verba Psal. *Concupiuit Rex decorem tuum.* Concupiuit, inquit, quod fecit, quoniam, vt pulchram faceret, fœdam amauit. Pro infidelibus, & fœda sanguinem fudit fidelem, ac pulchrã reddidit, dona sua in te amauit, quid enim sponso tuo contulisti? quid in dotem? nónne luxurias, & pannos peccatorum?

torum? abiecit pannos: misertus est, vt ornaret, ornauit, vt amaret. Quibus habet similia tract. 9. in 1. Ioan. & Nyssen. Orat. 2. in Cant. Namque, sicut optimè dixit Ber. epist. 12. Iustitia quærit meritum, misericordia verò miseriam. Quod notauit Chrysost. ad ea verba Pauli, *In dispositione plenitudinis temporis.* & hom. 19. in Ioan. & Aug. Serm. 9. & 10. de verbis Domini.

HOC exprobrauit Deus per Ezechielem, vbi ait: *transiui per te, & vidi te; & ecce tempus tuum, tempus amantium,* id est, quando dæmones, & alij amatores erant, qui ad te cupiebant declinare, protectione mea repulsi sunt. *Et iuraui tibi, & ingressus sum pactum tecum, & laui te,* sicut dicit Isai. *Lauit Dominus sordes filiarum Sion: & vestiui te discoloribus,* idcóque *astitit Regina in vestitu deaurato, circundata varietate.* Et quid hac varietate pulchrius? *Calceaui te hyacintho, & dedi coronã decoris in capite tuo, similam, & mel, & oleum comedisti: & egressum est nomen tuum in gentes propter speciem tuam, quia perfecta eras in decore meo, quem posui super te,* id est, meis beneficiis, meáque incredibili largitate ad Reginæ vocabulum peruenisti. Hæc ferè Hieron. lib. 4. in Ezechiel. Commendat autem diuinam charitatem erga sponsam, quòd vt pulchram eam faceret, indecorum se exhibuit. Qua de re videndus Bern. Serm. 28. in Cant. cùm exponit illud: *Nigra sum, sed formosa.* Multos, inquit, candidos facit vnius denigratio: splendor Dei obnubiletur in forma serui pro vita serui: candor vitæ æternæ nigrescat in carne pro carne purganda: Speciosus forma præ filiis hominum pro filiis hominum illuminandis obscuretur in passione, turpetur in cruce, palleat in morte, ex toto non sit ei species, neque decor, vt sibi speciosam, atque decoram acquirat sponsam. Ezec. 16. Isai c. 4.

NEQVE solùm hoc commendat dilectionem Dei erga sponsam, sed insuper cura, quam de illa habuit, quod ostendit ille locus Cantic. vbi nos legimus. *Trahe me post te.* Ipse enim Deus, veluti dux virginitatis sponsæ, ipsam manu ducebat: sed Græci hoc in loco, vt videre est apud Orig. legunt. *Traxerunt te post se:* videntur enim animæ, ipsum Deum, qui illarum amore deperit, post se trahere, amatoriè quidem, & summa dilectione affectum. Hoc ipsum prosequitur Bern. Serm. 52. in Cant. dicens. Animaduerte benignitatem sponsi, qui, vt affectum tenerrimum, quem habet erga sponsam, explicet, ait. *Adiuro vos filiæ Hierusalem per capreas, ceruósque camporum, vt non excitetis, neque euigilare faciatis dilectam, quoad vsque ipsa velit.* Læuam posuerat sponsus sub capite, vt in sinu suo eam quiescere faceret, & dormire, & ipse beneuolentissimè super eam vigilaret. Quid putas illic accipiet, quæ hic tanta familiaritate donatur, vt Dei brachiis amplecti se sentiat, Dei cura, & studio custodiri, ne dormiens fortè à quopiam non volens excitetur? Et Ser. 68. explicans ea verba sponsæ. *Dilectus meus mihi, & ego illi:* ait. Insolens verbum; *& ego illi,* nec minùs insolens, *Dilectus meus mihi,* nisi quòd vtroque insolentius vtrumque simul. Mihi, inquit, intendit. Itáne intenta est illa Maiestas, cui gubernatio pariter & administratio vniuersitatis incumbit, & cura sæculorum ad sola transfertur negotia, imò otia amoris? Ita planè. Eadémque prorsus habet Serm. 69. Cant. c. 1.

NOVIT hanc curam, & solicitudinem sponsi ille, cui curam de ouibus

1. Pet.5. suis commisit Christus, dum dixit. *Omnē solicitudinem vestram proiicientes in eum: quoniam ipsi est cura de vobis.* Quæ loquutio est causalis, & facit hunc sensum. Propterea quòd Deus de vobis curam habet, solicitudinē vestram in eum proiicite. Nec mirum, quòd curam habeat suæ sponsæ Deus, cuius & vir dicitur; vnde qui adhæret Deo, vnus spiritus cum eo fit. Sic ergo diuinus sponsus animam curat, sic diligit, & ad felicem statum euehit.

VIDEAMVS nunc, qualiter ipsa se gesserit, & quomodo inde miserè se deiecerit. Exposuisti, inquit, fornicationem tuam omni transeunti. Qui diuersorum peccatorum, ait Hier. spiritum transeuntem suo suscepit gremio,
Ezec 16. iste effundit fornicationem suam. *Ædificasti tibi lupanar*, id est, tota frontis libertate deliquisti. *Omnibus meretricibus dantur mercedes; tu autem dedisti mercedes cunctis amatoribus tuis.* O misera anima, ô infelix adultera, non te pudet, non te pœnitet, non tibi venit in mentem pulchritudo collata, à Deo, modò ablata, sine Deo, sine sponso specioso præ filiis hominum?
Psal.44. vbi Symmachus legit. *Pulchritudine pulcher præ filiis hominum. Plange, quasi vir-*
Ioel c.1. *go accincta sacco, super virum pubertatis tuæ.* vbi D.Hier.ait. Vir pubertatis Deus dicitur, qui despondit sibi virginem sponsam, quandiu cum hac sponsa
Matth.9 sponsus fuerit, non potest ieiunare, nec plangere, nec absentis sponsi desiderium lacrymis indicare.

NOTAVIT autem Bern.lib.de Passione c. 3. cur anima à Deo potiùs sponsa appelletur, quàm vxor: quia solent, inquit, sponsæ, nondum alligatæ coniugali vinculo, amari ardentiùs, quàm postea. Postquam igitur hunc sponsum amisit misera anima, continuò reclamaret, si se vidisset in turpi, vili, & abiecto statu. Quod ponderat Ambrosius super cap.15. Lucæ in perdito filio, qui non potuit magis accommodatum locum inuenire, quàm inter porcos. In sordibus, inquit, & in fœtoribus viuat, necesse est anima, quæ Deum fugit. Quibus habet similia Ber.Ser.de Conuersione ad Cleric.cap. 13. Vnde Chrysost.hom.3.in epist.ad Rom. Oportebat, inquit, tunc demum nos dolore affici, non cùm supplicio afficimur; sed cùm delinquimus. Et hom.51.in Ioan. Nihil peccato sordidius. Pluráque habet homil.64.in Genes.& homil.38.in epist.ad Roman.

OPORTEBAT igitur in eo statu peccati miseram animam, propriam deplorare miseriam, & infelicem ruinam: quam tamen deplorare censetur
Ezec.28. Deus, sicut velle videtur Orig.hom.12.in c.28.Ezech.ad ea verba. *Fili hominis leua planctum super Regem Tyri.* Assumit, inquit Orig. Deus planctum super regem Tyri, vt videas, quàm bonus Deus, qui etiam eos, qui se negauerunt, deflet: & hoc venit ex amoris magnitudine & affectu. Assumit itaque Deus planctum ob eam animam, quæ plāgere debebat, & miserum statum peccati deflere, vt tandem miseriam ablueret; quo nihil benignius potuit reperiri, nec ampliùs diuina charitas erga sponsam animam commendari. Et quasi hoc parum fuerit, adulteram sibi vocat, & ad inuócationē inuitat.

VVLGO dicitur, inquit Dominus per Hieremiam: *Si dimiserit vir vxorem suam, & recedens ab eo, duxerit virum alterum, nunquid reuertetur ad eam vltrà? Nūquid non polluta, & contaminata erit mulier illa? Et tu fornicata es cum amatoribus*

bus multis, tamen reuertere ad me, dicit Dominus. Frons meretricis facta es tibi, noluisti erubescere. Ergo saltem à modò voca me, Pater meus, dux virginitatis meæ es tu. Post fornicationem, inquit D. Hieronym. ibi, suscipit pœnitentem, & hortatur, vt reuertatur ad se. Erubescant qui nolunt ad meliora conuerti, ipse despondit animam vestram amplexibus suis, & docet quomodo orare debeat, & agere pœnitentiam, quanto autem ille clementior, qui salutis, post fornicationem, ostendit viam, tanto miserior meretrix, quæ non vult post vulnera recipere sanitatem. Sic Hieronym.

COMMENDAT insuper infinitam charitatem diuini sponsi erga adulteram animam, quod cùm cæteri sponsi adulteras soleant occidere, vt sic adulterij pœnas morte luant: pro adultera moritur sponsus, vt eius sanguine ornet genas sponsæ, virésque addat ad properandum, & currendam viam salutis. Vnde Bernar. epist. 107. O geminum, ipsúmque firmissimum Dei erga nos amoris argumentum! Christus moritur, meretur amari; spiritus afficit, & facit amari, ille facit, cur ametur: iste, vt ametur; ille suam multam dilectionem in nobis commendat: iste dat; in illo cernimus, quod habemus, ab isto sumimus, vnde amemus. Charitatis igitur ab illo occasio, ex isto affectio. Similiáque habet Serm. 19. & 20. in Cant. & inter alia. Dilexit & non existentes: sed adiecit, & resistentes diligere.

IN quam sententiam ponderat eleganter Orig. homil. 20. in Num. id, quod Christus Dom. dixit. *Et ego, si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* Quodammodo, inquit, nobis vim facit, vt pertrahat ad salutem, non solùm inuitat volentes, sed cunctantes trahit: quandam enim amoris vim nobis infert, quòd pro adultera anima, quæ mortem merebatur, obierit ipse mortem & quòd brachiis in cruce extensis, fugitiuam animam ad se vocet, lapsam erigat, attrahat, & amplectatur. Vnde Ambros. in Psalm. 43. In cruce Christus expandens manus suas, totum orbem, qui erat periturus, erexit. Leuauit iacentes, &c. immemor adulterij, solum amorem curat. *Ioan. 12.*

ETENIM, sicut ait Bernar. epist. 12. vera misericordia non iudicat, sed afficit: non expectatur ratio, vbi affectio trahit. Lugebat Samuël, Saül miserans, non deliberēs. Fundebat lacrymas Dauid pro filio parricida. Sic & diuinus sponsus, adulteræ amore accensus, etiam in crucem actus vocat. Quod prosequitur Chrysol. Ser. 108. dicens. *Tota die expandi manus meas:* nónne qui expandit manus, ipso habitu rogat, distendit membra, dilatat viscera, pectus porrigit, offert sinum. Videte in me corpus vestrum, si quod Dei est, timetis: quare quod vestrum est non amatis? sed fortè vos Passionis meæ, quam fecistis, magnitudo confundit. Nolite; claui isti non mihi infigunt dolorem, sed vestram mihi infigunt altiùs charitatem; vulnera hæc non educunt gemitus meos, sed magis vos meis visceribus introducunt. Extensio corporis mei vos dilatat in gremium, non meam crescit in pœnam. Venite ergo, redite, &c. *Isai. 65.*

ET hæc est ratio, cur Hierony. in Ps. 108. dixerit. Iudas magis ex hoc offendit Dominum, quòd se suspendit, quàm quòd Dominum prodidit. Si

enim non desperaret de misericordia, & bonitate Dei, ipsum ad se vocantis misericordiam posset consequi; sicut notauit Ambrosius lib. 2. de pœnitent. c. 5. vbi ait. Arbitror, quòd etiam Iudas potuisset tanta Dei miseratione non excludi à venia, si pœnitentiam, non apud Iudæos, sed apud Christum egisset; quantumcunque enim adultera anima sit, nec desinit diuinus sponsus eam ad se vocare, nec venientem poterit non recipere.

QVANDO verò adultera anima vocem sponsi audit, & ad eum venire statuit, vide qualiter illi occurrat: quod significatum est in filio luxuriosè
Luc. 15. consumente paterna bona, qui dixit. *Ibo ad patrem meum, & surgens venit ad patrem suum.* At verò de patre dicitur. *Accurrens, cecidit super collum eius*, seu, vt legit Vatabl. *se coniecit ad collum eius.* Adolescens filius surgit, venit: senex pater accurrit, & se coniicit ad collum, quasi plus cruciaret misericordiam compassio miseri, quàm ipsum miserum passio sui. Tardius videbatur patri filio veniam dedisse, quàm illi accepisse, vt ait Guarric. Serm. de prodigo.

ET D. Hieron. epist. ad Damasum notat id, quod dixit Euangelista; *Cùm adhuc longè esset filius, accurrit pater.* Antequam dignis operibus, inquit, & vera pœnitentia ad patrem rediret, ad eius præcurrit aduentum, & reditum filij anticipat. Et Ambr. lib. 2. de pœnitẽtia cap. 3. Tam citò, inquit, veniam meretur, vt venienti, & adhuc longè posito occurrat pater, & osculum tribuat, quod insigne est sacræ pacis.

QVOD ipsum etiam notauit Bernard. Serm. 1. de conuersione Pauli: vbi aduertit subtiliter, qualiter diuina gratia præuenerit animam Pauli, & antequam conuersioni annueret, superabundans misericordia illi fuerit superinfusa. Magnificè, inquit, in hac vna conuersione, & misericordiæ ma-
Act 3. gnitudo, & efficacia gratiæ commendatur. *Subitò*, ait Luc. *circunfulsit eum lux de cælo.* O verè inæstimabilis diuinæ dignatio pietatis! illustrat cœlesti fulgore, vel à foris, intus adhuc luminis incapacem. Qui nec dum infundi poterat, diuina saltem circumfunditur claritate. Sic Bern. Non patitur diuinus sponsus in reconcilianda sibi sponsa aliquas moras, vocat, attrahit, pulsat, & priusquàm anima consensum præbeat, sponsi gratia, & lux adest ad ornandam, & gratificandam animam. Quæ igitur erit anima sensata, quæ diuinum sponsum relinquens, fornicetur cum turpibus amatoribus, si præ oculis habeat ipsius pulchritudinem, & excellentiam; & peccati turpitudinem, ac fœditatem?

QVOD si tandem adulterium commisit, & fornicata est, id minimè sit
Hier. 3. cũ lapide, de quo conqueritur Deus per Hierem. *Mœchata est cum lapide & ligno*; quod licèt significet idololatriam, qua coluit idola lapidea & lignea, mysticè tamen moraliter exposuit Orig. hom. 14. in Hierem. de iis, qui duro corde contra Deum peccant, qui cum lapide fornicantur, ideóque in vitiis, ac peccatis obdurescunt, & lapidescunt. Ne igitur fornicatores cum lapidibus inueniamur, imò resipiscamus ad reconciliationem cum vero, & vnico spóso animarum nostrarũ Deo, & si hucusque amare pigebat, saltem redamare non pigeat: nulla enim maior est ad amoré inuitatio, quàm

præue-

præuenire amando;ſicut dixit Auguſtinus libro de catechizan. rudib.c. 4. Et nimis durus eſt animus,& cum lapidibus adulter, qui dilectionem, ſi nolebat impendere,nolit rependere ſponſo, qui ſibi elegit ſponſam, fœdámque amauit,vt pulchram redderet,ipſi totam curam,&diligentiam adhibet,ipſius deplorat peccata,& offenſus ad amicitiam vocat,pertrahit, ac præuenit;pro eáque dum mortem merebatur, emoritur.

QVOD ſi quilibet adulter nullam videtur habere excuſationem apud Deum,id magis elucet: nam mirum non eſt,ſi quis deprehendatur in furto;furatur enim, vt animam expleat eſurientem,ſed adulter, inquit Chryſoſt.hom.3.de verbis Iſai.*Vidi Dominum*,tom.1.ob inopiam ſenſus,exitium animæ ſuæ conciliat. Itaque quemadmodum gubernator in portu faciens naufragium,haudquaquam vllam impetraret veniam;ſic, nec is, cui cùm per coniugium conceſſum ſit,quò lapſum effugiat, tamen aliena perfodit matrimonia.Sic Chryſoſt.Quid igitur dicendum de miſera adultera anima,quæ Deum ſponſum reliquit,niſi quòd inexcuſabilis omnino ſit?

§. III.

Quomodo amor Dei,& mundi inter ſe pugnent,qualitérque Dei præferendus amor ſit.

DEINDE oſtendit Apoſtolus,quomodo ſe habeat amor Dei, & mundi, vt ſcilicet ſe inuicem excludant,& neceſſariò præponendus ſit amor Dei. Quod ſponſa dixit: *Ordinauit in me charitatem.* Quem locum exponit *Cant. 2.* Origen.homil.2.in Cantic.vt ſit conſtitutus ordo in charitate, & dilectione rerum,vt ſcilicet diligatur priùs Deus,quàm cætera omnia. Theodoret. cum Septuag.legit.*Ordinate in me charitatem,vt ſponſo coniungar meo, eùmque & patri,& matri,& cæteris rebus anteponam.*Et Auguſt.Serm.7.de verbis Domini. *Ordinate in me charitatem,*hoc eſt,facite gradus,& cuique quod debetur, reſtituite:nolite anteriora poſterioribus ſubdere.Et lib.de diligendo Deo.Omnia,quæ in hoc mundo ſunt,diligenda ſunt,vt ſubiecta, vt famulantia, vt arrha ſponſi,vt munera amici,vt beneficia Domini;ſic tamen, vt memineris ſemper quod illi debes;nec iſta propter ſe,ſed iſta propter illum, & per iſta,illum,& ſuper iſta,illum diligas.Caue,ô anima, ne (quod abſit) meretrix dicaris,ſi munera dantis,pluſquàm amantis affectum diligis.Dilige illum propter ſe,diligit te propter ſe,dilige illum,vt fruaris illo, diligit te, vt diligaris ab illo;dilige in donis illius,quæ data ſunt ab illo, illum tibi, & te illi dilige.

SIMILIA habet idem Auguſt.tract.2.in 1.Canon.Ioan. Quemadmodũ, inquit,fratres,ſi ſponſus fecerit ſponſæ ſuæ annulum, & illa acceptum annulum plus diligeret,quàm ſponſum,qui illi annulum fecit,nónne in ipſo dono, ſponſo adultera anima deprehenderetur, quanuis hoc amaret, quod dedit ſponſus? tamen ſi diceret:Sufficit mihi annulus iſte, iam eius

faciem

faciem videre nolo, profectò iniqua esset hæc dilectio. Similis & ea est, qua relicto Deo, rebus creatis adhæresscit. Eadem fere habet Ser. 72. de Temp.

VNDE idem Augustinus super Psal. 55. aduertit, quòd postquam Regius Ps. 143 Vates descripsit felicitatem hominum impiorum in Psalm. 143. statim subdit. *Beatus populus, cuius est Dominus Deus eius*, tulit omnia de medio quæ Deus dat, & dedit ipsum Deum: quia iusta anima nihil omnino supra Deum diligit, & quæ diligit, propter Deum diligit, cuius possessione, & amore beata est. Videndus etiam hac de re epist. 120. ad Honoratum.

ET Richar. de S. Vict. lib. 4. de contpēlat. cap. 15. Amor, inquit, singularis consortem non recipit, socium non admittit. Quod videtur significasse spōsa, dum ait. Cant. 2. *Ordinauit in me charitatem*; quod etiam potest verti, *vexillum eius super me, charitas*. Sicut enim cùm aliqua vrbs, aut arx in deditionem alicuius Ducis, vel Regis venit, vexillum in compitis, aut in vertice erigitur in signum, quòd ipse dominetur tali vrbi, aut arci, & nullus alius, cùm iam eiectus sit: sic & anima sancta, veráque Dei spōsa nullum, præter Deum, amatorem admittit, cui soli dedita tota est. Propterea enim Deus dixit: Mat. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, &c. Quæ verba ponderans Theodor. quæst. 3. in Deut. ait. Hoc loco docemur, dilectionem non scindere in dilectionem Dei, & auri; Dei, & vxorum, Dei, & liberorum; sed totam dilectionis vim Creatori Deo consectare, deinde secundùm Creatorem, quæ vnicuique sunt vtilia, impertiri, veluti liberis, fratribus, & amicis, siquidem pertinet etiam ad dilectionem Dei hæc præstare. Et Basil. homil. 11. in Psal. 44. super eadem verba. *Ex toto corde tuo*; hoc est, qui dicit ex toto, diuisionem in alia nullam admittit, qui amicus Dei perfectus est, ei totam animam tribuit. Toto corde, inquit Aug. lib. 1. de doctrin. Christ. nullam vitæ nostræ partem relinquit, quæ vacare debeat, & quasi locum dare, vt alia re velis frui.

ET S. Ephrem Serm. quem fecit ad pietatis certamen, amorem nostrum erga Deum gladio bicipiti comparat. Qui enim, inquit, vero amore verè in Deum fertur, instar gladij bicipitis, quemcunque amorem alium huius mundi interrumpit, ac dirimit, omnéque vinculum naturæ perfringit; nihilque eorum, quæ sub aspectum cadunt, animam illam detinere, ac possidere poterit; non voluptas aliqua, non gloria, non diuitiæ, non vinculum Matt. 10. amoris carnalis, hic est gladius, quem Matth. 10. venit mittere in terram, quo filium aduersùs patrem separet. Sic Ephrem. ex cuius doctrina constat, amorem Dei bellum gerere, armáque exercere aduersùs mundum. Videndus hac de re Ber. Serm. 7. in Cant. & Ser. 74. Et Chrysost. homil. 48. ad pop. vbi multa habet. Proindéque qui terrena diligit, aliúmque cum diuino admittit amorem, inimicus eo ipso constituitur Dei, qui solus vult, ac meretur diligi.

CERNITVR autem inimicitia amoris sæculi ad amorem Dei, quòd amor sæculi inflammat animam ad terrena concupiscenda, & peritura sectanda: in ima præcipitat, atque in profunda demergit, sicut ait D. August. in Psalm. 121. vbi addit. Anima amore terreno, quasi viscum teneretur

in

in alis, volare non potest. Similiáque habet Ser. 33. de verb. Domini. Amor, inquit, rerum terrenarum, viscum est spiritualium pennarum. Ecce concupisti, læsisti: limosa enim & glutinosa nimis, non modò exterior, verum interior substantia nostra, & facilè cor humanum omnibus, quæ frequentat, adhæret, sicut ait Bernard. in declamationib. super *Ecce nos reliquimus*. Proindéque amicitia huius mundi inimica est Deo, quia non sinit animam, quæ rebus terrenis adhæret, ad Deum leuare caput, & ad cœlestia, vel minimùm assurgere.

BENE autem ex eo, quòd amicitia huius mundi inimica sit Deo, infert Bernard. Serm. 85. in Cant. quòd sit etiam inimica amicis suis, quibus tantum malum, ac nocumentum affert, & infert, vt à Deo auertat eosdem. Est mũdus, inquit Bern. impulsor, quia in maligno positus est, impellit omnes, sed solos euertit amicos suos, id est, consentaneos sibi. Noli esse amicus mundi, ne cadas: nam qui vult esse huius mundi amicus, inimicus Dei constituitur, quo vtique nullus grauior casus. Sic Ber. & Aug. lib. de vanitate sæculi cap. 1. Nolite, fratres, mundum diligere, quem tanta cernitis cũ velocitate transire: nolite in eius amore anchoram cordis iam figere, præsertim cùm Apostolus Iacobus clamet, quòd amicitia huius mundi inimica sit Deo. Si enim ipse mundus nos diligeret, diligendus tamen non esset, quanto magis nunc, dum ipse nos odio habere probatur, quos tantis malis insequitur, a nobis omnino spernendus, atque fugiendus est? Quæ omnia ostendunt, nullam nobis conuenientiam, & amicitiam habendam esse cum mundo.

EX hoc etiam loco colligit Cyril. Alexand. lib. 6. in Ioan. c. 20. quòd, sicut amicitia huius mundi inimica est Deo, sic inimicitia huius mundi amica est Deo; & qui voluerit inimicus esse huius mundi, amicus Dei redditur. Quos enim mundus, vt abortiuos eiicit, eos Christus, vt filios charissimos suscipit; quod ipse probat exemplo illius cæci, cui visum restituit, *Ioan. 9.* quem eiectum summa benignitate compellat, & inuentum ad consummatam fidei confessionem adducit. Magnum apud Iudæos opprobrium ducebatur, si quem de Synagoga eiecissent, & quando Pharisæi huiusmodi hominem eiecerant, tunc Christus illum suscepit, & tunc magis meruit cognoscere Christum.

QVOD si eiectos à mundo Deus sic suscipit in amicos, quanto magis amplexabitur eos, qui mundum omnino abiecerunt? Statim, vt Abraham *Gen. 14.* sciuit captum Loth, numerauit expeditos vernaculos, & irruit super victores Reges, & persequutus est eos, reduxitque omnem substantiam & Loth. Egressus est autem Rex Sodomorum, qui antea victus fuerat, cuiúsque bona abstulerat à victoribus Abrahamus, secúmque asportabat, & dixit ad Abraham. *Da mihi animas, cætera tolle tibi. Cui ipse respondit. Leuo manum meam ad Dominum excelsum possessorem cœli, & terræ, quòd à filo subtegminis vsque ad corrigiam caligæ non accipiam ex omnibus quæ tua sunt.* Notauit autem Chrysost. hom. *Gen. 15.* 36. in Gen. quòd statim post hæc illi apparuit Deus, & dixit. *Ne timeas Abraham, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* Quod sic exposuit Chry-

sost. Ne timueris, quòd despexisti tanta dona, neque anxius sis, ego pro tē certo, ego propugnator fio, ego curam gero, ego difficilia, facilia reddo, protego te. Quæ omnia, sicut & ea, quæ narrat facer Textus, ostendunt maximam familiaritatem ex eo facto contractam inter Abrahamum, & Deum, qui ex eo, quòd terrena abiecit, susceptus est sub Dei patrocinio.

Heb. 11. Hoc etiam notauit D. Ambros. in Moyse, de quo Paulus. *Moyses grandis factus negauit se esse filium filiæ Pharaonis, maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi.* Ait ergo Serm. 3. in Psalm. 118. Vtique Moyses potuit Regis esse successor, nutritus à Regis filia; potuit ergo esse, non solùm, quasi Pharao; noluit esse Rex, cùm posset sed fugiendo potentiam potentior factus est. Factus est enim in Regē Regi, Rex erat Pharao, sed Deus non erat; Moyses factus est illi Deus, & tu, si vis, tanquam Deus peccatoribus esse terrori, Regibus reuerentiæ, contemne quæ sæculi sunt, & Dominicæ Passionis opprobrium contende omnibus præferre diuitiis.

Sic ergo Deus in amicitiam suam recipit, qui pretiosa quæque abiiciunt, & inimici mundi fiunt, vt sicut dicitur: *Amicus est alter ego*, vt Moyses amicus Dei, alter fiat Deus, cui veluti omnipotentiam communicat, & lucem, quam inaccessibilem inhabitat, cùm faciem illius reddidit adeò illustrem, vt non possent intendere filij Israël in faciem Moysi; & illi obediant creaturæ, iussuíque ipsius obtemperent. Qui enim inimicus est mundi, amicus Dei constituitur.

Vers. 5. *An putatis quia inaniter Scriptura dicat; ad inuidiam concupiscit spiritus qui habitat in vobis.*

EXPOSITIO LITERALIS.



NEQVIS igitur existimaret inane terriculamentum esse, debilique niti fundamento, id quod dixerat de amicitia mundi, quam Deo inimicam asseruit, ostendit modò hoc esse verum ex Scriptura. Id autem quomodo fiat magna dubitatio est. Potest enim imprimis esse sensus; quòd Scriptura dicat. i. loquatur de hac materia, suadendo separationem ab amore mundi. Cap. 4. Nam in Deut. dicitur: *non inibis fœdus cum eis*, scilicet cum alienis amatori- Rom. 12. bus mundi. Et Paulus etiam dixit. *Nolite conformari huic sæculo.*

Vel potest construi cum verbis sequentibus. An putatis quòd Scriptura inaniter dicat hanc sentētiam? Et tunc difficultas oritur ex modo, & significatione in qua sumi potest nomen (*spiritus.*) Si enim sumatur pro humano spiritu, est sensus: putare non debetis quòd sine ratione sacra Scriptura dicat, quòd spiritus. i. affectus humanus corruptus cōcupiscit res aliorum ad inuidiam, sed maiorem gratiam. i. augmentum gratiæ tribuit contra huiusmodi concupiscentiam.

Potest

Potest autem referri hic locus ad cap.6.& 8.Genes.vbi dicitur caro corrupisse viam suam, & legimus omnē sensum & cogitationem humani cordis pronam esse ad malum ab adolescentia sua: & alibi paruulum occidisse inuidiam. Nam sicut hoc loco notauit Lyran. Apostoli non semper allegant verba Scripturæ, sed frequenter sensum tantummodo.

Vel secundò non potest nomen (*spiritus*) referri ad malignum spiritum superbiæ,& concupiscentiæ,qui in nobis habitat per peccati adulterium; dum enim non assequitur quod concupiscit, inuidere nos facit aliis & ad omnia scelera nos inuitat.

Vel tertiò potest referri ad Spiritum sanctum, qui dicitur habitare, pro eo quòd habitauerit,sicut hîc notauit Caiet. vel quia habitat ratione Baptismi,& fidei. Possúntque imprimis sumi hæc verba per interrogationem, vt sit sensus. Spiritúsne concupiscit ad inuidiam?id est, vt inuideatis, vel facit concupiscere, & inuidere aliis super eorum temporali felicitate? Minimè, imò maiorem dat gratiam, quàm sint eiusmodi temporalia, ex quibus plerumque nascitur inuidia.

Et in hoc sensu videtur hic locus referri ad librum Sap.vbi dicitur.*Benignus est Spiritus sapientiæ*,seu, *humanus*,vt legit Aug. lib.de mendacio c.6. *&* Sap. 1.
spiritus bonus,vt dixit Dauid. Proindéque non potest ad malum, & liuorem Psal.142.
excitare,imò inducit ad mutuam charitatem. Et hæc videtur germana huius loci expositio,quæ placuit præcipuis Interpretibus.

Cæterum non minùs arridet ea quæ iam ferè commmunis est de Dei zelo circa animas nostras, quæ maximè cohæret cum reprehensione adulterorum,quam præmiserat Apostolus. Facitque hunc sensum: Adulteri,& amici sæculi,proindéque Dei inimici,non putetis vanè scriptum esse,quòd diuinus Sponsus concupiscat ad inuiam zelotypiæ,seu per zelotypiam, vt vos sæculum non ametis,sed Christum, fidémque illi datam, inuiolatam seruetis; quinimò hoc scriptum esse intelligite ad significandum,tum amicitiam mundi esse inimicam Dei, tum ad signandam vindictam diuinam consequentem,& concomitantem huiusmodi zelum: & ita hæc verba referuntur ad omnia ea loca,in quibus zelus Dei docetur,vt in Exod.quando Deus dicitur zelotes.Est autem Hebraismus pro eo, vt Dominus dicatur zelotypus,id est, non patitur, vt secum alius Deus colatur, solus pro Deo amari vult, & coli. Et apud Ioëlem. *Zelatus est Dominus super terram.* Apud Zachariam.*Zelatus sum Hierusalem, & Sion zelo magno.*Apud Ezechielem.*Auferetur meus zelus à te,& quiescam,nec irascar amplius*,id est,non dolebo, nec puniam te etiam si te mœchari videam. Exod.20. & 34. Ioël. 2. Zac. 1. Ezec.16.

Appellatur autem in nostra vulgata hic zelus,*inuidia*, quia plerunque in Scriptura confunduntur hæc nomina, vt vidimus cap. 3. & videre est in cap. 5.Act. ibi, *repleti sunt zelo.* Syriac. verò habetur,*inuidia.* Eundem etiam zelum ostendit Deus dum dixit in Deut. *Ipsi me prouocauerunt.* vbi si Deut. 32.
consulatur Textus Hebr. habet. *Dolore, & zelo me affecerunt cùm idola adorarent,qui mei erant.*

Est ergo sensus: An putatis frustrà scriptum esse in diuinis literis,

quòd Spiritus sanctus concupiscit vestrum amorem, vsque ad inuidiam, & zelotypiam, cùm tamen ipse multo maioribus donis, ac bonis alliciat, & obliget, quam mundus, quem vos adulteri libenter diligitis?

§. I.

Quàm longè absit à diuino Spiritu inuidia.

SECVNDVM eum sensum, qui probabilis quidem est, docet hic locus, nequaquam inuidiam pertinere ad diuinum Spiritum, qui sola bona nobis inspirat; inuidia autem aliena bona, propria mala facit, & peccata, sicut dixit Bernard. lib. de interiori domo c. 42. Estque proprium vitium diaboli, sicut latè prosequitur D. Basil. hom. de inuidia, & hom. 21. in aliquot Scripturæ loca: vbi ait. Inuidia proprium est diaboli vitium. Non enim diabolus statim creatus est diabolus, sed cùm Angelicam potestatem accepisset, in dæmonis naturam conuersus est, postquam vidit hominem, paruum quidem animal super omnem creaturam honoratum: tandémque concludit. Qui caput, aut membrum aliquod dolent, medico aperiunt morbum, at qui ægrotat inuidia, quis dicet? Angunt me proximi bona, veritas hæc est. Quid quæso te affligit proprium malum, an alienum bonum? Certè malum tuum incurabile. Canes nutriendo mansuetos reddimus, inuidum verò beneficio nostro deuinciendo, longè peiorem reddimus. Quibus habet similia Chrysost. hom. 52. & 61. in Genes. & homil. 41. in Matth. Dæmones, inquit, nostris malis lætantur, sic inuidus cùm aliquid triste, & doloris efficiens proximo acciderit, tunc aliquantulùm requiescit, atque respirat. Alienas enim iacturas suos quæstus existimat, & aliorum felicitatem miseriam suam arbitratur. Communis humani generis hostis, atque inimici inuidia pestiferum malum hominem in diaboli cõditionem, atque in dæmonem immanissimum conuertit, inuidia prima hominis cædes apparuit, inuidia fraterna charitas contempta est, inuidia sanguine hominis terra primò maculata. Nam vnde Cain fratricida effectus est? vnde Esau fratrem insectabatur? vnde Laban? vnde Iacob filij? vnde Core, Dathan & Abiron? vnde Maria, & Aaron inquinati fuerunt? Non potest etiam cæca inuidia, & insipiẽs esse effectus Spiritus diuini, qui spiritus sapientiæ & intellectus est. Iam verò inuidia sapientiæ inimica est, ideóque diuinam sapientiam, scilicet Christum, occidit, eandémque ita auersabatur, vt neque eam nominare posset. Vnde in Scriptura dicitur. *Comminemur eis ne vltrà loquantur in nomine hoc.* In quam sententiam optimè dixit Chrysost. hom. 36. in Ioan. Quemadmodum insani aduersus seipsos nonnunquam sententiam ferunt, ita & inuidiosi. Etenim contra seipsos ferunt sententiam, qui comminantur, ne quis loquatur in eo nomine, quod miseris salutem affert: & nemo potest exprimere eo, quo decet modo, nisi in Spiritu sancto, sicut dixit Paulus.

Genes. 4. Genes. 17. Genes. 31. Genes. 37. Num. 16. Num. 12. Act. 4. Cor. 1.

CVMQVE Spiritus sanctus fons sit gratiæ, per quam in nobis habitat,

tat, nõ poteſt inuidia eſſe ab Spiritu ſancto, cùm gratiæ aduerſetur. Quod ſic proſequitur Author Serm. ad fratres in Eremo, Serm. 18. Legimus quòd filiis Iſraël mãna cœlitùs datũ eſt, quo reſeruato ſcatiriebat multitudo vermiũ; ſic ex cœleſti gratia fideli collata occaſionaliter in animo ſuperbi inuidia naſcitur. Legimus etiã vermẽ ex hedera natum, cuius vmbra Ionas à calore defedebatur, tãdẽ hederã corroſiſſe, & fũditùs deuaſtaſſe. Per vermẽ intelligitur inuidia peſſima illa tinea, quæ purpuramenta virtutum demolitur, ærugo, quæ theſaurum ſapientiæ deprædatur, bruchus, qui terrarum virentia comburit, quia quicquid boni operis viteſcit in homine, penè peſtis inuidiæ perdit. Ionæ 4.

DENIQVE etiam ex eo liquet, non poſſe ad inuidiam concupiſcere Spiritum ſanctum, ſed potiùs contra inuidiam, ſicut ait D. Thom. quia cùm charitas Dei per eundem Spiritum diffuſa ſit in cordibus noſtris, inuidia charitati opponitur, quia non tantùm aliis malè vult, ſed ipſum inuidum, in quo eſt, anxiè, & ad internecionem torquet. Quod ſic docet Aug. Ser. 83. de Tempore. Quiſquis ille eſt, quem in zelo ſuo proſequitur inuidus, ſubterfugere eum forſitan poterit & vitare, inuidus verò fugere non valebit vbicumque fuerit, aduerſarius ſuus ſecum eſt, hoſtis in pectore ſemper incluſus. Nec minùs eleganter Chryſoſt. hom. 31. in 1. ad Cor. ad præſens inſtitutum. Sæuum, inquit, malum nec vlla venia dignum, & ipſa vitiorum omnium radice tetrum magis. Auarus enim tuum certè cùm acceperit, inuidus tuum cùm alius accepit, gaudet. Rem ſtrenuè peractam putat quoties proximo eſt acta malè, ſucceſſum ab alterius infortunio, non fortuna ſua metitur communis hominum naturæ oberrans hoſtis. Inuidet Satan, ſed hominibus, ſocio iam nemini. Tu verò homo cùm ſis, hominibus inuides, odium aduerſùs genus, naturámque communem exerces, quod nè Satan quidem facit.

HOC autem probat idem Chryſoſt. hom. 56. in Ioan. quia inde argumentatus eſt Chriſtus Dominus contra eos qui illi obiiciebant, quòd in nomine Beelzebuth eiiceret dæmonia: quia vnus ſpiritus nequam alteri minimè aduerſatur. Vnde iam conſtat nequaquam diuinum Spiritum ad inuidiam ciere animum noſtrum, cùm ille gratiæ, & charitatis ſit author, ſecúmque afferat virtutũm omniũ chorum, cui inuidia potiùs aduerſatur. Ioan. 8.

§. II.

Zelus Diuini ſponſi erga animas noſtras.

VT etiam oſtendat Apoſtolus qua pœna afficiendi ſint adulteri peccatores, qui relicto vero, ac proprio ſponſo, ad mundana quæque diuertunt, dicit Spiritum ſanctum ad inuidiam concupiſcere, zelóque animarum noſtrarum laborare. Denotat autem nomen (*inuidia*) iram, quæ in parentibus, & in amantibus reperitur, cùm videht rem quã amant, ab aliis poſſideri, ſe verò contemni. Sic igitur hoc loco dicit Iacobus, ad inuidiam

Exo. 20 & 34. concupiscere Spiritum, sicut in Exod. dicitur *Deus zelotes*, vt metum incutiat adulteris, qui Diuinum sponsum aspernantur. Quod notauit Theodoret. quæst. 34. in Exod. dicens. Deus seipsum appellat zelotem, humano more loquens, vt terreat homines; & illos sapere cogat: sicut enim vir ignauam habens vxorem admonere solet illam his verbis. Zelotypus sum, videre non possum te cum alio viro loquentem: ita Dominus volens à cultu dæmonum illos abalienare, non tantùm seipsum zelotem appellauit, sed & ignem consumentem. Quòd autem tam ardens sit amoris zelus, Deus
Ezec. 16. Ose. 4. ipsemet demonstrauit. *Propterea auferetur zelus meus à te.* Et apud Oseam. *Non visitabo filias vestras cùm fornicatæ fuerint, & sponsas vestras cùm fuerint adulteratæ.* Concluditque Theodoret. Est igitur zelus amoris index.

Et Dionys. Areopag. c. 4. de diuinis nominib. Deus, inquit, zelotes appellatur propter multum amorem, quem habet. Quemadmodum vir qui vnicè ac vehementer diligit vxorem suam, eam zelo quodam, ac studio, & solicitudine prosequitur, timens, & cauens, ne ab aliis adametur, aut violetur. Et Hieron. in fine Comment. ad c. 1. Sophoniæ. Nisi Deus amaret humanam animam, nunquam zelaretur eam, & in similitudine mariti peccatum vlcisceretur vxoris. Qua de re videndus Nazian. Orat. 2. Apologet. vbi ait. Amor ad accusandum acerrimus, copiosissimúsque est, cùm ob mœrorem susceptum in zelotypiam exarserit.

Et D. Thom. 1. 2. q. 28. art. 4. zelum vocat amoris effectum: & lect. 1. in c. 11. ad Cor. ad ea verba; *Æmulor vos*, id est, diligo vos feruenter, sic definit zelum. Est amor intensus, non patiens consortium in amato. Videndus hac de re August. lib. 83. quæst. q. 52. & lib. contra Adimant. c. 11. & cap. 13. quibus in locis multa habet.

Hoc igitur zelo voluit Deus nobis diuinam charitatem inculcare, qua omnes animas amplectitur. Nam ex veteri parœmia, de qua August. lib. contra Adimant. cap. 13. *Qui non zelat, non amat.* Et non patitur Deus consortium in amato. Ideóque dum videt Abrahamum diligere Isaac, ipsi ait. *Tolle filium tuum, quem diligis, Isaac.* Viden' vt referat amorem patris erga filium præ zelo? Et postquàm vidit se plus diligi ab Abrahamo, quàm Isaac, ait. *Ne extendas manum tuam super puerum, nunc cognoui quòd timeas Dominum.* Quasi tunc quieuerit Dei zelus, dum nouit plus Deum diligi.

Simile quidpiam contigit paruulæ sorori sponsæ, de qua Diuinus sponsus anxius æmulator secundùm Recentiorum sententiam dixit. *Quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est?* id est, qua ratione custodiemus paruulam licèt, & infantem in diem desponsationis, ne fortè antea profano amore inficiatur? subdítque statim. *Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea, si ostium, compingamus illud tabulis cedrinis*, id est, quantumuis muris, ac parietibus cincta, custoditáque sit, adhuc tamen nō quiesco, ideo speciosissimis æquè ac fortissimis propugnaculis munienda domus est, ex quibus tanquā ex specula obseruari, abigíque possint pudicitiæ hostes, & profani amatores. Quòd si etiam ostium sit, non nisi ex materia fortissima, ac durissima compingi ac confici debet, vt illis omnis omnino aditus

aditus intercludatur,& securus reddar. Cùm ergo tenera sponsa hæc audisset, quò tranquillum redderet zelantem sponsum, sic illi respondet. *Ego murus, & vbera mea quasi turris*, id est, non indigeo quidem muro, quæ infractam, & inuictam tibi seruo fidem, ac si adamantina ego essem, & inexpugnabilis mea pulchritudo, quam tibi deuoui, & in corde meo extruxi turrim, vbi priùs expendo, & examino cogitationes & affectus, nullúsque tibi contrarius, & dilectioni tuæ infensus ingressum inueniet, imò longè latéque abiicietur; cõuersáque proinde sponsa ad cæteras sorores, postquam securum reddidit zelantem sponsum ait. *Ex quo facta sum ei quasi pacem habens*.i. sic sanè cum meo sponso pace iucundissima fruor, nullas iam insidias, calumnias, aut zelotypiam pertimescens illius, qui ad inuidiam concupiscit, & qui zelo æstuans dixerat. *Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium, quia fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio*. Quibus verbis videtur Diuinus sponsus conqueri de amore, qui munus mortis obeundo interficit, & de zelo, qui veluti infernus exurit, & calore vrget. In remedium verò postulat, & cordis affectum, & testificationem operum. Hoc enim videtur significare *cor*, & *brachium*, iuxta celebrem doctrinam Hieron. epist. 128. & Ezechiel. 16. & Malach. 2. vbi ponderat, propterea voluisse Deum, vt in sacrificiis tribueretur Sacerdotibus armum, & pectusculum de victimis, quia Deus, & cordis intentionem, & externa opera amorem protestantia maximè requirit à nobis. Vnde Gregor. 21. Moral. cap. 9. loquens de sacrificio Abelis, ait. Ex dãtis corde, id quod datur, accipitur, idcirco non Abel ex muneribus, sed ex Abel munera oblata placuerunt. Exo. 29.

AD inuidiam itaque & zelum concupiscit diuinus Spiritus, qui nostri amantissimus totum nostrum meretur, exigitque amorem. Misera verò, & adultera ea erit anima, quæ aliquid contra Deum, aut cum Deo dilexerit, postquam eius agnouit zelum, & prædicantem audiuit Iacobum, quòd amicitia huius mundi inimica est Deo.

§. II.

Quicquid in Scriptura continetur, & nobis vtile, & maximè adnotandum, & aduertendum est.

OSTENDIT etiam hic locus in sacra Scriptura nihil inane, aut absque maxima vtilitate dictum esse. Quod etiam dixit Paulus. *Quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt*. Et iterum: *Omnis Scriptura vtilis est ad docendum*, seu vt legit Ambros. *Vtilis est ad doctrinam*. Quod verò nihil inane contineat, patet imprimis ex authore Deo, qui loquutus est per os Sanctorum, qui à sæculo sunt Prophetarum eius. Vnde Dauid dixit. *Spiritus Domini loquutus est per me, & sermo eius per linguam meam*. Et Paulus loquens de doctrina, quam prædicabat, & scribebat. *Non est secundùm hominem, neque ego ab homine accepi, neque didici, sed per reuelationem Iesu Christi*. Et Petrus. *Neque voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu*

Rom. 15. 2. Tim. 3. 2. Re. 23. Gala. 12. 2. Pet. 1.

ritu sancto inspirati loquuti sunt sancti Dei homines. vbi Vatabl. Brixian. & Caietan. transferunt, *à Spiritu sancto impulsi, agitati, & rapti*; non quasi Prophetæ more arreptitiorum non intelligerent quæ prophetabant, quæ fuit hæresis Montanistarum, & Priscillianistarum, de quibus, & contra quos videndus Basil. Proœmio in Isai. & Hieron. ibi. & Nahum 1. & Epiphanius hæres. 48. sed, sicut ibi aduertit Oecum. & Interlinearis, vt Prophetæ perciperēt diuinam locutionem: idque censendum de omnibus scriptoribus sacris, qui non pro voluntate sua, sed prout ab Spiritu sancto mouebantur, scripserunt.

Et hæc est ratio, quare non omnia omnes dixerint etiam de Christo, sed quædam dixerint quidam, alia verò alij: quod optimè notauit Ambros. lib. de Tobia cap. 20. ad medium, dum ponderat, sortes missas super vestem Christi iuxta vaticinium Psalmi 21. *Super vestem meam miserunt sortem*. Bene, inquit, de Euangelistis dictum est, quia miserunt sortem; sors enim veluti diuino pendet examine, & ideo, quia non in potestate propria sunt loquuti, neque omnes eadem omnia, sed plerique dixerunt diuersa, quæ alius non dixerat. Sancti Spiritus gratiam veluti sortitò illis ea tribuisse cognoscimus, quæ loquerentur singuli de operibus Domini Iesu: vt describenda pro eius nutu gesta diuiderent. Vbi vides diuersa scripsisse Euangelistas, quia diuersimodè à diuino Spiritu edocebantur. Absit tamen vt inter se aliqua ratione dissentiāt, sicut dicit Aug. lib. 18. de Ciuit. c. 41. vnde Chrys. hom. 3. de incomprehensibili Dei natura, de Propheta Isaia ait (idémque diceret de quolibet sacro authore) cùm Isaiam dico, sententiam Spiritus sancti intelligo. Propheta enim non nisi ea, quæ diuinitùs inspirantur, scribit, ac loquitur.

Matt. 27. Psal. 21.

Nihil ergo inane, vacuum, ac vanum continet, imò cœlesti animaduersione Scripturam sacram ab humana profanatione Deus defendit. Miranti siquidem Ptolomæo Regi cur diuinorum librorum nulli, neque historici, neque Poëtæ veteres meminissent, Demetrius Phalereus respondit, vt ex Aristæo referunt Iosephus lib. 12. Antiquitat. cap. 2. & Euseb. lib. 8. Præparation. Euangelic. c. 1. diuinam hanc Scripturam esse à Deo ipso datam, propterea si qui profanorum hominum eam attingere voluerunt, eos à Deo percussos continuò resiliisse. Affirmántque Theopompum quēdam, quòd aliquid diuinorum voluminum Græca oratione ornare voluerat, subitò mentis quadam agitatione diuinitùs immissa vehemēter perturbatum ab incepto opere coactum esse desistere. Theodorum verò Tragœdiarum scriptorem, quòd nescio quid ex diuina Scriptura ad fabulam quandam transferre decreuerat, luminibus captum orbatúmque esse, ita repentina calamitate insignem temeritatem continuò esse repressam: adeò curauit primus Scripturæ sacræ author Deus, ne quid inane, vacuum, aut inutile in ea posset reperiri. Vnde Chrysost. homil. 21. in Gen. paulo post principium, sic ait. Ego vos omnes obsecro, ne simpliciter ea, quæ in Scripturis sacris contenta sunt, transeatis. Nihil enim hic scriptum est, quod non multas sensuum habeat diuitias, quandoquidem diuino Spiritu afflati

flati Prophetæ loquuti sunt.Ideo, vt à Spiritu Scripturæ ingentem in se continent thesaurum.Et ne mireris quòd in hac nominum enumeratione multas,latentésque diuitias sententiarum vobis me ostensurum polliceor: neque enim vel syllaba,vel apiculus est in sacris literis, in cuius profundo non sit grandis quispiam thesaurus.Proinde nobis opus est diuina gratia ducamur, & Spiritu sancto illustrati eloquia diuina adeamus. Hæc Chrysost.

RATIONEM autem,quare sicut nihil in Scriptura sacra deest, nihil etiam redundet,inanéque,& varium reperiatur,assignat Ambr.epist. 63. ad Iust.Quoniam sacri scriptores, inquit, non secundùm artem scripserunt, sed secundùm gratiam,quæ supra omnem artem est.Scripserunt enim quæ Spiritus illis loqui dabat.Sic constat nihil in Scriptura inane,& inutile reperiri. Quòd autem ad nostram iustitutionem conducat,dixit Clem. Alex. Orat.exhortat.ad gent.Sunt verè,inquit,sacræ literæ, quæ sacros faciunt, ac deificant;vocátque sacra volumina,sapientiæ carceres, & portum salutis,nullis omnino fluctibus agitatum.

ET Athanas.epist.ad Marcellin.de interpretatione Psalmorum, nuncupat virtutis,& veræ fidei magistram.Quibus habet similia Hilar. in Psalm. 24. Et Greg.lib.2.in Ezech.hom. 16. & 2.Moral in principio. Videndus denique hac dé re Orig.hom.27.in Num.Chrysost.hom. 2. in Isai. hom. 5. de fide Annæ.& hom.13.in Gen.vbi inter alia. Sicut thymiamata, quanto magis digitis atteruntur,tanto maiorem natura sua flagrantiam reddunt. Ita & in Scripturis vsu venit,quanto quis illis est familiarior, tanto magis videre potest latentem in ipsis thesaurum,plurésque percipere fructus.Et hom.29.quod ad augendas vires corporis sensibilis ille cibus facit, id animæ lectio præstat. Spirituale enim alimentum est, & fortem reddit animam,& constantiorem, & magis philosophicam,non permittens, vt à cogitationibus absurdis capiatur,sed leuem, & alatam faciens, in cœlum ipsum,vt dicitur,transfert,&c.quæ ibi elegantissimè prosequitur. Similia habet hom.35.in Genes.& hom.1.ad pop.

ET Ephrem de patientia,& compunctione post principium.In thesauris sacræ Scripturæ multa,ac varia salutis adminicula. Et de patientia, & consummatione sæculi.Operam da semper,vt lectioni diuinarum Scripturarum adhæreas,quæ te doceant,quomodo effugere oporteat laqueos inimici,& vitam æternam assequi.Nam sacrarum Scripturarũ lectio mentem vagabundam còntrahit,& colligit,donátque in Deum cognitionem. Glorientur alij de magnatum,Principúmque, ac Regum familiaritate, atque colloquio,at tu coram Angelis Dei gloriare colloquens, & cum Spiritu sancto per sacras Scripturas conferens.Nam Spiritus sanctus est qui loquitur per eas.Similiáque habet tract.de morte. Et Aug. 2. de doctrin. Christ. cap.vlt.Quicquid homo extrà didicerit,si noxium est,ibi damnatur,si vtile est,ibi inuenitur,& cùm ibi quisque inuenerit omnia, quæ vtiliter alibi didicit,multo abundantiùs ibi inuenit ea,quæ nusquam omnino alibi.Vnde D.Chrysost.Serm.de Pseudoprophetis,& falsis doctoribus, qui habetur

post opera Ephrem. Vides quantũ sit lucrũ scrutari Scripturas, quemadmodum & sæpe audistis. Quid est autem id; quod vobis dico? Nihil reliquisse, neque reticuisse vtilium nobis sacram Scripturam, siue per Prophetas siue per Apostolos, ac per ipsum etiam vniuersorum Dominum. Et per Isaiam quidem Prophetam dicit secundùm Septuag. *Clama in fortitudine, & non parcas, quasi tuba exalta vocem tuam.* Et iterum. *Super montem excelsum ascende tu qui euangelizas Sion.* Et Dauid. *Laboraui clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ.* Tandémque concludit, O quàm multas quotidie Scripturas audimus, nec intelligimus, quare & inexcusabiles in die iudicij erimus, quãdo iudicium sedebit, & libri aperientur. Quæ quidem nunc audientes, irridemus, & non suscipimus. Vnde Chrysost. imitatus hoc in loco Iacobum, inuehitur contra eos, qui parui pendunt ea, quæ sacra Scriptura docet, vel existimant aliquid inane, & vanum in ea reperiri, contra quos erunt in iudicio magni illi, atque diuini viri, qui munda mente præditi ante datam Moysi legem vixerunt, & sine Scriptura Dei nutui parebant.

Isai. 50. Cap. 40. Psal. 68.

Vers. 6. *Maiorem autem dat gratiam: propter quod dicit. Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.*

EXPOSITIO LITERALIS.

NE quisquam causetur difficultatem negotij, arduúmque respondeat carnem suam odio habere, & inimicum mundi esse, subdit Apost. *Maiorem autem dat gratiam*, qua id, quod imbecillitas naturæ virium præstare nequit, adiuta diuina gratia promptè, suauitérque exequi valet. Sicut enim iis, qui in sua virtute confidunt, & superbè de se sentiunt; resistit: de sede mentis deponit eos deserendo: sic humiliter humanam imbecillitatem fatentibus gratiam vberrimam confert, dátque velle, & perficere, vt omnia tandem possint in eo qui ipsos confortat. Ideóque Brixian. hoc loco. Maiorem dat gratiam humilibus, id est, quanto quis est humilior, tanto plus illi impertit gratiæ Deus. Sic ille.

Phil. 1. 2. & 4.

ALII verò dicũt esse sensum, maiorem dat gratiam, amicis scilicet suis, quàm mundus, vel eius amicitia. Ita Carthus. Caiet. & Beda. Maiorem dat gratiam. i. maiora dona, gratuita cùm sint eiusmodi temporalia, ex quibus nascitur inuidia. Secundùm verò eorum explicationem qui dicunt, nomine (*spiritus*) intelligi spiritum humanum, qui inuidet bonis aliorum, maiorem dat gratiam; intelligitur contra huiusmodi concupiscentiam, dat scilicet Deus, cuius solius est dare gratiam. Neque additur suppositum, quia intelligitur in actu verbi, cùm sit exceptæ actionis, vt dicunt: statímque ostenditur quis sit, qui dat gratiam, scilicet, qui loquitur in Scriptura.

DVBIVM deinde est, vbi scriptum sit, *Deus superbis resistit.* Nam locus Prouerb. cap. 3. ad quem communiter hic refertur, habet, *ipse deludet illusores,*

&

& mansuetis dabit gratiam. Ideóque D. Thomas ait. Potest dici, quòd sumitur de illo loco Prouerb. *Superbum sequetur humilitas, & humilem spiritu suscipiet gloria.* Possemus nos & alium afferre ex Psalm. *Populum humilem saluum facies, oculos superborum humiliabis.* c. 15.17.

ATTAMEN reuerà hic locus refertur ad priorem sumptum ex lib. Prouerb. Et licèt ibi aliter habeatur, aduertendum est, nomen (*illusores*) vsitatum esse in Scripturis, vt videre est in libro Prouerb. cap. 9. & 13. Isai. 28. & 29. Oseæ 7. 2. Pet. 3. Hebræúmque nomen, לץ *Lets*, significare *superbum*, quique nullis acquiescit monitis, vt quasi pestis quædam omnes inficiat: vt in Psalm. 1. *In cathedra pestilentiæ non sedit.* in Heb. est, *Letsim.* Neque etiam est dubium inter verbum *resistendi*, & *illudendi*, quasi inter se dissentiant. Namque nihil plus superbis displicet, quàm illudi, & parui pendi, & ipsorũ conatus veluti risu frangi, sicut frementes gentes, meditantésque inania, & astãtes Reges aduersùs Christũ Dominũ, Dominus de cœlo irrisit, vt in bestiæ euadẽs formam Nabuchodonosor testatur, & submersus Pharao. Psal. 1. Dan. 4.

BEDA verò sic explicat hanc Dei resistentiam: Deus specialiter superbis resistere dicitur, quia maiori pœna plectuntur: humilibus autem dat gratiam. In citato loco Prouerb. vox Hebræa *Hhanauim*, significat *mansuetos, & mites*, quæ etiam reperitur apud Sophoniam, vbi dicitur. *Quærite Dominum omnes mansueti terræ.* Et apud Psalmistam, vbi ait. *Diriget mansuetos in iudicio, & docebit mites vias suas.* Et apud Isaiam. *Arguet in æquitate pro mansuetis terræ.* Cap. 2. Psal. 24. Isai. 11.

ILLVD deinde hoc in loco aduertendum est, *humilitatem*, ac *humilem* tripliciter in sacris literis sumi, primò namque in veteri Testamento sæpe sumitur pro afflictione, vt Psalm. 35. *in humilitate nostra*; quod suprà cap. 1. probauimus cum Apostolo dicente in hoc sensu; *Gloriatur diues in humilitate sua.* Secundò, sumitur pro vili, & abiecta conditione, pro exiguitate, & obscuritate, vt Philip. 3. *Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Atque in hac sola significatione intellexit vocabulum (*humilitatis*) Cicero. Tertiò denique accipitur pro virtute contraria superbiæ, & elationi, qua quis se vilem agnoscit, quæ virtus à Latinis modestia dicitur, aut animi submissio, & hoc sensu accipitur hoc in loco.

HIS igitur quasi capacioribus dat gratiam. *Valles* enim *abundant frumento.* Et: *ad quem respicit Deus, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu?* Vatab. *qui est humilis spiritu*: Septuag. *nisi ad humilẽ?* Respicere autem Dei, vt hoc obiter dicamus, est beneficia largiri, sicut prosequitur explicans hunc locum D. Chrysostomus homil. 34. ad Pop. cuius hæc sunt verba. Respicam, dicit, pro faciam prouidentia dignum, manum porrigam, suscipiam in omnibus, gratias meas cum largitate præbebo. Quo sensu D. Hieronymus in quæst. Hebra. in Genes. vehementer laudat Theodotionis lectionem ad illa verba Genes. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.* sic enim legit: *Inflammauit Dominus super Abel, & super munera eius*; alioqui, inquit Hieronymus, non cognouisset Cain sua munera despecta Deo esse; sicut colligit etiam Augustinus in annotation. Isai. 66. Isai. 71. Gen. c. 4.

in Genes. & Chrysostomus hom. 18. in Genes. & Procop. in prædicta verba.

Luc. 22. ITAQVE respicere nihil aliud indicat quàm notissimum fauorem, quo sensu interpretatus est Ambrosius illud. *Conuersus Dominus respexit Petrum.* Quos respicit Iesus, inquit ille, plorant delictum. Negauit primò Petrus, & non fleuit, quia adhuc non respexit Dominus; negauit secundò, & non fleuit, quia adhuc non respexit Dominus. Negauit tertiò, respexit Iesus, & ille amarissime fleuit. Respice, inquit, ergo Domine Iesu, vt sciamus nostrum deflere peccatum, & lauare delicta.

Ps. 103. RESPICIT ergo ad humiles Deus, qui humilibus dat gratiam, & *gratiæ fontes in conuallibus emittuntur.* Vnde Bernard. Serm. de fallacia præsentis vitæ ait. Sicut in solitudinibus aquæ deesse solent, & loca deserta sterilia, & arida esse consueuerunt, sic Deus superbis resistit; humilibus autem dat

Psal. 17. gratiam, qui emittit fontes in conuallibus. *Populum* denique *humilem saluum facit.* Neque enim superbi ab initio illi placuerunt, sed humilium, & mansuetorum semper illi placuit deprecatio.

NOTAVIT autem Chrysostomus hom. 3. de verbis Isai. non dixisse Apostolum, Deus superbos dimittit, & in peccatis deserit, suóque nudat auxilio, sed, *aduersatur*, quod nostra vulgata dicit, *resistit*, non quòd instructa acie, inquit, aut pugna Deo sit opus aduersùs superbum. Quid enim esse possit superbo infirmius? vt qui orbatus est oculis, omnium expositus est iniuriæ, quòd si etiam validus ac potens esset superbus, nihil opus esset Deo exercitu aduersùs illum, quandoquidem & voluntas illi sufficiebat ad inuertenda omnia. Cur igitur resistit? quò vehemens odium declaret erga superbum. Sic Chrysostomus.

PRO qua sententia (si licet magna componere paruis) facit optimè Æsopus, teste Laërtio in eius vita, dum interrogatus, quid Deus faceret? respondit, totam ipsius occupationem esse in eleuatione humilium, & superborum deiectione. Et hic certè est quasi titulus Dei. Superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, sicut notauit D. Ambrosius Serm. 4. in Psalm. 118. & D. Augustinus lib. 1. de Ciuit. cap. 1. vbi ait. Rex, & conditor ciuitatis huius, de qua loqui instituimus, in Scriptura populis suis sententiam diuinæ legis aperuit, qua dictum est; *Superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Hoc verò quod Dei est proprium, superbæ quoque animæ, spiritus inflatus affectat, amátque sibi in laudibus dici.

Parcere subiectis & debellare superbos.

Quod dicit, vel quia superbia sibi attribuit quod est Dei, videlicet, resistere superbis, vel quòd tam inuisa est superbia etiam superbis, vt superbissima humana gẽs gaudeat inter laudes suas poni, quòd superbos debellet.

ET ad sensum nostri contextus intelligit D. Augustinus in Psal. 128. ea

Ps. 128. verba Prophetæ. *Dominus iustus concidet ceruices peccatorum.* Non dixit, ait Augustinus, Dominus iustus concidet manus peccatorum, aut pedes, sed ceruices: quia peccatores superbos volebat intelligi; superbi autem omnes ceruicati sunt: *fiant sicut fœnum tectorum, quod priusquàm euellatur, exaruit*, quanto meliùs, humilius nasceretur, & lætius uiresceret? hæc Augustinus.

VOX

Vox superborum est: *Faciamus nobis ciuitatem, & turrim, cuius culmen pertingat ad cœlum*; vt exposuit August. 16. de Ciuit. cap. 4. & D. Chrysost. homil. 30. in Genes. Sed Deus quasi sibi ab altis timeret, sublimes quasi diuinitatis sectatores deiecit, qui superbis resistit: indéque est, quòd Paulus doceat quasi superbis resistendum. Etenim D. Gregor. de cura Pastoral. 3. p. cap. 3. illud, quod ait Paulus, *Diuitibus huius sæculi præcipe, non sublime sapere*; sic explicat. Notandum est valde, quòd humilitatis Doctor memoriam diuitum faciens, non ait, roga, sed præcipe: quia etsi impendenda est pietas infirmitati, honor tamen non debetur elationi. Denique videndus pro hac contrarietate Dei in superbiam, Ecclesiastic. cap. 10. & Iob cap. 12. vbi ait: *Optimates supplantat*. Significat autem optimates, potentes viribus, intractabiles, & insolentes. 1. Tim. 6. Iob. 12.

§. I.

Quomodo Deus odio habeat superbos, eisque resistat.

EX hoc loco constat, Deum superbis resistere, & aduersari, tanquam inimicis, quæ inimicitia, & pugna statim in prima Angelorum conditione visa est in cœlo, in quo secum noluit Deus pati cohabitationem superbiæ. Vnde Bernard. lib. de anima cap. 11. Suspecta est Deo superbia, & odiosa; nec fieri potest, vt cum eo in gratiam reuertatur, diuersum vtriusque hospitium, nec in eodem habitant animo, quibus non licuit cohabitare in cœlo. In cœlo nata est; sed velut immemor, qua via inde cecidit, illuc postea redire non potuit. Hinc est id, quod prosequitur Rupert. lib. 2. in Numer. cap. 1. nullum scilicet in lege fuisse relictum sacrificium pro hoc peccato, Deúmque illi minimè propitiari, imò & de superbia intelligendum esse id, quod Christus Dominus dixit; *Est peccatum quod non remittitur, neque in hoc sæculo, neque in futuro*. Sic igitur habet Rupertus. Opportuna hîc recapitulatione commemoratio fit de lege sacrificiorum, de qua in Num. vberiùs dictum, additúrque aliquid, quod diligentissimè, summáque cautela notandum est. *Anima*, inquit, *quæ per superbiam aliquid commiserit, siue ciuis sit ille, siue peregrinus, quoniam aduersus Dominum rebellis fuit, peribit de populo suo*. Hanc iustitiæ legem, & Prophetæ sequuntur, & Euangelium. Prophetæ, cùm dicit Amos. *Super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor: super tribus sceleribus Tyri, & super quatuor non conuertam eum*. Primum namque scelus est, iniquitatem mente concepisse. Secundum scelus est, dolorem opere peperisse. Tertium iniquitatis opus, in vsum, vel consuetudinem traxisse. Quartum scelus, malè acta per superbiæ spiritum defendere. Ergo super quatuor, inquit, non conuertam eum, id est, cùm superbè fuerit respósum, iam non est remissibile peccatum. Confirmat hoc Euangelium, cùm dicit Saluator esse peccatum quod non remittatur, neque in hoc sæculo, neque in futuro, quod non est aliud, quàm superbiæ malum. De hoc & Ioannes Matt. 12.

1. Ioan. 5. in sua epistola dicit: *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis.* Sed & ad filios suos loquitur Heli; *Si peccauerit vir in virum, placari ei potest Deus: si autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo?* Et Dominus noster tres tantùm mortuos suscitasse, & non quartum legitur, eadem videlicet ratione, qua in Propheta iam fuerat dictum, *super tribus sceleribus, & super quartum non conuertam eum.* Hæc Rupertus. quibus habet similia cap. 2.

1. Reg. 15. Hinc etiam est id, quod de Saüle ait Scriptura. *Pœnitet me quòd constituerim Saül Regem, quia dereliquit me. Cùmque de nocte surrexisset Samuël, vt iret ad Saül, iuxta præceptum Domini, manè nuntiatum est Samuëli, eo quòd venisset Saül in Carmelum, & erexisset sibi fornicem triumphalem,* id est, arcum triumphalem, in quo reportatam à se victoriam de Amalech sibi, non Deo adscriberet, & describeret. Hæc igitur superbia causa fuit Deo displicendi, & vt à Deo abiiceretur, ideóque, & Samuël ait: *Pro eo quòd abiecisti Dominũ, abiecit te, ne sis Rex.* Vnde D. Gregorius 34. Moral. cap. 17. ait. Saül in bono quo cœperat, non permãsit, quia fastu potestatis intumuit; hoc enim videtur esse id, quod Dauid dixit, *superbiam semper ascendere*; & superbus apud Senecam de seipso in Thyeste actu 5.

Æqualis astris gradior, & cunctos super
Altum superbos vertice attingens polum.

Ps. 81. Super eleuantes igitur sese fulgurat, & fulminat solus altissimus Deus, qui proinde dicitur superbis resistere.

Si verò aliquas rationes velimus indagare, cur Deus superbis resistat, ea imprimis sese offert, quòd superbus solus vult reputari, & honorari, quod solius Dei est. Pro qua re facit id, quod notauit Bern. Ser. de fallacia præsentis vitæ ad ea verba Psalm. 106. *Errauerunt in solitudine.* Hæc, inquit Bern. superborum est, quia solos sese reputant, solos appetunt reputari, neminem sibi similem reperiri, solitarij, sed errones. Similiáque habet de superbo Angelo, de quo intelligit illud Isaiæ. *Ponam sedem meam ad Aquilonem:* cæteris astantibus, inquit, tu solus sedere affectas?

Margin notes: 1 Reg. 2. Matt. 9. Luc. 7. Matt. 11. Ps. 73. Ps. 106. Isai. 14.

Hoc etiam prosequitur Greg. 23. Moral. c. 4. expendens eundem Isaiæ locum, aique: In hac arrogantiæ specie crebrò humanus animus labitur, vt id, quod habet, habere se singulariter glorietur, in qua similitudini diabolicæ vicinus se appropinquat, qui bonum se habere singulariter gaudet, videri sublimior cæteris quærit; illum imitatur, qui despecto bono societatis Angelorum, sedem suam ad Aquilonem ponens per iniquum desiderium, quasi ad quoddam culmen conatus est singulariter erumpere.

Contra quam superbiæ singularitatem facit id, quod notauit Oleast. in cap. 1. Genes. Deum, scilicet, fecisse hominem ad imaginem, & similitudinem suam. Nunquid maior es Deo, qui sui similem non solùm patitur, sed facit? Vnde Bernard. Serm. 4. in Vigil. Natiuitat. Horret humanus auditus verbum: sed vtinam horreat similiter animus cogitatum malignum pariter, & affectum. Facit etiam id, quod dixit Gregorius 23. Moral. cap. 9. Arrogantes hominibus æquales se iudicant extitisse nascen

nascendo, sed non æquales remansisse viuendo. Et Philo libro de charitate. Quilibet insana opinione inflatus, non tam virum, aut heroëm, quàm genium quendam se existimat, vt Pindarus inquit, transcendens humanæ naturæ terminos; famulis pro iumentis vtitur, ingenuis pro mancipiis; cognatis pro alienis: ciuibus pro exteris, &c. quæ prosequitur describens superbum.

MAIVS aliquid docuit Paulus, cùm non solùm similes voluit, vt haberemus fratres, sed eos honore præueniremus, superiores nobis inuicem arbitrantes. Quod si cogitetis, inquit Aug. Ser. 53. de verb. Domini. non eritis apud vos magni; magis enim cogitare debetis quod vobis desit, quàm quod vobis adsit. Si enim cogitas, quantùm præcessisti, time tumorem, si quantùm tibi deest, adhuc ingemiscis, curaris, humilis eris, tutior ambulabis.

EST tandem Dei inimicus superbus, quia cùm Dei sola voluntas debeat fieri, ipse suam voluntatem vult fieri, non Dei. Quod notauit Bernard. Serm. 4. in Vigilia Natiuit. Vult Deus fieri suam voluntatem, & superbus vult fieri suam. Iam videtur æqualitas; sed attende malè congruam proportionem. Deus in his tantùm, quæ ratio approbat, vult suam fieri voluntatem: superbus verò, & cum ratione, & contra rationem. Cùm ergo Deus zelator gloriæ suæ sit, superbo, qui solus, & vnus vult esse, vt Deus, de quo dicitur: *Dominus Deus tuus, Deus vnus est*; & qui suam voluntatem effici vult, cùm tamen sola voluntas Dei debeat perfici, meritò resistit: imò in hoc maximè suam omnipotentiam manifestat, testante Dauid: *Terribili, & ei, qui aufert spiritum Principum.* Chald. *Terribilis, comprimens tumorem spiritus magnatum*: quod August. dixit esse audaciam superborum, quam ipse permittit, vt eam postea deprimendo, ostendat virtutem, & potentiam suam, sicut iussu Domini dixit Moyses ad Pharaonem. *Idcirco posui te, vt ostendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra.* Vnde & de Achab dixit Deus. *Nonne vidisti humiliatum Achab coram me?*

ILLVD verò singulare in hac admirabili Dei resistentia contra superbos notandum est, quòd non admotis machinis, nec militum copiis, armorúmve vi, & impetu superbos deiicit, sed vilibus, & imparibus rebus; quod notauit apud Aug. author librorum de mirabilibus sacræ Scripturæ, lib. 1. c. 9. in ea resistentia, quam Deus fecit superbis ædificatoribus superbæ turris. Linguas, inquit, in diuersa diuisit, vt rectissimo iusti arbitri iudicio, qui alto superbiæ tumore membra contempserant, in fragilissimo substantiæ suæ membro pœnam vtique sermonis sentirent: quod etiam prosequitur Aug. tract. 2. in Ioan. ad ea verba. *Omnia per ipsum facta sunt*: docens à Deo conditos vermes, muscas, culices, &c. Propter superbiam, inquit, instituit Deus istam creaturam minimam, & abiectissimam, vt ipsa nos torqueret, vt, cùm superbus fuerit homo, & se iactauerit aduersùs Deum, culicibus subdatur. Populũ Pharaonis superbũ potuit Deus domare de vrsis, de leonibus, de serpẽtibus; muscas, & ranas illis immisit, vt rebus vilissimis superbia domaretur. Hæc Aug. Quibus habet similia Hier. in c. 2. Ioëlis Exod. 9.

Pro

Prophetæ. Et Rupert. lib. 1. in Exod. cap. 34. & cap. 38. vbi sic ait. Locusta victus est fortis Rex, proinde satis eleganter cùm dixisset Deus quodam loco
Ioël. 2. per Prophetam Ioël. *Reddam vobis annos, quos comedit locusta, bruchus, & eruca;* continuò addidit: *Fortitudo mea magna, quam misi in vos.* Fortitudo, inquit, mea magna, bruchus, & eruca subauditur, non supernarum virtutum, & fortitudinum cœlestium, sed infirmorum, atque imbecillium comparatione hominum in infirmitate sua superbientium, qui ceruicem erigunt contra Deum, quam pulici subiiciunt. Quibus verbis ostendit milites, & arma, quibus Deus superbis resistit.

Et cùm *spiritus superborum sit, tanquam turbo impellens parietem.* vbi Vatabl. *Spiritus violentorum tyrannorum, ipsum spiritum attenuat, & in nihilum redigit debili apposita resistentia.* Vnde Iob, cuius spiritus attenuatus erat, volens se purgare ab iis sceleribus, quæ tantum supplicium possent à Deo mereri, ait: *Nunquid mare ego sum, cuius impetus, & immanitas, non ab alio, quàm à naturæ authore domari, frænariq; potest?* Per elatum verò mare, superbiam significauit, quasi diceret. Nunquid superbus, & elatus ego sum, sicut mare fluctibus intumescens, & ventorum vi fremens? Illud igitur in hac similitudine aduertendum, quòd maris fremitum, vndarum tumultum, & elationem, vilissima & abiectissima arena cohibet, & reprimit, sic & superbis Deus resistit, nulla prorsus adhibita vi, sed apponens muscas, & culices, diuidens linguas, congerens arenam.

Illvd deinde hac in re aduertendum est, superbum eo ipso, quo erigitur, corruere & decidere, quod mihi videtur significasse Paulus, cùm contraponit superbiam charitati. *Charitas*, inquit, *ædificat, scientia inflat.* Debuit namque inflatio esse oppositũ ædificationis, & significare, quòd sicut charitas ædificat, scientia diruit: sed acutè admodum & elegãter Apostolus hoc
1. Cor. 8. significauit, dum dixit. *Charitas ædificat, scientia inflat*; vt sit sensus: quòd sicut charitas ædificat, & in structura meritorum surgit, sic & scientia inflat, superbiréque facit; proindéque destruit, & ruinam parit. Idem enim putauit hoc loco Apostolus dicere; scientia inflat, ac dicere, scientia ruinam parit, quod proprium superbiæ, & inflationis est. Quod videtur dixisse Dauid.
Psal. 137. *Excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta à longè cognoscit.* Super quæ verba sic ait Aug. Serm. 213. de Tempore. *Excelsus Dominus, & humilia respicit, & alta à longè cognoscit.* Alta posuit, inquit August. pro superbis; humilia respicit, vt attollat. Alta. i. superba, cognoscit, vt deiiciat, imò cognoscendo deiicit.

Et idem Aug. 14. de Ciuit. cap. 13. Elatio, quæ in vitio est eo ipso quòd despicit subiectionem, cadit ab illo, quo non est quicquam superius, &
Psal. 72. ex hoc erit inferius, & fiet quod scriptum est Psal. 72. *Deiecisti eos, dum extollerentur*; non enim, ait, cùm elati fuissent, vt priùs extollerẽtur; & postea deiicerentur; sed cùm extollerentur, tunc deiecti sunt. Ipsum quippe extolli, iam deiici est. Quibus similia prorsus habet D. Gregor. 32. Moral. cap. 7. & lib. 34. Mor. c. 18. Soli ruinæ crescit quod ædificant, qui ante molem fabricæ, humilitatis fundamenta non procurant.

§. II.

§. II.

Superbiæ resistit, quia tenebrosa, Deus verò lux.

RESISTIT etiam Deus superbis, quia cùm in tenebris ambulent, nulla proinde eis cum luce potest esse conueniētia, sed necessaria oppositio inter eum, qui lucem habitat inaccessibilem, & eum, qui in caligine delitescit. Trabs, inquit Bernar. Serm. de gradib. humilit. in oculo grandis, & grossa; superbia in mente est, quæ quadam corpulentia sui vana, non sana, tumida, non solida, oculum mentis obscurat, veritatem obumbrat, ita vt si tuam occupauerit mentem, iam tu te talem qualis es, vel qualis esse potes, non possis sentire. Quod etiam argumentum prosequitur Chrysost. homil. 3. super verb. Isai. *Vidi Dominum.* Ideo Bern. 2. de Considerat. ad Eugenium sic scribit, à te incipiat tua consideratio, & in te finiatur; disrumpe velamen foliorum celantium ignominiam, non plagam curantium, dele fucum fugacis honoris huius, & malè coloratæ nitorem gloriæ. Salubris copula, vt cogitans te summum Pontificem, attēdas pariter, vilissimum cinerem non fuisse, sed esse.

SICVT verò ex eo quòd lux sit Deus, & nullæ tenebræ in eo sint, aduersatur caliginosæ, fumosæque superbiæ; sic & quia totus verus, imò & prima veritas in essendo, totúsque substantialis est, fucatæ, tumidæque superbiæ contrariatur. Vnde D. Tho. lect. 3. in c. 3. prioris ad Corinth. notat illud. *Inflatus sensu carnis suæ.* Rectè, inquit, superbia inflationi comparatur. Nam id, quod inflatur, nō habet solidam magnitudinem, sed apparentem; ita superbi videntur quidem esse sibi magni, cùm tamen vera magnitudine careant, quæ nō potest esse absque ordine diuino, disrumpet illos inflatos. Et Chrysost. loc. cit. Quod in corporibus est inflatio, hoc in animis est superbia. Et August. homil. 54. de verbis Domini. Moles superbi non magna, sed tumida, magnitudo enim soliditatem habet; tumor inflationem. *1. Ioan. 1.*

MERITO proinde vanis, & inflatis superbis resistit Deus, Déique filius in carne, qui via, & ostium dicitur, quod nemo inflatus potest introire. Vnde August. huic tumori præscribens medicamentum ait. Accipiat humilitatis medicamentum: bibat contra tumorem poculum amarum, sed salubre, bibat poculum humilitatis. Et Ser. super illud. *Intrate per arctam portam.* Conatur ingredi, impedit tumor, resistit superbis ingredientibus pomparicè. Et Ambros. Serm. 11. Humilitate, inquit, peruenitur ad Regnum, simplicitate penetratur ad cœlum; quisquis cupit diuinitatis tenere fastigia, humilitatis ima sectetur. *Ioan. 14.* *Matt. 7.*

§. III.

Resistit Deus superbiæ, quia initium omnis peccati.

RESISTIT etiam Deus superbiæ, quia est initium omnis mali, & peccati, sicut dixit Ecclesiastic. *Initium omnis peccati, superbia.* Id enim quod in *Eccles. 10.*

in aliis peccatis consequenter inuenitur, primò, & per se, ac formaliter, sicut loquuntur Theologi, complet veram rationem superbiæ. In cæteris enim peccatis homo à Deo auertitur, vel propter ignorantiã, vel propter infirmitatem, vel propter desiderium cuiuscumque alterius boni; sed superbia auersionem habet à Deo in hoc ipso, quòd non vult Deo, & Diuinæ regulæ subiici, & in hoc sensu superbia est initium omnis peccati, quod nihil aliud est, quam veram, & primam rationem peccati in superbia inueniri. Ac proinde quamuis superbia non expulisset Angelos è cœlo, & homines a Paradiso, semper fuisset initium omnis peccati, vt bene dixit S. Tho. 2 2. q. 162. art. 7. in corpore.

ET hic est modus loquendi vsitatus Scripturæ. Sic enim dixit idem Ecclesiastic. *Initium sapientiæ, timor Domini*, id est, prima, & vera sapientiæ ratio posita est in pietate, siue cultu Dei, hoc enim significat *timor Domini* eo in loco. Sic idem author dixit. *Breuis in volantibus est apis, & initium dulcoris est*, id est, cùm breuissimum animal inter volantia sit apis, eius tamen fructus primam, & veram dulcedinem habet. Sic similiter, & in eodem sensu superbia initium omnis peccati est.

Eccles. 1.

EST etiam initium omnis peccati superbia, quia secum defert cætera omnia peccata, ideóque aliqui doctissimi recentiores in hoc sensu intelligunt illud Psalmi. *Non veniat mihi pes superbiæ*, quòd superbia sit viæ dux, quam cætera vitia sequuntur, & cuius vestigiis insistunt. Quod prosequitur Amb. epist. 84. Vnde Ber. Ser. 2. de S. Andrea ait. Initium omnis peccati, & causa totius perditionis, superbia. propterea quisquis es, qui salutem tuam operari studeas, aduersùs hãc super caput tuum, signum crucis habere memento, vt non eleuéris in superbiam, vt non exaltetur cor tuum. Et lib. de interiori domo cap. 41. Superbia, sicut origo est omnium criminum, ita est ruina omnium virtutum. Qua etiam de re agit Serm. 1. de Aduentu, & Ser. 54. in Cant. Ambros. Ser. 7. in Ps. 118. Chrysost. hom. 1. de verbis Isaiæ. Greg. lib. 31. Mor. c. 31. vbi ait. Ipsa vitiorum Regina superbia, cùm deuictum planè cor ceperit, statim illud septem principalioribus vitiis quasi quibusdam suis ducibus deuastandum tradit, quos duces vniuersus vitiorum exercitus sequitur. Et Prosper lib. de vita contemplat. c. 2. Nullum peccatum sine superbia potest, vel potuit, aut poterit esse. Et Aug. in Psalm. 33. ait. Cùm cautam faceret Dominus Ecclesiam ait. *Illa obseruabit caput tuum, & tu calcaneum eius*; serpens obseruat calcaneum, quando veniet tibi pes superbiæ, quando labêris, vt deiiciat. Tu autem caput eius obserua; quia initium omnis peccati superbia; ibi ceciderant qui operantur iniquitatem. Similia habet idem Aug. 3. de doctrina Christ. c. 23. Damasc. lib. 2. fidei c. 29. Chrysost. hom. 72. in Ioan.

Psal. 35

Genes. 3.

CVM ergo initium omnis peccati sit superbia, meritò illi Deus resistit, qui author, & pater est luminum; à quo omne bonum procedit. Imò & quia est summum bonum, maximo malo, nempe superbiæ, opponitur. Quantum autem malum sit superbia, notauit August. Serm. 4. de verbis Apostoli, dicens: Est superbia venenum, quod veneno tẽtationum curatur. Videte me

dicamen

dicamentum,quod sibi dicit Apostolus appositum. *Ne extollar*, inquit, *datus est mihi stimulus carnis meæ angelus Sathanæ*. O venenum, quod non curatur nisi veneno, ô antidotum, quod quasi de serpente conficitur, & propterea theriacum, id est, serpentinum nominatur! Serpens superbiam suasit, *Eritis sicut Dij*, inde cecidit, inde deiecit, inde cauendus casus superbiæ: meritóque remedium à serpente sumptum, serpentinum dici potest. 2.Co. 12. Genes. 3.

NEC minùs ostendit, quantum malum sit superbia, id, quod pro remedio superbiæ considerauit Aug. Etenim 14.de Ciuit. c. 13. notanter dixit. Audeo dicere, superbis esse vtile cadere in aliquod apertum peccatum, vnde sibi displiceant, qui iam sibi placendo ceciderant; salubriùs enim Petrus sibi displicuit, quando fleuit, quàm sibi placuit, quando præsumpsit. Quod etiam probat ex Psalmista, dum ait. *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine*: quod sic explicat August. vt tu eis placeas quærentibus nomen tuum, qui sibi placuerunt quærendo suum. Mat.26. Psal. 82.

§. IV.

Resistit Deus superbiæ, quia virtutibus insidiatur.

OSTENDIT insuper, & superbiæ malignitatem, ratione cuius illi maximè opponitur, & resistit Deus; quia, sicut dixit Chrysost. homil. 3. in verba Isai. cætera quidem mala, nobis negligenter agentibus, solent exuperare, superbia autem ipsis rectè factis vestris aduersatur. Nihil enim perinde gignit superbiam, vt bona conscientia, nisi aduigilemus.

SIMILIA habet August. epist. 57. Vitia cætera in peccatis: superbia verò, & in rectè factis timenda est. Et lib. de sancta Virginit. Superbia, cùm magnum sit ipsa peccatum, ita sine aliis per se ipsa est, vt etiam plerumque, vt dixi, non in peccatis, sed in ipsis rectè factis pede celeriore superueniat. Vbi lætatus homo fuerit in aliquo bono opere, se etiam superasse superbiam, ex ipsa lætitia caput erigit, & dicit, *Ecce ego viuo*; & superbit de superbia victa. Vnde Dominus ait: *Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta*. Vnde? nisi quia superbia in ipsa via iusta cauenda est; ne homo, dum, quod Dei est, reputat suum, amittat quod Dei est, & redeat ad suum. Ita Aug. Psal. 2.

ET Chrysost. hom. 3. in 1. ad Timoth. explicat, quod ibi Paulus ait. *Qui priùs fui blasphemus, & persequutor, & contumeliosus*. Maximè, inquit, laborare opus est, vt veram consequi humilitatem possint, qui magnarum sibi virtutum conscij sunt, magnam sibi vim inferant, necesse est, vt conscientiam rectè factorum sese semper efferentem obtundere queant, intueri diligentiùs, quanto se deiiciat studio, quàm non se palpet, vt humilem possideat mentem. 1.Tim. 1.

ET Greg. 27. Moral. c. 27. loquens de Dauide saltante coram Deo. Egit vilia, vel extrema, vt illa ex humilitate solidaret, quæ corā hominibus gesserat fortia. Tanta igitur vigilantia cauenda est superbia, quæ per viam 2. Reg 6.

iustorum iniustissima ipsa graditur, & in virtutibus nequissima ipsa insidias tendit.

Luc. 18. NOTAVIT hoc Gregor. 19. Moral. c. 12. ponderans ea verba superbi Pharisæi, dum dixit. *Gratias tibi ago Domine, quia non sum sicut cæteri homines.* Gratias, inquit Gregor. rectè agit, sed peruersè se super publicanum extulit, ciuitatem cordis sui extollendo perdidit, quam abstinendo, & largiendo seruauit. Vnde magnopere oportet, & bona semper agere, & ab ipsis nos bonis operibus cautè in cogitatione custodire, ne tumentem eleuent: bona non sunt, quæ non authori militant, sed elationi. Et cap. 13. Perit omne, quod agitur, si non solicitè in humilitate custoditur. Vnde bene de
Genes. 2. ipso primo parente dicitur. *Posuit eum Deus in Paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum.* Operatur quippe qui agit bonum, quod præcipitur, sed quod operatus fuerit non custodit, cui hoc subrepit quod prohibetur, scilicet vana gloria.

OSTENDIT insuper quantum malum superbia fuerit, locus ille Genes.
Genes. 6. vbi postquā Deus dixit. *Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro est, eruntque dies illius centum viginti annorum.* Quibus verbis mortem minatur hominibus, vt sit sensus: Extraham animam de corpore, nec remanere patiar ipsum spiritum vitæ à me infusum in corpore; quia sunt toti caro, culpa, & moribus, proinde claudā terminum vitæ huius sæculi centum viginti annorum spatio; statimque additur in textu. *Gigantes autem erant super terram in diebus illis,* quasi id, quod impulerit Deum ad proferenda prædicta verba, præter luxuriosam, & immundam vitā, fuerit superbia, quæ tale merebatur suppliciū; namq; Gigantes, sicut ait Cyril. Alex. lib. 3. in Genes. illos intelligimus esse, qui horribiles visu, corpore incōparabiles, indomiti, inuictique homines ob corporum magnitudinē fuerunt, cæterósq; propterea contemnentes. Caiet. verò ibi. Gigantes, ait, qui sua elatione mundum repleuerunt malitia. Ac tandem per *Gigantes* plerique intelligunt superbos, quorum elatione Deus pertæsus constituit mundum delere.

ALIAM rationem huius resistentiæ assignat Ambr. epist. 84. Elatio, inquit, de peruerso vsu donorum Dei nascitur: nam si conditor naturarū nulla pulchra, nulla sublimia naturis rationabilibus contulisset, vnde se extollerent, non haberent. Nemo enim de iis, quæ non accepit, superbit, nec inflari quisquam de eo potest, quod à participatione eius alienum est. Meritò proinde Deus superbis resistit, qui de alienis bonis iniustè superbiunt, & contra ipsum largitorem efferuntur.

SED illud mihi probat malitiam superbiæ, quod homines peiores diabolo cōstituat, sicut ostendit Ambr. Ser. 4. in Ps. 118, vbi ita habet. Quid vitij habeat superbia, hinc æstimare possumus, cuius author diabolus est, quē
Isai. 14. inducit Propheta dicentē. *Ponam sedem meam ad Aquilonem,* &c. Peiores tamē discipulos erudiuit ille. Ille enim se sic exaltauit, vt vellet æquari, & similis esse Altissimo: discipulus autē eius, vt significatur ab Apostolo, indignatus
2. Thes. 2 est æqualem, similémque æstimari Deo. Scriptū enim est. *Cùm reuelatus fuerit homo peccati, qui extollitur super omne, quod dicitur Deus.* Ita Amb.

QVI

QVI ibidem explicans præsentem Iacobi locum, superbiæ malignitatem sic probat ex Pharisæo, & publicano. Probabilior, inquit, Pharisæus ingressus est templum, quàm publicanus, & tamen condemnatus exiuit. Quantum crimen superbiæ, vt ei etiam adulteria præferantur? Denique Dominus, qui aliis donat, superbis resistit, & tanquam congreditur iis, qui se exaltant, sibique hoc certamen vendicat & qui aliis compatitur, arrogantes increpat. Luc. 18.

SIMILIA habet idem Amb. Serm. 7. vbi ait. Quid hoc peccato potest esse deterius, quod à Dei cœpit iniuria? Ideóque Scriptura dicit. *Deus superbis resistit*, tanquam suæ contumeliæ propulsator, veluti quoddam suscepit aduersùs superbiam speciale certamen, tanquam dicat: Meus iste aduersarius est, qui me lacessit, mihi debetur ista congressio. Vnde & Apostolus multiplicis culpæ materiam, esse superbiam declarauit, dicens de hæretico: quia *ei, quæ secundùm pietatem est, doctrinæ superbit, nihil sciens, sed languescens circa quæstiones, & pugnas verborum, ex quibus oriuntur inuidia, contentiones, sacrilegia, suspiciones, malæ conflictationes*, &c. Quantorum itaque expressit causam esse delictorum superbiam? Vnde Dauid ait, *superbi iniquè agebant nimis*: non solùm iniquitatẽ agẽtiũ sed etiã nimiã iniquitatẽ pariter declarauit. Hæc Ambr. 1. Timo. 6

QVÆ optimè ostendunt magnam superbiæ malitiam, imò & nimium malum, quod dura ceruice diuinam bonitatem indurat, & Dei misericordiam aduersariam habet, & quia supra omne, quod Deus est, nititur ascendere, iure tali ascensui Deus resistit, qui etiam firmauit æthera, ne plus ascenderent, sursúmque niterẽtur. Sic enim intelligit Hugo Cardinal. per *(æthera)* illam elementorum partem, quæ vicinior est sphæræ Lunæ. Ea autem elementa, quæ viciniora sunt orbi Lunæ, sunt ignis, & aër, quæ propter innatam leuitatem sursum feruntur, His ergo elementis limitem posuit Deus, ne amplius ascẽderẽt, qui superbis mẽtibus resistit, & opponitur.

VIDENDVS etiam pro hac re D. Hilar. in Ps. 18. ad eã verba. *Increpasti superbos*: vbi ita habet. Plurima sunt humanorum vitiorum crimina, & diuersæ, atque innumerabiles peccatorum operationes, sed nulla magis prouocandi in nos iram Dei, quàm superbia, causa est. Increpasti enim nõ auaros, non lasciuos, &c. sed superbos. Quia plures superbia, qua humana contemnunt, etiam Deo obsequi spernunt.

FACIT tandem pro ostendenda superbiæ malignitate id, quod notauit Chrysost. hom. 15. in Ioan. cùm ait. Fornicatio etsi indigna venia sit, potest tamen quispiam voluptatem in excusationem adducere; superbia autem, ne minimam quidem, propter quam vel vmbram saltem veniæ consequatur. Videndus item homil. 5. in cap. 1. Ioannis, vbi ostendit, nos nullam omnino excusationem posse prætexere in superbiæ vitio.

ET Nazianz. Oratione 2. in Pascha, ait: ideo Deum animæ nostræ corpus terreste dedisse, & fragile, vt si quando, inquit, propter mentem efferatur, propter terram deiiciatur. Ideóque Herodotus lib. 1. histor. Vides, inquit, eximia animalia vt fulminet Deus; neque suis opinionibus vti sinat, exigua verò facilè fert. Vides etiam, vt in ædificia maxima semper, & cel-

ſiſſimas arbores cœleſtia tela ingruant. Solet enim Deus eminentia quæuis caſtigare, ideóque magnus exercitus ab exiguo quoque ſternitur; non ſinit enim Deus alium præter ſe altum ſapere. Pluráque habet lib. 7. parum poſt principium.

§. V.

Deludit Deus ſuperbos, velut inſanos, & amentes.

POSSVMVS etiam hanc reſiſtentiam Dei, reſpectu ſuperborum, de qua Iacobus hoc loco agit, explicare ex eo loco Prouerb. vnde hæc ſententia ſumpta eſt ab Apoſtolo, ibi enim pro eo quod hîc dicitur, *reſiſtit*, habetur: *ipſe deludet*; quod intelligendum eſt, non quaſi Deus verè deludat, irrideat, & ſubſannet impios, ſed ſecundùm effectum, quia illos proponit irridendos, & ſubſannandos vniuerſis mortalibus, vel etiam vt ſignificet ſuperborum grauiſſimum ſupplicium. Nam irriſio, & deluſio acerbiſſimum ſupplicium eſt ſuperbis, acrius ipſa morte, vt patet in Saüle, qui interfici maluit, quàm illudi. vbi videndus eſt Abul.

Iſai. 28. VIDETVR autem hæc ſubsãnatio optimè quadrare ſuperbiæ, quæ ebrietas eſt, & inſania. Vnde Iſaias: *Væ coronæ ſuperbiæ ebriis Ephraim.* Et Ambr. lib. de Noë & Arca. Multos, inquit, ebrios fecêre diuitiæ, nobilitas, & poteſtas ſuperbos. Et apud Regium Vatem, vbi nos habemus, *ab alienis parce ſeruo tuo.* (Pſal. 18.) D. Hier. ex Hebr. & paraph. Chald. habet, *à ſuperbis libera ſeruum tuum*; quaſi enim amentes, & omnino ab intellectu alienati ſunt ſuperbi, & elati. Ideóque Chryſoſt. hom. 15. in Ioan. Superbia nihil aliud eſt, quàm deprauatio animi, & morbus grauiſſimus, non aliunde, quàm ex inſania ortum ducens; nihil enim ſuperbo homine inſanius: miſer ſanè, & infelix, qui cùm animam tuam grauiſſimo morbo conſumas, & in vltima miſeria, credis, quòd tibi auri talenta ſint plurima, quòd aceruorum multitudo: idem is facit, quod quiuis pauper & mendicus, & ſemper famelicus, qui ſi quãdo lætum ſomnium viderit, de eo lætatur. Et Ser. 20. in c. 12. ad Rom. Nihil, inquit, adeò ſtultum facit, ſicut arrogantia. Vnde Propheta barbarum ita vocabat dicens: *Stultus ſtulta loquitur.*

VT autem ab ipſius ſuperbi verbis ſtultitiam ipſius diſcas, audi quid (Iſa c. 32.) dicat. *Supra aſtra cœli exaltabo ſoliũ meum, & ſimilis ero Altiſſimo.* His verbis quidnam poterit fieri ſtultius? Vnicuique verò iactantiæ incumbit facilè hoc probrum. Et hoc videtur notaſſe Paulus, cùm vrgente charitate ſe laudaret, (2. Cor. 11.) dixit. *In quo quis audet (in inſipientia dico) audeo & ego. Hebræi ſunt, & ego: Iſraëlitæ ſunt, & ego: ſemen Abrahæ ſunt, & ego: Miniſtri Chriſti ſunt (vt minùs ſapiens dico) plus ego.* In quæ verba D. Chryſoſtom. hom. 73. ad Pop. ait, ipſ m laudationem appellaſſe Paulum inſipientiam, propter connexionem, quam habet cum ſuperbia, quæ inſipiẽs eſt. Sic enim habet: Cùm propter pſeudoapoſtolorum fraudem, ſua narrare cogeretur, adeò fuit ipſi moleſtum, & graue, vt id appellaret audaciam, & non tantùm audaciam, verùm

rùm & insipientiam, nos quoque docens non incassum absque necessitate gesta nostra iactare.

Et hom. in Ps. 29. deridet Pharisæum superbum, qui dixit. *Non sum sicut cæteri homines.* Vnde nosti, inquit, quia non es sicut cæteri homines? Quasi totum mundum iam discusseris, quis, qualis est, aut quomodo habet vitam quisquam, & cùm te ipsum nescias, quomodo sententiam de hominibus omnibus, cùm te iactes, dedisti, vt diceres quia non sum sicut cæteri homines? Si homo es, casibus plenus es, &c. Nec minus facit pro declarãda superbiæ insania id, quod dixit Amb. superbiã scilicet nõ habere caput, & proinde nec intellectũ. Sic enim habet in Ps. 35. super ea verba Prophetæ: *Nõ veniat mihi pes superbiæ.* Ideo, inquit, errat pes superbiæ, quia caput non tenet. Luc. 18. Psal. 35.

Et cùm pleraque alia sint loca, quibus superbiæ amentia comprobari facilè posset, illud hoc apertè ostendit quod superbo contigit Nabuchodonosori, cui cùm Deus statuam ostenderit diuersis constructam materiis, nempe, auro, argento, ære, ac ferro; quia verò Daniel interpretationem statuæ adhibens dixit ei, *tu es ergo caput aureum:* ipse pariter putauit cætera aurea itidem habere, non tantùm caput, vnde in cap. seq. dicitur. *Nabuchodonosor Rex fecit statuam auream altitudine cubitorum sexaginta.* Quid ergo superbe totam auream effingis tuam statuam, si solum caput habes aureum, non pectus, manus, aut pedes? Hoc solet esse superborum ingeniũ, imò & delirium, dum præ amentia sibi pleraque affirmant, & attribuunt falsa. Vnde Theodoret. ibi sic ait. Non simplex hic superbiæ modus fuit, sed Deo apertè repugnans, & Deo infestus; nam quia Deus in somnis maximam illi ostenderat imaginem è quadruplici materia confectam, per quã ipsi quatuor Regnorum successiones declarauit, proprium fastum, quasi castra, Deo opponens, ipse quoque statuam construit, tantam ipsi magnitudinem tribuens, quantam potuit ars humana præbere. Non autem ipsam etiam ex auro, argento, ære, ferro ædificat, sed ex vna auri materia conficiendam curat, & quia beatus Daniel somnium interpretans ipsum esse aureum caput dixit, hoc est, Babyloniorum, siue Assyriorum Regnum, alias verò imaginis partes ex alia multiplici materia, quæ caput excepit, ipse omnem ex auro imaginem molitur. Hæc Theodoret. Dan. 2. Cap. 3.

Probat etiam præsens institutum Lucifer, qui cùm inter astra Dei numeraretur, supra astra voluit esse, & proprium exaltare solium, sederéque in lateribus Aquilonis: qua in re duplex apparet amentia, & quòd noluit esse inter astra, sed super ea, & quòd sedere in solio voluit, cùm cæteri Dei ministri adstent, & excelso Dei solio, soli vtique excelso, assistant. Si verò inquiras, cur sedere voluit ad Aquilonem? Respondet Lyran. quia altitudo mundi secundùm hominum apparentiam est in polo Arctico, qui est nobis semper manifestus, & super nostrum hemisphærium eleuatus.

Et vt vesaniam superbiæ videamus, meminerimus, quæso, non iam Nabuchodonosoris, & Antiochi, qui sibi videbatur fluctibus maris imperare, & montium altitudines in statera appendere, sed producatur dementia Rhemnij Grammatici, qui gloriabatur secum natas literas, secum denique moritu

morituras: Appionis Grammatici Alexandrini, qui tanta fuit arrogantia, vt ei immortalitatem polliceretur, cui opera sua nuncupasset: Domitiani, cuius meminit Euseb. qui se Dominum, ac Deum, appellari iussit. Vnde Martialis,

Edictum Domini, Deique nostri
Quo subsellia certiora fiunt.

Maximini Iunioris, qui manus, ac pedes Senatoribus præbebat osculandos: Salmonei, qui tonitrua mentitus est, vt Deitatis opinionem sibi vendicaret, fulmine tamen absumptus est. Vnde Virgil. 6. Æneid.

Vidi, & crudeles dantem Salmonea pœnas.

Sesostris Ægypti Regis, qui Principes, & Rectores prouinciarum ad se quotannis cum muneribus cogebat venire, atque à quatuor eorum, velut equis currui iunctis ad templum trahi volebat. Dementi verò in mentem non venit, eum qui hominibus pro iumentis, aut equis vteretur, amissa ratione bestiam fieri, præ dementia tamen id non agnouit. Nam, sicut dixit Philo lib. 2. legis Allegor. arrogantia cognata est tarditati, & ignorantiæ. Et Arist. 5. Ethic. cap. 6. notauit, inter eos, qui metas rationis faciliùs prætergrediuntur, esse superbos, & inuidos. Meritò proinde dicitur, quòd Deus illudet ebrios, vesanos, vecordes, amentésque superbos, qui eorum conatibus resistit, vanósque exitus habere facit.

§. VI.

Alienum supplicium contra superbos, cautiores nos debet reddere.

QVOD si Deus superbis resistit, de factóque restitit superbis Angelis, inde debemus cauere simile supplicium ne nobis infligatur. Ideo enim Iacobus (teste D. Hieron. statim citando) describit, qualiter Deus desæuiat in superbos, vt cautiores reddamur. Quod notauit Clem. Alex. in
Gen. 19. supplicio, quo Deus animaduertit in vxorem Loth. Sic enim habet 2. Stromat. Vxorem Loth, quæ voluntariè solùm erat conuersa ad mundanum vitium, reliquit insensibilem, efficiens eam tanquam petram salis, & sistēs, ne vlteriùs progrederetur, non stultam, & quæ nihil agit, imaginem, sed quæ condire, & confirmare posset eum, qui posset perspicere spiritaliter. Ex quibus verbis elicit Clemens, illud supplicium nos erudire; & docere, & in salem sapientiæ conuerti ad Dei sapientiam capessendam, & diuinis præceptis obediendum.

PRO qua re facit id, quod notauit Oleast. in cap. 7. Gen. creuisse scilicet aquas diluuij, ita vt eleuarent è terra Arcam, in qua iustus Noë cum suis seruabatur. Iisdem, ait, aquis impij suffocantur, quibus piorum nauis eleuatur, vt quod impiis est in ruinam, bonis sit in subleuationem.

IN quam sententiam notandum occurrit id, quod in Scriptura dicitur.
Nu. 16. *Præcipe Eleazaro filio Aaron, vt tollat thuribula, quæ iacent in incendio, quoniam sanctificata sunt in mortibus peccatorum, producátque ea in laminas, & affigat altari, vt cernan*

seruant ea pro signo, & monimento filij Israel. Erant autem ea thuribula impiorum hominum, contra quos ignis sæuierat. Huius igitur rei rationem reddens Cyprian.lib.1.epist.epist.6. ait: Ne in vsu de cætero essent Sacerdotibus,sed potiùs indignationis, & vltionis diuinæ memoriam corrigendis posteris exhiberent, iussu Domini conflata, atque in igne purgata in laminas ductiles producuntur.Nam,sicut dixit Cyprian.lib.de zelo, & liuore,aliorum mors nobis debet proficere ad nostram salutem, imprudentum pœnam prouidentibus conferre sanitatem.

Et Chrysost. homil.20. in Genes. loquens de Lamech, qui Cain occidit,& narrans homicidium,vxoribus dixit.*Septies vltus est de Cain,de Lamech autem septuagies septies*,ait:Licèt cædem ille operatus sit fratris, attamen nullo vnquam antea conspecto,qui hoc fecerat,nec alio viso,qui pœnam daret huiusmodi facinoris; mihi pœnas auget, quia pœnam videns,cautior factus non sum; propterea licèt septuagies septies magis, quàm ille puniret, attamen neque sic dignam luerem pœnam. Genes. 4.

Facit etiam pro hac re Ber. epist. 108. vbi ita ait.Tu si sapis,lauabis manus tuas in sanguine peccatoris, quod intelligendum videtur secundùm illum communem modum loquendi Scripturæ,in qua per *manus* opera designantur, vt patet ex vers. 8. huius cap. statim in principio: & tunc faciunt hunc sensum verba Bernardi.Hi qui sapiunt, lauant manus in sanguine peccatoris,quia purificant opera sua, summáque cura, & diligentia Deo deseruiunt, ex eo, quia vident aliorum sanguinem effusum ad inflictum diuinæ iustitiæ, cuius supplicium præcauentes puriores vtique reperiuntur coram Deo.Sic ferè exposuit hunc locum Gregor. 18. Moral. c. 13. vbi pro hoc etiam argumento affert illud Iob. *Stringet super eum manus suas*.Manus,inquit,stringere, est vitæ suæ opera in rectitudine confirmare. Vnde etiam Paulus ait. *Remissas manus, & dissoluta genua erigite*.Dum itaque alienum interitum conspiciunt, reuocantur ad cor, vt recogitent suum, & vnde alius ad tormenta ducitur, à tormento alius liberatur. Stringit ergo super eum manus suas, quia conspicit in aliena pœna qui timeat, & cùm delinquentem sic percussum conspicit, dissoluta sua opera iustitiæ vigore constringit,sicque fit, vt qui iniquus viuens multos ad culpam delectatione peccati traxerat, quosdam moriens à culpa reuocet terrore tormenti: quod etiam prouenire bonis Psalmista testatur, dicens, *Lætabitur iustus,cùm viderit vindictam impiorum; manus suas lauabit in sanguine peccatorum*;in peccatorum morientium sanguine iusti lauantur manus, quia dum eorum pœna conspicitur, conspiciens vita mundatur. Sic Gregor. Ps. 57. Iob. 27. Hebr. 12. Psal 57.

Ideo ergo Apostolus ait, Deum superbis resistere,vt superbiam, viso supplicio caueamus;quod ex hoc loco sic deducit Hieron. epist. 32.ad Abigamum.Quanuis,inquit,mihi multorum sim conscius peccatorũ, & quotidie in oratione flexis genibus loquar: *Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris*, tamen sciens scriptum esse ab Apostolo. *Ne inflatus superbia incidam in iudicium diaboli*:& in alio loco scriptum. *Deus superbis resistit*;nihil ita à pueritia conatus sum vitare, quàm tumentem animum, & ceruicem Ps. 18. 1. Tim 3.

ceruicem erectam, Dei contra se odium prouocantem. Sic ergo & nos ab Hieronymo edocti præ oculis habeamus verba Iacobi, caueamus superbiam Deo inimicam, & odiosam, ne tandem, nobis superbientibus, acriùs in nos animaduertat.

§. VII.

Quanti Deus faciat humilitatem, illique sese communicet.

VT verò humilitati studeamus nobis proponit Apostolus, quanti à Deo hæc virtus fiat, quomodo gratiam humilibus infundat. Pro cuius rei explicatione notandum venit id, quod aduertit August. lib. de sancta
Matth. 8. Virginit. dixisse scilicet Christum Dominum cuidam superbo. *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, Filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet.* Arguebat, inquit August. nomine *volucrum*, ventosam elationem eius, in quo vbi requiesceret, piam non inueniebat humilitatem. Quibus verbis vult August. Dei habitaculum, ac requiem esse animam humilem, cui sese committit, & infundit diuinæ gratiæ plenitudo.

IN quam sententiam facit Rupert. lib. 5. in Exod. c. 33. vbi expendit id,
Exod. 33. quod dixit Deus: *Iam nunc depone ornatum tuum, vt sciam quid faciam tibi.* Hoc, inquit ille, iuxta historiam lectorem ædificat, quia videlicet, nisi ambulet peccator dimisso capite, nondum se scire fatetur Deus, quid ei faciat, nullam ei habet materiam struendæ misericordiæ, nisi humilitas, vel habitus pœnitentiæ præcedat; ideóque Fulgent. ad Theodor. de conuersione epist. 6. c. 9. Crescat in te humilitas animi, quæ vera est, & integra sublimitas Christiani, & tanto magis in te cognosces Dei gratiam crescere, quanto magis tibi humilitatem cordis videris abundare.

IVSSIT Nabuchodonosor præposito domus suæ Asphener, vt introduceret de filiis Israël, & semine Regio pueros, qui possent stare in palatio Regis. Referens verò Daniel horum puerorum conditionem, non eos dixit
Dan. 1. esse de semine Regio, sed simpliciter dixit. *Fuerunt ergo de filiis Iuda Daniel, Annanias,* &c. Reddens verò Theodoret. rationem huius humilis loquutionis Prophetæ, ait: Licet mentis illius intueri modestiam; cùm enim suprà dixerit imperasse Regem, vt eligerentur ex stirpe Regia iuuenes forma conspicui, & magnitudine decori, cùm personarum nomina posuerit, tribus Iuda simpliciter mentionem fecit, & Regiam cognationem occultauit. Nouerat enim sanctus vir eo magis Deo fore acceptum, quo se humiliorẽ coram hominibus exhiberet. Idémque Theodoretus notauit responsum, quod dabunt iusti Christo dicenti. *Nudus eram, & cooperuistis me; respondebunt enim dicentes. Domine, quãdo te vidimus esurientem?* Matth. 25. Dicit igitur Theodoret. hoc responsum ex humilitate procedere. Hoc proprium, inquit, virtutis est, vt opes suas occultet.

EST optimus locus pro hac re apud Greg. 2. Moral. c. 27. vbi ponderat, dixisse Prophetam Amos ad Amasiam: *Non sum Propheta, neque filius Prophetæ, armentarius ego sum, vellicans sycomoros.* Statim verò addit sacer. Textus *Dixit Dominus ad me: Vade, & Propheta ad populũ meum Israël.* Quibus Prophetæ verbis

bis apertè ostenditur, inquit Greg. quia dum de se humilia loqueretur, impletus est, & mox habere prophetandi spiritum meruit, quia se Prophetam non esse humiliter agnouit. Sic ille.

QVOD si rationem inquiramus, cur humilibus tam largiter, & affluenter gratiam suam Deus communicet, audiamus D. Bernardum Serm. 3 in Annunciatione: vbi loquens de gratia, sic ait. Cuinam potissimùm vasi gratia infundetur? si capax quidem est misericordiæ fiducia, patientia verò iustitiæ, quale iam poterimus idoneum gratiæ receptaculum habere? balsamum est, purissimum, & solidissimum vas requirit, & quid tam purũ, quídue tam solidum, quàm humilitas cordis? Meritò proinde humilibus dat gratiam; meritò respexit Deus humilitatem ancillæ suæ, quónam merito quæris? eo vtique, quo animum humilem meritum nuncuparet humanum, quominùs liberè influeret diuinæ gratiæ plenitudo. Quod idem Bernard. dixit Serm. 85. in Cant. Magna, inquit, & sublimis virtus humilitas, quæ promeretur quod non docetur, digna adipisci quod non valet addisci. Cur hoc? non quia sic meritum, sed quia sic placitum coram Patre. Hæc Ber. *Luc. 1.*

PLACVIT itaque diuinæ altitudini humilioribus, & infirmioribus sese communicare; quæ fuit ratio, cur semper iuniores, imbecillioréſque in suam tutelam susceperit; ideo enim paruulum statuit inter discipulos, eóque proposito ipsos ad humilitatem hortatus est, ideo dixit: *Sinite paruulos venire ad me*; ideo ex duobus fratribus Isaac, & Ismaël, iuniorem elegit Isaac. *In Isaac*, inquit, *vocabitur tibi semen.* Inter filios Isaac elegit iuniorem Iacob, odióque habuit Esau, id est, non sic elegit, nec dilexit. Inter filios Israël penè iuniorem elegit Ioseph: inter filios Ioseph, Ephraim iuniorem auus Iacob diuinitùs inspiratus suscepit dextera super eum imposita. In filiis Isai iuniorem Dauidem suscepit de post fœtantes, pascere Iacob seruum suum. *Surge, inquit Dominus ad Prophetam, vnge eum, ipse enim est.* Vnde D. Leo Ser. 7. de Epiphania cap. 4. Amat, inquit, Christus infantiam, quam primò, & animo suscepit, & corpore. Amat Christus infantiam humilitatis magistram, innocentiæ regulam, mansuetudinis formam amat Christus infantiam, quæ maiorum diligit mores, ad quam senum reducit ætates, & eos ad suum inclinat exemplum, quos ad Regnum sublimat æternum. Videndus pro hac re Hieron. lib. 1. in Isai. c. 40. vbi affert ea verba: *In brachio suo congregauit agnos.* Non tauros, inquit, & arietes, & hircos, sed agnos adhuc tenellos per humilitatem, quia humiliores, & imbecilliores suscepit diuina potestas sibi curandos & defendendos. *Matt. 18. Marc. 14. Gen. 21. Rom. 9. 1. Reg. 6.*

NOTAVIT in hanc sententiam Chrysol. Ser. 168. parabolam illam de oue perdita, pro qua pastor reliquit nonaginta nouem in deserto: Hæc parabola, inquit ille, plus diuinæ pietatis, quàm cõsuetudinis humanæ loquitur, & exprimit veritatem, magna relinquere, amare minora, Dei potestatis est, non est cupiditatis humanæ, quia Deus, & quæ non sunt facit esse, & perdita sic sequitur, vt teneat quæ reliquit; minora denique Deus curat, cùm homines maiora solùm mirentur, & venerentur: est denique insigne potestatis supremæ infima quæque suscipere, & euehere.

ALIAM etiam rationem affert August. Serm. 9. de verbis Apostoli, cùm ait. Humiles valles sunt, quod infuderis, capiunt. Si venerit aqua super altitudinem, decurrit, & defluit; si venerit ad concauum, & humilem locum, & capitur, & stat. Et cùm diuina beneficia, lumina quædam sint, quæ à Patre luminum descendunt, priùs valles illustrant, & illuminant. Hæc est enim differentia inter lumen terrenum, imò & materialem Solem, dum è terra veluti exoritur, & lumen cœleste, quòd ille è deorsum, terra scilicet surgens priùs altitudines montium luce perfundit sua: valles verò tunc solùm illustrat, cùm super nos adest, & veluti ad medium cœli surgit. At
Psal. 75. verò Deus, quia mirabiliter illuminat à montibus æternis, & Pater luminum est, priùs humiles illustrat, eísue gratiæ iubar impertit, quia humili-
Ioan. 1. bus dat gratiam, deinde verò ad alios (quia illuminat omnem hominem) peruenit. Quod optimè notauit Bernar. in aduentu Filij Dei, qui vt audiuit
Luc. 1. ea Virginis matris humilia verba. *Ecce ancilla Domini*; statim factus est homo. Magna, inquit, humilitatis virtus, cui etiam Deitatis majestas tam facilè se inclinauit.

DECEPTI sunt hac in re seniores Iudæorum, dum pro seruo rogantes di-
Luc. 7. xerunt Christo Domino. *Dignus est, vt hoc illi præstes. Diligit enim gentem nostram, & Synagogam ipse ædificauit nobis.* Excelsa quidem Deo ostendebant, cui humilium sēper placuit deprecatio. Ideóque ipse dicebat. *Domine non sum di-*
Matth. 8 *gnus vt intres sub tectum meum.* Vtrumque verò considerans Chrysost. hom. 27. in Matth. c. 8. ait. Vides prudentiam hominis, vides excellentiam animi, vides singularem quoque Iudæorum dementiam: dicunt enim dignum esse, cui gratiam tribuat. Nam cùm magis ad humilitatem, facilitatémque Iesu confugere deberent, dignitatem Centurionis proferunt, nec ipsa tamen scientes, vnde qui obtineret dignum esse dicerent, nec quare dignus esset perspicientes. Sed non sic Centurio, sed valde se indignum esse asserebat, non salutari beneficio solùm, verùm etiam vt in domo Iesum reciperet; qui se indignum recipiendi Christum arbitrabatur, cœlo dignissimus factus. Incorrupta bona, quæ Abraham impetrauit, consequutus est à Domino, vt ait Aug. lib. de verbis Domini Serm. 6. dicendo se indignum, præstitit dignum, non vt in eius parietes, sed in cor eius Christus intraret, vnde Chrysost. hom. 38. ad Populum ait. Si magna vis reddere merita tua, ea ne magna esse putes, & magna erunt Quod ostendit exemplo Centurionis istius. Dignitas itaque Centurionis non extitit in eo quod pro dignitate asseruerunt Iudæi, sed in eo quòd se indignum professus est Centurio.

VIDENDVS vtique etiam Gregor. hom. 28. in Euang. cùm quærit, quare rogante regulo, vt veniret Christus ad sanandum filium, ipsum reprehendit Ioan. 4. aliàs autem se venturum ad curandū seruum Centurionis pollicetur, &c. quæ habet Chrys. hom. 34. in Ioan.

PRO qua etiam sententia notauit August. lib. de sancta Virginit. Euāge-
Luc c. 7. listā Matthæum tacuisse id, quod narrat Lucas, misisse scilicet Centurionem seniores ad Christum, & solùm retulisse accessum Centurionis ad Christum Dominū: Quia, inquit Aug. fidelissima humilitate magis ipse accessit

cessit, quàm illi, quos misit, qui Domino alia proponebant, quò dignum redderent, qui dignus solùm erat, quia indignum præ humilitate se dicebat. Quæ humilitas potentissima est apud Deum, sicut notauit Ruper. lib. 4. in Exod. c. 25. cùm ponderat ea verba Psalmi. *Dixit vt disperderet eos, si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius.* Per nimiam, inquit, humilitatem significat Moysem Deum tenuisse dicendo in confractione. Confractio namque nimia cordis humilitas est, quæ sola coram omnipotente Deo, & Domino vniuersæ fortitudinis Principe, res fortis est, & valida, ita vt illa laborante, quasi brachium suum ad percutiendum Deus extẽdere non valeat, regina virtutum agente, & vincẽte pro sua reuerẽtia. Psal. 105

NOTAVIT etiam optimè Bern. tunc geminam pulchritudinẽ in sponsa reperisse Dominum sponsum, dum eam humilem agnouit. Decor animæ, inquit Ber. Serm. 45. in Cant. humilitas est, non à me ipso hoc dico, cùm Propheta priùs dixerit. *Asperges mè hyssopo, & mundabor*; humili herba humilitatẽ significans, hac se post grauem lapsum Rex & Propheta lauare confidit, & sic niueum quendam innocentiæ recuperare candorem. Additque tandem, eodem ferè modo dictum esse ab sponso: *Ecce tu pulchra es*, sicut ad Abraham dictum est; *Nunc cognoui, quòd timeas Dominum.* Sic & huic modò quasi sub aliis verbis dicitur: Nunc cognoui, quòd humilis sis. Hoc est enim, inquit Ber. quod ait: *Ecce tu pulchra es.* Et ideo præconium iterat, vt gloriæ sanctitatis additum significet humilitatis decorem. Ecce tu pulchra es, amica mea, ecce tu pulchra es, & virtute, scilicet sanctitatis, & humilitate iterum pulchra. Cant. 1. Psal. 50. Gen. 22.

OSTENDIT etiam quantùm placeat Deo humilitas, id, quod idem Ber. notauit Serm. 42. in Cant. ad ea verba. *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Bonus humilitatis odor, qui de hac valle plorationis ascendens perfusus circunquaque vicinis regionibus, ipsum quoque Regiũ accubitũ grata suauitate respergat. Est nardus, humilis herba: & ideo per hãc videor mihi virtutẽ humilitatis in hoc loco conueniẽter accipere. Cant. 1.

NIHIL proinde cõferendũ humilitati, ait Chrysost. hom. 30. in Act. Ap. Ipsa enim mater est, & radix, alũna, & fulcimẽtũ, ac vinculũ bonorũ. Quia verò tã necessariũ bonũ est humilitas, ideo Petrus dixit. *Omnes humilitatem insinuate.* Pro quo Vat. & alij legũt, *arcte*, seu, *nodis illigatã tenete*, ne scilicet ab anima aliquãdo discedat, imò in dies in ea crescat. Qua in re illud vtique notandum occurrit, quòd, cùm virtutes terminos videãtur habere, quos si excesserint, à ratione virtutis recedunt, & in extrema vitiosa degenerant, sola tamen humilitas nullam vitiosam agnoscit nimietatẽ, aut apprehensibilem excessum: quod notauit Ber. ad illud Psal. 115. *Ego autem humiliatus sum nimis.* Sic enim ait Ber. de gradibus humilit. Nimis, hoc est, perfectè, tãquam diceret, quia veritatem cognitam in me cõfiteri cõtra me non erubui, ad perfectionem humilitatis perfeci, nimis enim pro perfectè potest intelligi, vt ibi, *in mandatis eius vo et nimis.* Vbi vides nimietatem omnibus odiosam, perfectissimam in humilitate reperiri. 1. Pet. 5. Cant. 5. Psal. 115. Psal. 111.

NEQVE hoc solùm mirum in humilitate, quæ Christũ etiã sublimauit,

quod magis mirandum est: dixit id tamen Paulus. *Humiliauit semetipsum vsque ad mortem*, &c. vbi notanda venit differentia humilitatis Christi, & aliorum. Quia ipse solus, cùm Deus sit, non habet à quo subiici, & humiliari possit, hac de causa se solus humiliauit. *Propter quod & Deus exaltauit illum*, &c. Quæ verba ponderans Euseb. Emyss. hom. 1. de Symbolo. Vt sublimior appareret, & Angelis, & hominibus, inclinata est sublimitas. Quod idem dixit Ber. Ser. 2. de Ascensione. Sola humilitas, inquit, est quæ exaltat Christũ, cùm per naturam diuinitatis nõ haberet, quo cresceret, vel ascenderet, quia vltra Deũ nihil est: per descensum, quomodo cresceret inuenit, veniens incarnari, pati, mori, ne morerentur in æternum, propter quod Deus exaltauit illum. Et D. Ambros. Serm. 20. in Psal. 118. notans eadem verba Pauli, ait. Laborauit Apostolus demonstrare, quanta sit humilitatis gratia, quantus eius profectus, si simplicibus accipias auribus, & Christum exaltauit, &c. quæ eleganter prosequitur in hanc sententiam.

QVOD si humilitas Christi illi profuit, & nos repleuit, adhuc magis propria nos replebit humilitas, quod possumus deducere ex eo quod Aug. ait 4. Exam. c. 8. Minuitur Luna, vt elementa repleat, hoc est verè grande mysterium. Donauit hoc ei qui omnibus donauit gratiam, exinaniuit eam, vt repleat, qui etiam se exinaniuit, vt omnes repleret. Et hæc fortassis est ratio, cur Apostolus appellet humilitatem, virtutem propriã & peculiarem Christi Domini, sicut intelligit D. Bern. de gradib. humilitat. illa verba Pauli. *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi.* (2. Cor. 12.) Ait ergo Bern. Sed nondum forsitan intelligis de qua specialiter dixerit, quia Christus omnes virtutes habuit: sed cùm omnes habuerit, pro omnibus tamen vnam, id est, humilitatem nobis in se commendauit, cùm ait. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* (Matt. 11.) Vnde Aug. appellauit 1. de Virginit. c. 31. Christum Dom. primum humilitatis Doctorem.

NEC omittendus hac in re D. Greg. 34. Moral. c. 18. vbi sic ait. Audiant omnes, *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam:* audiant omnes Dominum dicentem; *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Ad hoc namque vnigenitus Dei Filius formam infirmitatis nostræ suscepit, ad hoc irrisionum opprobria, passionúmque tormenta tolerauit, vt superbum non esse hominem doceret humilis Deus.

QVANTA ergo humilitatis virtus est, propter quam solam veraciter edocendam is, qui sine æstimatione magnus est, vsque ad passionem factus est paruus, quod eadem de causa fecisse videtur, qua humilibus dicitur conferre gratiam, quia scilicet humilitas finis est, ac principium omnium bonorum, sicut dixit Ephrem Ser. de auersione superbiæ. Est velut cæmentum, quo virtutes omnes cohærent, & absoluta virtutum omnium perfectio. Et Aug. epist. 56. ad Dioscorum, primas humilitati, secundas, ac tertias, sicut actioni Demosthenes detulit.

VNDE non mirum, si plus apud Deum humilitatis verba valeant, quàm superborum opera, & quòd verbo humilis consequatur, quod neque operibus superbus assequitur. Quod notauit Chrys. hom. 4. de verbis Isai. dicẽs.

Vis

Vis dicam tibi quantum bonum sit modestia? Peccator iustum superauit, & verba factis fuêre superiora. Quomodo vreba? Publicanus dicit: *Deus propitius esto mihi peccatori*: Pharisæus dicit: *Non sum sicut cæteri homines: ieiuno bis in Sabbatho, decimas do.* Pharisæus opera iustitiæ præstabat; publicanus verba dicebat modestiæ, & verba plus potuerunt, quàm facta, tantúsque thesaurus cum cõtumelia reiicitur, & tanta inopia in diuitias commutata est. Nec mirum denique quòd Deus, qui humiles exaltat, eisdem det gratiæ aquam in vitam æternam salientem. Luc. 18.

IDEOQVE ex hoc loco Iacobi communiter Patres hortantur homines, quãtumuis claros, & sãctos ad amplectẽdam humilitatem: quod facit Basil. hom. 22. quæ est de humilitate. Clem. Alex. lib. 4. Stromat. Aug. Ser. 213. de Tempore. Ber. ep. 42. Ioannes Cass. lib. 12. de Cœnobiorum instit. cap. 6.

Vers. 7. *Subditi ergo estote Deo: resistite autem diabolo, & fugiet à vobis.*

EXPOSITIO LITERALIS.

DVRAM increpationem iam omittens, leniùs modò sese habet Apostolus, blandáque præcepta suggerit. Primúmque est de humili, spontaneáque submissione, & obedientia Deo præstanda. Postquam enim dixit, qualiter Deus in superbos, & elatos sæuiat, & animaduertat, & qualiter sese humilibus participandum præbeat per gratiæ infusionem; consequens iam erat, vt nos ad humilitatem, & obedientiam Deo præstandam per præceptorum diuinorum exequutionem hortaretur. Vnde Glossa hoc in loco ait. *Voluntatem Dei implete, quemadmodum enim quicquid debemus, & sumus, à Deo accepimus sic totum ei subiicere, & eius obsequio mancipare debemus.* Vnde Psalmista dixit. *Subditus esto Domino, & ora eum.* Psal. 36.
& alibi. *Nonne Deo subiecta erit anima mea?* & Michæas. *Quid dignum offeram* Psal. 61.
Domino? Curuabo genu Deo excelso. Vnde & Pharaoni dixit: *Vsquequo non vis sub-* Mich. 6.
iici mihi? *Quis verò restitit ei, & pacem habuit?* vbi Septuag. propriè ex Hebr. *Quis* Exod. 10.
durus fuit ei, & pacem habuit. i. quis acerbum, & rebellem se illi exhibuit, aut bellum illius voluntati, & consiliis indixit, qui tandem victoria potitus insolesceret? Nemo profectò qui aduersùs Deum obdurauit, abiit impunè. Et Iob. 9.
Petrus simillimam sentẽtiam posuit. *Humiliamini sub potenti manu Dei.* Quod Pet. 1. c. 5.
omnes facturos prædixit Dei verbis Isaias. *In memetipso iuraui, quia mihi cur-* Isai. 45.
uabitur omne genu. Vt ergo hoc fiat, meritoriè à voluntate humiliandi debet prouenire.

RESISTENDVM deinde præcipit diabolo. i. vt non consentiamus eius suggestionibus: imò eas despiciamus. Attamen ratio communis resistendi diabolo est, locum illi non dare, vt monet Paulus: imò illum contemnere, Ephes. 4.
vt monet Aug. Ser. 41. de verbis Domin. Resistite, inquit D. Tho. hîc declinando tentationes prosperitatum, & sustinendo tentationes aduersitatum. Quam resistentiam per patientiam docuit Euthym. Theophyl. & Chrysost. Matt. 5. Resistere enim dicit tantùm vitare peccatũ; peccatum verò vincere

est

est de tētatione reportare victoriā: de qua distinctione videndus D. Thom. in 2. d. 28. q. 1. art. 2. ad 6. & Sot. 1. de Natur. & Grat. c. 21. Et fugiet à vobis victus tandem, & confusus. Magna gratia, inquit Caiet. hoc loco, vt sola resistentia sufficiat ad fugandum diabolum. Recolenda tamen sunt hoc loco ea, quæ diximus cap. 1. vers. 14. circa literam.

RATIONEM verò, quare victus abscedat diabolus, notauit hoc loco Lyran. quia *ipse est Rex super omnes filios superbiæ.* Quāto autem aliquis est superbior, tāto magis abhorret superari, propter quod diabolus videns aliquem fortiter resistentem, dimittit eum tentare timens, ne ab eo superetur, propter quod recedit ab eo ante faciem belli. Vnde dicit Ambros. super Luc. c. 4. quòd diabolus instare formidat, quia frequentiùs refugit triumphari; & hoc est quod dicitur, resistite diabolo viriliter pugnando, & fugiet à vobis. Sic Lyran. (Iob. 41.)

EST autē optima ea expositio huius loci, quam affert D. Hieron. epist. ad Demetriadem, quæ sic habet. Ostendit D. Iacobus, quomodo resistere debeamus diabolo, si vtique sumus subditi Deo, eiúsque faciendo voluntatem, vt diuinam mereamur gratiam, & faciliùs nequam spiritui, auxilio sancti Spiritus resistamus: neque verò aperta contra nos vtitur voluntate, de consensu nostro aduersarius vites sumit, nostróque nos iugulat gladio: infirmus hostis est, qui non potest vincere, nisi volentem. Et D. Greg. 13. Mor. c. 6. Facilè inimico resistitur, si non ei, vel in multis lapsibus, vel in vno diutiùs consentiatur. Sin verò eius suasionibus anima subesse consueuerit, quanto ei se crebriùs subiicit, tanto eum sibi intolerabiliorem facit, vt ei reluctari non valeat.

ET ex præsenti loco possumus intelligere id, quod Matthæus de diabolo tentante Christum ait: *Tunc reliquit eum diabolus*, vt scilicet reliquerit non ad imperium Christi, vt aliqui volunt; inter quos est Chrysost. hom. 13. in Matth. & D. Max. homil. 2. sed quòd nulla adhibita vi recessit victus, elusus, & confusus, Legitimè pugnanti agonum reperitur terminus (ait quidam veterum in Catenua latus) quòd aduersarius, vel sua sponte cedat vincenti, vel trino casu deponatur, secundùm pugnatoriæ artis decretum. Vnde Ambr. Luc. 4. Vides, inquit, diabolum non esse pertinacem in stadio, cedere solere veræ virtuti, etsi inuidere non desinat, tamen instare formidat. Et in hoc sensu explicat Chrysost. ea verba Dei ad Iob. *Pone super eum manum tuam.* Manum, inquit, iniice, tuáque si potes virtute perfice, vt semel à te debellatus obsistere in posterum non audeat. (Matth. 4.)

§. I.

Qualiter Christianus debeat resistere tentationibus.

HIC locus docet imprimis Christianum hominem nequaquam cedere debere tētationibus, sed tentanti diabolo debere resistere; quod optimè deducit Orig. hom. 8. in lib. Iud. vbi ponderans ea verba, quæ dixit Dominus

minus ad Gedeon. *In trecentis viris istis, qui lamberunt aquas, saluos vos faciam, & tradam Madian in manum tuam.* In omnibus, inquit Orig. penè veterum gestis mysteria designantur ingentia; sicut hoc loco fieri videmus, quia ij, qui descendunt ad aquam, id est, qui ad Baptismi gratiam veniunt, non debent procidere in terra, nec flectere genua sua, & cedere tentationibus venturis: sed stare firmiter, & constanter; sicut & Propheta dicebat. *Dimissas manus, & soluta genua erigite, & gressum rectum facite in semitis vestris.* Si remissior fueris, si flecti facilè potueris, quomodo pugnabis? quomodo stabis aduersùs astutiam Zabuli? Iud. 7. Isai 35.

Et homil. 3. in Exod. loquens de Moyse, & Aarone stantibus coram Pharaone. Stemus etiam nos contra Pharaonem, & non flectamur, sed stemus. Sic enim nos hortatur Apostolus dicens. *State ergo, & nolite iugo seruitutis inhærere.* Stamus autem confidenter, si Deum deprecemur, vt statuat pedes nostros super petram. Sed & Paulus dicebat. *State in fide, & viriliter agite.* Si enim fortiter steterimus, consequetur illud, quod orabat Paulus pro discipulis dicens, *quia Deus conteret Satanam sub pedibus vestris velociter:* quanto enim nos constantiùs steterimus, tanto infirmior, & inualidior erit Pharao: si autem nos, vel infirmi cœperimus esse, ille aduersùm nos validior, & constantior fiet; & verè illud implebitur in nobis, in quo Moyses dedit figuram. *Cùm enim ipse eleuaret manus, vincebat Israël, si verò velut lassas deiiceret, & brachia infirma deponeret, inualescebat Amalech.* Ephes. 6. Rom. 16. Exo. 17.

Notandum autem est, posuisse Origen. in his duobus locis, victoriam in statione inflexibili, non in profligatione inimici, in qua cæterorum inimicorum victoria consistit. Quod etiam notauit Chrysost. Serm. 22. in epist. ad Ephes. Non hic res se habet quemadmodum apud athletas: nam illic quidem, nisi deieceris, non vinces, hic verò vinces, si deiectus non fueris; illic ambo certantes vincere student, & si alter deiectus, alter coronatur: hic verò non ita, sed diabolus hoc laborat, vt nos inferiores reddat, & vincat. Quandò igitur illi hoc, quod studet, abstulero, vici; victoria verò eius non in eo est, vt coronam adipiscatur, sed vt nos perdat. Itaque vici, etiamsi illum non deiecero, duntaxat deiectus non fuero. Et hom. 22. ad Pop. Cani similis est voluptas; si pellas, fugit, si nutrias, permanet: propterea dicit Apostolus: *Resistite diabolo.* Similia habet Bern. Serm. 3. in dedicatione Ecclesiæ.

Illudque hic in re semper præ oculis habendum est, quod monuit Cypr. de Zelo & Liuore, scilicet, quia iugiter nos aggredi conatur inimicus, & circuit quærens, quò ad nos possit ingredi; iugiter etiam de illius resistentia nobis esse deliberandum: quamobrem, inquit Cypr. debet animus esse tam paratus semper ad repugnādum, quàm est ad impugnandum semper inimicus.

Illud deinde aduertendum, quòd aduersarius noster, sicut acriùs insequitur eos, qui tentationes omnino fugiunt, velut imbelles, & ignauos, sicut prosequitur Bernar. epist. 1. ad Robertum, post eius discessum à Cisterciensi ad Cluniacum; vbi sic ait. An quia fugisti ex acie, putas te manus ho-

ſtium euaſiſſe? Libentiùs te inſequitur aduerſarius fugientem, quàm ſuſtineat repugnantem, & audaciùs inſiſtit à tergo, quàm reſiſtat in faciem. Idque eleganter docet Ser. de duplici Baptiſmo. Cùm enim Regium ſit parcere ſubiectis, & cedentibus, hos potiùs debellare nititur, iugitérque proſequitur is, qui è Regno cecidit in tenebras. Sic è contrà reſiſtentibus cedit, & ab eis quàm citiſſimè fugit.

VTRVMQVE docet D. Greg. 5. Moral. c. 17. Sathan & propter crudelitatem leo dicitur, & propter multiformis aſtutiæ varietatem, non incongruè tigris vocatur. Hæc bellua, quæ tanta varietate reſpergitur, iure tigris vocatur, quæ apud Septuag. Interpretes, vt præfati ſumus, *myrmicoleon* dicitur. Recte autem *myrmicoleon*, id eſt, leo & formica dicitur. Formicis enim leo eſt, volatilibus formica, quia nimirum antiquus hoſtis, ſicut contra conſentiétes fortis eſt, ita contra reſiſtentes debilis: ſi enim eius ſuggeſtionibus aſſenſus præbetur, quaſi leo tolerari nequaquam poteſt: Si autem reſiſtitur, quaſi formica atteritur. Aliis ergo leo eſt, aliis formica, quia crudelitatem illius carnales mentes vix tolerant: ſpiritales verò infirmitatem illius pede virtutis calcant. Similia habet Ephrem in illud. *Attende tibi ipſi.* vbi de diabolo ait. Debilis in eos eſt, qui Domino in veritate ſeruiunt, conculcatur ab iis, qui peſſundant, & auerſantur eius conſilia, atque conatus: ſpernitur ab iis, qui Dominum in veritate diligunt.

DOCVIT etiam idem Ephrem, quomodo reſiſtendum ſit diabolo, quò à nobis fugiat, tract. aduersùs vitiosè viuentes, ad finem; vbi ita habet. Si ad iracundiam nos concitauerit, pace armemur; ſi excandeſcere nos fecerit, manſuetudinem aſſumamus: ſi ad gloriam, vilitatem, & abiectionem obiiciamus; ſi ad æmulationem erga proximum irritauerit, lapſum Cain animo reuoluamus: ſi ad inuidiam, Eſau perditionem cogitemus. Si ergo hiſce modis ipſi reſtiterimus, à nobis profugiet, & conſiſtere nequibit: redibit autem ad nos gratia illicò, & tanquam victores nos coronabit. Quibus verbis non contemnendam docet armaturam ad reſiſtendum diabolo per appoſitionem, vel contrariæ virtutis vitio, quo aggreditur inimicus, vel cogitationi, & memoriæ ruinæ, & ſupplicij ipſius peccati, ad quod nos prouocat.

MISERA verò eſt eorum conditio, qui leoni, diabolo rugienti, imbecilli tamen cedunt. Quod ſic proſequitur Bern. Serm. 13. in Pſalm. *Qui habitat.* Gratias magno illi leoni de Tribu Iuda. Rugire ille (ſcilicet diabolus) poteſt, ferire non poteſt rugiat quantùm vult, tantùm non fugiat ouis Chriſti: quanta minatur, quanta exaggerat, quanta intentat? Non ſimus beſtiæ, vt nos proſternat vacuus ille rugitus. Sic enim perhibent, qui talia curioſiùs veſtigauerunt, ad rugitum leonis nullam beſtiam ſtare poſſe, ne eam quidem, quæ aduersùs ictum eius tota animoſitate repugnat, & plerumque ſuperat ferientem, quæ non ſuſtinet rugientem. Verè beſtia, verè rationis expers, qui tã puſillanimis eſt, vt ſolo timore cedat, qui ſola futuri exaggeratione laboris, victus ante conflictum, non telo, ſed tuba proſternitur. Hebr. 12. *Nondũ reſtitiſtis vſque ad ſanguinem*, ait ſtrenuus ille dux, qui leonis huius

noue

nouerat vanum esse rugitum,& alius quidam: *Resistite*, inquit, *diabolo,& fugiet à vobis.* Sic Bernard. cui nihil hac in re addi potest.

§. II.

Sanctiores acriùs insequitur diabolus.

ILLVD deinde aduerto, quòd Iacobus subditis Deo præcipit, vt diabolo resistant, quasi præmonens ad futurum certum certamen; quos enim videt Deo deditos, eos acriùs insequitur, illicóque aggreditur. Est enim eius cibus electus, sicut obseruat Hieron. epist. 22. docétq; Author quæstionum Veteris,& Noui Testamenti, q. 2. tom. 4. apud August. quod etiam aduertit Origen. hom. 2. super Exodum, cùm ponderat ea verba Exodi. *Dixit autem Rex Ægypti obstetricibus Hebræorum: Si masculus fuerit, interficite eum, si fœmina, reseruate.* Ait ergo Origen. Si rarum quemque videas, vnum ex mille ad Dominum conuerti, oculos sursum erigere, æterna quærere, contemplari non quæ videntur temporalia; sed quæ non videntur, odisse delicias, amare continentiam, excolere virtutem; istum quasi masculum, quasi virum necari cupit Pharao, persequitur, insectatur, mille aduersùs eum machinis pugnat. Exod. 1.

Hoc idem prosequitur hom. 3. in Exod.& D. Gregor. 10. Moral. cap. 8. & Hieron. epist. ad Demetriadem, ab eo tempore, quo primùm per virginitatis professionem Domino es consecrata, aduersarij in te creuit odium: & qui aliena lucra pro suis dãnis habet, se amisisse ducit, quidquid te possessuram dolet; grandi tibi opus est vigilantia, grandíque cura; & tanto solicitiùs cauendus est inimicus, quanto apud Deum ditior esse cœpisti: qui enim plus possidet, plus debet timere, ne perdat: inuidere non cessat author inuidiæ; qui inuidit Euæ Paradisum, quanto magis tibi inuidet Regnum cœlorum? Et August. Serm. 85 de Tempore. Hoc scitote, inquit, fratres, quia diabolus non persequitur nisi bonos; malos enim persequi diabolus non consueuit: amici enim sunt sui,& in tantum eos non persequitur, vt etiam per illos, alios persequatur.

Hoc idem argumentum prosequitur D. Greg. 29. Moral. c. 12. cùm ponderat ea verba Iob. *Per quam viam spargitur lux.* Cùm lux spargitur, ait ille, mox ab occulto aduersario contra fulgentem mentem tentamenta succrescunt. Rectè subiungitur, *diuidunt æstus super terram*; hostis enim calidus, quos iustitiæ luce enitescere conspicit, eorum mentes illicitis desideriis inflammare contendit, vt plerumque plus se vrgeri tentationibus sentiat, quàm tunc inde lucis æternæ radios non videbat. Iob 38.

VNDE Israëlitæ postquam vocati sunt, contra Moysen, & Aaron de excrescente labore conqueruntur, volentibus quippe ex Ægypto discedere, Pharao paleas subtraxerat, & tamen eiusdem mensuræ opera requirebat: quasi ergo contra legem mens submurmurat, post cuius cognitionem tentationum stimulos acriores portat, & tum sibi labores crescere cõspicit Exod 5.

in eo quod aduersario displicet. Post lucem ergo æstus sequitur, quia post illuminationem diuini muneris, tentationis certamen augetur.

ALIQVANDO verò diabolus expectat virtutum profectum, vt tunc aggrediatur, & nobiliora detrahat spolia. Quod notauit Chrysost. hom. 3. ad ea verba Isai. *Vidi Dominum.* vbi loquens de Ozia, aduertit id, quod de eo dicitur. *Et fecit Ozias quod rectum est in conspectu Domini.* Hoc testimonio, inquit, magnam illius virtutem declarauit. Non enim modò fecit quod rectum erat, verùm etiam fecit in conspectu Domini, non apud homines ostentans. Qui factum est igitur, vt post vitã tam perfectam supplantatus sit, cociderítque? nam & hoc ipse demirans hæsito. Quemadmodum piratæ, qui mare nauigiis infestant, non tum vbi conspexerint naues è portu exeuntes inuadunt; quid enim hinc fructus caperent, si scapham inanem demergerent? sed vbi redierint onustæ, plenæque sarcinis, tum demum omnes expediunt artes. Ita sceleratus ille Dæmõ, simul atque videt aliquos multa collegisse, scilicet ieiunia, preces, eleemosynam, castitatem, reliquásque virtutes, vbi videt nauigium nostrum esse plenum pretiosis pietatis lapidibus, tunc irrumpit vndique thesaurum perfodiens, vt in ipsis portus ostiis scapham demergat, iámque nudos nos ad eum portum eiiciat. Hæc ergo causa est, cur postquam Iacobus monuit, vt Deo subditi essemus per mandatorum obseruantiam, & humilem recognitionem, statim admonet, vt diabolo resistamus, quia talem Dei subiectionem, diaboli tentamenta sequuntur.

2. Par. 26.

§. III.

Nequaquam metuendus diabolus, cùm sit infirmus hostis.

EX hoc loco deducunt Sancti Patres, nequaquam metuendum esse (ita vt illi cedamus) cum hostem, qui resistentes fugit, nec nisi permissus adoritur tentandum. Qua de re videndus Aug lib. de Rectitud. Catol. conuersat. & lib. 50. homil. hom. 12. & Serm. 7. de Tempore, & in Psalm. 91. & epist. 143. & Hierony. epist. ad Demetriad. vbi ait: Nostra contra nos vtitur voluntate, de consensu nostro aduersarius vires accipit, nostróque nos iugulat gladio. Et Cassian. lib. 7. Collation. c. 8. Sicut est illi instigationis copia, ita & in nobis virtus respuendi. Ergo manifestum est hinc vnumquemque delinquere, quòd ingruentibus cogitationibus prauis non confestim repulsam contradictionis obiiciat, resistite ei, ait, & fugiet à vobis.

ET D. Gregor. lib. 2. Mor. cap. 6. Sathanæ voluntas sẽper iniqua est, sed nunquam potestas iniusta; quia à semetipso voluntatem habet, à Domino potestatem; quod enim ipse facere iniquè appetit, hoc Deus fieri non iustè

2. Reg 18. permittit. Vnde benè in lib. Reg. dicitur. *Spiritus Domini malus irruebat in Saül.* Ecce vnus idémque spiritus, & Domini appellatur, & malus, Domini videlicet, per licentiam potestatis iustæ, malus, per desiderium voluntatis iniustæ. Formmidari ergo non debet, qui nihil nisi permissus valet.

Ephes. 6. VIDENDVS hac de re Hierony. lib. 2. in epistolam ad Ephes. cap. 6. ad ea verba:

verba: *Nolite locum dare diabolo*; vbi ita ait. Ille superbus, & temerarius vult ascendere, sed etiamsi te oppressum putauerit, & se extulerit, tu ne dederis locum. Potestas namque diaboli non in temeritate illius atque iactantia, sed in tua est voluntate. Proinde toto conatu illi resistendum est, quem scimus nos superare non posse nisi velimus, debilioresque iam vires habere postquam à Christo Dom. superatus est nó ferro, sed ligno, insuper & alligatus: sicut prosequitur Aug. Ser. 197. de Tempore.

SED dicet aliquis (inquit ille) si alligatus est, quare adhuc tantùm præualet? Verum est, fratres, quia multùm præualet, sed tepidis, & negligentibus, & Deum in veritate non timentibus. Alligatus est enim tanquam innexus canis, & neminem potest mordere, nisi illum, qui se ei mortifera securitate coniunxerit, latrare potest, solicitare potest, mordere omnino non potest, nisi volentem. Neque verò tunc solùm vicit, & ligauit Deus diabolum, sed quotidie in nobis vincit, & ligat. Vult autem, vt nos in conflictu resistamus, vt nobis possit attribui victoria. Et vt plurimùm Rex aliquis vult quidem filium suum in acie versari, exercitui esse conspicuum, vt illum profectò habeat cõsortem triumphi. Totum enim ipse bellum gubernat, ac peragit: ita Deus in hoc prælio facit quod aduersùs diabolum gerimus, vnum solùm à te requirit, vt aduersùs hostem veras inimicitias pro honore Regis, & tua salute suscipias, bellum ipse conficiet, imò & arma ministrat; sicut docuit Paul. Ephes. 6. & ex eo ostendit in Ps. 34. ibi. *Apprehende arma, & scutum, & exurge in adiutorium mihi.* Magnũ spectaculum, inquit Aug. est videre Deum armatum pro te. Cùm ergo Deus propugnator noster sit, & defensor, & ad nostram victoriam solũ requirat renisũ, quo hostes fugiant; ad Dei præsentiã, & cum ipsius adiutorio resistamus diabolo, & fugiet à nobis, ac de ipso profectò victoriam reportabimus.



PRÆFATÆ tamẽ doctrinæ Iacobi videtur obstare ille locus Iob, vbi de diabolo dicitur. *Non est potestas super terram quæ comparetur ei.* Quomodo ergo possumus illi resistere? Respódet D. Thomas hîc. Quod sine adiutorio Dei non possumus, cum adiutorio verò possumus, quod nobis promptum ac paratum est: & nisi illud habeamus, nobis est imputandum. Iob. 40.

VIDETVR insuper obstare ille alius apud Matth. vbi post primam, & secundam tentationem Christi adhuc institit, & tertiò ipsum aggressus est. Matth. 4. Vnde Greg. 31. Moral. c. 8. Antiquus hostis quo valentiùs vincitur, eo adhuc ad insidias ardentiùs instigatur. Et Ambr. in c. 4. Luc. Frequẽtat spicula, vt aut præmio vincat, aut tædio. Et Cypr. epist. 6. Nunc est, vt magis insidiãtem aduersarium metuant, qui fortiorem quemque magis aggreditur, & acrior factus hoc ipso quòd victus est, superantem superare conatur. Et Tertull. lib. de Pœnitent. c. 7. Peruicacissimus hostis ille tunc maximè sæuit, cùm hominem planè sentit liberatum, tunc plurimùm accenditur, dũ extinguitur. Similiáque habet Cassian. lib. 5. c. 19. Athleta Christi quanto magis triumphorũ successibus creuerit, tanto ei etiam colluctationum robustior ordo succedit. Quæ omnia ostendunt, diabolum non recedere quasi confusum, & victum dum ei resistitur, imò pertinaciter, & contentiosè aduersùs

ipsam retinentiam insurgere,& dum abscinditur illi quoddam caput,aliud statim pullulare , & attolli.

Cvi difficultati possumus dicere, diabolum à resistentibus fugari, non quidem ad primam resistentiam, sed dum experitur aditum sibi intercludi post aliquos inflictos ictus, & deinde recedere; non quidem ampliùs iam non aggressurus,sed per aliquod tempus. Sicut de diabolo victo à Christo
Luc. 4. Domino ait Lucas. *Recessit ab illo diabolus vsque ad tempus*;quod communiter intelligitur, vsque ad tempus Passionis, vel quòd id fiat ex permissione Dei.

Vers. 8. *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis.*

EXPOSITIO LITERALIS.



PErsistit adhuc Iacobus in priori admonitione, qua docuit,vt Deo subditi essemus. Ideóque Glossa hoc loco ait; *Appropinquate Deo per bona opera,& humilitatem.* Beda verò sic explicat: Appropinquate Deo per humilitatem, scilicet, eius vestigia sectando,& appropinquabit vobis per misericordiam,vos de angustia liberando.

Monet ergo vt ad Deum accedamus,non quidem vestigiis corporis,sed affectu animi, quo in eodem loco vnus longè à Deo abest,alius proximum Deum habet. Propè enim est Dominus inuocantibus eum in veritate: &
Isai. 59. longè à peccatoribus salus, inter quos,& inter Deum peccata diuiserunt,
Iob. 21. imò talem separationem expostulāt.Dicunt enim Deo. *Recede à nobis,scientiam viarum tuarum nolumus.* Qui quidem merentur vt eis dicatur. *Maledictus*
Hiere.7. *homo qui confidit in homine,& à Domino recedit cor eius.* & iterum: *Scito, & vide quia malum,& amarum est dereliquisse te Dominum Deum tuum.* Possúntque hæc verba,sicut optimè aduertit hoc loco Carthus.& alii, vel referri ad peccatores,vel ad iustos. Ad illos quidem, vt sit sensus: Appropinquate Deo per pœnitentiam flendo,deprecādo,& ipsius gratiam, & misericordiam inuocando,& ille appropinquabit vobis, dona gratiæ infundendo, non quasi illa prima motio,& appropinquatio peccatoris non fiat à gratia,quod nul-
Thren. 5. latenus dicendum est.Vnde in Threnis dicitur. *Conuerte nos Domine, & con-*
Ioan. 6. *uertemur*;Et: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.*

Licet enim liberi arbitrij requiratur appropinquatio deliberata, quandoquidem Deus nullum violenter trahit; tamen hoc non potest nisi accedat,& concurrat diuina gratia cum libero arbitrio; quod præuenit in prima motione.Vnde Ber.de diligendo Deo.In hoc est mirum, quòd nemo te quærere velit,nisi qui priùs inuenerit: vis igitur inueniri, vt quæraris, quæri,vt inueniaris, potes quidem inueniri, non tamen præueniri. Et in
Isai. 38. Cantic. Ezechiæ ad ea verba. *Quæsiui residuum annorum meorum*; sic ait idem Bern. Quæsiui, inquit, ab illo qui dixit. *Sine me nihil potestis facere*: Neque enim ad ipsum sine ipso non dicam reuerti, sed ne conuerti quidem poteram,

ram, vt pote spiritus vadens, & non rediens. Similiáque habet Ambr. Ser. 22. in Psal. 118. & Orig. lib. 7. contra Celsum.

Et Aug. in Ps. 77. ad ea verba. *Recordatus est quia caro sunt.* vbi de oue perdita, & nullo alio modo reducta, quàm ad humeros pastoris, ita ait. In humeris deportata pastoris reducta est, quæ se perdere potuit, dum sponte vagaretur: Se autem inuenire non potuit, nec omnino inueniretur, nisi pastoris misericordia quæreretur. Quoniam verò, & prodigus non quæsitus venisse videbatur; addit Aug. Omnino enim & ille filius ad hanc ouem pertinet, qui reuersus in semetipsum dixit. *Surgam, & ibo ad patrem meum.* Occulta enim inspiratione, & vocatione, ipse quoque quæsitus est ab eo, qui suscitat omnia. Conuertit verò se ad nos Deus, etiam quando in gratiam receptos aspicit, & iubet coram se, vt amicos stare. Qua de re videndus est Ruardus Taper. art. 4. de Contritione. Luc. 15.

Potest secundò referri hic locus ad iustos, & existentes in gratia, qui licèt à Deo non distent dissimilitudine culpæ, distant tamen ab eo minoratione perfectionis, ad quam in hac vita pertingere valent: & sensus est: Appropinquate Deo, similiores vos illi reddendo, eum ardentiùs diligendo, quotidie proficiendo, & per virtutum omnium incrementa, & ille appropinquabit vobis per gratiam, & donorum augmenta. Attamen, vt patet ex sequentibus, loquitur potiùs Apostol. cum peccatoribus.

Propositione ergo Diuinæ bonitatis, vt aduertit hoc in loco Lyran. nos monet Iacobus vt ad Deum accedamus, qui inuicem nos amplectetur, & excipiet. Similes Dei inuitationes reperies sæpe in Scriptura. *Conuertimini ad me, ait Dominus excercituum, & ego conuertar ad vos.* &, *Reuertimini ad me, & reuertar ad vos, dicit Dominus exercituum.* Zach. 1. Malac. 3.

Quod si quando in Scriptura petitur à Deo, vt ad se nos conuertat, & appropinquare faciat, vt patet ex illo loco Threnorum. *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur;* id non pugnat cum eo, quod Deus dicit, vt ad eum conuertamur, nec cum Iacobo, dum ait; *Appropinquate Deo.* Litémque dirimit Concilium Trid. sess. 6. c. 5. dicens. In sacris literis cùm dicitur; *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos,* libertatis nostræ admonemur: cùm respondemus; *Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur,* Dei nos gratia præueniri confitemur. Videndus hac de re Aug. epist. 106. & lib. de Grat. & libero arbitr. c. 17. & Serm. 13. & 15. de verbis Apostoli, lib. de bono Viduitatis c. 17. & in lib. Speculi c. 33. & Orig. lib. 7. contra Celsum, commentans locum Platonis in Timæo; vbi late agit Plato de quærendo Deo. Thren. 5.

Nec mirum quòd Iacobus promittat Dei appropinquationem eis, qui ad eum accesserint, quandoquidem ipse fatetur, se appropinquare iis, qui eũ nõ quærebant. Isaias enim, quem refert Paulus Rom. 10. ait: *Inuentus sum à non quærentibus me, palàm apparui eis, qui me non interrogabant.* Quod notauit Ambros. in exhortat. ad Virgin. dicens. Cùm cœperis quærere, adest: neque enim fieri potest, vt desit quærentibus, qui palàm factus est non quærentibus, & inuentus à non interrogãtibus. Et Damas. lib. 2. Paral. c. 39. probans, quòd Deũ quærere oporteat, hanc sententiã Iacobi laudat, eique Isai. 6.

loca

Leu. 10. loca ex sacra Scriptura annectit. *In his, qui appropinquant mihi, sanctificabor.* Psal. 33. *Non dereliquisti quærentes te Domine. Inquirentes Dominum non minuentur à bono.* Isai 55. *Quærite me in toto corde vestro, & apparebo vobis.* Et: *requirentibus Deum ipse remunerator est.* Hebr. 11.

PONIT ergo in his verbis Iacobus ea, quæ ex nostra parte requiruntur, & ea, quæ ex parte Dei. Ex nostra enim requiritur conuersio, & appropinquatio voluntatis. Ex parte verò Dei ea, quæ gratiam nobis apponit. Quod eleganti exposuit similitudine Chrysostom. hom. 2. in Psal. 50. Sicut cùm quidam graui ægritudine vexatur, & multimodis indiget medicaminibus, & attenuatus est sumptibus, si introierit medicus, & dixerit ad eum, qui ægrotat: Plures species ad confectionem medicaminis necessariæ sunt. Respondeat verò ægrotus, non habeo vnde tantas species emam, paupertate detineor; dicat ad eum medicus: Illam & illam da mihi speciem tantùm, cætera de me præstabo; sic & Deus dicit: Da mihi confessionem tuam, & lacrymas pœnitentiæ, cætera pro misericordia mea, & humanitate tibi præstabo. Ad istum ergo modum ait Iacobus, *Appropinquate Deo* per pœnitentiam, *ipse appropinquabit vobis,* cætera omnia de suo ponens, quibus perfectè sanus, & sanctus euadere possit.

§. I.

Quàm longè recedat à Deo anima per peccatum.

CVM Apostolicus sermo hoc loco fiat ad peccatores, quos hortatur, vt Deo appropinquent, illud imprimis elicitur, longè quidem fieri à Deo animam per peccatum. Quod imprimis videre est in primo parente Adamo, qui ità à Deo longè factus est, vt ipse postea eum quærens clamaret. *Adam vbi es?* Quod ponderans Philo. lib. 2. legis Allegor. ait. Hìc introducitur dogma, quòd omnis malus, exul est. Quo pacto Esau, sicut Scriptura notauit, erat gnarus venandi, & ruri degebat, è contrà de Iacob dicitur, domum habitasse. Similiáque habet lib. de congressu quærend. erudit. grat. Commentatus verò eadem verba Seraphinus à Porrecta inducit Deum loquentem cum Adam. Per hoc, quod ego, qui scio omnia, tibi quasi per admirationem dico. Adam vbi es? tacitè insinuo, & quòd tu non es ampliùs vbi priùs eras, & quòd tanta est distantia inter felicem statum amissum à te, miserúmque incursum, vt in admirationem magnam trahere posset etiam me Deum (si admirationis essem capax.) Gene. 3.

HOC argumentũ prosequitur D. Hieronym. epist. ad Damasum Papam, in qua exponit parabolam filij prodigi. Ad ea namque verba Lucæ: *& non post multos dies, collectis omnibus, adolescentior filius profectus est in regionem longinquam,* sic ait. Si Deus cœlum tenet palmo, & terram pugillo, & Hieremias dicit, *Deus appropinquans, & non Deus de longinquo ego sum*; per Dauid quoque, quia nullus absque eo locus sit, prædicatur; quomodo filius peregrè pro Luc. 15. Hier. 23. Psal. 138.

proficiſcitur, & à patre diſcedit? Recedunt qui ſic peccantes cum Domino eſſe non merentur, recedunt autem affectu, non locorum ſpatiis. Receſſit ergo iunior filius, & Cain egreſſus à facie Domini.

Et Chryſoſt. Serm. 11. in epiſt. ad Philip. Peccata elongant nos à Deo, voluntate, & animo, non loco vehementer Deum fugimus. Quò fugis miſer? quò fugis vitam & ſalutem tuam? ſi Deum fugis, ad quem confugies? ſi lucem fugis, quò reſpicies? Si vitam fugis, vnde poſtea viues? cùm peccamus, fugimus à Deo, fugitiui in alienam terram deſcendimus, quemadmodum ille, qui bonis paternis conſumptis abiit in terram alienam. Hanc eandem à Deo ſeparationem proſequitur idem Chryſoſt. hom. 6. ad Pop. probátque ex cap. 1. Sap. *Nonne peccata veſtra ſeparant inter vos & me?* Sapien. 1.

Videndus etiam pro hac re erit Orig. hom. 11. in Exod. vbi ponderat id, quod in Exodo dicitur. *Venit Aaron, & omnes presbyteri de Iſraël, mãducare panem in conſpectu Dei.* Omnia, quæ faciunt Sancti, inquit ille, in conſpectu Dei faciunt. Peccator autem à conſpectu Dei fugit. Denique ſcriptũ eſt, quia *Adam poſtquam peccauit, fugit à conſpectu Dei*, &c. Miſera autẽ anima in innumeras incidit miſerias, cùm à Deo diſcedit. Ideo & Cain dicebat. *Omnis, qui inuenerit me, occidet me:* deſperabat enim vitam habere, qui à vita diſceſſerat. Vnde Amaſias Rex Iuda occiſus eſt poſtquam, vt ait Scriptura, receſſit à Deo. Et Ionas, vbi cogitauit fugere à facie Domini, varios perpeſſus eſt labores, ærumnas, ac pericula. Vel etiam dixit Cain. *Omnis, qui inuenerit me, occidet me*, quia longè factus à Deo, tot ſperabat ſe commiſſurum mala, & facinora, vt à quoque obuio iure poſſet morte puniri. Geneſ. 3. Geneſ. 4. 2. Par. 25. Cap. 1.

Illud autem præ oculis habendum eſt, quòd ſi per peccatum fugimus à Deo placato, & amico, in ipſum iratum incurrimus, & punientem, cùm nequeamus effugere. Vnde Auguſt. lib. 4. Confeſſ. c. 9. Te non amittit, niſi qui dimittit, & qui dimittit, quò fugit, niſi à te placato, ad te iratum? Idémque lib. meditat. c. 30. & in Manu. c. 2. Qui te non habet placatum, non euadet iratum. Elegãter autem aduertit D. Ambroſ. Ser. 4. in Pſ. 118. viam, qua conficimus hoc miſerum iter, in nobis eſſe. Explicans enim ea verba eiuſdem Pſ. *Viam iniquitatis amoue à me*: ait. Non dixit amoue me à via iniquitatis, ſed viam iniquitatis amoue à me, quaſi in nobis ſit, & in nobis videatur ineſſe, quandiu enim exercemus aliquid improbum, via iniquitatis interiùs manet, & non recedit à nobis. Ideóque ſtudioſè agamus, vt eam à nobis ſeparemus. Pſa. 118.

Fiet autem hoc, quod Ambr. monet, ſi viam vitæ, quæ Chriſtus eſt, amplexati fuerimus, & vt greſſus noſtros dirigat poſtulauerimus, quo citiùs ad eum propinqui ſiamus, ſicut præſens Iacobi locus clamat. Quod etiam proſequitur Ber. Serm. in Rogationib. de tribus panibus, vbi ponderat ſimilitudinem, quam affert Chriſtus Dom. illius hominis, ad quem venit amicus, & ad alterum iuit quærere panem. Ego, inquit, amicum venientem ad me, non alium intelligo, quàm me ipſum, nemo quippe charior mihi; ad me ergo de via venit amicus, cùm tranſitoria deſerens, ad cor redeo, ſicut ſcriptũ eſt. *Praeuaricatores redite ad cor:* deinde tũc verè ſibi quiſque amicus eſt, Luc 11. Iſai. 49.

Psal.10. cùm de via redit, quoniam, *qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* Quid faciam huic amico misero, & miserabili? festina, discurre, suscita amicum tuum illum magnum, quo maiorem dilectionem nemo habet, sed neque substantiam ampliorem; quære, pete, pulsa, clama, quia omnis, qui quærit, inuenit; & qui petit, accipit, & pulsanti aperietur. Quod idem promittit Iacobus, cùm ait. *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis.*

Vt insuper Apostoli admonitio executioni mãdetur, facit doctrina Augustini Ser. 47. de verbis Domini. vbi sic ait. Largitur tibi Deus spatiũ correctionis, sed tu plus amas dilationem, quàm emendationem. Expectas, & de misericordia Dei tibi plurimùm polliceris, quasi ille, qui tibi per pœnitentiã promisit salutem, promiserit tibi & longam vitam. Metuendum est, ne te occidat spes. Ingratus es, qui hodiernum diem habes, in quo corrigaris, nec tamen correctionem, & emendationem curas.

Sic denique appropinquare debemus Deo, vt non citò ab eo iterum discedamus. Quod notauit August. Ser. 7. de tẽpore, dicens. Ista est, *filioli*, vera pœnitentia, quando sic conuertitur quis, vt non reuertatur, quãdo sic pœnitet, vt non repetat. Quamcitissimè proinde Deo appropinquare debemus, nunquã ampliùs ab eo recessuri, qui neminẽ deserit, nisi priùs deseratur. Et cùm illi appropinquamus, nobis etiam appropinquat, & de reditu nostro, cum Angelis suis, gaudet super vno peccatore pœnitentiam agẽte.

Monet autẽ hic locus Iacobi, vt cõfidenter ad Deum accedamus, quan-
Luc.15. doquidem ipse nobis appropinquat obuius, & se quærentes amplectitur, sicut in patre sene videre est, qui è longè filium vidit, & ad eum progressus est, alioqui frustra quæreretur, sicut dixit Ambr. Ser. 22. in Ps. 118. Ego te quæsiui, inquit, sed inuenire non possum te, nisi volueris inueniri. Quod etiam prosequitur Ber. Ser. 78. in Cant.

Magnvm autem est quòd nobis appropinquantibus ad Deum, promittit Apostolus Dei appropinquationem, quò magis excitet studium inuestigandi, & accedendi, quibus sufficiebat vel ipsa appropinquatio, & inquisitio, sicut notauit Ber. lib. de diligendo Deo. Bonus es Domine animæ quærenti te. Quid ergo inuenienti? Vis igitur inueniri vt quæraris, quæri vt inueniaris. Et Philo lib. de Monarchia, tom. 2. ait, hoc ipsum per se solum Dei quærendi studium, etiam citra vllam inuentionem, rem esse honestam, præclaram, & imprimis expetendam. Et lib. 2. legis Allegor. tom. 1. Conducit sanè ad fruendum rebus bonis, vel solum quærendi studium.

§. II.

Qua via veniendum sit ad Deum.

Via ergo, qua ad Deum altissimum appropinquare possumus, est cognitio, & pœnitentia scelerum nostrorum, quod vt notum fiat, pro-
1 Reg. 13 ponẽdus est locus apud Hierony. in traditionib. Hebr. ad lib. Reg. dum illud, quod nostra vulgata habet. *Dixit vir cui constitutum est de Christo* Dei

Dei egregius Psaltes Israël, ait in Hebræo sic esse; *cui constituta est scala Christo Dei Iacob.* Scala, inquit Hierony. eidem Christo Dei Iacob. i. Dauid constituta est, per quam conscenderet ad Deum. Quam eandem viam fortassis ostendit ille locus. *Beatus vir cuius auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum, in loco quem posuit*, vt sit sensus. Beatus, qui post peccati ruinam, in corde suo ascēcendēdi modum inquirit, idque disponendo semitas adeundi, in quibus omnibus lacrymarum fontes fecit; singula deflendo peccata, quò meliùs proficeret, & citiùs perueniret. Ps. 83.

QVOD ostendit Chrysost. tom. 3. hom. de Sancto Philogonio in ea peccatrice muliere, quæ in alteram Mariam diuinitùs conuersa est, quæ singula, quibus Deum offenderat, capillos scilicet, os, vnguentáque ad Dei obsequium deflendo, & pœnitendo conuertit. Quod etiam in Dauid ostendit idem Chrysost. hom. 22. ad Pop. cùm ait. Vnam noctem in iniquitate duxit, & per singulas lugebat noctes, penitùs talia confitens. Dedisti mihi oculos ne videam lucem tuã: ego autem his malè perspexi, erraui aliquando malè intuitus, malè fenestras aperui, propterea lacrymis ipsas abluo. Quod argumentum prosequitur Ber. Ser. de Cantic. Ezechiæ. Sícque Deo appropinquabimus, ipséque nobis appropinquabit. Luc. 7.

EST pro præsenti argumento locus ille apud Ezechielem, cùm vidit manum ad se extensam, & in ipsa volumen libri, quem expandit coram illo, & in ipso scriptum erat à facie, & retrorsum lamentum, carmen, & væ, quod exposuit D. Hieron. epist. ad Sabinianum, dicens. Liber ille, quē Propheta deuorat, series Scripturarum est, in quibus & pœnitens plangitur, & iustus canitur, & maledicitur desperans. Aduertit autem eleganter Ruper. lib. 1. in Ezech. c. 18. priùs lamentationes, quàm carmen scribi: sic enim ait. Lamentationes in hoc libro scriptæ sunt, & carmen, & væ. Priùs lamentationes, deinde carmen, quia *qui seminant in lacrymis, in gaudio metent*; qui autem nunc lamentari, id est, pœnitentiam agere nolunt, illis væ, quia mittentur in ignem æternum. Insuper, & qui seminant in lacrymis, primo veluti tempore metent, & in primo folio, seu pagina libri scribentur ante alios, qui non egent pœnitentia, iuxta illud quod Christus Dominus dixit. *Gaudium erit in cœlo*, &c. super quæ verba sic ait Bern. Serm. ad milites templi cap. 5. Non miror, si superna curia exultat magis super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super plurimis iustis, dum peccatoris, & maligni tantis proculdubio prosit conuersio, quantis etiam prior nocuerat conuersatio. Vnde etiam Euseb. Emyss. homil. de pœnit. Niniuit. Beatus qui hìc mala sua deflere, qui hìc debita sua festinat exoluere, & innocentiam quam non potest reparare per Baptismũ, recuperare studet per summũ pœnitentiæ fructum. Qui placiturus est Deo, ipse sibi displicet, ipse sibi quodam modo sub priuatæ cognitionis sententia, & testis, & accusator, & iudex est: ad tales meritò ipse Dominus loquitur; *Non iudicabo bis in idipsum*, id est, quod tu in te seuerus agnoscis, ego propitius ignoscam, quod tu tristis accusas, ego lætus absoluam. Ergo charissimi vnusquisque respiciens se arguat, ante se constituat peccata sua, pronuntians cum Propheta, *Delictum* Ezech. 2. Ps. 125. Luc. 15.

meum contra me est semper, ante nos sit, vt contra nos esse non possit. Illúdque eo in loco affert notatu dignissimum, Niniuitas sc. tam efficax iudicasse pœnitentiæ remedium, vt sibi etiam animalium existimarent profuturum ieiunium, & afflictionem.

DIFFICILIS sanè apparebit locus ille cùm Ecclesiast. auctor dicit, *Præter Dauid, Ezechiam, & Iosiam.* Si meminerimus Dauidem peccasse, & homicidio, & adulterio. Si insuper aduertamus, Iosiam peccato vanæ gloriæ deliquisse, cum magnificentiam suam Regis Babylonis nuntiis voluit ostentare, sicut notauit Lyranus. Quid igitur sacer Scriptor asserit hos solummodo nó deliquisse? Scio plerosque hæc verba sic explicare, vt dicant hos solos tres ab idolorũ cultu abstinuisse: quæ expositio apta videtur cótextui iuxta sequẽtia verba. Inseruit præsenti instituto ea explicatio, quam ponunt Glossa, & Carthus. dicentes propterea de eis dici, quòd non peccauerunt, quia quod peccarunt, condigna pœnitentia deleuerunt; solet enim perfecta pœnitentia ad eum statum pœnitentem deducere, vt nulla prorsus peccati labes appareat; sed omnimodè purgatus ac sanctus reddatur.

QVA in re felicitatem pœnitentiæ licet considerare longè aliter ac
3. Re. 21. eam admiratus D. Hierony. epist. ad Oceanum, cùm ponderat illud Scripturæ. *Nonne vidisti Achab humiliatum coram me?* O felix pœnitẽtia, inquit Hierony. quæ ad se Dei trahit oculos: enimuerò si Hier. admiratur quòd pœnitentia Dei oculos conuertat ad pœnitẽtem, multo maiori admiratione dignum censebitur quòd Deum conuertat, ac trahat, & appropinquantem faciat, sicut hoc loco Iacobus docet.

ILLVDQVE notandum est cum Chrysost. interclusam nobis Deum adeundi, eidémque appropinquandi omnem excusationem, dum omnibus via patet, fores aperiuntur, dum aditus conceditur. Sic enim habet in Psal. 4. Non assistit miles, qui expellat, non satelles, qui tempus interrumpat: non est qui dicat, non est tempus accedendi, veni postea. Sed quando veneris, stat audiens, etiamsi tempore prandij, etiamsi tempore cœnæ, etiamsi nocte intempesta, etiamsi in foro, etiamsi in via, etiamsi in cubili, etiamsi intus, in iudicio apud Magistratum fueris, & tunc vocaueris, nihil vetat. Proindéque nullam excusationem habet qui viam nouit, tempus, & occasionem scit, & qui certò credit Deum appropinquare illi qui eúm quærit. Videndus denique de hac re Euseb. Emyss. hom. 1. de Epiphania, vbi optimè rem pertractat & copiosè.

ALIA etiam via appropinquandi Deo, est per amorem, quo quidem veluti expansis alis ad Deum fertur anima diligens, sursúmque auolat. Vn-
Cant. 8 de de diuina dilectione dicitur. *Lampades eius, lampades ignis.* vbi Septuag. habent; *Alæ eius, alæ ignis:* habet enim amor velut expansas alas, quæ nunquam quiescunt, ad instar ignis, donec ad Deum perueniant; sicut dixit Chrysost. hom. 63. ad Pop. Magna vis, inquit, amoris, ab omnibus separat, & amato animam alligat, quòd si non auolat, saltem velociter currit ad Deum. Vnde Aug. in Ps. 39. Amor ipse cursus est. Quamcitissimè igitur ad Deum appropinquabit, qui vel amoris alis volauerit, vel currendo iter atripuerit.

§. III

§. III.

Maturanda est pœnitentia, & conuersio ad Deum.

VERBA etiam Iacobi hoc loco videtur clamare, maturandum esse aduentum, & currendam viam, qua citiùs ad Deum perueniamus. *Appropinquate Deo*, &c. Nihil enim sic Deus odit, & detestatur quàm tarditatem huius appropinquationis, sicut è contrà nihil tam procurat diabolus quàm detinere animam, ne ad Deum accedat, & à peccato surgat. Illud quidem probat D. Nazian. ab ea celeritate qua manducandum præcepit Deus agnum Paschalem, vt significaretur, in iis rebus, quæ ad salutem nostram pertinent, minimè procrastinandum. Nec modus, inquit Orat. 2. in Pascha, prætereundus est, cùm nec lex ipsa eum prætermiserit, sed contemplationem in verbis, & litera eò vsque elaborauerit. Victimam enim festinanter absumamus, ne in eam culpam incidamus, à qua diuino interdicto Loth auertebatur, ne circunspiciamus, ne stemus in omni circumiacente regione, sed in montem salutis causâ confugiamus. Similiáque habet Orat. in sanctum Baptisma; vbi celebrem illam habet sententiam. Ad scelus quidem, & ad fraudem tardus eris, celer autem ad salutem. Paria enim in viro sunt, promptitudo ad vitium, & procrastinatio ad salutem. *Exod. 12.* *Gene. 19.*

IRATVS Dominus in filios Israël ob murmur eorum, accensus ignis Domini in eos, deuorauit extremam castrorum partem. Cur quæso non primam partem absumit, vt qui post primos gradiebantur, supplicium diuinum ante se intuentes, citiùs resipiscerent, & pœniterent, & qui noluit, vt post tergum respiceret ignem vxor Loth, cur filiis Israël post tergum mittit ignẽ? Existimo, vt celeriùs graderẽtur, & citato cursu ad promissam terram properarent fugientes deuorantem ignem, qui etiam non primam partem, sed posteriorem deuastauit, vtpote quæ lentiori gradu iter faciebat. Huiusmodi etenim tarditas vicinum habet supplicium. *Num. 11.*

ETENIM, sicut notauit Euseb. Emyss. hom. de latrone beato, immittit diabolus securitatem, vt inferat perditionem, nec dinumerari possunt, quantos hæc inanis spei vmbra deceperit, præueniendus est dies, qui præueniri consueuit, ipse se inducet, & de morte sua illudet, qui hæc cogitat, potest ei extremi temporis indulgentia subuenire. Non est hoc primum, quia periculosissima est in vltimum diem promissa securitas. Deinde stultissimum est, vt causa qua de necessitatibus agitur, æternis mutabilitatibus vitæ deficientis committatur extremis. Odibile est, apud Deum quando homo sub fiducia pœnitẽtiæ in senectutem reseruatæ liberiùs peccat, opus est, vt homo quotidiano actu prouideat, & procuret bonam consummationem. Et homil. ad plebem sic de tardè pœnitentibus ait. Si quis à malis suis fracta iam ætate, vel cogente infirmitate, vel imminente morte destiterit, oblectamenta delicti perdidit, non reliquit: neque ille voluptatem deseruit, sed illum voluptas, illum, inquam, voluptas necessitate, non virtute fugata destituit: ac per hæc impossibilitate exclusus à vitiis, & tunc puto, peccat, quando peccare cessauerit, quia quantùm ad animum, nec

dū desiit, qui adhuc vellet peccare si posset. Sic ille. Quibus nihil addendū.

Celebris vtique est ille titulus plurimorum Psalmorum, *in finē*, quem Dauid cum apposuerit Psalmo 13. omisit statim in Psalmo sequenti 14. Cuius rei rationem reddit eleganter Chrysost. ibidem, dicens. Quoniam docet de iustitia, ac reliquis virtutibus, non debet in finē vitæ suadere hæc, sed ab initio, & ab ipsis incunabulis. Si nullus vestrûm vult possidere seruū senē, quāto magis Deus vult adolescētiā; vt eius vitæ primitias ambiat, ne quis cùm iuuentutem peccato exhauserit, languidam, & eneruatam senectutem virtuti reseruet? Ideóque Nazian. Orat. de patris funere laudat matrem suam, quòd filios etiam priusquàm nascerentùr, Deo deuouebat, & vitæ lucem ingressos protinus consecrabat.

Ps. 118. Qua de re gloriabatur etiam Dauid dum dicebat. *Praueni in maturitate, & clamaui*; vbi aliqui putant legendum, *in immaturitate*. Et Chaldæus vertit, *in aurora*. Septuag. verò, *adhuc in tenebris*; vt sit sensus: Non ego ad finem vitæ conuersionem reseruaui, sed in prima lucis aurora, ad primam diuinæ gratiæ illustrationem, dum adhuc in peccati tenebris versarer, & adhuc essem in crimine, non solùm maturandam duxi confessionē, sed quamcitissimè, & adhuc veluti immature ad te clamaui, tibíque appropinquare curaui. Expendens verò Ambr. Ser. 9. hæc eadem verba, ait. Præuenit ætatis maturitatem quisquis in adolescentia positus senilem grauitatem induit, & iuueniles annos veterana quadam continentia regit, feruorémque virentis corporis in cana morum maturitate componit. Nam quid prodest si effœtum corpus voluptatibus, & iam senectutis gelu frigidum, ad sera

Leu. 22. deuotionis officia conuertat? Vnde & Deus prohibuit in Leuit. ne ei languidum offerretur; & per Malachiam dixit. *Si offeratis languidum, nónne malum est?* Non vult enim sibi Deus offerri penè emortuam animam, & quæ ad finem vsque vitæ distulit conuersionem.

Gen. 18. Ideoque Ambr. lib. 1. de Abraham c. 5. notauit celeritatem, qua Patriarcha ad hospites festinauit, & cucurrit ad paranda omnia necessaria, vt Angelos Dei nomine exciperet. Festinauit, inquit ille, Abraham, quia non satis est recta facere, nisi etiam matures quod facias. Vberiores enim fructus habet celerata deuotio. Et lib. de Cain, & Abel, notat dixisse Scri-

Gen. 4 pturā. *Factū est post dies obtulit Cain ex fructibus terræ munus Domino.* Duplex culpa, inquit Ambros. vna, quòd post dies obtulit, & non statim; altera, quòd ex fructibus, nō ex primis fructibus, sacrificium autē, & celeritate cōmendatur, & gratia. Quæ eadem habet Philo lib. de sacrificio Abelis, & Cain.

Notandus etiam est locus apud ipsum Amb. lib. 3. de virginib. vbi

Gen. 22. expendit, cur Deus liberauerit Isaac à sacrificio, patríque superstitem reddiderit, non verò filiam vnigenitam Iephthe; dicitque. Quia non vna forma meritorū, ideo nō vna forma factorū. Iephthe doluit, filia fleuit, vterque de Dei miseratione dubitauit, non doluit Abrahā, nec consuluit affectum offerendi, vbi audiuit diuinitatis oraculum. Non distulit sacrificium, sed maturauit obsequium. Isaac non fleuit, cùm ligaretur, non dilationem poposcit, cùm offerretur. Vbi Amb. alludit ad id, quod filia Iephthe patri dixit post,

postquã sciuit se Deo esse offerẽdã. *Hoc solũ mihi præsta quod deprecor. Dimitte me, vt duobus mẽsibus circumeã montes, & plangã virginitatẽ meam cum sodalibus meis: cui ille respõdit. Vade, & dimisit eam duobus mensibus.* Ea igitur fuit ratio, cur & Isaac seruatus fuerit, & Abraham secum reduxerit superstitem filium, quòd statim processit ad sacrificium, ideo filia Iephthe non fuit seruata, quia dilationem petiit, & pater distulit sacrificium. Iud. 11.

NOTANDVS pro hac sententia ille locus apud Luc. cùm Herodes viso Iesu gauisus est valde, erat enim cupiens ex multo tempore videre eum. Idque mirum, quòd cùm Christus Dom. hoc nouerit desiderium, cùm eum Herodes multis sermonibus interrogasset, ipse nihil ei respõdit, in pœnam scilicet, vt videtur, dilati desiderij, cui statim debuit assentiri, illicóque Christum quærere, & ipsi appropinquare, sicut fecêre pastores, quibus, vt annunciatum est gaudium vniuersi orbis, natum scilicet Saluatorem, statim dixerunt. *Transeamus vsque Bethlehem, & videamus hoc verbum*; vbi textus Græcus habet, *transeamus iam*; seu, *proficiscamur iam*, nullas enim patiebantur moras, nullúmque spatium interpositum volunt inter Dei annuciationem, & appropinquationem ad ipsum. Quo sensu dicuntur *Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam*, qui ad ipsum iustitiæ fontem anhelantes volant, & veluti cerui ad fontes aquarum currunt. Luc. 23. Luc. 2. Matt. 5.

HINC est quòd Paulus de se dixit. *Cùm autem placuit ei, qui me segregauit, continuò non acquieui carni & sanguini.* Nihil enim ipsum, qui dixit; *Quid me vis facere?* potuit à conuersione retardare. Ideóque meritò Clemens Alex. Orat. ad Gent. inuehitur in eos, qui vt se consecrent Deo, longas trahunt moras, & prolixas præmittunt consultationes. Inebriamini, inquit, priusquàm consideraueritis. An iniuria sit facienda non valde estis soliciti, sed quamprimùm iniuriam facitis; solùm autem, an Deus sit colendus, quæritis, & an Christus sit sequendus, hoc considerandum, & consultandum censetis. Galat. 1. Act. 9.

PRO qua doctrina notandus maximè est modus loquendi Pauli, qui multis in locis nostrum operari vocauit, currere. Tanta enim velocitate ad Deum per bona opera debemus appropinquare, vt illicò accedamus currentes, si non volantes, quod maximè placet Deo. In quam sententiam notauit Chrys. hom. 21. ad Ephes. Annã statim filiũ suũ Deo obtulisse non apposita mora. Non dicebat, inquit, expectabo donec crescat puer, vt rebus mundanis vtatur, vt paululùm puerili ætate immutetur; sed relictis his omnibus vnum duntaxat intendit, quomodo statim ab ipsis vitæ exordiis spiritualem imagunculam Deo fingendam offerat. Videndus tandem pro hoc argumento est Arnobius, cùm pondetat ea verba Psal. 1. *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum; & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentia non sedit.* Si abierit, inquit, non stet, si stet, non sedeat, sed illicò surgat; currat, ac volet, nullam prorsus moram trahens. Philip. 2. Hebr. 12. 1. Cor. 11. 1. Reg. 1.

SICVT verò Deo placet diligentia in appropinquando, & accedendo, sic diabolus nihil magis intẽtat, quàm animas detinere, & retardare postquam eas in suã redegit potestatẽ; quod significabat impius Pharao, qui in crastinã diẽ exitũ, & libertatẽ filiorũ Israel differebat, interímque ipsos lateres conficien Exod. 8.

conficiendos curabat, quibus murus vrbis, in qua captiui erant, construebitur. Pro quo argumento videndus est Amb. Ser. 16. vbi sic habet. Longè est quidem dies iudicij, sed vniuscuiusque hominis dies vltimus longè esse non potest, quia breuis est vita, & quia ipsa breuitas semper incerta; quãdo sit dies tuus vltimus nescis; corrige te hodie propter cras, ipsa res est, quæ multos occidit, cùm dicunt, cras, cras, & subitò ostium clauditur. Remansit foras cum voce coruina, quia non habuit gemitũ columbinũ. Cras, cras, corui vox; geme, vt columbus, crastinum diem quis tibi promisit, &c.

PROINDE ergo nullatenus admittenda est diaboli procrastinatio, sed maturandus aduentus, quod diabolo displicet, sicut notauit Ber. Serm. 60. in Cant. Deóque maximè placet, sicut dixit Clem. Alex. 1. Pædag. c. 5. vbi ita habet. Quemadmodum patres, & matres lubentiùs vident equorum quidem pullos, boum vitulos, leonũ catulos, ceruorum hinnulos, ita & vniuersorum Pater eos diligit, recipit, ac defendit, qui in nequitia non inueterascunt, sed in initio vocationis ad ipsum accedunt, & appropinquant.

Vers. 8. *Emundate manus vestras, peccatores, & purificate corda vestra, duplices animo.*

EXPOSITIO LITERALIS.



OSTENDIT iam Apostolus quomodo Deo sit appropinquandũ, sicut hoc loco notauit Beda, hoc est, inquit, veraciter Domino nos appropinquare, operis videlicet munditiam, & cordis simplicitatem habere. *Innocens manibus, & mundo corde, hic accipiet benedictionem à Domino; & misericordiam.* Per (*manus*) verò opera significantur in sacris literis, cuius rei, vt pleraque omittamus, exemplum est in Exodo. *Et viderunt Ægyptios mortuos super littus maris, & manum magnam quam exercuerat Dominus contra eos*, & alibi. *Deum exquisiui manibus meis, nocte coram eo:* vbi manibus, id est, bonis operibus, quæ tamen nocte, hoc est, occultè, & in Dei tantùm conspectu fierent. Vnde Christus Dom. Matth. 6. *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.* Et dum Moyses attollit manus suas, vincitur Amalech, hoc est, vt interpretatur Adamantius, opera & actus sustollit ad Deum, non humi iacens obrepénsque instar reptilium, sed ad Deum porrectus, in cœlúmque surrectus. Et D. Aug. in Psalm. 62. ad ea verba. *In nomine tuo leuabo manus meas*, ait, quia manus istæ leuantur, verè impetras quod vis, ipsas manus cogita in bonis operibus exercere, ne erubescant leuari ad Deum.

[Margin: Psal. 23. — Exod. 14. — Psal. 78. — Exod. 17.]

VNDE iam per manuum lotionem puritas operum significatur: & olim innocentiæ signum erat, quasi illas incontaminatas profiteretur, qui lotas ostenderet, patétque hoc in Deut. vbi cadauer in agro cæsum quis repererit, ignorato cædis authore, seniores ciuitatis, quæ loco ita polluto proxima fuerit,

[Margin: Deut. 21]

fuerit, accersiri iubentur, & in deserta sterilisque conualle vitulam facere, super quam lauent manus, vt ita expientur, & ipsi, & ciuitas. Sic circundaturũ se altare Domini Dauid profitetur, cùm vnà cum innocentibus manus abluerit. Et Pilatus, cùm iniquæ sententiæ crimen in Hebræos reiiceret, innocentiam suam publicè attestaturus, manus publicè lauit. Et apud Isai. inquit Deus. *Cùm multiplicaueritis orationem, non exaudiam, manus enim vestra sanguine plena sunt.* Subiungit mox. *Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum.* Caietan. hoc loco per (*manus*) intelligit omnia organa operandi mundanda esse, & eundem sensum efficit; est enim manus organum organorum. Psal. 25. Matt. 27. Isai. 1.

QVIA verò puritas operum nostrorum oritur ex sincera intentione, duplicitatem animi monet abiiciendam, & purificanda corda ab omni simulatione, & duplicitate, & peruersitate. Purificationem autem cordis intelligendam censeo ex munditie cordis, de qua loquitur Christus Dom. vt scilicet à nobis abiiciamus quæcumque praua opera, & peccata, neque enim purificatio cordis ad solam castitatem restringenda est, vt patet ex communi expositione ad eum locum. Potest enim quis castus esse, & immundus corde, si aliquod, scilicet, habeat mortale peccatum. Matth. 5.

PVRIFICANDA autem docet corda, quoniam cor est fons peccatorum, iuxta illud Christi. *Quæ procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem: de corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ.* Mat. 15.

CVM verò Iacobus Iudæis ad fidem conuersis scripserit, qui de externa puritate admodùm erant soliciti, vt videre est apud Matthæum cùm calumniantur discipulos, quòd non lauent manus. Et apud Marc. *Pharisæi, & omnes Iudæi nisi crebrò lauerint manus non manducant, & à foro nisi baptizentur, non comedunt, & alia multa sunt, quæ tradita sunt illis seruare baptismata.* Vnde Christus Dominus dixit. *Similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris apparent hominibus speciosa, intus autem plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia.* Matt. 10. Marc. 7. Matt. 23.

IDEO ergo docet Iacobus purificanda corda iis, qui sola externa membra purificare curabant. Vnde & Christus: *Munda prius quod intus est calicis, vt fiat, quod de foris est mundum.* Quod prosequitur Aug. Psa. 125. Si volueris vt exteriora munda sint, interiora mundato. Et Ser. 21. de verbis Apostoli. Deus cor interrogat, non manum. Sic etiam, & Petrus Circuncisionis, ac Iudæorum peculiaris Apostolus, ait. *Christum Dominum sanctificate in cordibus vestris.* Notauit autem Amb. 5. de Sacrament. c. 4. & Tertullian. lib. de Orat. Didym. & Oecum. de industria dixisse Petrũ, *in cordibus vestris*, etenim scribebat iis, quibus Christus dixerat. *Populus hic labiis me honorat.* Duplices animo vocat secundùm Glossam, qui Deum simul, & terram diligunt, nunc bona, nunc mala. 1. Ep. c. 3.

§. I.

Recta ad Deum conuersio incipit à cordis purificatione.

POSTQVAM Iacobus monuit, vt Deo appropinquaremus, modò assignat qualiter hoc fieri debeat, per purificationem, scilicet, manuum, ac cordium. Et licèt priùs posuerit manus, purificatio, & sanctitas à corde incipit, quod fons est iniquarum actionum; proinde eidem primò occurrendum, vt inde iam perfecta opera decurrant. Vnde D. Thomas 1. 2. q. 20. & 2. 2. q. 122. artic. 3. ait, fundamentum bonitatis esse bonitatem internam. Namque, sicut dixit Aristoteles lib. de iuuentute, & senectut. cap. 1. *Cor animantiũ sanguine præditorum, primum gignitur.* Quod etiam docet Plin. lib. 11. c. 37. & Basil. Psal. 1. ait. Natura cor præmolitur, ac vice fundamenti præstruit. Proinde vita spiritualis à corde debet sumere initium, & purificatio interna inde debet incipere.

Isai. 46. ET ideo Isai. iussit peccatores redire ad cor, vt reditus ad Deum, & appropinquatio inde initium sumeret. Quod prosequitur D. Bern. Serm. 2.
Ioël. 2. in cap. ieiunij, super ea verba Ioëlis. *Conuertimini ad me in toto corde vestro.* Forma, inquit, conuersionis est ista. Miser homo, qui totus pergens in ea, quæ foris sunt, & ignarus interiorum suorum, putans aliquid se esse, cùm nihil sit, se seducit, exteriorem quippe superficiem intuens, salua sibi omnia suspicatur, non sentiens vermem occultum, qui interiora corrodit. Attende solerter quid diligas, quid metuas, vnde gaudeas, aut contristeris, & sub habitu religionis animum secularem, sub pannis conuersionis, inuenies cor peruersum. Totum enim cor in his quatuor affectionibus est, & de his accipiendum puto, quod dicitur, vt in toto corde tuo conuertaris ad
Ps. 61. Dominum, quod Dauid dixit. *Effundite coram illo corda vestra.* vbi Genebrar. Magna vi ei obiicite, patefacite, & effusè ei explicate corda vestra, mētium vestrarum vota, & optata, quasi dicat, totos vos ei committite, in eum omnes vestros affectus reiicite, vni fidite. Conuertatur proinde amor tuus, vt nihil omnino diligas, nisi ipsum, aut certè propter ipsum, conuertatur etiam ad ipsum timor tuus, quia peruersus est timor, quo metuis aliquid præter eum, aut non propter eum, sic & gaudium tuum, & tristitia æquè conuertatur ad ipsum, sic non nisi secundùm eum, aut doleas, aut læteris. Sic Bernard. qui nobis non solùm ex Propheta ostendit purificanda corda, sed insuper etiam præscribit methodum eadem purificandi. Similiáque habet idem Bernard. Serm. 25. in Cantic. vbi ostendit omnem Sanctorum curam circa renouationem internam versari, alioqui nihil eis prodest, nisi à corde incipiant.

§. II.

Odiosa Deo duplicitas animi, proinde reiicienda.

II verò, qui plus indigent purificatione cordis, sunt, qui fictum animum habent, quia dolo, & iniquitate pleni sunt; vbi enim duplicitas cordis

ac

ac falsitas animi reperitur, omnia simul adsunt mala. Vnde cùm Paulus dixit Elimæ Mago. *O plene omni fallacia*; Syriac. codex habet, pro, *omni fallacia*; *omnibus flagitiis*, quæ quidem veluti in epilogo cõtinentur in fallacia. Vnde de illis veluti pessimis totius Ecclesiæ cõquestam dicit eandem Ecclesiam D. Greg. lib. 13. Moral. c. 4. sic enim habet ad illa verba Iob. *Rugæ meæ testimonium dicunt contra me.* Quid per *rugas* nisi duplicitas significatur? Rugæ itaque sunt sanctæ Ecclesiæ omnes, qui in ea dupliciter viuunt, has autem rugas in electis suis sancta Ecclesia non habet, quia videlicet nesciunt aliud de se foris ostendere, & intus aliud habere. Vnde rectè egregius Prædicator dicit, *vt exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam*; maculam quippe, & rugam non habet, quæ & turpitudine operis, & duplicitate sermonis caret; sed quia nunc intra sinum fidei multos etiam reprobos tenet, cùm tempus persequutionis exarserit, ipsos hostes patitur. Dicit itaque. *Rugæ meæ testimonium dicunt contra me*, id est, ipsi me insequendo increpant, qui nunc in meo corpore positi duplicitatis suæ in se malitiam non emendant.

Act. 13. *Iob. 16.* *Ephes. 5.*

Et Chrysost. hom. 1. in imperfect. ibi. *Isaac autem genuit Iacob.* Iacob, & Esau geniti sunt in figura duorum sæculorum, Esau, à capite vsque ad pedes totus pilosus, sæculum primum hoc significat, quod ab initio vsque ad finem totum quasi asperrimis pilis iniquitatum repletum est. Iacob autem totus speciosus, & nitidus. Non mirum igitur, si tot fallaciæ, & duplicitates in mundo reperiantur, cùm totus ipse pilosus sit. *Matth. 1.*

Ideoqve Ambros. de obitu fratris ait. Qua prosequutione simplicitatem eius edisseram? Ea est enim quædam morum temperantia, mentísque sobrietas, anima benedicta, omnis simplex, tantæ simplicitatis erat, vt conuersus in puerum simplicitate illius ætatis innoxiæ, perfectæ virtutis effigie, & quodam innocentum morum speculo reluceret.

Et de Adamo in gratia condito dixit Nazianzen. Orat. 2. in Pascha. Nudus quantùm ad simplicitatem, & vitam arte & fuco carentem, sic necesse erat, vt prodiret è manibus Dei conditus homo, qui ad imaginem Dei, simplicissimi actus, conditus erat. Vnde & illi maximè displicent duplici animo homines, sicut notauit Ambros. lib. 7. in c. 9. Luc. cùm ponderat id, quod Christus Dominus dixit cuidam, qui dixerat. *Sequar te quocumque ieris.* Respondit enim. *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos vbi requiescant: Filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet.* Non videtur conuenire rationi, ait Ambros. vt simplicem fidelémque istum arbitremur, qui Domini dignatione respuitur, cùm indefessi famulatus obsequium spopondisset, sed Dominus, non obsequiorum speciem, sed puritatem quærit affectus. Denique suprà ait. *Quicumque receperit puerum istum in nomine meo*; quo loco Dominus simplicitatem sine arrogantia, veritatem sine inuidia docet, &c. Sic Ambros. Videndus etiam Cypr. lib. de vnitate Ecclesiæ, vbi reddens rationem, cur Spiritus sanctus in columba descenderit super Christum Dominum, quia scilicet simplex illud animal est, inquit Cyprianus.

Et quia vero Deo tam displicet fallax animus,& duplex cor,falsis Diis etiam veteres voluerunt id displicere. Vnde Pythagoras (teste Laërtio lib. 8.) Sacerdotes in veste candida,qui color simplicissimus est,Diis offerre debuisse dicebat. Qua etiam ratione Gellius lib. 10. c. 15. & 2.lib. Varronis rerum diuinar.dicit,solum Flaminem dialem album habuisse galerum. Facit etiam pro hac re tabella Apellis, qui dolum, siue fraudem depingens comitem ei adiunxit calumniam,vt refert is liber, cui titulus est, *Imagines Deorum*,quem ex vetustissimis authoribus collegit Vincentius Catarius, vbi additur,dolosum nõ dissimilẽ esse Lamiis. Has verò dicũt pulcherrimas facie, ad pectus vsque, cætera verò squamosa esse volumina,immundáque.

Cvm ergo tam displiceant Deo,támque nequissimi sint duplices animo,iure eorum purificanda iubet corda Apostolus,quò propiùs ad Deum possint accedere. Videndus contra hoc vitium August. Psal. 63. Ambros. 3. Offic.cap.9.10.& 11.Gregor. 3. part. Pastoral. c. 12. Chrysost. homil. 7. in Act. Basil. Regul. 243. in breuiorib. & hom. de vtilitate ex lect. gent. Plura hac de re diximus cap. 1. vers. 8.

Vers. 9. *Miseri estote, & lugete, & plorate, risus vester in luctum conuertatur, & gaudium in mœrorem.*

EXPOSITIO LITERALIS.



OStendit Apostolus qualiter appropinquandum sit Deo,& purificanda corda per luctum,scilicet,peccatorum, & per assumptum mœrorem,& tristitiam ex offensionibus contra Deum,quia is,qui ad Deum conuertitur,debet etiã conuertere gaudiũ sæculi in lamentationem transitoriam, quousque in gaudium Domini æternum introducatur.

Prou. 14. Dvplex,inquit Carthus. miseria,vna culpæ,de qua legitur; *Iustitia eleuat gentem, miseros facit populos peccatum*: altera miseria pœnæ,de qua ait Prophe-
Psal. 31. ta. *Conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina.* Vnde S. Ber. ait de Christo. Misericordiæ Domini multæ sunt,sed & miseriæ multæ. De vtrisque autem his miseriis verificatur illud Iob. *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miseriis.*

Hortatvr ergo Apostolus in præsenti, vt miseri simus miseria pœnæ,corporales afflictiones,& tribulationes sponte,ac patienter pro nostris sustinendo excessibus, vt Christo propter nos passo aliquo modo conformemur,& futura euadamus supplicia. Idem itaque est, *Miseri estote*, ac affligite vos,vt Caietan.& alij. Lyran. Statum miseri assumite recurrendo ad eum,cuius proprium est misereri (scilicet miserorum) & parcere.

Propivs verò accedens,vt videtur,ad mentem Apostoli D. Thomas. *Misereri estote*.i.miseriam vestram recogitate,& recognoscite,in quam, scilicet,per peccatum incidistis;vel:miseri estote pro gloria,quam amisistis,& lu

lugete,cuius debitores facti estis.Ita, sicut bene notauit Caiet. cætera,quæ addidit Apostolus,describunt statum pœnitentialem;*Risus in luctum,& gaudium in mœrorem conuertatur.* Si enim gaudium momentaneum in præsenti, scilicet,peccatorum,vertitur in gaudium sempiternum, mœror pœnitentiæ momentaneus postea vertetur in æternum gaudium,iuxta illud Ioan. *Tristitia vestra conuertetur in gaudium.* Ioan. 16.

VNDE Bernard. Serm. 3. in Natal.Domini loquens de Christo. Fratres, ipse est promissus olim per Isaiam,sciens reprobare malum, & eligere bonum:malum voluptas corporis,bonum verò afflictio est, siquidem & hanc eligit,& illam reprobat.

ET Aug. in Ps. 85. ponderans hæc verba Iacobi, ait. Vtique regio ista scandalorum est, & tentationum, & omnium malorum,vt gemamus hîc, & mereamur gaudere ibi, & dicere. *Eripuisti animam meam à lacrymis.* Imò & Basil.relatus hic à Carthus.docet.A risu,& irrefrænata lætitia nos cohibere debemus,cùm quotidie tot peccata fiant in mundo, & Deus tam grauiter inhonoretur,& offendatur,atque in hac valle lacrymarum variis periculis expositi simus,& ignoremus, an amore digni simus,an odio.

QVI verò clarè agnoscunt, se Deum lethaliter offendisse, iure lamentum debent assumere, & quamlibet præhabitam lætitiam in luctum conuertere,ac tristitiam. Vbi notandus venit Chrysost.hom. 5.ad Pop.Tristitia, inquit, ad nihil aliud vtilis est,nisi vt de peccatis habeatur. Nisi fortè placeat ideo nos monere, vt ploremus,quia mensura consolationis,lacryma,& pœnitẽtia est.Quod argumentũ latè prosequitur D.Hieron.in Ps.95.

§. I.

Quantùm lacrymæ conducant ad animæ purificationem.

SIC commendat hoc in loco Apostolus lacrymarum profluuium, geminatisque verbis lamentum postulat ad purificanda corda, vt ostendat apertissimè magnam vim, & virtutem,quam lacrymæ ad delenda peccata habent. Quod videtur etiam Paulus notasse,cùm ponderat,Christum Dominum cum clamore valido, & lacrymis se Deo pro nobis obtulisse, effundendo lacrymas,quando pariter pro nobis,& sanguinem effundebat, vt vim lacrymarum infinito sanguinis pretio propè conferret. Vnde mirum non erit,si Chrysost. in Psal. 30. lacrymas sanguini pro fide effuso videatur conferre, cùm lacrymæ etiam cordis cruor sint.Et author Sermonum ad fratres in Eremo Serm. 11.Lacryma passionis Domini est vicaria. Et Nazian.Orat.in sancta lumina, ac Nicetas in Orat. in sanctum Baptisma.Et Isidor.lib. 2.de Offic.Ecclesiast.cap.24. dicunt,lacrymas esse Baptismum animarum.Et D. Leo Serm. 9. de Passione.Felices, sancte Apostole, tuæ lacrymæ, quæ ad diluendam culpam negationis, virtutem sacri habuêre Baptismatis. Hebr. 5.

VNDE iam venit notandus ille locus Hieron. epist. 83. cùm ponderat,

primũ,& vltimum miraculum Christum edidisse in aquis. Sic enim habet:
Ioan. 2. Qui ab aquis primum signum cœperat,finiuit in aquis. In Cana enim con-
Ioan. 19 uertit aquam in vinum , in morte effluxit aqua , vt significaret virtutem abluendi sacri Baptismi, & martyrij , quorum virtutem concessit aquis lacrymarum. Vnde Helias Cretens. ad funebrem orationem Nazianzeni de Gorgonia refert , dixisse Ioannem Climacum. Lacrymæ nisi diuinitùs datæ essent , pauci inuenti essent, qui salutem consequerentur. Et Nazianz. Orat. 1. contra Iulian. lacrymas vocat peccati diluuium , & mundi piamentum. Et Aug. in Psalm. 85. Nihil tam coniunctum miseriæ,quàm luctus,ni-
Matt 5. hil tam remotum,& contrarium miseriæ,quàm beatitudo. Tu dicis lugentes,& dicis beatos. Beati qui lugent,qui agnoscunt se esse in miseria, & lu-
Exod 15. gent,beati sunt. Et Ser. 11. ad fratres in Eremo,apud eundem Aug. Peccatores ex Ægypto vitiorum exeunt,mare rubrum transeuntes , dum submergunt hostes,& vitia suffocantur, verè cantant Domino gloriosè , ad has lamentationes te conuerte. Paradisum simul lacryma aperit, infernum claudit. O felix tabula,ô vitalis nauicula!

Psal 38. ET S. Ephrem de compunctione & salute animæ affert illud Psal. *Lacrymas meas ne sileas* aitque. Si tanta est fiducia,ac libertas silentis,beatus homo qui lacrymas fundit,præmittítque illuc , vt cum sancto Propheta confidenter clamare possit; *Lacrymas meas ne sileas*. Noui quòd si lacrymarũ mearum memor fueris , iniquitatum mearum non recordaberis, cùm vel perexigua lacryma multa possit abolere peccata,ideo tuam exoro bonitatem, vt lacrymas meas in medium adducas. Quando igitur positi erunt throni, & aperientur libri,lacrymas meas ne sileas; quicumque enim lacrymas illuc præmiserit,confidenter ad iudicium tuum accedet. Noui quãtùm apud te valeant lacrymæ. O virtutem lacrymarum,quæ medicinalis officina est peccatorum , per te peccatores efficiuntur beati, beati qui nunc fletis. Similiáque habet Ser. 3. de compunct.

ET Ber. de diuersis affectionib. animæ. Quærenda sunt,inquit,remedia lacrymarum,& currendum ad aquas, quarum abundantia malè viuida radix peccati suffocatur. Et Cypr. Ser. de Cœna Domini. Quoties te in conspectu Domini video suspirantem,Spiritum sanctum non dubito aspirantem,cùm intueor flentem,sentio ignoscẽtem. Et Greg. 9. Moral. c. 35. Quicquid in nobis polluerunt opera,diluant lamenta,& siquid adhuc culpa delectationis inquinat,pœna mœroris tergat. Et in Ps. 50. de lacrymis sic ait. In codice scripta sunt peccata tua,spongia peccatorum tuorum , lacrymæ tuæ sunt, effunde lacrymas, & poteris ea delere.

ES T optimus in hanc sententiam locus ad Petrum Abbatem Cællensem tom. 9. Biblioth. lib. de Panib. c. 12. vbi sic habet. Angelus qui nunquam peccauit,& Adam priùs quàm peccauerit,non deplorauit. De fonte igitur peccatorum , vena exiliuit omnium lacrymarum. Mirum tamen in hoc artificis Dei ingenium , vt lacryma de venis erumpens peccatorum, profusa humiliter,absorberet omne peccatum. Planè sic Deus de peccato damnauit omne peccatum:namq; lacryma sordida lauat, decorat fœda , &

Eccle-

Ecclesiam,vt sit sine macula,efficit.

Facit etiam ad ostendendam vim lacrymarum in abluendis peccatis, D.Ambros.in Psal.37.cùm eos qui plorauerunt peccata sua, sic cum Deo loquentes introducit. Plus acquisiuimus, qui plus peccauimus, quia beatiores facit tua gratia, quàm nostra innocentia. Tantam enim gratiæ abundantiam profusæ lacrymæ comparant,vt excedant aliquando flentes peccata sua,eos qui nunquam peccarunt,nec gratiam amiserunt. Vnde Arnobius in Ps.138.loquens de D.Petro. Maior gradus redditur ploranti, quàm fuerat sublatus deneganti.

Facit etiam Ambros.Ser.46.cùm de D.Petro flente habet ita. Inuenio quòd fleuerit,non inuenio quid dixerit, lacrymas eius lego,satisfactionem non lego,quia quod defleri solet,non solet excusari, & quod defendi non potest,ablui potest. Lauat enim lacryma delictum,quod est pudor confiteri,lacrymæ verecundiæ pariter consulunt & saluti. Neque enim lacrymæ erubescunt in petendo,& impetrant in rogando,veniam non postulant,& merentur:etenim sine aliquo interuallo coniunguntur, & lacrymæ peccatoris,& misericordia Saluatoris. Idem Ambros.lib.1.de Pœnitent.c. 4. Expectat lacrymas nostras,vt profundat pietatem suam. Merguntúrque hoc veluti mari Ægyptiacæ copiæ,peccata scilicet, fitque per illud ad cœlum via sine impedimento,oculorúmque aquæ profusæ euehunt, tanquam diluuij aquæ animam nostram,ac nos ipsos supra omnes montes terræ, viciniorésque reddunt cœlo,sicut prosequitur Nazianz.Orat. 3. Vnde quando hortatu Samuëlis populum pœnituit, haustam aquam effuderunt in conspectu Domini,ieiunantes,dicentésque se peccasse Domino. Cuius rei rationem si inquiras, modò eam ad rem nostram reddimus, quam affert Rabbi Oziel,vt esset lacrymarum symbolum,quas profiterentur sibi deesse,& quibus effusis diuina adest misericordia,& consolatio. Vnde & paraphrasis Chaldæa habet,quòd impleuerunt aquas, & effuderunt cor suum in pœnitentia ante Dominum,iuxta illud Psalmi. *Effundite coram illo corda vestra.* Est sanè longè feracior cœlestis,siue pluuialis aqua(teste Philosopho lib.7.de hist.animal.)quàm fontium,& fluminum: sic etiam & feracissima bonorum omnium ea aqua lacrymarum, quæ ex diuinis, & superioribus causis,ac motiuis concipitur, quàm quæ ex terrenis. Cæterùm cùm nihil arescat citiùs lacrymis,frequentanda vtique est lacrymatio,neque confidēdum posse placari Deum vna lacryma,quam oculos terendo vix vi, vt est apud Comicum,expresserimus. Vnde Author libri meditationum sub nomine Aug.c.36.ea verba Psal. *Calix meus inebrians, quàm præclarus est;* intelligit de calice piarum lacrymarum,quem à Deo postulat tanquàm gratiam,mēsámque vocat,& calicem inebriātem,& præclarum,qui sitim extinguat & satiet,inducátq; Spiritus sancti inhabitationem, & ardorem in amore Dei.

Exod.14. Sap.19. Genes.7. 1.Reg 6. Psal.61. Psal.22.

Probat etiam & efficaciam lacrymarum id,quod ait Bernard. Serm. in illud Iob. *In sex tribulationibus;* vbi ait. Vtinam nunc quis daret capiti meo aquam. Ideóque fortè huius aquæ guttam ad restinguendam flammam postulauit in flammis diues auarus. Pro qua sententia notanda est ea subtilis ex Iob.5.

Luc. 16. expositio D. Hieronymi ad ea verba. *Ibi erit fletus, & stridor dentium.* Non vult enim eas veras lacrymas doloris esse, sed vi fumi elicitas, & excussas: non enim decet, vt tanti pretij res in tam infelici loco reperiatur. Et hæc est ratio quare Iacobus hîc lacrymas sic commendet, & lamentum doceat, dicens: *Miseri estote, & lugete.*

§. II.

Lacrymæ in abluendis peccatis tantùm debent impendi.

ET cùm ex tradita doctrina constet, quantùm lacrymæ valeant ad peccatorum ablutionem, & dilutionem, inde fit consequens, vt pro solis peccatis effundi debeant. Quod notauit Aug. Ser. 10. de Passione in lacrymis Magdalenæ, quæ ad sepulchrum effusæ, non Deum, sed Angelum habuerunt consolatorem, imò prohibitorem, cùm dixit. *Mulier quid ploras?* desiderantis lacrymas non approbat, pœnitentis approbat: & qui à lacrymis desiderantis Mariæ in horto tangi noluit, à lacrymis eiusdem peccatricis lauari voluit. Imò ad mulieres super ipsũ flentes dixit: *Super vos, & super filios vestros flete.* Vnde Chrysolog. Serm. 64. asserit, Christum Dominum ante resurrectionem Lazari plorasse peccatum, quod causa mortis extiterat.

(Ioan. 20.; Luc. 7.)

Ezech. 8. FACIT & ille locus Ezechielis, vbi, postquam Deus ostendit Prophetæ seniores per maximam impudentiã adolentes incensum coram bestiis, & reptilibus, ait Dominus. *Adhuc videbis abominationes maiores. Et introduxit me per ostium portæ domus Domini, quod respiciebat ad Aquilonem; & ecce mulieres plangentes Adonidem.* vbi D. Hierony. Nos eos, qui ad sæculi mala, vel & bona, vel contristantur, vel exultant, mulieres appellemus molli & effœminato animo, dicamúsque eos plangere Thamnuz, ea videlicet quæ in rebus mundi putantur esse pulcherrima. Hæc. Hierony. Ex cuius doctrina illud elicimus, summam apud Deum prorsus abominationem esse, siquis lacrymarum vsum in aliud, quàm in abluenda peccata conuertat, & eas pro qualibet alia re effundat.

Gen 5. NOSTRA vulgata in Genes. dicit, vixisse Adamum centum, & triginta annis. Septuag verò, & Ioseph. lib. 1. Antiqui. dicunt, vixisse ducẽtis 30. annis. Quòd si inquiras, quare non habeat nostra versio illos centum annos? Lyra. Genes. 4. referens Methodium, ideo eos subticuisse dicit, quia mortẽ Abelis fleuit illis centum annis. Illud autem tempus, quod in lacrymis effundendis pro alia re, quàm pro peccatis consumitur, noluit Deus, vt in numerum veniret cum aliis annis, quos vixerat, suum, ac omnium nostrum deflendo peccatum. Displicet enim Deo talis fletus.

Matth. 9. QVOD notauit etiam Chrysost. homil. 32. in Matth. cùm aduertit, Christum Dom. vt filiam Principis ad vitam reuocaret, tibicines ac turbam tumultuantem, ac plangentem eiecisse. Considera, inquit Chrysost. flentes, atque

atque plorantes, quasi tam magna videre miracula indignos, omnes ei-ctos fuisse. Is qui lacrymis peccatorum delectatur, eiicit lacrymantes pro mortua, & ad illorum præsentiam non vult suscitare defunctam: quò doceat lacrymas soli morti peccati conuenire. Morti enim corporis nihil prosunt, cùm mortuam animam ad gratiæ vitam reducant. Quod argumentum prosequitur idem Chrysost. hom. 5. ad Popul. vbi ita ait. Mortem lugere omittés, luge peccata, vt ipsa doleas; propter hoc enim mœstitia facta est, non vt in morte, nec in alia re tali doleamus, sed vt ipsa ad delendum vtamur peccata: remedia medicinalia propter illos tantùm morbos facta sunt, quos tollere possunt, non propter illos, quos nihil adiuuare possunt, medicamentum oculos lippientes tantùm curare valens, nullum verò alium morbum, nemo alteri adhibet. Mulctatus est quispiam pecuniis, tristatus est, mulctam non emendauit, filium amisit, doluit, mortuum non suscitauit, neque defuncto profuit, peccauit quis, tristatus est, peccatum deleuit, dissoluit debitũ. Multa habet idem Chrysostom. hac de re homil. 12. ad Coloss.

Et hæc est ratio, quare apud August. Author Serm. ad fratres in Eremo Serm. 11. dicat; Virginem, dum iuxta crucem stabat, non mortem solùm filij, sed etiam peccata crucifigentium deplorasse. Et D. Bernar. Serm. de Maria Magdalena exponens ea verba Pauli. *Flete cum flentibus.* Nunquid Apostolus præcipit flere rerum amissionem, intermissionem voluptatum, filiorum mortes, morborum instantiam, grauitatem inopiæ, potentiam fortiorum? Absit. Plorandi enim sunt, qui taliter plorant, religiosa enim tristitia, aut alienũ luget peccatũ, aut propriũ. Beati quorũ luctus in hac intentione versatur, quia cõsolatoriã possunt in hac expectare dulcedinem. Rom. 12.

Vnde D. Hilar. Can. 4. in Matth. explicat, quinam sunt ij lugentes, quos Christus Dominus beatos prædicauit. *Beati lugentes, quoniam ipsi consolabuntur.* Matt. 5. Lugentibus, inquit, æternæ consolationis solatia repromittit, non orbitates, aut contumelias, aut damna mœrentibus; sed peccata vetera flentibus, & criminum, quibus obsordescimus, conscientia ærumnosis. Hæc sedula in cœlo consolatio præparatur. Quasi qui alia lugent, tam procul sint à consolatione diuina, vt neque pro lugentibus reputentur, neque in numerum lacrymarum veniant illæ, quæ pro alia quauis re, quàm pro Dei offensis funduntur. Quod idem argumentum prosequitur Petrus Cællens. Abbas loco sup. cit. Hæc igitur est ratio, cur Iacobus tot verbis peccatorum deplorationem commendet, vt nos instruat, lacrymas huic tantummodo rei esse applicandas.

§. III.

Quantùm Deo placeant lachrymæ nostræ.

INDVCIT etiam nos ad luctum, & afflictionem, quia nihil tam placet Deo, nihil tam cogit ipsum ad nostram absolutionem. Illud primum

Psal. 59 probat Dauid cùm gloriatur, Deum in conspectu suo posuisse ipsius Dauidis lacrymas. vbi pro, in conspectu. Genebr. exposuit, in sacculo velut res pretiosas. Vatabl. Lacrymas meas repone in laguneulam tuam, vt aquam adoriferam, annon in rationario tuo? Velut solutionem & satisfactionem meam, alij legunt, in thesauris tuis, quasi Deus tanti faciat lacrymas, vt eas
Psal. 126. in thesauro suo recondat; quod etiam explicat dicens. *Euntes ibant, & flebant mittentes semina sua.* Quodnam verò semen hoc fuerit, explicat originalis vox, ex qua hæc tota sententia elicitur. Euntes ibant, & flebant portantes semen pretiosum, quod lacrymas esse intelligo, iuxta illud eiusdem Ps. *Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent.*

VIDENDVS etiam Pierius lib. 41. vbi docet, apud veteres per vnioné, lacrymas significatas esse, sumpto quidé indicio à coniectoribus, qui visos in somnis vniones lacrymarum profluuium portendere tradiderunt, vt apud Suidam videre est. Et hæc est ratio, quare lacrymæ soli Deo, cui summè placent, debeant offerri. Quod probat locus ille Exodi, vbi dicitur; *de-*
Exo. 22. *cimas tuas, & primitias tuas non tardabis reddere.* in Hebr. est. *decimas tuas, & lacrymas tuas.* Et ita pro *lacrymis* reddit noster Vulgatus primitias, quæ quidem soli Deo debentur, vt nobis inculcaret, lacrymas soli Deo offerendas, quibus ipse maximè conciliatur.

HOC etiam manifestè probat locus ille, vbi Samuël constituens amicitiam inter Deum, & populum Israëliticum, qui post idola abierat, dixit.
1.Reg. 7. *Congregate vniuersum Israël in Masphath, vt orem pro vobis Dominum. Et conuenerũt in Masphath, hauseruntque aquam, & effuderunt in conspectu Domini, & ieiunauerunt in die illa, atque dixerunt. Peccauimus Domino.* Tota difficultas est in explicanda huiusmodi effusione aquæ. Etenim aliqui locum intellexerunt de aqua probationis, quà dicunt vsum fuisse Samuëlem, vt idololatria contaminatos agnosceret: quæ expositio est Rab. Salomonis, vt ibi refert Lyran. & D. Hierony. in tradition. Hebr. Non cohæret tamen cum textu, quia ibi Samuël non iam supplicium sumere intendebat; sed pro populo orare, & firmam amicitiam cõstituere, præterquàm quòd totus fere populus sequutus fuerat idola. Vnde Abul. quæst. 28. in c. 7. lib. 1. Reg. dicit in eo, quod sacer Text. ait populum hausisse aquã, significatum esse sacrificium peculiare populi. Qua in re sequutus videtur Iosephum lib. 6. Antiquitat. c. 2. Haurientes aquam libauerunt Deo, & indicto ieiunio, &c. quibus verbis significat eam aquam haustam à populo, fuisse Deo oblatam in sacrificium, sicut
2.Re. 23. de aqua allata ad Dauidem dicitur, *Libauit eam Domino.* Rabbi Dauid, quem sequitur Regia glossa, sic explicat hoc sacrificiũ. Aqua effusa signum fuit mutati propositi, velle se posthac mundos esse, & nihil superfuturum idololatriæ: quod postea etiam dixit Rabanus, vt, sicut aqua effusa non redit, sic neq; ipsi redirent ad idololatriam. Sic iã explicatus remanebat locus: sed adhuc restat expositio ea quã indagamus, quæq; instituto inseruit. Eam verò habet paraphrastes Chaldæus in hunc modum. Hauserunt aquas è puteo cordis sui, & abundè lacrymati sunt coram Domino pœnitentes. Sic Chald. Quod ex eo etiam potest confirmari, quia vbi nostra vulgata

in hoc eodem cap. habet. *Et requieuit omnis domus Israël post Dominum*, in Hebr. est. *Planxerunt*, vel *ingemuerunt omnis Israël post Dominum*. Pagnin. *& luxerunt omnis domus Israël*. Vatab. *& lamentatione quadam post Dominum vniuersa domus Israël anhela fuit*. Dicit verò hausisse aquas è puteo cordis, quia, vt aduertit Cælius Rodigin. lib. 12. antiquar. lect. cap. 3. Non est, inquit, aliud lacryma, quàm aquosus humor ab oculis profluens ex imo corde: quod agnoscens Homerus, lacrymas calidas appellauit. Vnde iam videtur constare, illud sacrificium Domino peculiariter oblatum in recōciliationē totius populi Israël, fuisse aquam haustam de cordibus, fusam per oculos, quæ soli Deo debetur, quæque super omnia Deo placet.

Vnde illa Atheniensis ara, quæ Clementiæ erat consecrata, vt refert Euseb. lib. 12. nullum aliud sacrificium admittebat, nec offerebantur vitulorum mugitus, aut agnorum balatus, sed lacrymæ, atque suspiria, quibus diuina clementia conciliatur. Vnde Nazian. Orat. 18. Neque Deus re vlla perinde, atque corporis ærumna conciliatur, lacrymisque misericordiæ vicissim rependi solent.

Vnde iam mihi aliquando in mentem venit, Christum Dominum Mariam lacrymis pedes eius lauantem dum videret, delectatum omnino eo obiecto, vocasse Simonem, vt in pulchritudinē mulieris sic plorantis oculos conuerteret. Vides hanc mulierem? vides nouam pulchritudinem, veteri, ac profana lacrymis prorsus deleta? Vnde Chrysost. hom. 30. in Genes. de lacrymis Dauidis peccatum suum deflentis. Quid oculis illis, inquit, formosius, perpetuo lacrymarum imbre, & quasi margaritarum decore ornatis? Similiáque habet hom. de Dauide, & Saüle. Et hom. 12. ad Colos. multa de lacrymarum pulchritudine habet. Faciem formosam exhibent, venustam nobis illam faciunt, nihil iucundius oculis illacrymantibus. Luc. 7.

Illudque mihi probat quantùm Deo lacrymæ super omnia placeant, quòd videam quanti fiant apud Angelos. *Gaudium erit in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente*, cùm diabolo super omnia lacrymæ displiceant. Quod prosequitur Petrus Cællens. lib. de Panibus c. 12. vbi de diabolo ita ait. Suam tolerabiliùs sustinet flammam, quàm lacrymam nostram, actiúsque contriti cordis lacryma, quàm flamma infernalis incendij torquetur; flumina omnia absorbet, sed hanc tamen aquam non sorbet. Luc. 15.

§ IV.

Quantam vim Deo inferant lacrymæ nostræ.

Diximus etiam, Apostolum nos in præsenti multis verbis ad lacrymas vocare, quia hæ potentissimæ apud Deum sunt, ipsique vim inferre videntur, & quocumque voluerint, Deum inflectunt: quod potest aliqualiter (quia aliter communiter exponitur) ille locus Isaiæ probare, vbi summus Imperator Deus conuocans milites suos Ælamitas, & Medos ad deuastandam Babylonem ità ait. *Ascende Ælam, obside Mede, omnem* Isai. 21.

gemitum eius cessare feci, seu, vt alij legunt, *Ego cessare faciam omnem gemitũ eius.* Vt sit sensus: Ascendite, & expugnate Babylonem; neque verò vereamini, vt ego sententiam mutem, pœnitentiáue ductus eorum miserear; namque cassare faciam gemitum, & siccabo lacrymas, quæ me tantum possent à sententia dimouere, & à proposito deflectere: cessante autem planctu, non cessabit iustitia, quæ solis ligari solet lacrymis.

IDEM insuper probare videtur locus ille Cantic. vbi Sponsus ait. *Vulnerasti cor meum soror, mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum*; alij legunt, *Excordasti me*, alij, *Vendicasti cor meum in vno oculorum tuorum.* Quibus verbis mihi videtur fieri allusionem ad munus, & officium oculorum: duplex enim munus oculorum est, alterum vidẽdi, alterũ flẽdi, in vno igitur oculorum munere se vulneratum, & excordatum fitetur Deus, quia nihil tam cogit Deum, nihil sic illi vim, vulnúsque videtur inferre, & infligere, quàm oculorum munus alterum, nempe flendi. Et ideo S. Ephrem Serm. 3. de Compunct. sic exclamat. O lacrymarum vis quousque pertingis, quæ multa cum fiducia nullis impedita retinaculis ipsum cœlum penetras! O vis lacrymarum, quæ si velis ante sanctum, atque excelsum immaculati Domini thronum cum gaudio assistere potes, &c.

ET in hanc sententiam intelligit D. Ambros. illud quod Christus Dominus dixit. *A diebus Ioannis Regnum cælorum vim patitur.* Cogimus, inquit Ambros. Serm. 15. Regnum cœlorum, & vim quodammodo facimus, non compellendo, sed flendo, non prouocando iniuriis, sed lacrymis exorando, non blasphemando per superbiam, sed per humilitatem mœrendo. O beata violentia, quæ non indignatione percutitur, sed misericordia condonatur! Quisquis violentior Christo fuerit, religiosior habebitur à Christo. Et Hieron. in Isai. Oratio Deum lenit; sed lacryma cogit, hæc vngit, illa pungit.

Matt. 11.

§. V.

Quantùm lacrymæ conducant ad virtutes, & orationem.

MONET denique ad fletum Iacobus hoc loco, quia hæc nostra maledictionis terra arida, & infructuosa omnino est, proinde riganda lacrymarum aqua, quò fructum pœnitentiæ possit proferre: & in hoc sensu exponit Ber. illud. Psalm. *Anima mea sicut terra sine aqua tibi.* Sic enim habet Ser. de fallacia præsent. vit. Aquæ inopia non modò aridum, sed & sordidum facit, dum non est quo laueris, & humanum cor lacrymas nesciens, non modò durum, sed & impurum esse necesse est, lauabo per singulas noctes lectum meum, ne in me fiat, quod scriptum est. *Natum aruit, quia non habebat humorem.* Et Author Serm. ad fratres in Eremo. Fletuum imbribus debemus irrigare terram mentis nostræ, vt pariat fructus bonorum operum, diuersósque flores virtutum.

Psal. 142.

Matt. 13.

HOC etiam comprobat D. Chrysost. hom. 3. de fide Annæ, vbi de eadem

dem sterili, lacrymis tamen deprecante, sic ait. Volo vos ad Annam introducere, atque in pratum virtutum illius inducere sermonem, pratum, inquam, non quod rosaria profert, aut alios flores, qui marcescunt, sed quod deprecationem, ac fidem, magnámque tolerantiam, siquidem hæc sunt longè vernis floribus redolentiora, vt quæ non aquarum fontibus, sed lacrymarum imbre rigantur. Neque enim perinde amnium fontes floridos reddunt hortos, vt plantam deprecationis, fontes lacrymarum irrigantes faciunt in summam altitudinen excurrere, quod huic contigit mulieri, simul enim vt loquuta est, subuolauit in cœlum eius deprecatio, ac fructum ipsi produxit tempestiuum, sanctum videlicet Samuelem. Et Chrysol. Ser. 73. Anna, inquit, Saræ consterilis, lacrymis orationum suarum tandiu madefecit ariditatem sui corporis, & naturæ, quandiu fuerat longo vitæ tempore negata posteritas, &c.

VNDE Chrysost. hom. 12. ad Coloss. aduertit quod dixit Isaias. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontes lacrymarum?* Tanquam non sufficiente, inquit, ad hoc naturali fōte. Et ideo volebat, vt totum caput in oculos verteretur, ex quibus lacrymæ promanarent. Videndus Bern. super illud Psal. 106. *Errauerunt in solitudine in inaquoso.* Vbi ostendit immundam, & sterilem eam animam, quæ lacrymarum aquis caret. Ideóque Dauid Psalm. 142. *Anima mea sicut terra sine aqua.* Isai. 22.

ET Richardus illud Psalm. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam*; sic interpretatur. Solent agricolæ siccitatis tempore, fontium riuulis terram irrigare, ne ariditate impedita nequeant semina fructificare: sic ad horum imitationem Dauid, imbre gratiarum tardante descendere super operum suorum fructus, lacrymarum vndam non negligit fundere, vt fructum possit proferre. Psa. 118.

ALTIVS rem extulit Ephrem Ser. de Compunctione, & salute animæ, vbi ait. Lacrymæ propter Deum panis salúsque animæ existunt; idcirco & magnus Propheta Dauid dicebat. *Fiant mihi lacrymæ meæ panis die, ac nocte.* O felicem animā Prophetæ Dauid, si quis nutriretur lacrymis, id est, qui nutriretur; vel, qui nutriebatur lacrymis, vbi totam felicitatem Dauidis viuentis, in eo deflente ponit. Hæc ergo videtur fuisse ratio, quare postquam monuerit Iacobus, vt Deo appropinquaremus, modò nos ad lacrymas vocat, quibus terra nostra possit reddi fructuosa, & prouentum meritorum proferre.

§. VI.

Quanta lætitia in lacrymis reperiatur.

NISI fortè ea fuerit ratio, cur nos miseros, flentésque voluerit Iacobus, & vt risum in luctum, lætitiámque in mœrorem conuerteremus, quo nobis veram lætitiam, & consolationem indicaret, quæ in lacrymis consistit, & mœrore assumpto pro peccatis. Is enim qui aquam in

Ioann. 2. vinum ad nuptias cõuertit, amarámque aquam in dulcem reddidit, luctum amarè flentium, & exitum aquarum ab oculis promanantem, in vinum lætitiæ, & consolationis internæ mirè conuertit. Quod imprimis probat D. Thom. tom. 1. in Ezechiel. c. 2. ex eo libro, quem Deus tradidit Ezechieli, qui totus scriptus erat intus, & foris, scriptæ verò erant lamentationes, & væ, statimque fatetur diuinus Vates. *Comedi illud, & factum est in ore meo sicut mel dulce.* Cur ergo volumen tristia, & infausta continens, velut mel dulce redditum est? Dulcis, respondet D. Thom. est ob peccata lamentatio.

Exod. 15.

FACIT & ille locus Cant. vbi dicitur; *Tempus putationis aduenit*; vbi ex Hebr. transferri potest, *Tempus cantationis*, seu, *Tempus plorationis aduenit*, quasi lacrymatio, & cantatio idem prorsus sint. Vnde Dauid: *Confitebor tibi in nationibus Domine, & nomini tuo Psalmum dicam.* Hebr. habetur; *& nomini tuo lacrymabo.* Vbi vides flere, & psallere idem esse. Ideóque Chrysost. hom. 12. in epist. ad Ephes. Nihil lacrymis iucundius, quouis risu suauiores sunt. Nouerunt lugẽtes quantùm habeat res ista solatij, ne putemus eam esse odiosam, sed valdè optabilem. Et post multa ait. Complures ex voluptate quoque plorant, ita & voluptatis est res ista, & maximè vehementis, ita molestæ non sunt lacrymæ, sed quæ ex tali sunt dolore, meliores multo sunt, quàm quæ sunt ex voluptate mundana. Sic Chrysost.

Psal. 17.

QVIA verò poterat hac in re obstare ille locus apud Luc. cùm de Petro flente dicitur; *Fleuit amarè*, nodum soluit D. Ambr. in Psal. 37. Fleuit amarè, non quia lacrymæ amaræ, sed amarus, qui eas fundebat affectus. Amarum habebat affectum amaritudine peccati quidem infectum; dulces tamen profundebat lacrymas, qui amarè fleuit.

Luc. 22.

HOC idem institutum probat D. Chrysost. hom. 6. in Matth. ex eo quod Paulus ait. *Gaudete in Domino semper.* Putat enim Chrysost. de lacrymarum gaudio intelligendum esse hunc locum. Dixit hoc, inquit Chrysost. eã proculdubio, quæ ex his nascitur lacrymis, exprimens voluptatem, sicut enim mundi gaudium tristitiæ consortio copulatur; ita etiam secundùm Dominum lacrymæ iugem pariunt, certámque lætitiam.

Phil. 4.

QVOD si velimus huius rei aliquam etiam rationem inuestigare; eam suppeditabit D. Thom. 1. 2. q. 38. art. 2. in corpore; vbi tanquam miraculum proponit, quòd dolor per suos effectus, quales sunt gemitus, & lacrymæ, lęuetur, quia causa non decrescit per effectus. Affert ergo duas rationes quare lacrymæ dolorẽ leniant. Prima est, quia omnis actio cõueniens cum eo statu in quo quispiã operatur, delectat; gemitus verò & lacrymæ homini tristi maximè cõueniunt: vnde & quia disçõueniẽs est mœsto lætitia, si fortè tunc temporis lætetur, dolet. Secunda ratio est, quia omne nociuum, qualis est tristitia, quandiu intra nos est, maximè torquet, quia circa illud magis augetur intẽtio: quia verò ad exteriora per lacrymas diffunditur, tũc animæ intentio ad exteriora quodãmodo disgregatur; & sic interior dolor minuitur, & propter hoc quando homines, qui sunt in tristitiis, exterius suam tristitiam manifestant, vel fletu, aut gemitu, vel etiam verbo, mitigatur tristitia. Vnde Ber. Ser. 26. in Cant. Quousq; dissimulo, & ignis, quem intra

intra me ipsum abscondo, triste pectus adurit, interiora depascitur clausus, latius serpit, sæuitque acrius. Et Chrysost. hom. 64. in Gen. loquens de Ioseph, qui visis fratribus, se non poterat iam amplius continere, ait. Fleuit, vt amoris pij æstum lacrymis mitigaret, doloremque minueret egerendo. Et Ambr. lib. de bono mortis c. 8. ait. E piis affectibus quædam etiam flendi voluptas, & plerumque grauis euaporat dolor. Gen. 43.

CVM ergo Iacobus voluerit, vt ij qui à Deo se per peccatum auerterāt, ad ipsum etiam appropinquarent, purificando corda a peccatorum maculis per lamentum, & effusionem lacrymarum, idem faciendum docet, quò veram in media mundi mœstitia possint inuenire delectationem, & natum ex peccatorum consideratione dolorem euomere. Vnde Author Serm. ad fratres in Eremo Ser. 11. sic ait: Diligamus lacrymas, quia suaues sunt diligentibus Deum, delectemur semper in hac infirma vita in fletu, & lamento, simus tam proni ad lamentum & fletum, quantùm fuimus ad culpam audaces, holocaustum medullatum, est cor pectoris humiliatum, & quotidianis lacrymis rigatum.

ILLVD tandem aduertendum censeo, potuisse Apostolum tot verbis nobis luctum commendare, vt ostenderet perseuerantiam in lacrymis, quæ maximè prodest plorantibus, & ex corde lacrymas promanare ostendit. Vtrumque docuit Ber. in sententiis, cùm ait. Luctus eorum qui perseuerātiam non habent, non meretur consolationem: & paulo inferiùs. Si de corde procederent illæ lacrymæ, non tam citò resoluerentur in risum. Qua de re multa habet idem Ber. Ser. 4. de Aduentu; vbi de lacrymis citò arescētibus ait. Lacrymas huiusmodi de his esse nō arbitror, quibus cōsolatio diuina promittitur, quādoquidē post illas tā facilè cōsolatio vilis admittitur.

SCIO quidem ex hoc Iacobi loco D. Aug. in Psal. 85. deduxisse, verbi diuini prædicatores nunquam debere peccatoribus adulari; sed obiecta futura miseria, & grauitate peccatorum, eosdem ad compunctionem cordis, & amaras lacrymas perducere. Sed de hac re egimus cap. 1.

§. V. I.

In hac vita potiùs ratio fletus, quàm lætitiæ reperitur.

POTVIT etiam Iacobus ex eo monere discipulos, vt risum & gaudium in mœrorem, & lætitiam in fletum conuerterent; quia cùm extrema gaudij luctus occupet, debent virtutis amatores terrenum luctum præuenire, vt ostendant se minimè deceptos fallacia præsentis voluptatis, & ruinam vitare voluisse cùm prænoscant. Vnde Aug. in Ps. 85. Fratres, qui vobis dicunt, felices estis, seducunt vos, sicut & de epistola Iacobi Apostoli constat: *Miseri estote*, inquit, *& lugete, risus vester in luctum conuertatur*. Videtis quæ audistis quando vobis hæc dicerentur in regione securitatis, vtique regio ista scandalorum est, & tentationum, & omnium malorum, vt gemamus hic, & mereamur gaudere ibi; hic tribulari, & consolari ibi. Pro. 14.

Sic

Iob. 20. Sic Aug. Ideóque Iob. *Laus impiorum breuis, & gaudium hypocritæ ad instar puncti.* Septuag. verterunt, *Lætitia impiorum ruina ingens, gaudium autem impiorum perditio.* Similisque est ille locus Isaiæ. *Non est pax impio, dicit Dominus.* vbi Septuag.

Isai 57 habent. *Non est gaudere impiis.* Aduertit autem D. Aug. in Ps. 96. additum fuisse in textu iuramentum Dei, ne quis dubitaret existimans aliqua gaudia reprobis contingere.

Ioan. 2. NOTATV dignum censuit D. Gaudentius, cur Christus Dominus, qui contritis corde, & mœrentibus mederi venit, primùm in domum voluptatis ingressus sit, primúmque miraculum ediderit in defectu vini. Nuptiis adesse voluit, ait Gaudent. quia ad miseros venerat, quoniam verò ibi vinum. i. virtus defecerat spiritualis lætitiæ, & languebant sitientium conuiuarum ora, vini lætificantis inopia, ad miseros conuiuas venit, vera gaudia allaturus: terrena enim gaudia in medio conuiuio deficiunt, vinúmque lætificans in nuptiis desinit. Vnde Senec. epist. 60. Gaudia quæ vocamus, adeò non sunt gaudia, vt sæpe initia futuræ tristitiæ sint: gaudio autem iunctum est non desinere, nec in contraria verti. Itaque cùm dicat Virgilius noster, *& mala mentis gaudia*; disertè quidem dicit, sed parum propriè: nullum enim malum gaudium est. Imò Tertull. lib. de spectaculis c. 29. ait. Nullum maius gaudium, quàm fastidium ipsius voluptatis. Et Cyprian. lib. de pudicitia. Voluptatem vicisse, voluptas est. Et Bernard. epist. 114. Illud verum, & solum est gaudium, quod non de creatura, sed de Creatore concipitur, & quod cùm possederis, nemo tollet à te, cui comparata omnis iucunditas, mœror, omnis suauitas, dolor est, omne dulce, amarum, omne postremum quodcumque aliud delectare potest, molestum.

Psal. 50. IDEO Rabbi Dauid explicans ea verba Psalm. *Redde mihi lætitiam salutaris tui*; ait, cætera præter Dei gaudia non esse gaudia; ideóque alia litera ibi habet: *Gaudium, quale habent Sancti, mihi redde.* Etenim gaudium Sanctorum iuge est, & nemo id ab eis tollit; & cùm terrenum gaudium solam extimam superficiem hominis perfundat, & cor minimè peruadat, & penetret, è cōtrà lætitia Sanctorum cor perfundens ad externam etiam faciem refunditur. Illud primum notauit Dauid cùm ait: *Dedisti lætitiam in corde meo.* vbi

Psal. 4. Chrysost. Non dixit simpliciter, *dedisti lætitiam*, sed *in corde meo*, ostēdens non esse in rebus externis lætitiam: quia hæc lætitia non est cordis, sed solùm oculorum Quibus verbis supponit Chrysost. lætitiam à Deo datam esse in-

Psal. 83. ternam, & cordis lætitiam. Secundum probauit Dauid dicens. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.*

VNDE iusta videtur ea querela Ioëlis, prout eam interpretatur Rupertus

Ioël. 1. Abbas: *Confusum est gaudium à filiis hominum.* Confuderunt gaudium, inquit ille, seu, non seruauerūt ordinem gaudij filij hominum. Primùm enim spiritualiter gaudere debuerunt in Domino, non in bonis, sed de bonis Domini super frumento, vino, & oleo, & cæteris, quæ dantur à Domino; hunc ordinem ita confuderūt filij hominum, vt in Domino gaudere negligerēt: in bonis autem Domini gaudere cuperent. Pro qua re facit id, quod notauit Philo lib. 2. legis Allegor. & lib. de Cherubin, tunc natū fuisse Isaac, qui

gau

gaudium, siue risus interpretatur, cùm cessarunt muliebria Saræ, id est, quando fragilis voluptas desiit. Ideo igitur Iacobus ad lacrymas vocat in præsenti, vt veram voluptatem, & solidum gaudium in eis inueniant, antequam in veras miserias, quæ gaudia mundi subsequuntur, vel nolentes incidant.

Vers. 10. *Humiliamini in conspectu Dei, & exaltabit vos.*

EXPOSITIO LITERALIS.



VERAM adhuc ad Deum conuersionem docet Iacobus, quæ in humiliatione interna consistit, quæ post luctum bene sequitur. Nam, sicut dixit Ambr. lib. 5. in Luc. Qui flet, non superbit; qui luget, humiliatur. Postquam ergo nos ad lacrymas vocauit, vocat nunc ad humilitatem, cuius fructum, exaltationem scilicet, statim apponit.

ILLVDQVE notandum velim, quòd postquam purificationem cordium, & lacrymarum profusionem docuit, quò hæc meliùs in animo seruarentur, humilitatem docet, quæ virtutum custos est. Vnde illud Ioelis. *Ficum meam decorticauit*; sic intelligit Greg. 8. Moral. c. 30. Propterea illam decorticatam docet, quia facta arrogantium humanis oculis ostensa, vnde placere appetunt, inde siccantur. Humiliamini igitur sponte, seu voluntate in conspectu Dei, qui videt omnia, quantumuis latentia. Vnde D. August. Serm. 46. de verbis Domini. Ipse timendus est in publico, in secreto; cùm procedis, videris: lucerna ardet, videt te; lucerna extincta est, videt te, in cubile intras, videt te. Et Zachar. *Dominus est oculus hominis*, quia sic videt hominem, sicut homo se videt. Ideóque Septuaginta. *Dominus respicit homines:* & Paraph. Chald. *Domino manifesta sunt opera hominum.* Proindéque humilitate vera, & non ficta, interiori, non tantùm exteriori, nos debemus Deo subiicere ait D. Thom. *Est* enim *qui nequiter se humiliet.* Vnde D. Hieronymus epist. ad Celantiam. Illam humilitatem sectare, quæ vera est, quam Christus docuit, in qua non sit superbia inclusa. Multi enim huius speciem virtutis habent, veritatem pauci sequuntur. Et infrà iterum ait. Humilitatem sequere, non quæ simulatur gestu corporis, aut fracta voce verborum, sed quæ puro affectu cordis exprimitur. Aliud est enim virtutem habere, aliud virtutis similitudinem. Vnusquisque igitur se deprimat, ait Apostol. Vitia sua inspiciat, defectus naturæ, & culpæ, quos habet, in se intueatur, quam imperfectè Deo seruiat, perpendat: quibus, aliisque multis consideratis vnusquisque illi se pendat, & omni confusione se dignum censeat.

Ioel. c. 1.

Zach. 9.

Eccl. 16.

ET exaltabit vos; merito scilicet, & ratione humilitatis. Vita enim præsens & futura, ait D. Thom. sunt quasi quædam statera, in qua sunt duæ partes, & secundùm quod vna magis deprimitur, alia magis eleuatur: ita secundùm quod homo magis se deprimit, & abiicit in præsenti, magis axaltabitur

tabitur in futuro. Est enim humilitas, ipsa exaltatio iuxta diuinam pro-
Luc.18. missionem, dum ait. *Qui se humiliat, exaltabitur.*

§. I.

Proprium humilitatis est, humiles exaltare.

OSTENDIT Apostolus hoc loco celebrem illam vim, & virtutem humilitatis, quæ humiles euehit, & exaltat: Mirúmque est, quòd Christus Dominus mortem suam, exaltationem nominauit. Aduertit autem Iustus Lipsius lib. 1. de Cruce cap. 3. & 4. & lib. 2. de Cruce cap. 7. inter alios loquendi modos, quibus veteres vtuntur, cùm de Cruce agunt, non Ioan.3. reperiri hunc, quo Christus Dominus vsus est. Etenim exaltatio honorem, siue laudem significat; crucifixio verò, vtcumque contingat, opprobrium significat; siue enim reus in terra crucifigatur, vt olim contingebat, siue in erecta cruce, nunquam crucifixioni exaltatio conuenit. Et ideo exaltatio Philip.2. Crucis refertur ad humiliationem Crucis; *humiliauit* enim *se Christus Dominus vsque ad mortem Crucis, propter quod & Deus exaltauit illum.*

4.Reg.6. VNDE Tertull. lib. contra Iudæos cap. 13. humilitatem comparat cum ligno, quo Elisæus attraxit ferrum aquis demersum. Quod etiam habet Augu. Serm. 101. & 210. de Tempore; & lib. 50. homil. hom. 27. & Irenæ. lib. 5. & D. Hieronym. in Psalm. 98. humilitatem vocat scalam illam Iacob, de qua Genes. 28. Pro qua sentētia est optimus locus apud Cardin. Hugon. Gen.15. Gen. 15. vbi aduertit rectè, spirituales homines, qui stellis assimilantur, Gene.13. priùs fuisse pulueri comparatos. Boni enim, inquit Hugo, sunt puluis per humilitatem, qua se instar pulueis pedum omnibus viliores reputant: ideóque ad stellas vsque euehuntur, quia ita se abiecerunt, sicut puluis. Vnde Iob.22. Iob. *Qui humiliatus fuerit, erit in gloria.* Quod ex Heb. ad verbū potest legi. *Cum humiliauerit se, dices, exaltatio, aut gloria.* Nam, sicut dixit Augustinus tract. 104. in Ioan. Humilitas claritatis est meritum, claritas humilitatis est præmium.

Exod.7. ET Rupert. lib. 1. in Exod. c. 25 notat id, quod Moyses dixit Deo. *Ex incircuncisis sum. Quomodo audiet me Pharao? cui Deus respōdit. Ecce constituo te Deum Pharaonis.* Gloriosa virtutum Regina humilitas, quæ in cœlum volare cōsueuit, loquuta est in eo dicente, incircuncisis labiis se esse, & idcirco dignum, ac pro sua reuerentia magnificum accepit responsum, vt audiret homo priuatus regnantis hominis se esse Deum; ac si dicat. Quoniam tu mitissimus virorum pro tam glorioso negotio cum Pharaone dimicare, & cum Regibus confligere te indignum ducis, atque hoc modo te vsque ad nouissima terræ deprimis, ecce ego sustollam te super altitudinē nubium, faciámq; te Deū, nō quem ille fideliter adoret, sed quē seruiliter formidet.

Iob.5. ET Greg. lib. 6. Moral. c. 10. interpretatur illud. *Deus ponit humiles in sublimi*; dicens: In sublimi humiles ponuntur, quia cùm se ex humilitate substernunt altæ mentis iudicio, cuncta temporalia transeunt: cúmque se in-
di

dignos in omnibus æstimāt, rectæ cogitationis examine huius mundi gloriam transcendentes calcant.

Noverat hanc humilitatis proprietatem Aug.lib.14.de Ciuit.c.13. cùm dixit.Est aliquid humilitatis miro modo,quod sursum faciat cor,& est aliquid elationis, quod deorsum faciat cor: hoc quidem quasi contrarium videtur,vt elatio sit deorsum, & humilitas sursum, sed pia humilitas facit subditum superiori,nihil est autem superius Deo, & ideo exaltat humilitas,quæ facit subditū Deo.Et Ser. 213. de Tempore. Esto paruulus in oculis tuis,vt sis magnus in oculis Dei. Similia habet Serm.10. de verbis Domini.Videndus Gregor.lib.4.epistolar.epist.38. & Ambros.Sermone 11.& Bernard.2. de verbis Isaiæ; & Serm.quomodo voluntas nostra diuinæ voluntati, &c. vbi ita ait. Insipiens est, & insanus quicumque in aliis vitæ meritis,quicumque in alia Religione,seu sapientia, nisi in sola humilitate confidit.

Videndus item Chrysost.hom.38.ad Pop.cùm præsentem exaltationem humilitatis probat in Baptista,qui dixit. *Nō sum dignus soluere corrigiam calceamenti eius.* Ideo amicus quoque fuit,inquit Chrysost.Sponsi, & qui se calceamento esse dixit indignum, hunc super caput suum Christus attraxit.Quòd si caput Christi Deus,vt dixit Paulus, dum manum humilem super caput suum Christus extulit,vide si apertè iam constat; quomodo veros humiles Deus exaltet: imò si eos ampliùs, vel ipse Deus potest exaltare. *Matth.1.*

§. II.

Non est diligendus, aut colendus Deus, tantùm propter præmium,mercedémue quam tribuit.

Non est autem ita intelligendus hic locus,quasi Iacobus ideo humilitatis exaltationem nobis proposuerit, vt in ea sectanda exaltationem nobis pro primario fine proponeremus, sed ideo vt intelligeremus gloriam,& exaltationem cum humilitate nexum indissolubilem habere: ideóque nos excitare præmij spe solum Deum pro primario fine nobismetipsis proponentes. Namque,sicut dixit Ambr.lib.5. in Lucam; virtutum studia sine remuneratione torpescunt. Ideóque licèt verum sit illud Augustini Sermone 234.de Tempore, asserentis, pietatem in eo positam esse, vt Deum gratis amet: quod etiam prosequitur Psalm. 43. & Chrysost.hom.23.in Gen.& Ber.Serm.83.in Cant. vbi ait.Suspectus mihi est amor,cui aliud quid adipiscendi spe suffragari videtur.Infirmus,qui fortè spe subtracta,aut extinguitur,aut minuitur. Impurus, qui aliud cupit: purus amor mercenarius non est,purus amor de spe vires nō sumit;non tamen diffidentiæ damna sentit. Et lib.de diligendo Deo.Non sine præmio diligitur Deus,etsi absque præmij intuitu diligendus sit:vacua nāque vera

charitas esse non potest, nec tamen mercenaria est, quæ non quærit quæ sua sunt, affectus est, non contractus: neque acquiritur pacto, neque acquirit, sponte afficit, spontaneum facit; verus amor seipso contentus est, habet præmium, sed id quod amatur. Similia habet in Cant. Ezech. & Cic. 1. de legib. *Qui non ipso honesto monemur, vt boni viri simus, sed vtilitate aliqua, atque fructu, callidi sumus, non boni.*

NVLLATENVS tamen negandum est, licere spe alicuius præmij, siue temporalis, siue æterni Deũ colere & diligere. Quod videtur dixisse Da-
Ps. 118. uid illis verbis. *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum, propter retributionem.* vbi Theodoret. Trutinæ, inquit, simile est animæ consilium; mens verò, quæ ducis vice fungitur, funiculum tenet. Si igitur piis cogitationibus se applicuerit, necesse est ad meliora stateram vergere; hoc se fecisse diuinus Vates ait: *Inclinaui cor meum*, &c. etenim cùm perspexissem lucrum, quòd hinc petcipi solet, volens, libénsque pro his sudores percepi. Et ideo Anselm. lib. de similitudinib. cap. 181. ait. Spe etiam commodi diligendus est Deus, quoniam immortalitatem, & incorruptibilitatem promittit. Videndus item Aug. tract. 46. in Ioan. & Ps. 120. Greg. hom. 14. in Euang. & Ber. lib. de diligend. Deo. Et D. Thom. in 3. distinct. 26. q. 2. art. 1. ad 5. & lect. 2. epist. 1. ad Cor. cap. 3. Vnde in vtroque Testamento
Hebr. 11. non solùm æterna, sed temporalia bona Deus promittit cultoribus suis: & de Moyse dixit Paulus, passum fuisse pleraque mala, eo quòd respiciebat in remunerationem. Et Ioannes à præmio proposito orsus est suam prædica-
Matt. 10. tionem; & eadem propositione præmij prædicare iussit Christus Euangelium suum. Et iam res determinata est in Conc. Trid. sess. 6. c. 11. & in eadem. sess. Can. 31. dicitur. Si quis dixerit; iustificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur, anathema sit. Si verò intelligamus præsentem locum, quòd Deus eos, qui se humiliant, exaltet, vel quòd Iacobus velit, vt intuitu talis exaltationis nos coram Deo humiliemus, optima & verissima est talis doctrina.

Vers. 11. *Nolite detrahere alterutrũ, fratres. Qui detrahit fratri, aut qui iudicat fratrem suum, detrahit legi, & iudicat legem. Si autem iudicas legem, non es factor legis, sed iudex.*

EXPOSITIO LITERALIS.

REDIT iterum Apostolus ad intermissas obiurgationes contra detractores, quorum peccatum quàm graue sit, ostendit ex eo, quia contradicit perfectissimo legis præcepto, quale est præce-
Leu. 19. ptũ charitatis. Deinde, quia multoties reperitur prohibita detractio; vt in
Prou. 4. Leuitic. *Non erit susurro, nec criminator in populo.* & in Prouerb. *Labia detrahen-*
Eccl. 10. *tia procul sint à te.* & in Ecclesiastic. *Si mordeat serpens in occulto, nihil minus*

eo

to habet qui detrahit. & in Sap. *Custodite vos à murmuratione, & à detractione, parcite linguæ.* & in Psal. *Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar.* & in epistola ad Rom. *Detractores Deo odibiles.* Et huic accommodat D. Gregor. in 2. part. Pastoral. cap. 1. admonitione 36. illud Leuit. *Non maledices surdo.* Quippe maledicere, ait Gregor. est absenti, & non audienti derogare. Sap. 1. Psa. 100. Rom. 1. Leu. 19.

DETRACTIONEM verò sic describit D. Thom. 2. 2. q. 73. art. 1. ad 3. Detractio directa est, cùm quis alterum infamat, tribuendo ei aliquid mali; quod contingit quadrupliciter, scilicet, vel falsò imponendo crimen alteri; vel illud augendo verbis, vel reuelando crimen occultum, etiamsi sit verum, vel dicendo fuisse ab eo factum mala intentione.

INDIRECTA autem detractio est, cùm quis alterum infamat, habendo se aliquo modo indebitè erga bonum alterius, idque tripliciter, scilicet, vel negando bonum illius, vel malitiosè reticendo, vel etiam minuendo.

ADDVCIT autem Iacobus hoc loco iudicium contra fratrem, quia ille, qui directè infamat dicendo fuisse ab eo quidpiam mala intentione factum, non solùm quantùm est in se, alterum infamat: sed etiam communiter loquendo, peccat ex iudicio temerario. Difficile namque est de intentione iudicare, nisi fortè quis haberet vehementia indicia.

ILLVD autem circa detractionem notandum est, qualiter auditores pertingat, & offendat: nam si quis audiat detrahentem, nec obsistat, cùm possit, particeps fit peccati alterius, quia saltem indirectè consentit detractioni: sicut quilibet debet extinguere ignem, quo flagrat domus proximi, & subleuare iumentum iacens sub onere. Vnde D. Hieron. in Psal. 100. ad ea verba. *Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar*, ait. In tantum nõ oportet consentire detrahenti, vt etiam quantùm in nobis est, persequamur talem, prouidentes in vtrisque vtilitatem, vt nec libenter audiamus, nec illum permittamus peccare. Videndus hac de re August. lib. de salutarib. document. Prou. 22. Psal. 10.

MODVS autem resistendi detractioni assignatur à D. Thoma art. 3. per tristitiam videlicet faciei. Namque, vt dicitur, *Ventus Aquilo dissipat nubes, & facies tristis linguam detrahentem.* Et Hierony. epist. ad Rustic. Monach. Sicut sagitta, si mittatur in duram materiam, nonnunquam in mittentem reuertitur, & vulnerat vulnerantem, illúdque cõpletur: *Facti sunt mihi in arcum prauum.* Ita detractor cùm tristem faciem viderit audientis, imò nec audientis quidem, sed obturantis aures suas; illicò conticescit, pallet vultus, hærent labia, saliua siccatur. Videndus etiam hac de re Bernard. de consideratione. Si verò absque complacentia, tamen ex negligentia, aut ex timore, verecundiáue non repellat quis detrahentem, peccat quidem, sed venialiter. Quæ omnia latiùs possunt videri apud. D. Thom. q. cit. Prou. 25 Psal. 77.

LICET verò susurratio in hoc conueniat cum detractione, propter quod vnum frequenter pro alio sumitur, propriè tamen differunt; quoniam susurrator intendit proximorum mutuam dilectionem corrumpere seminãdo discordias; vnde grauius peccatũ est, quàm detractio, quia amicitia maius bonum, quàm fama, iuxta illud Eccles. *Amico fideli nulla est comparatio.* Eccles. 6.

QVI igitur detrahit fratri, aut iudicat fratrem, id est, proximum suum iudicio inordinato, temerario, suspicioso, aut vsurpato, detrahit legi diuinæ, quæ detractionem & inordinata iudicia prohibet, & iudicat legem, id est, reprobat eam, idque non dictis, sed factis: faciendo enim contra eam, ita se habet, ac si prauam illam legem diceret. Si autem iudicas legem, non es factor legis, id est, eam non imples eius præceptis obediendo, sed iudicem te constituis, dum te superiorem facis lege diuina, eam transgrediens. Superiùs autem dixit: *Estote factores legis, & non auditores tantùm.*

D. Thom. suprà explicat; *detrahit legi*, id est, contemnit legem. Caietan. autem hîc intelligit de eo, qui iudicat fratrem, illique detrahit facienti opus secundùm legem Dei. Alij, vt Gagneius, meliùs referunt ad legem
Matt. 7. Dei, quæ est contra detractores, & temerariè iudicantes. Vnde Matth. *No-*
Ioan. 7 *lite iudicare, & non iudicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini.* Et Ioan.
Rom. 14. *Nolite iudicare secundùm faciem, sed rectum iudicium iudicate.* Et Paul. *Is, qui manducat* (idolothyta) *non manducantem non spernat, & qui non manducat, manducantem non iudicet.* Et Christus Dominus hoc peccati genus in Iudæis frequen-
Matt. 9. ter damnauit, vt pote cùm hos increpauit; *vt quid cogitatis mala in cordibus vestris?*

§. I.

Contra detractores.

EST hic locus oppositus vitio detractionis, & detractoribus, quos Pau-
Rom. 1. lus vocat Deo odibiles, vbi aliqui vertunt, *Dei osores.* & Cypr. epist. 68.
Ps. 110. vertit, *Deo abhorrentes*; ideóque Deus per Dauid. *Detrahentē proximo suo, hunc persequebar.* Quæ verba, vt dicta à Deo, sic explicat Ber. Serm. 24. in Cant. Nec mirum, cùm id præcipuè vitium charitatem, quæ Deus est, & quidem cæteris acriùs impugnare, & prosequi cognoscatur, quemadmodum vos quoque potestis aduertere. Omnis, qui detrahit, primùm quidem seipsum prodit vacuum charitate; deinde quid aliud detrahendo intendit, nisi vt is, cui detrahit, veniat in odium, vel contemptum ipsis apud quos detrahit? Ferit ergo charitatem in omnibus qui se audiũt lingua maledica, & quantùm in se est, necat fũditùs, & extinguit. Enumeránsque ibi Ber. species pestis huius, inter alia sic habet. Doleo, inquit detractor, vehementer pro eo, quòd diligo eum satis, & nunquam potui de hac re corrigere eum. Et alius. Mihi quidem, ait, bene compertum est de illo istud, sed per me nunquam innotuisset. At, quoniam per alterum patefacta est res, veritatem negare non possum; dolens dico, reuerà ita est. Videas præmitti alta suspiria, sicque quadam cum grauitate & tarditate, vultu mœsto, dimissis superciliis, & voce plangenti aggredi maledictionem, & quidem tanto persuasibiliorem, quanto creditur ab his, qui audiunt, corde inuito, & magis condolentis affectu, quàm malitiosè proferri. Hæc. Ber. quæ omittenda non existimaui.

ILLVD deinde ostendit, ac probat grauitatem huius vitij, quòd cætera, vel

vel ex imbecillitate nostræ naturæ vel ex vehemẽti aliqua passione oriuntur, proindéque excusationem habent, & ideò faciliùs à Deo veniam consequuntur: at verò detractionis vitium in sola malignitate habet fundamentum. Quod notauit Aug. lib. 50. homil. hom. 2. cùm ponderat ea verba Ps. *Sedens aduersùs fratrem tuum loquebaris, & aduersùs filium matris tuæ ponebas scandalum*; quod ipse alibi legit, *ponebas detractionem* Quòd dixit, ait Aug. *sedens*, ostendere voluit, quòd non transitoriè detraxerit, nec ei surreptum sit passione quadam subita, vt malum de proximo loqueretur, sed sedens. i. ex odio, quasi ad hoc vacans, vt derogaret proximo suo. Psal. 49.

In quam sententiam venit etiam notandus ille locus apud eundem Aug. in Ps. 52. cùm ponderat illud eiusdem Ps. *Qui deuorant plebem meam, vt cibum panis*. Cætera, inquit Aug. quæ manducamus, possunt modò illa, modò ista manducare, non semper hoc olus, non semper hanc carnẽ, non semper hæc poma edimus. Cùm igitur, ait, deuorant plebem meam, sicut cibum panis, quia semper panem manducamus, significat nos sine intermissione deuorare plebem Domini. Cúmque hoc peccatum sine occasione committatur, nullámq; habeat excusationem cõmissum, inde est, quòd grauissimum apud Deum sit, maximéque nobis detestandum, cùm humanam naturam traducat, quæ ex fragilitate, passionéve solet delinquere; & impedimento nobis est, ne diuina beneficia ad nos perueniant. Vnde apud Isaiam cùm Deus multa bona promittat, ait; *Si abstuleris à te colligationem, & desieris digitum extendere, & loqui quod non prodest*; vbi Septuag. habent, *Si abstuleris à te colligationem, & verbum murmurationis*. Hierony. verò ibi ait. Vt non solùm malum ipse non cogites, & non facias, sed nec detrahas quidẽ proximo tuo, & singulos quasi digito notes, & loquaris quod non prodest animæ tuæ, non tua mala, sed aliorũ errores consideràs, &c. Psa. 52. Isaia. 58.

Qvoniam verò detractor aduersùs fratrem sedet iugiter detracturus, & aliorum famam cuilibet sermoni velut panem cæteris cibis adhibet, ne fame pereat, & ne ab officio pro more cesset, audiat Ber. Si vis detrahere, tuis peccatis detrahe, non perspicias aliena peccata, sed tua, nunquam aliis detrahes si te bene perspicias. Vel audiat, & imitetur Chrysost. Ser. aduersùs impios hæreticos, qui habetur post opera Ephrem; vbi & docet qualiter debeamus loqui de aliis, & Sanctorum Patrum cognomina affert. Vbi Euodius, bonus odor Eclesiæ, & Sanctorum Apostolorum successor, atque imitator? vbi Ignatius, Dei domicilium? vbi Dionysius Areopagita, volucris cœli? vbi Hippolytus suauissimus & beneuolentissimus? vbi Basilius Magnus, & par fermè Apostolis? vbi Athanasius sanctus, & virtutibus diues? vbi Syrus Ephrem, magnus obtorpescentium excitator? afflictorum consolator? Monachorum speculum? &c. Sic loquuntur sancti viri de aliis, cùm detractores carniuori dicantur in Scriptura. Sic enim intelligit Hierony. & Aug. illud Ps. *Appropiant super me nocentes, vt edant carnes meas*. Sic Gregor. atque Nyssen. illud Iob. *Carnibus meis saturamini*. & Hierony. de Doeg detractore illud Ps. *Dilexisti omnia verba præcipitationis*: ait. *Verba ad deuorandum*, & Chaldæus, *voracita is*. Psal. 26. Iob. 19. Ps. 51.

Memine

MEMINERINT etiam detractores ex eo, quòd aliis detrahunt, obligari se ne delinquant in iis, quæ in aliis mordent; quod videtur dixisse Salomō.
Pro. 13. *Qui detrahit alicui rei, ipse se in futurum obligat, vt post detractionem sese cautius habeat*, quia nimirum quæ in aliis iustè reprehendit, in se impunè non admit-
Rom. 2. tit, clamante Apostolo. *Qui prædicas non furandum, furaris*, &c.

MELIVS est ergo de sua quemque fragilitate metuere, ne fortè diuina præuaricetur præcepta, quàm aliorum errata stulto ore lacerare, dicente
Galat. 6. rursus Apostolo. *Et si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu mansuetudinis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris.* Imò, ne detrahendo, alienum peccatum facias tuum, & fortè quod in alio peccatum non est, in tuo ore, & corde fiat peccatum, dum impia interpretatione transuertis quod simplici intentione ab alio factum est.

ILLVDQVE tandem ob oculos proponant miseri detractores, qui occultè alios mordent, & priuatim famam corrodunt: quod notauit ex præsenti Iacobi loco Aug. lib. de conflictu vitior. & virtut. dicens. Ne detractores sibi applauderent, qui dum semper occultè derogare malunt, nunquam in apertam increpationem prosiliunt; adhuc subinfertur. Existimasti inique, quòd ero tui similis? ac si diceretur, nō occultè, vt est tua consuetudo, sed in aperto, vt est mea solicitudo, aptum corrigendi tempus expectans, peccatorem arguam, vt eius delicta contra faciem eius statuam. At, inquis, non odi, sed amo, quem ita in absconditis diiudicans reprehendo, imò magis hinc odisti. & non diligis, vnde detrahis, & non corripis.

QVAM sit autem detestanda detractio proximi plerisque in locis diui-
Ps. 100. na eloquia testantur, vt est illud. *Detrahentem proximo suo, hunc persequebar*: &
Prou. 13. iterum. *Qui detrahit fratri, detrahit legi*; & illud: *qui detrahit fratri, eradicabitur.* Meritò proinde Apostolus detractionem docet relegandam, & detractorem, legis diuinæ contemptorem dicit.

§. II.

Contra temerè iudicantes de proximo.

EST etiam hic locus contra eos, qui temerè de proximo iudicant, quos detractoribus adiungit, quia sicut detractio charitati aduersatur, ita
1 Cor. 13. & iudicium iniquum, quod dixit Paulus. *Charitas non cogitat malum*; quod idem est secundùm expositionem Chrysosto. ibi, ac non suspicatur malum. Charitas, inquit ille, non tolerat malam suscipere suspicionem. Theodor. verò optimè ad præsens institutum intelligit locum etiam de iis, qui cùm malum aliquod patratum videant, rectè explicant, & ad sanum sensum conuertunt. Sic enim ait: Non cogitat charitas malum. i. ignoscit iis, qui errarunt, existimans ea non esse facta malo animi proposito, &c. Et ideo
Ps. 118 fortè Dauid dicebat: *Miserere mei secundùm iudicium diligentium nomen tuum,* ac si diceret: ea mente ac more de meis rebus iudicium ferto, quo sancti viri ex charitate de fratribus suis solent iudicare, eorum facta in saniorem sem-

per

per partem interpretantes, & defectum ex parte leuantes, & attenuantes: longè aliter, ac inimici, quíque charitatem non habent; de quibus D. Hieron. epist. 61. ad Pammach. Qui inimicus est, etiã in circo nodũ quærit.

TVLERVNT fratres Ioseph tunicam eius, & in sanguine hœdi, quem occiderant, intinxerunt mittentes qui ferrent ad patrem, & dicerent; hanc inuenimus; vide vtrùm tunica filij tui sit an nonquam cùm agnouisset pater, ait. Tunica fil mei est, fera pessima comedit eum, bestia deuorauit Ioseph. vbi vides nullatenus tantum facinus de filiis fuisse suspicatum, etiam postquam nouit eorum inuidiam: charitas enim nihil mali iudicat, proindéque potiùs filij necem ad feras retulit, quia earum feracissima est Palæstina, vt patet ex 1. Reg. 17. & 4. Reg. 2. Et ideo aliqui illud, *quos consumpserat saltus*, exponunt, quos feræ saltus deuorarant, & non de filiis, etiam de crimine pessimo, seu de infamia mala, vt est in Hebr. apud eum accusatis: per quod aliqui intelligunt Iosephum patri detulisse, quomodo, & quid fratres de se murmurarent, & patri obloquerentur, & in se exasperarentur.

ES T etiam ad confirmationem huius rei optimus locus ille, vbi præcipit Deus, quòd *qui puellæ alteri desponsatæ stuprum intulerit in ciuitate simul cum ea lapidibus obrueretur puella, quia non clamauit cùm esset in ciuitate, vir, quia humiliauit vxorem proximi sui. Sin autem in agro repererit vir puellam, quæ desponsata est, & apprehendens concubuerit cum ea, ipse moriatur solus, puella nihil patiatur. Sola erat in agro, clamauit, & nullus affuit, qui liberaret eam.* Quis, quæso, nuntiauit puellam clamasse pro defensione virginitatis suæ, si nullus affuit qui eam liberaret? Respondet Lyran. Lex factum in meliorem partem interpretatur. Vnde & qui malè de fratre suo iudicat, detrahit legi, & contra eam facit. Vnde rectè Basil. homil. 12. ex variis. Quando singula Dei mandata contra aduersantem sibi malitiam coram te, iudicium experiuntur, da legi diuinæ contra vitium victoriam: iniquum, & æquum apud te iudicantur, da vt vincat virtus. Si in rebus cunctis, quas agis, apud te potiora, & meliora vincere permittas, beatus in die illa fueris, qua Deus occulta hominum iudicabit, nec condemnatus discedes, quia tu virtutem in omni vita coronare didiceris, & memineris. Similia habet Aug. Ser. 202. de Tempore, vbi inter alia. In his, quæ vtrùm bono, an malo animo fiant, scire non possumus, melius est, vt ad partem dexteram nostrum animum declinemus, quia tolerabilius est nos in hoc falli, vt eos, qui mali sunt, bonos esse credamus, quàm ex consuetudine iudicandi etiam de bonis, quod malum est, suspicemur. Deu. 22.

HOMINI illi, qui bonum semen in agro suo seminauerat, postquam inimicus superseminauit zizania, dixerunt serui. Vis, imus, & colligimus ea? quibus ille respondit. *Sinite vtraque crescere.* Super quæ verba ita scribit Hieron. Inter triticum, & lolium, quandiu herba est, & nondum culmus venit ad spicam, grandis similitudo est, & in discernendo, aut nulla, aut perdifficilis distantia. Præmonet ergo Dominus, ne vbi quid ambiguum est, citò sententiam proferamus, sed Deo iudici terminum reseruemus. Matt. 13.

ES T autem adeò periculosum de alienis rebus iudicium, vt non solùm

ob id rigorosum Dei iudicium incurramus, sed insuper, quia sæpe falli opprobrium prudenti viro fit. Sic enim loquutus est Dauid. *Amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum*: quis verò est, qui suum proprium opprobrium

Ps. 118 suspicetur, & nō magis agnoscat? quia ea, quæ hominis sunt, spiritus hominis optimè nouit, proindéque suspicari potest alienum, nō verò suum, quod ipse agnoscit. Huius igitur loci expositionem deducit August. ibi, Concione 12. ex eo, quod Propheta addit, *quia iudicia tua iucunda*, id est, iudicia tua vera. Hominum iudicia, inquit Aug. de occultis hominum, non suauia, quia temeraria, & ideo suum dixit opprobrium, quod de aliis suspicatus est, hoc opprobrium suum petebat auferri, vt non esset diabolo similis, qui de occultis sancti Iob suspicatus est, quòd non gratis Deum coleret. Inuentum est autem falsum iudicium diaboli, & opprobrio plenum, dum temerè iudicauit.

Est etiam opprobrio plenum humanum iudicium propter varietatem in iudicando, quia hodie rectè iudicat, & sentit de alio homine: nunc verò iudicat eundem iniquum omnino esse idque ex falso fundamento, quia iudicauit sine præuia exacta cognitione: qua in re à vero Dei iudicio semper idem de qualibet re iudicante, longè abest, quod dixit Paulus. *Alius iudicat*

Rom. 14 *diem inter diem; alius autem iudicat omnem diem*. Quæ verba exposuit August. lib. propositionum huius Epistolæ in hunc modum. Alius iudicat diem inter diem, nempe homo, quia quem hodie iustum laudauerit, cras inuenit deprauatum; alius verò iudicat omnem diem, quia non solùm qualis quis hodie sit, sed etiam qualis omni die futurus sit, nouit. Hæc August. Opprobrio igitur, & iniuriæ se exponit qui de alio temerè iudicat, cùm pro diebus, imò & horis iudicium debeat mutare, & inuertere.

Est insuper & iniuriosum iudicium temerarium aduersùs fratres, quia deprauatum omnino indicat animum iudicantis prauè, iuxta illud Eccle-

Eccle. 10. siast. *In via stulti ne ambules, cùm ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat*: quod sic exponit Carthus. cum Seneca, post Climachum, atque Cassianum. Omnis affectus habet, vt in quo ipse insanit, omnes furere putet. Sic malus Vagao

Iudit. 14. malè de sancta & casta Iudith iudicabat: sic de Iacob iudicabat Labā, quòd

Gen. 31. idola sua esset furatus. Sic fratres, seu affines Christi, quia gloriam capta-

Ioan 7. bant, Christum eodem vitio laborare arbitrati sunt; ideóque hortabantur, vt se in Iudæam conferret, mundóque ostenderet, ac signa palàm faceret. Sic Neroni persuasum fuit, neminem esse pudicum, aut vlla sui corporis parte purum, vt ait Suetonius in eius vita c. 29. Sic Lutherus, similisque grex non credit seruari continentiam à Religiosis. Qualis denique quisque est, tales & alios iudicat, & probat, vt ait Philosophus 3. Polit. c. 6. Qui ergo malè de aliis iudicat, proprium affectum malum indicat & probat. Quod prosequitur Aug. Concione 12. in Psalm. 118.

Non est igitur temerè de fratribus iudicandum, vt monet Iacobus: sed audiendus & imitandus Ber. qui Serm. 40. in Cant. ita habet. Caue alienæ conuersationis esse, aut curiosus explorator, aut temerarius iudex, & si perperam actum quid deprehendas; nec sic iudices proximum, magis autem excusa

excusa intentionem, si opus non potes. Puta igitur ignorantiam, puta surreptionem, puta casum, quòd si omnem omninò dissimulationem rei certitudo recuset, laudetur nihilominùs ipse tibi, & dicito apud temetipsum, vehemens nimis fuit tentatio: quid de me illa fecisset, si accepisset in me similiter potestatem?

Volvit David accusare virum, qui ouem abstulerat pauperi, vt conuiuium hospiti exhiberet, & quia alienum peccatum illud putauit, vide qualiter in illud sæuiat, sicut eleganter notauit Chrysost. hom. 1. in Ps. 50. *Viuit Dominus, quoniam filius mortis est qui fecit hoc, ouem reddet in quadruplum, & ipse gladio punietur.* O Iudicis, inquit Chrysost. supereffluentem iustitiam! Iubet quidem in quadruplum secundùm legem restitui. Lex enim præcipit furantem quadruplici restitutione vinciri. Iste autem & legem est prætergressus, iubet quippe & ipsum interimi, & in quadruplum obnoxium detineri promisit. Vide iudicium eliminatum: vide sententiam supereffluẽtem, quia existimauit alium iudicare. Vbi verò se præuaricantem audiuit, ad confessionem confugit confusus, & dixit, peccaui. Multi de aliis sanè tacerent, nec sententiam tam citò proferrent, si se priùs iudicarent, &c. 2. Reg. 12. Exod. 21.

§. III.

Nullatenus diuina lex parui facienda, sed præ oculis habenda.

Deinde hic locus facit cõtra eos, qui diuinam legem & præcepta Dei parui pendunt, cùm ipse voluerit ea maximè seruanda, & colenda. Quod ostendit, cùm in Deut. dixit. *Eruntque verba hæc, quæ præcipio tibi hodie in corde tuo, & ligabis ea quasi signum in manu tua, & mouebuntur ante oculos tuos.* Pagnin. vertit. *Erunt specilla*, seu, *ocularia inter oculos tuos.* Quæ verba ponderans Oleast ait. Vide quàm pulchrè, & rationabiliter voluerit te habere præcepta, veluti specilla super oculos? Qui enim per ocularia, seu specilla videt, quæcumque videt, mediis specillis videt, & talia qualis vitri color, sic statuit Deus, vt nihil videres ad concupiscendum, nec desiderares, nisi medio præceptorum; & talia iudices, qualia tibi dixerint mandata. Et fortè ad hoc respexit Dauid quando dixit. *Tunc non confundar, cùm perspexero in omnibus mandatis tuis.* Deut. 6. c. Psa. 118.

Hoc etiam notauit Hierony. explicans ea verba. *Serua mandata mea, & viues: & legem meam, quasi pupillam oculi tui.* Tam sòlicitè, inquit, serua quæ doceo, quasi nihil rectè sine his aspicere valeas; liga ea in digitis tuis: scribe illa in tabulis cordis tui, in digitis, in actibus, dicit: in tabulis, in latitudine cogitationis: eáque cura & diligentia mandata sua seruari vult, vt nihil vltrà nobis curæ esse velit, sicut probat Ambr. lib. 7. in c. 10. Luc. cùm ponderat ea verba Christi. *Neminem per viam salutaueritis.* Fortasse, inquit, hoc durum & superbum, nec mansueti & humilis Domini præcepto conuenire videtur. Rationem verò reddens ait; Non salutationis officium, ac sedu- Prouer. 6.

litas aufertur:sed obstaculum impediendæ deuotionis aboletur, vt quando diuina mandantur, paulisper sequestrentur humana. Pulchra est salutatio, sed pulchrior, quo maturior exequutio diuinorum, quæ per moram sæpe traxit offensam. Cùm enim gloriam suam alteri non det, & in nulla alia re propriam supremi Domini gloriam plus manifestet, quàm in obseruatione mandatorum ipsius; inde est, quòd acriùs in transgressores sæuiat, & duriùs in contemptores diuinæ legis animaduertat.

Illvd primum probat D. Hieronym. epist. 14. ad Celant. ex cap.
Matth. 7. 7. Matthæi; vbi Christus Dominus fatetur, se non agnoscere eos, qui eius voluntatem non faciūt, quantumuis Dominum ipsum multoties
Malac. 1. appellent. Et ex Malachia. *Si ego Dominus, vbi est timor meus?* Ex quo apparet, inquit D. Hieronym. nec honorari ab eis Dominum, nec timeri, qui eius præcepta non faciunt: quid tam superbum, quid tam iniquum & ingratum videri potest, quàm aduersùs eius viuere voluntatem, à quo
1. Cor. 5. ipsum viuere acceperis? Hoc à nobis, & vox Christi, & sanguis efflagitat, qui ideo pro omnibus mortuus, vt qui viuunt, iam non sibi viuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est. Viuere autem illi, non est aliud, quàm eius præcepta seruare.

Secvndvm verò probat Hierony. ex verbis illis Nahum. *Reuelabo pu-*
Nahum. 3 *denda tua in faciem tuam.* vbi Septuag. habent. *Reuelabo posteriora tua in facie tua.* i. præcepta mea, atque sermones, quos proiecisti post tergum tuum. Ponam te, ait Hierony. in exemplum, vt similitudo, formidatæ pœnæ similitudinem prohibeat delinquendi. Iam verò illud suppliciū, quod in memoriam,
Deut. 33. & ad terrorem incutitur, atrocissimum esse solet, vt notauit Theod. q. 37. in Gen. Tale vtique erit, quod infligetur contemptoribus diuinæ legis, quæ propterea ignea appellatur.

Hoc denique possumus deducere ex supplicio, quod Christus Dominus comminatus est Petro recusanti pedum lotionem, quod ipse humili animo faciebat, existimans dedecere Dominum, cui cœli cœlorum scabellum pedum sunt, immundos hominum pedes tam humili obsequio laua-
Ioan 13. re. *Si non lauero te, non habebis partem mecum.*

Qvid ergo fiet iis, qui apertè detrahunt legi diuinæ, eiúsque contemptores manifesti sunt? Proinde Basil. lib. Moral. sent. ex hoc dicto Christi Dom. colligit, quòd omnis, qui iussis diuinis aduersatur, licèt id amico & pio animo faciat, is tamen ob eam causam abalienatur à Domino: & quòd quicquid à Domino dicatur, id summa cum animi expletione debemus suscipere; alioqui is contra legem operatur, & Deum afficit contumelia, vt ostendit idem Basil. in Regul. breuiorib. responsione 4. & 149. Qui enim præuaricatur legem, eam contemnit; talis verò contemptus in eum committitur, qui est author & institutor legis: quod voluit Iacobus, cùm ait. *Qui detrahit legi, iudicat legem, & non est factor legis, sed Iudex.*

Verſ.12. *Vnus eſt legiſlator, & Iudex, qui poteſt perdere, & liberare. Tu autem quis es, qui iudicas proximum?*

EXPOSITIO LITERALIS.

TEMERITATEM arguit eius, qui proximũ delectatur iudicare, ſicut notauit Beda, propoſita Dei iuſtitia, & poteſtate, quia ſolus Deus poteſt propria authoritate legem condere, & iudicium ferre. Vnde Iſai. ait. *Dominus iudex noſter, Dominus legifer noſter.* Iob. *Ecce Deus excelſus in fortitudine, & nullus ei ſimilis in legislatoribus.* Hic igitur vnicus & verus Dominus, & Iudex poteſt perdere. i. iuſtè condemnare non implentes, & liberare. i. miſericorditer à peccato purgare, & ad ſalutem perducere. Dixit enim in Deut. *Ego occidam: &, Ego viuere faciam.* & alibi. *Dominus mortificat, & viuificat, deducit ad inferos, & reducit.* Sic Tobias dicebat. *Tu flagellas, & ſaluas, deducis ad inferos, & reducis.* Iſai. 33. Iob. 36. Deut. 32. 1 Reg. 2. Tob. 13.

VEL poteſt liberare legis factores, vt aduertit Gloſſ. & Lyran. & eſt ſenſus priorum verborum. Cur tibi arrogas quod ſolius Dei eſt? Ne timeas quòd quicquam ſinat inultum, nouit ille, quid, quatenus, & quando ſit puniendum, qui ſolus ſine peccato eſt, ſolius eius eſt, impios pro ſceleribus grauioribus gehennæ flammis adiudicare. Pios autem gloria, & honore coronare, quod tandem aliquando pro certo facturus eſt, vnde nõ iudices alienum ſeruum, qui domino ſuo ſtat, aut cadit, id eſt, quicquid ſeruus facit, vt ſeruus eſt, ſiue malè, ſiue bene faciat, in vtilitatem, aut damnum domini cadit Vnde & domini erit opera ſerui probare, aut reprobare.

ARGVMENTATVR deinde ſecunda parte noſtri textus contra temerè iudicantes à communi omnium hominum miſeria. Tu quis es, qui iudicas proximum? forſitan, inquit Gloſſa, nequior es ipſo, & tu ipſe in maiora potes præcipitari peccata, & iſte poteſt ſurgere ad bona.

VEL etiam: Tu quis es, qui iudicas, cùm omnes ſimus præſentandi ante tribunal Chriſti, & vnuſquiſque pro ſe rationem redditurus? Par verò in parem non habet imperium, vt hic aduertit D. Thom. Vnde & D. Iſidor. quem affert: Non detrahas peccanti, ſed condole, quod in alio detrahis, in te potiùs pertimeſce. Vnde D. Damaſcen. lib. 1. Paralell. c. 66. ex præſentibus Iacobi verbis probat, vnumquemque ſtudere debere, vt ſeipſum noſcat, ſibique attendat, nec aliena curioſè inquirere. Addítq; illud Deut. *Cuſtodi teipſum, & animam tuam ſolicitè*; ſubiicit & hæc Baſilij verba: Deſine aliorum mala inquirere, ne committas, vt cogitationibus tuis alienum morbum examinari vacet. Et Hieron. epiſt. ad Celant. Nulli vnquam omnino detrahas, nec aliorum vituperatione te laudabilem oſtendere velis, magiſque vitam tuam ordinare diſce, quàm alienam carpere, ſemper Scripturæ memor eſto. *Noli diligere detrahere, ne eradiceris.* Sic Nazianzen. in tetraſt. Ne aliis mederi tentemus, cùm ipſi vlceribus ſcateamus. Deut. 4.

Nos quia plura hac de re superiori textu, post alia multa iam diximus, aliò properamus, interim tamen aduertimus cum nouioribus expositoribus, præsentem locum non esse sic intelligendum, quasi non liceat Prælatis, Primatibus, ac Iudicibus iudicare subditos suos: habent enim Magistratus, tum Ecclesiastici, tum ciuiles sua fora, suas leges, & inquirendi, absoluendi, damnandíque rationes, quibus Deus minimè contradicit, imò eas reuelauit, & probauit, quando & Aaronem Synagogæ, & Petrum Ecclesiæ
Rom. 13. suæ præfecit, & Iosue, Iudices, & Reges constituit. Et Paulus. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*; qui locus communiter à Patribus intelligitur de potestatibus sæcularibus, vt videre est apud Basil. de Constitutionibus Monast. c. 23. Aug. epist. 54. Chrysost. & grauiores interpretes.

Inde verò efficax deducit argumentum D. Basil. loco cit. ad confirmandam obedientiam exhibendam potestatibus Ecclesiasticis, cuius hæc sunt verba. Quàm magna ea obedientia sit, qua erga Antistites suos religionis veræ præstare cultores debent, eiúsque magnitudinem non aliunde explicare adnitar, quàm ex sacrosanctæ Scripturæ authoritate: omnibus illi subiecti sint potestatibus, inquit Paulus; mundi, non spiritualibus. Si igitur qui mundo huic præsunt, & ex lege humana illam imperandi potestatem habuerunt, iis diuina lex pietatis cultores tantopere voluit esse subiectos, & quod maius est, quorũ vita tota tunc erat impietas, quàm magna tandẽ ei à pietatis cultore præstãda obediẽtia est, qui à Deo cõstitutus præses est? præsertim cũ apertissimè Apostolus iubeat omni in re parẽdũ esse spiritualibus
Hebr. 13. præpositis. *Obedite* enim, inquit, *præpositis vestris, & subiecti estote eis*. Sic Basil.

Vnde non audiendi Chemnitius, Caluinus, & cæteri hæretici, qui ex præsenti Iacobi loco deducũt, neminem legibus Ecclesiasticis astringi, neminem leges condere posse, quibus obligentur cõscientiæ hominũ baptizatorum, neminem insuper peccare, etiamsi data opera leges humanas politicas, Ecclesiasticásue contemnat. Nam tametsi vnus & solus sit Legislator, qui cunctas leges inspiret, atque confirmet, cũctos sibi subiiciat, & deuinciat, & quoscumque tandem secundùm leges suas iudicaturus sit in iustitia & æquitate, quod hîc docet Iacobus: non vult tamen negare Pontifices, Reges, & Magistratus ab ipso tanquam vicarios inter homines
Deut. 17. esse constitutos. Est enim apertissimum testimonium Deut. *Qui superbierit,*
Luc. 10. *nolens obedire Sacerdotis imperio, morietur homo ille.* Et Prouerb. *Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt; per me Principes imperant, & potentes*
Prou. 8. *decernunt iustitiam.* Et Luc. *Qui vos spernit, me spernit*, &c. Qua de re videndus Cardinalis Bellarm. lib. 4. de Romano Pontif. c. 17. & lib. 3. c. 20.

Vers. 13. *Ecce nunc qui dicitis: Hodie, aut crastino ibimus in illam ciuitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus.*

Vers. 14. *Qui ignoratis quid erit in crastino.*

EXPOSI

EXPOSITIO LITERALIS.


VMPTA occasione à temerariè iudicantibus, increpat his similes, qui temerè, & præsumptuosè contempta Dei prouidentia, ex qua omnia pendent, nec considerata fragilitate humanæ vitæ, longam sibi vitæ seriem promittentes promittunt se plurima factur os, cùm omnino sint incerti, quid die postero futurum sit.

SIMILIS insania narratur apud Lucam de diuite auaro. *Anima habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus. Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te.* Sic etiam hoc loco Glossa. Stulta leuitate animi vitæ spatium proponentes instar illius, qui sibi plurimos promittebat annos, sed promissis non stetit, ne quidem diem vnum post promissionem vixit, videlicet & ex alieno, & temerè promisit. Aug. hom. 48. O cæcitas auari, vna nox ei superabat, & de multorum annorum vita cogitabat, nox ei vitam fugabat, & de crastino cogitabat! Luc. 12.

SIMILIS item insania ea est, quæ habetur in Ecclesiast. *Inueni requiem mihi, nunc manducabo de bonis meis solus, & nescit quòd tempus præteriit, & mors appropinquat, & relinquet omnia aliis, & morietur.* Soli enim Deo præparantur cogitationes, hoc est, firmantur, & stabiliuntur. Estque proprium Dei beneficium, quòd *antè decernas rem*, ait Eliphas, *& veniet tibi.* Vbi D. Thomas. Ordinabis per tuam prouidentiam futurum aliquid, &c. Vnde Aug. illud Iob, *Ecce inter sanctos eius nemo immutabilis*; exponit; In sanctis eius non est fides, propter incerta temporum, quibus plerumque falluntur, vt multa dicant, & non faciant. Eccles. 11. 1. Reg. 2. Iob. 22. Iob. 15.

ECCE nunc qui dicitis, alij legunt, *Age*, id est, errorem vestrum modò aduertite vos, qui dicitis. Gloss. Ecce aliud iudicium, falsum scilicet, de hodie, aut crastino; cùm homo nesciat diem, aut horam, nesciátque finem suum. *Ibimus in illam ciuitatem*, nullam mentionem diuini adiutorij facientes, cùm in ipso viuamus, moueamur, & simus. Luc. 12. Eccles. 9. Act. 17.

ET faciemus quidem annum, id est, commorabimur ibi. Et ideo Vatabl. *Trãsigemus ibi vnum annum: & mercabimur, & lucrum faciemus.* Multimodam, inquit Gloss. eorum stultitiam notat, qui non habentes certitudinem vitæ; cupiditate temporalium vitam, & lucrum promittunt sibi in futurum. Multo meliùs Hieremias. *Scio Domine, quia non est hominis via eius, nec viri est, vt ambulet, & dirigat gressus suos.* Et alibi in Scriptura dicitur. *Ne glorieris in crastinum, nescis enim quid superuentura pariat dies.* Hier. 10.

§. I.

Incertitudo, & fallacia præsentis vitæ.

ILLVD hoc in loco primò notandum occurrit, incertudo scilicet præsentis vitæ, qualitérque decipiantur ij, qui sibi aliquam certam ac determinatam moram, quæcumque illa sit, promittunt. Vnde Dauid. *Deus vitam*

Psal. 55. *vitam meam annuntiaui tibi.* vbi Brixian. & Vatabl. legunt. *Fugas meas numeratas habes.* Videtúrque sumpta metaphora à fugitiuis seruis, quorum dominus nunquam, nusquámque securus est. Quacumque enim hora potest seruus domo abscedere, fugámque arripere: sic & vita non incerta solùm, veluti seruus fugitiuus, sed ipsa incertitudo ad modum fugæ est. Vnde Iob.
Iob 7. *Militia est vita hominis.* Ambros. Serm. 42. & alibi sæpe legit. *Piraterium est vita hominis.* Sicut enim illi non consistunt in certo aliquo loco, sic nec
Iob. 7. vita, &c. Et iterum. *Nihil sunt dies mei.* Vox Hebr. significat *vanitatem*, à radice *Habal*, id est, *euanescere*, quod rectè exprimit vitæ incertitudinem, quæ
Psal. 38. cùm videtur teneri, veluti è manibus oculísque euanescit. Et Dauid. *Veruntamen in imagine pertransit homo.* Ibi Caietan. aduertit; hominem non in veritate, sed in figura, & imagine versari.

Hanc vitæ nostræ incertitudinem prosequutus est Aug. Serm. 1. de verbis Domini, dicens Tempus cuique nostrûm proximum est, quia mortales sumus, inter casus ambulamus; si vitrei essemus, minùs casus timeremus. Quid fragilius vase vitreo, & tamen seruatur, & durat per sæcula? Etsi enim casus vasi vitreo timetur, senectus, & febris nõ timetur: nos ergo fragiliores & infirmiores sumus, quia & casus omnes, qui non cessant in rebus humanis, fragilitate vtique nostra, quotidie formidamus, & si ipsi casus non accedant, tẽpus ambulat, vitat homo ictũ, nũquid vitat exitiũ? nunquid vitat quæ extrinsecus eueniunt? nunquid quod intus nascitur, pellitur?

Probat hoc ipsum D. Ambros. lib. 2. de vocatione Gent. c. 8. optima & efficaci ratione, dicens. De immaturitate mortis non est ratio conquerendi, cùm semel in naturam nostram per peccatum ingressa mortalitas, obnoxium sibi omnem vitæ nostræ fecerit diem. Esset enim quodammodo immortalis homo, si esset tempus, intra quod mori omnino non posset, sed nunquam corruptio ita incorruptionis est particeps, vt non semper obnoxium sit defectioni, quod debetur occasui. Cùm ergo ipsam corruptionem nobiscum portemus, quando certi esse possumus de tam incerta vita?

Mirabitur fortassis quis, cur Christus Dom. ingressus nauiculam, mare permiserit turbari, ipsámque nauiculã penè fluctibus operiri, eóque rem deuenire, vt Discipuli clamantes excitauerint dormientem Dominum dicentes, *Domine, salua nos, perimus.* Existimarunt Apostoli secum portare in naui viuidam vitam, Christum scilicet, securósque de vita, & secundis ventis nauigare posse, quia in portu nauigabant; sed hanc certitudinem in incerta vita minimè passus est Christus, qui nos paratos semper voluit esse. Notauit hoc Ambros. in Psalm. 43. In naui, inquit ille, dormiebat Christus corpore, sed virtute vigilabat; Discipulos verò remissos, & negligentes esse non passus est, quasi de Domini præsentia, & fauore securos, somno corporis sese composuit.

Luc. 18. Optime proinde Cypria. deludens stultitiam auari sibi longam vitam promittentis, ait Serm. de lapsis: Lætabatur stultus in fructibus ipsa nocte moriturus, & cui vita iam deerat, abundantiam cogitabat. Similia habet Basilius libro, cui titulum fecit; *Admonitio ad filium spiritualem*; vbi inter alia

alia ait. Non omnes in senectute priuabuntur hac luce, sed in diuersis ætatibus de hoc mundo migrabunt, semper ante oculos tuos versetur vltimus dies. Cùm enim diluculo surrexeris, ad vesperum te ambigas peruenire, & cùm in lectulo ad quiescendum membra tua posueris, noli confidere de lucis aduentu. Et D. Hieron. ad Marcellam. Sumus in senectute mundi, & vniuscuiusque ætas in senium fertur: quare de discessu, & ratione supremo Iudici reddenda soliciti simus, senectutem hominis deprehendimus cùm incipit delirare. Sic ex iis, quæ videmus mundi deliramentis, facilè illius senium experimur.

Et August. in speculo peccatoris explicans illa verba Deuteron. *Vtinam saperent, & intelligerent, ac nouissima prouiderent.* Vult Deus, vt scias vitam præsentem fugitiuam vniuersæ vanitati subiectam, in breui perituram, vtinam nouissima homines prouiderent contra sterilitatem futuram, sicut Ioseph. Sapientis non tam cuiuslibet rei principium prospicere, quàm finem, exitúmque prouidere. Videndus pro hac re Bernard. Serm. de fallacia præsentis vitæ. Deut. 32.

Dubius cuiusque nostrûm finis, quia vitæ nostræ præsens tantummodo nunc, & instans habemus. Nam quod præteriit, iam non est, quod futurum est, præterquàm quòd nondum aduenit, quis certò nouit nos ad id peruenturos? Insipientia proinde dementissima est, sic iudicare de futura vita, quasi de re certa, & dicere. *Hodie, aut crastino ibimus in illam ciuitatem, & faciemus ibi annum.* De huiusmodi proinde hominibus intelligendum censet Greg. Illud Iob. *Euellatur de tabernaculo suo fiducia eius, & calcet super eum, quasi Rex, interitus.* Super quæ verba sic ait Gregor. 14. Moral. c. 8. Fiducia eius euellitur, quando peruersus quisque, qui multa sibi ad votum in hac vita parauerat, repentina morte dissipatur, & calcat super eum, quasi Rex, interitus, quãdo mortis suæ tempore per hoc, quod ad suppliciũ trahitur, potestati dæmonis subiugatur. Et cum his securè de vita promittentibus sibi, videtur loquutus Paulus, cùm ait. *Cum dixerint, est securitas, tunc repentinus eis superuenit interitus, sicut in diebus Noë,* &c. Et Dauid. *Subitò defecerunt, & perierunt propter iniquitatem suam.* Et Amos. *Occidet Sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis.* Iob. 18. 1. Thes. 5. Psal. 72. Amos. 8.

Quod si huius vitæ incertitudinis rationem quis cognoscere velit, eã reddit Hilar. in c. 25. Matth. dicens. Diei ignoratio intẽtam solicitudinem suspensæ expectationis exagitat; voluit enim nos semper paratos, qui nobis certam mortem asseruit, & eius horam semper incertam. Qua de re videndus Hieron. lib. 5. in lamentation. & epist. ad Cyprian. Chrysost. in imperfecto, hom. 31. & hom. 9. in epist. ad Thessal. & Plutar. de consolatione ad Apollonium dixit. *Existimo nobis terminum vitæ præstitutum esse ignotum, nam si prænoscamus, multi profectò immaturis luctibus contabescerent.*

Extremæ verò miseriæ est, tũc à Deo vocari, & repeti animã, cùm illa secura de exitu longam sibi promittebat vitã, futuros metiebatur annos, eosdémque diuersis adaptabat actionibus, & muneribus, sicut notauit

Psal. 89 Hieron. epist. ad Cypr. vbi exponens ea verba Psal. *Dexteram tuam sic notam fac, & eruditos corde in sapientia.* Aquila, inquit ille, Symmachus, & quinta editio sic verterunt. *Dies nostros sic ostende, vt veniamus corde sapienti:* nihil enim ita decipit humanum genus, quàm quòd, dum ignorant spatia vitæ suæ, longiorem sibi sæculi huius possessionem repromittunt. Hoc est quod Dauid Psal. 38. in alio loco precatur dicens. *Ne auferas me in dimidio dierum meorum, priusquàm abeam, & non subsistam;* quod sic exponitur. Ne eo tempore facias me mori, quando adhuc putabam me victurum; est enim satis periculosum, tūc vocari ad iudicium, quando homo iudicabat se diu victurum, nec dispositas habet rationes suas in iudicium.

§. II.

Contra eos, qui conquirendis diuitiis omnibus modis incumbunt.

ILLOS etiam carpit Apostolus, qui totas horas, curásque impendunt in coaceruandis bonis sæculi, nihil omnino cogitantes de futuris, & æternæ vitæ diuitiis, quibus rectè accommodat Hieron. epist. ad Herontiam, illud quod de Megarensibus illo tempore circunferebatur: ædificant quasi semper victuri; viuunt, quasi altera die morituri; ædificant enim non solùm in sanguinibus peccatorum, sed etiam pauperum, quos occidunt, & spoliant, destruúntque horrea, vt ampliora faciant, eadémque implere conantur fructibus in annos multos. Viuunt verò tanquam mox morituri ad Isai. 22. modum illorum, qui dicebant. *Comedamus, & bibamus, cras enim moriemur.* 1. Cor. 16. Cùm tamen vita ad sola bona spiritualia promerenda, à Deo nobis sit concessa.

HÆC fuit ratio, cur Deus sententiam reuocauerit circa mortem Eze- 4. Reg. 20 chiæ, cui Isaias dixerat. *Morieris tu, & non viues.* Namque cùm Ezechias Deo retulerit, qualiter vitam gesserit: *Memento, quæso, quomodo ambulauerim coram te in corde perfecto, & quod placitum est coram te, fecerim;* statim ei addidit quindecim annos, indignum reputans eam auferre vitam, quæ in proprio munere transigebatur. Vnde Dauid. *Retribue seruo tuo, viuifica me, & custodiam sermo-* Psal. 118. *nes tuos:* vbi aliqui ex Hebræis vertunt; *Retribue seruo tuo, vt viuam, & custodiam sermones tuos,* seu, *verbum tuum:* quasi ad hoc ipse tantùm vitam exoptauerit, vt scilicet legem Dei custodiret.

QVOD insuper probat Chrys. & alij expositores ex ea loquutione Christi Domini Ioan. 9. vbi vitam diem appellat, & tempus operandi, sumpta metaphora ab opportuno tempore operandi apud homines, qui in die operari solent, nocte cessant, quiescunt, & vacant ab opere. Vnde Bernard. Serm. 5. in Vigil. Natiuit. exponens ea verba. *Sanctificamini hodie, & estote parati, die enim crastina videbitis maiestatem Dei in vobis;* ait. Sanctificari hodie iubet; nam crastina nec in sanctificatione erit, nec in præparatione, sed in visione maiestatis: hodie iustitia colitur, cras respondebit, hodie exercetur,

cetur, cras fructificabit, alioqui quod non seminauerit homo, non metet, nec tunc videbit maiestatem qui contempserit interim sanctitatem, nec illucescet ei dies crastina, cui non luxerit hodierna. Similiáque habet Chrysost. homil. 57. in Ioan. Tempus dedit vobis Deus, vt pietatem coleretis, vt rectè viuendi arte erudiremini: cur incassum, & inutiliter hoc tempus consumitis?

Est autem intolerabilis prorsus insania vitam insumere in lucrandis bonis, & cumulandis diuitiis, cùm breui vitæ pauca sufficiant, dum nobis iter est ad æternas mansiones. Quod dixit Greg. hom. 32. in Euang. his verbis. Incassum multa portantur, cùm iuxta est, quò itur: Cursum suum quisque consideret, & agnoscet sibi posse sufficere parua, quæ habet. Et August. in Psal. 34. Tota ista vita, & omnia, quibus vteris, in ea sic tibi debent esse, tanquam stabulum viatori, non tanquam domus habitori; memento peregisse te aliquid, restare aliquid, diuertisse te ad refectionem, non ad defectionem.

Hoc argumentum eleganter prosequitur Ephrem Orat. de morte Abraham, inquit: in viuis existens cum extraneis, tanquam peregrinus, & accola quidam habitabat, neque pedis vestigium propriæ terræ possedit, ad sepulturam saltem propriam sibi ipse terram, quæ eius corpus susciperet, comparauit. Longè itaque ad vitan degendam est beatius, non affixum esse in rebus, quæ sunt in terra, veluti propriis, nec hanc quasi naturalem complecti patriam, sed in hoc vitæ statu, tāquam ex condemnatione aliqua simus grauati, perseuerare; non secus ac si à Iudicibus quibusdam ob certa facinora in exilium pulsi hìc exulare iussi essemus. Quibus verbis videtur meminisse eiectionis primi parentis ab statu felicis vitæ, & à terrestri Paradiso in vniuersam miserámque orbis plagam. Et Ser. ad animam negligentem. Paratus esto, atque ad iter expeditus, noli te onerare superfluis: hyems propè est, occupare festina tectum illud, quod nos quoque persequimur per gratiam Christi.

Considerans verò turbulentam procellarum nubem præsentis vitæ Nazian. vbi cuiusque nostrùm nauis periclitatur conteri, ait Orat. 27. Nauem paululùm exonera, vt leuiùs nauiges. In profundum etenim facillimo negotio demergentur, qui conquirendis mercibus, & onerosis lucris iugiter incumbunt.

Cvm ergo hoc loco reprehendantur ij, qui se totos lucro dedunt, & quorum cura, & cogitatio in eo versatur, illud iam inde infertur, qui prudenter se habere voluerit, id tantùm debere curare, vt lucrum circa talenta Domini conquirat, & in eo perpetuò meditetur: quo sensu recipimus eam insanorum existimationem, vitam, scilicet, nostram esse rationem compositam ad lucrum. Quod dixit etiam Nazianz. in sententiis. Mercatum, hāc vitam existima: si negotiatus fueris, quæstum facies, ratione cuius possis Domino dicere. *Ecce alia quinque superlucratus sum*: quod etiam monuit Christus. *Negotiamini, dum veni*; & præscripsit Ambros. Serm. 30. dicens. Emat sibi innocentiam qui sibi emerat aliquando peccatum. Multa hac

Sap. 15. Luc. 19. Mat. 25.

PPPp 2 de

de re habes apud Chrysost. in imperf. hom. 38.

Eccles. 26 Est etiam hic locus contra negotiatores, & mercaturam exercentes, de quibus sapiens Siracides ait. *Difficile exuitur negotians à negligentia*: vbi alij vertunt, *à deceptione*; Græcè verò habetur, *à delicto*. Et iterum: *inter medium emptionis, & venditionis angustiabitur peccator*; qui quidem pecuniam, velut De-
Ose. c. 12. um, habent; sicut videtur dixisse Ose. *Diues effectus sum: inueni idolũ mihi*. Vnde Bas. hom. 21. in varia loca Scripturæ loquẽs de Iuda proditore, ait. Deũ verum vendidit, propter Deum falsum, pecuniã scilicet, quam adorabat, quã ideo retulit, impia pœnitentia ductus ad templum, & non ad sterquilinium, quia magni eam ponderabat, nimirum talibus semper Diis templum suum deuouerat, sicut notauit Adragonicus Episcopus Hostiensis.

Iob 24. Qvia verò semper est illis in animo, idolum pecuniæ adorare, ipsam qualibet in re considerant, vnde apud Iob dicitur. *Vigilantes ad prædam præparant panem liberis*; vbi Pagnin. vertit, *à deserto est sibi panis*. Ab ipsis namque lapidibus, incultis, desertisque locis pecuniam sibi eliciunt. Ideoque Tigurina ait, *desertum panem profert*. Vnde Ambros. Ser. 81. Vsuræ arte nequissima, ex ipso auro aurum nascitur. Cùm enim terra, quæ profert aurũ, sterilis prorsus sit, ipsi fructiferam terram rubram, aurum scilicet, reddũt per summam impietatem, & nequitiam.

Baruch. 3 De his meritò conqueritur Baruch cùm ait. *Non est finis acquisitionis eorum, qui argentum fabricant, & soliciti sunt*. Argẽtum autem fabricare dicit, non solùm eos, qui argentum conflant, sed eos, qui pecuniam quibusuis modis, quibusuis artibus corradunt, qui adeò subtiles rationes excogitant inueniendæ pecuniæ, vt eam excudere videantur: & ideo addit Propheta. *Nec est inuentio operum illorum*, id est, ita vt non possint animo comprehendi opera illorum. Alij verò exponunt: non est finis operum illorum. Vnde D. Chrysost. hom. 13. in 2. ad Corinth. Nullus pauper, inquit, tanta operatur mala propter indigentiam, quanta ditari volentes, vt plura habeant; non enim pauper necessaria sic desiderat, vt diues superflua.

Et Aug. Ser. 50. de Sanctis. Quotidie negotiatores de naufragio nudi euadunt, & iterum nauigant ad periculum; quotidie periclitantur homines propter diuitias conquirendas. Auarus dicit in corde suo, quod fortè non audet in lingua sua. Quis nos separabit de cupiditate auri? Tribulatio, an angustia, an persequutio: Possunt & auari dicere auro: Propter te occidimur quotidie. Et tract. 9. in 1. Ioan. O homo, qui laboras amãdo auaritiam, cum labore amatur quod amas, sine labore amatur Deus, &c. Videndus hac de re Greg. 7. Moral. c. 8. & Seneca epist. 95. vbi ait. *Auarus nullo satiatur lucro*, &c.

Cant. 5. Remedivm autem efficacissimum ad abstractionem à rebus terrenis significauit eadem sponsa, quæ quando à thalamo surrexit, manus myrrha delibuit, quæ symbolum mortis est, cuius recordatio abstrahit à sordibus terrestris lucri: sicut & eiusdem obliuio homines inducit in huiusmodi
1. Tim. 6 accusationem. In quam sentent. notandus est Paulus, cùm ait. *Est autem*

quæ

quaestus magnus pietas cum sufficientia; alij vertunt: *Est quaestus magnus pietas cum animo sua sorte contento.* Et Theophylact. explicans hunc locum Pauli. Est reuerà quaestus non quemadmodum illi arbitrantur; sed longè alia ratione, non si quia pecunias quis habuerit, sed si quia non habeat; sufficientia enim magnæ sunt stabilésque opes. Vnde Ausonius ex Biante. *Quis diues? qui nihil cupit: quis pauper? auarus.*

VIDENDVS est hac de re August. epist. 121. ad Probam c. 6. & Basil. in Moral. Reg. 48. c. 4. & Seneca lib. 19. epistolar. epist. 111. *Non est*, inquit, *quòd te nimis laudes, si contempseris aureos lectos. Quæ est enim virtus superuacanea contemnere, præsertim hominem Philosophum? Tunc te admirare, cùm contempseris necessaria. Non magnum, quòd viuere sine Regio apparatu possis, tunc te admirabor, si contempseris etiam sordidum panem.*

ET Plotinus Philosophus Ennead. 6. lib. 9. cap. 7. ait. *Oportet nos animam ab omnibus rebus externis separare, tanquam à sarcinis & obstaculis, vt possit à Deo illustrari. Sicut enim oportet materiam primam omnibus formis esse vacuam, vt ita figuras omnium rerum possit recipere. Ita oportet animam hominis esse informem, vt à Deo informari commodè possit.*

Vers. 15. *Quæ est enim vita vestra? Vapor est ad modicũ parens; & deinceps exterminabitur pro eo, vt dicatis: Si Dominus voluerit. Et: Si vixerimus, faciemus hoc, aut illud.*

EXPOSITIO LITERALIS.



INTERROGAT igitur; *Quæ est vita vestra?* vbi notat Beda non dixisse, quæ est vita nostra? sed, quæ est vita vestra? Quia iusti, inquit, tunc veriùs viuere incipiunt, cùm ad huius vitæ finem peruenerunt. Sed ratio interrogationis ea videtur esse, quia inuertit sermonem, & eos interrogat, qui tam certò de vita loquebantur. Respondet ergo. *Vapor est*, id est, tanquam vapor est.

EST autem vapor, halitus, siue spiratio calida, & humida, quæ ex humore aqueo prodit: qualem videre est ex aqua, quæ in olla subiecto igni efferuescit; & licèt vapor, & exhalatio fumi speciem imitentur, tamen maiorem durationem adhuc habet exhalatio, quàm vapor, vt probant Philosophi in lib. Meteor. Proindéque *ad modicum* dicitur *parens*, id est, apparens, seu durans, *& deinceps exterminabitur*, id est, statim, siue paulò pòst deficiet: & sicut Baruch dixit. *Exterminati sunt.* Caiet. legendum dicit, *euanescens*; & Baruc. 3. ideo Vatabl. transtulit. *Vapor est, qui ad exiguum tempus apparet, & deinde euanescit.*

PRO eo vt dicatis: Si Dominus voluerit; & si vixerimus, id est, *pro eo, quod dicere debuistis*, vel, *quod dicere debueritis*, vt vertit Vatabl. *Si Dominus voluerit*, sine cuius voluntate nihil fieri potest. *Et: si vixerimus.* Quam conditio-

Gen. 18 nem apposuit Angelus loquens Abrahæ de ortu Isaac. *Si vita comes fuerit.* Et
1.Cor.4. Paulus Act. 15. Rom. 1. 1. Cor. 4. Philip. 2. *Reuertar ad vos, si Dominus voluerit,*
Philip. 2. *si mihi prosperum iter contingat per voluntatem Dei. Veniam ad vos, si Dominus volue-*
Rom. 1. *rit. Confido autem in Domino, quoniam veniam ad vos citò.* Idem Paulus. *Obsecrans quomodo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos.* vbi notauit Theodoret. Paulum ea etiam, quæ ad tot hominum salutem pertinebant, Dei voluntati subdidisse.

QVA etiam loquendi forma vsi sunt Gentiles. *Si Dij velint.* Cicer. 4. in Verrem. & Plaut. in Pænul. act. 4. scen. vltima. Et Cyrillus Alex. lib. 9. in Ioan. Voluntas, apparatúsque animi nobis ad bene agendum semper inesse debet; viam autem potestatémque agendi, quam non habemus, temerarium est nobis attribuere.

NOTAVIT autem D. Thomas duplicem conditionem, quam assignauit Iacobus; quarum vna, & prima est ex parte Dei, scilicet, si Deus voluerit, sine cuius voluntate nihil fieri potest. Altera verò ex parte hominis, quam postponit præcedenti, quia pendet ex illa, scilicet, ex voluntate diuina.

§. I.

Ostenditur breuitas, & incertitudo vitæ.

ID igitur docet hic locus, quod multi alij Scripturæ, breuitatem scilicet vitæ. Nihil enim tam multis, totiésque inculcatum reperiemus, quàm hoc. Multa verò comprehendit: Iob enim dies suæ vitæ velociores ait cursore, nauibus poma portantibus, seu voluntariis, quæ, scilicet, pro voluntate & desiderio nauigant, aquila volante ad escam: quæ quidem sunt in mari, terra, aëréque fugacissimæ res.

SED quia posset quis dicere, cursorem non tantam celeritatem indicare, quia quandoque diuertit cursor, & requiescit. Vnde D. Chrysost. hom. de Adam, Sodomitis, &c. expendens hunc locum Iob, ait. Cursor interdum
Iob. 9. diuertit, sed cursus vitæ, cursor est non requiescens. Ideóque D. Hierony. epist. ad Heliodorum. Quotidie morimur, quotidie commutamur, & tamen æternos nos esse credimus. Hoc ipsum quod dicto, quod scribitur, &c. de vita mea tollitur: quot puncta notarij, tot meorum sunt damna temporum. Eleganter hoc prosequitur lib. 11. in c. 40. Isaiæ. Quibus habet similia Aug. 3. de Ciuit. c. 10. cùm ait. Hæc vita, quam nos agimus, mors est potiùs dicenda, quàm vita. Ex quo quisque in isto corpore morituro esse cœpit, nunquam in eo non agitur, vt mors veniat. Et tract. 22. in Ioan. atque lib. 1. confessionum ait, se nescire, vtrùm hæc vita nostra appellanda potiùs sit vita mortalis, quàm mors vitalis.

ET in Ps. 30. notauit id, quod dixit Dauid. *Accelera, vt eruas me.* Ad hoc, inquit, positum est, *accelera*, vt hoc totum, quod nobis videtur quandiu voluitur seculum, intelligas punctum esse. Et Greg. 3. Moral. c. 10. Quot dies ætatis

ætatis homines accipiunt, quasi tot quotidie gressibus ad finem tendunt; quot augmenta viuendi percipiunt, diu viuēdi spatia totidem perdūt. Momenta ergo temporum, quod sequuntur, fugiunt, quod accipiunt, amittūt.

VIDENDVS idem Greg. 25. Moral. c. 2. & Damasc. lib. 1. Paralel. c. 10. cùm ex hoc loco Iacobi multa dixerit de breuitate vitæ, affert tandem illud Basilij in Psalmum 1. Quemadmodum, qui in nauibus dormiunt, à vento ad portum sponte trahuntur, etiamsi ipsi minimè id sentiant: eodem modo nos quoque effluente vitæ nostræ tempore, quasi perpetuo motu ad suum quisque finem occulto cursu vrgemur. Videndus item Tertull. 4. contra Marci. c. 21. vbi pannos, quibus infans recenter natus inuoluitur, signare asserit inuolucra, quibus sepeliendus tegitur. Pannis, inquit ille, sepulturæ inuolucrum, initiatus: sic initium vitæ ipsius fini correspondet. Multáque hac de re habet Bern. Ser. 17. in Ps. *Qui habitat.* Ambr. de vocatione Gent. c. 8. & de interpellatione c. 8. & Ser. 3. in Ps. 118. & eleganter Ouidius lib. 1. Metamorph.

Nostra quoque ipsorum semper, requiéque sine vlla
Copora vertuntur: nec quod fuimúsque, sumúsque,
Cras erimus. ——— —

Plura hac de re habet Author adagiorum ad illud, *Homo, bulla*: & Seneca lib. de breuitate vitæ.

EANDEM significauit Dauid cùm dixit. *Anni nostri sicut aranea meditabuntur.* Vbi Hebr. habetur: *Anni nostri sicut loquela*, scilicet, quia breui finitur ac transit: & alibi. *Quoniam superuenit mansuetudo, & corripiemur*; vbi alia versio (teste Hierony. epist. ad Cyprian) habet; *Quoniam transiuimus citò, & auolauimus.* Symmachus: *Succidimur repentè, & auolamus.* Et iterum: *In imagine pertransit homo.* Hebr. habetur. *In vmbram pertransibit vir.* Et idem Propheta dicit. *Ecce mensurabiles posuisti dies meos.* vbi in Græco (teste Orig. hom. 1. in eūdem Psal.) habetur, *pallescas*, quod significat mensuram quatuor digitorum. Origen. verò legit: *Ecce veteres posuisti dies meos.* Veteres enim res interitui quamproximæ sunt, & iamiam fini appropinquant. Et August. in Psalm. 89. notat ea verba. *Quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt.* Pro nihilo, inquit, habentur quæ antequam veniant, adhuc non sunt, cùm venerint, iam non erunt; non enim, vt adsint, veniunt, sed vt non sint.

Ps. 89. Ps. 80. Ps. 38.

NIHIL tamen sic exprimit breuitatem vitæ, quàm similitudo vaporis, qui in ipso ascensu deficit, nec ad supremam aëris regionem peruenit, breuíque euanescit. Quod fortè voluit significare Deus, cùm infundens animam efformato corpori humano, in halitu, & flatu eam infudit, vt videret quàm debili constaret vita, quam & flatum appellauit Scriptura. Sic enim dixit Propheta ad impium Balthasarem. *Deum, qui habet flatum tuum.* i. vitam, *in manu sua non glorificasti.* Daniel 5.

CVM ergo vita nostra vapor sit ad modicum parens, hoc nos incitare debuerat ad melioris vitæ rationem sectandam, non vitiis indulgendum: sed illud potiùs euenit, quod meritò deplorat Ber. Serm. de nimia fallacia præsentis vitæ, his verbis. Vita nostra, vt multipliciter illudat, mutat faciē,

modò

modò enim se breuiorem esse causatur, modò simulat longiorem: cùm peccare delectat, adhuc gemit altiùs pro breuitate sua, nec breuitas falsa, sed gemitus fallax. Ipsa denique vitæ memoria breuioris remedium magis, quàm incentiuum debuerat esse peccati. Quòd si vsque adeò delectat te seruire peccato, vt doleas tibi modicum tempus esse, quo seruias ei, & optes, si posses eam facere longiorem, velis, nolis, non longè est finis eius, sed tu, fateor, longe es à Regno Dei. Hæc Ber. Et Hierony. epist. 21. quæ est ad Paulam. Humanæ vitæ breuitas damnatio delictorum est, hoc quoque spatium sceleribus nostris semper contra diuina pugnantibus, penè perdidimus. Est autem maxima insania in breui vita, quæ ad modicum tanquam vapor paret, nunquam finiendos comparare dolores, & æterna acquirere tormenta. Sicut enim dixit Ambros. lib. 2. de Cain, & Abel. Ea pœna nihil grauius, quàm vt quis ipse sibi maiorum causa pœnarum sit.

CVM verò breuis admodùm sit vita nostra, tempus sufficiens, ac lõgum admodùm est ad promerenda æterna bona. Quod voluit significare Christus Dom. in parabola de operariis, ex quibus vndecima venientes hora eundem receperunt denarium, quia tantum laborauerunt, quantùm priores, priúsque illud receperunt, quàm illi, quoniam hoc ipsum, quòd nempe breuiori tempore fuerant diligentiores, iam merebantur laudem. Vnde Ber. in sententiis ait, eum, qui pœnitentiam peccatorum aggreditur, totum præteritum, præsens, futurúmque tempus possidere. Præteritum scil. quia deplorando & pœnitendo illud redimit, & acquirit. Vnde Paulus ad Ephes. 5. ait; *Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* Et Ezechias: *Recogitabo tibi omnes annos meos.* Præsentis etiam temporis dominus est, iuxta illud Galat. 6. *Dum tempus habemus, operemur bonum.* Futurum denique tẽpus obtinet per propositum permanendi vsque in finem in Dei obsequio. Nullum ergo, inquit Bern. tempus perdit quisquis rectè pœnitentiam agit.

Matt. 20.

QVOD etiam nobis ostendit crucifixus cum Christo latro, qui iamiam moribundus vitam promeruit, & dum memoriam in futuro postulat, statim responsionem æterni præmij audit eodem die accipiendi. Quod notauit Ambros. Ser. 8. in Ps. 118. Id, quod futurum est vnius diei spatio, non patitur prolatari, ne dilatione gratia minueretur. Tam celerem vtique promerebat gratiam tam tarda in fine vitæ conuersio.

HOC etiam probat Salomon, vbi loquens de rapto iusto quàm citissimè è vita, sic ait. *Consummatus in breui, expleuit tempora multa.* i. breui tempore attigit maturitatem virtutis, quam scilicet iuxta beneplacitum diuinæ præfinitionis debebat adimplere, ad quam alius, qui segniùs se haberet, multos post annos deuenit. Quod mihi optimè explicat ea lectio, quam Fulgent. sequitur epist. 2. c. 4. Repleuit tempora multa. Quasi sit sensus: Ideo breui consummationem omnium virtutum est assequutus, quia repleuit multa tempora, quæ vacua alij præterire sinunt, dum in otio degunt, & nihil operantur. Et Seneca epist. 50. docet, esse positum bonum vitæ non in spatio eius, sed in vsu; posse fieri, imò sæpe fieri, vt qui diu vixit, parum vixerit.

Sap. 4.

IDEO

IDEO Clemens Alex. 6. Stromat. dixit, virum ſapientem, & probum non plurimi facere ipſum viuere, ſed bene viuere. Et Plut. in orat. conſolator. ad Apollonium. *In ſumma omnia tibi in animo ſunt voluenda, percenſenti apud te, & apud alium ſedulò non eſſe longiſſimam vitam optimam, ſed honeſtiſſimam.* Et Senec. epiſt. 22. *Nemo quàm bene viuit, ſed quandiu, curat: cùm omnibus poſſit contingere vt bene viuant, vt diu, nulli.* Et de breuitat. c. 10. ait. *Non accepimus breuem vitam, ſed fecimus, non inopes temporis, ſed prodigi ſumus. Sicut ampla & regia opes, vbi ad malum dominum peruenerunt, momento diſſipantur. At quanuis modica, ſi bono cuſtodi tradita ſint, vſu creſcunt: Ita ætas noſtra bene diſponenti multùm patet.*

NVLLVS ergo temporis, ac vitæ breuitatem cauſetur, cùm breuiſſimum ſufficiat, & nos plurimùm inutilibus rebus inſumamus, quod oſtendet vltimus dies vitæ, in quo de tota iudicabimur, qui & omnem vitam noſtram iudicabit. Nam vt Plinius ait lib. 7. hiſtor. c. 40. *Alius de alio iudicat dies, & tamen ſupremus de omnibus.* Ideóque & ille oſtendet non breuitatem vitæ fuiſſe cauſam noſtræ damnationis, quæ etiam breuiſſima ad promerendam æternam eſt ſufficientiſſima. Ideo Nazianz. in ſentent. Mercatum hanc vitam exiſtima, quòd ſi nundinarum tempus fluere ſinas, nullum aliud es habiturus. Similia habet Bern. Serm. de triplici cuſtodia.

Verſ. 16. *Nunc autem exultatis in ſuperbiis veſtris: Omnis exultatio talis maligna eſt.*

EXPOSITIO LITERALIS.

POSTQVAM Apoſtolus oſtendit eorum nequitiam, qui ſibi vitam & lucrum in vapore citiſſimè euaneſcente promittebant, cùm debuiſſent ſe totos diuinæ ſubiicere voluntati, & fateri ab eadem omnia dependere. Inde inſurgit contra eos, qui in incerto diuitiarum fidentes, ſuperbiunt, & gloriantur, alios deſpectui habentes, & in gaudio & lætitia præ rerum affluentia degentes, cùm tamē omnis hæc copia in miſeriam ſit tandem conuertenda: proindéque pernicioſa omnino eſt talis iactantia.

NVNC autem, id eſt, tantùm abeſt, vt Deo humiliter ſubiiciamini, vt potiùs *exultatis, gloriamini*, ſicut Oecum. Vatab. & alij vertunt, *in ſuperbiis veſtris.* Oecum. *in arrogantiis veſtris*: & addit. Arrogantia, affectus eſt de rebus non ſubſiſtentibus. D. Thom. & Gloſſ. *in diuitiis, quæ faciunt ſuperbos.* Vnde Aug. ibi relatus. Vermis diuitiarū ſuperbia. Lyr. *Exultatis in ſuperbiis veſtris.* Alij exponūt; gaudiū extrà oſtenditis, quaſi diuino adiutorio nō indigeatis.

OMNIS exultatio. Vatab. & alij; *gloriatio maligna eſt*, id eſt, malo igne ignita, vel concupiſcentiæ, vel cupiditatis, ait D. Thom. & Gloſſ. exponit, quæ ſit hæc exultatio, quæ ſcilicet eſt ad depreſſionem aliorum. *Maligna*, inquit Carthuſ. id eſt, vitioſa, & malæ libidinis igne accenſa.

§. I.

Contra eos, qui in diuitiis superbiũt, & exultãt in rebus sæculi.

REPREHENDIT hoc loco Apostolus eos, qui in superbiis, id est, diuitiis exultant, quasi vitam possint producere, cùm tamen Christus Dominus dicat, quia *non in abundantia cuiusquam vita eius*, id est, non habet homo vitam certam si abundet, sicut sibi falsò persuadent qui student congregãdis diuitiis. Et de impio dicit Iob, *Cùm pax sit illi, insidias suspicatur*; in Hebr. est. *In pace prædo, aut vastator veniet ei.* Septuag. *Cùm putauerit se esse iam in pace, veniet eius subuersio.* Vnde Ambros. lib. de Naboth c. 6. Quis artifex vnum diem vitæ hominis potuit adiungere? quem diuitiæ eius ab inferis redemerunt, cuius ægritudinem pecunia mitigauit? *Non in abundantia*, ait Dominus, *vita eius.* Quid mihi prosunt diuitiæ, si me à morte liberare, si mecum post mortem esse non possunt? Ita Ambros.

Luc 12. *Iob 15*

NEC mirum quòd exultent in diuitiis tam incertis, cùm videamus diuitem illum insanum vocasse fructus suos, quos nondum collegerat, quos sæpe grando elisit, atque comminuit, & æstus ingens è mediis eripuit manibus, & aqua intempestiua è nebulis fluens infrugi reddidit, sicut notauit Basil. in hom. de diuite.

Luc 12.

VEL etiam hic locus facit contra eos, qui superbè, & stultè gloriantur in diuitiis breui quidem perituris: contra quos dixit Salomon. *Ne erigas oculos tuos ad opes quas non potes habere, quia facient sibi pennas quasi aquilæ, & volabunt in cœlum.* Quem locum sic ex Hebr. transtulit Vatabl. *Num intenderes oculos tuos in id, quod mox non est? Sumunt enim sibi alas diuitiæ, & velut aquila in aërem auolant.* Exponens verò hæc verba ait. An conueniet, vt coniicias oculos tuos in eas, cùm nullæ sint? Quoniam parando, parant sibi alas, velut aquila, & volabunt in cœlum: vt sit sensus. Tu defatigaris in illis comparandis; at illæ comparant sibi alas, vt cùm te viderint securiorem, è manibus auolent, & effugiant. Vnde in Scriptura dicitur. *Extrema gaudij luctus occupat.* Vtinam, inquit Ber. & non occupet prima.

Prou. 23. *Prou. 14.*

ET ideo Greg. 22. Moral. c. 2. ait. Quasi in aquis defluentibus fundamentum ponere, est in rebus labẽtibus spei fiduciam velle solidare. Et Leo Ser. 1. de Resurrect. Temporalia ista pro transactis habenda sunt. Videndus hac de re Ber. Ser. 4. de Aduentu, & Ser. de Primordiis, &c. & multa habet Ser. de Conuers. ad Clericos cap. 14. Cyprian. epist. 2. ad Donat. Chrysost. hom. 2. super *Vidi Dominum*: & Aug. epist. 45. vbi carpit eos, qui inani rerum tẽporalium spe decipiuntur, cùm in mundo omnia falsitatem proclament. Tanta, inquit, rerum labe contritus, vt etiam spem seductionis amiserit. Nam quantùm illi laudandi, atque prædicandi, qui dignati non sunt cum mundo florente florere, tantùm increpandi, & accusandi sunt, quos perire cum pereunte delectat. Contra quos rectè dixisse videtur Ber. Ser. de verbis Apostoli: *Non est regnum Dei*, &c. Est sapiens, cui quæque res sapiunt, prout sunt. Insipientes proinde possumus eos dicere, qui in incertis gloriantur,

&

& in humilitate, & paruitate rerum sublunarium superbiunt, & falsis decipiuntur. Videndus Eusebius Emyss. ad ea verba Luc. 15. *Homo quidam erat diues*; cùm ita habet. Erat, non est, quia præteriit quasi vmbra fugiens.

FACIT etiam pro hac re D. Aug. in Psalm. 120. cùm explicat ea verba Psalm. *Dominus protectio tua super manum dexteram tuam.* Sinistra, inquit, dicitur quicquid temporaliter habemus, dextera nostra dicitur quicquid nobis æternũ, & incommutabile Dominus pollicetur. Omnis homo, qui felicitatem non putat esse, nisi solùm in istis temporalibus facultatibus, & deliciis, & affluentia, & copia huius mundi; iste est stultus, atque peruersus, qui sinistram fecit sibi dexteram. Tales erant, de quibus scriptum est. *Quorum os loquutum est vanitatem, & dextera eorum, dextera iniquitatis, filiae eorum ornatæ, vt similitudo templi.* Non eos reprehendit, quia his omnibus abundabant, sed quia os eorum loquutum est vanitatem. Cùm enim enumerasset eorum copias, dixit. *Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt.* Ps. 143.

AVDI hoc confirmatum in Cant. Sponsa dicit de sponso, de Christo in Ecclesia, in amplexu pietatis & charitatis: *Sinistra eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Quid autem? Quia sursùm erat dextera, deorsum sinistra, & sic complectebatur sponsus sponsam, supponens sinistram ad cõsolationem, imponens dexteram ad protectionem. *Sinistra eius sub capite meo.* Deus omnia ista temporalia dat. Ergo si sinistra sit sub capite, supra illam sit caput tuum. i. supra illam sit fides tua, vbi habitat Christus, longitudo dierum in dextera eius, æterna vita in dextera eius. Hæc Aug. quæ facilè ostendunt, sapientem, & sanctam animam temporalia omnia sub capite habere, non supra caput, quasi ea adorantem, aut quasi in eis, veluti in corona exultantem, & superbientem. Cant. 2. c.

VENIT autem hoc loco notandus ille alius apud Chrysost. hom. 5. ex imperfecto, vbi ponderat, iis, qui sic exultant in superbis diuitiis, & eis admodùm delectantur, diabolum è monte easdem ob oculos proponere, sicut Christo obiecit omnia Regna mundi. Cùm autem senserit te, inquit Chrysost. in concupiscentia eorundem bonorum accensum, tales sibi prouidet causas, vt necesse sit tibi, si volueris illa consequi, diabolum adores, & seruias ei, negligens iustitiam Dei. Qui enim diuitias quærit, vt in illis exultet, & glorietur, nihil omnino omittet, quo possit comparare superbias, in quibus iniquè gloriatur. Matth. 4.

IDEMQVE Chrysost. hom. 14. in Matth. eosdem, qui in superbis diuitiis exultant, similes dicit Nabuchodonosori, qui in statua aurea volebat adorari; non in se, quasi solius auri merito & ratione tantummodo talem adorationem ipse meruerit. Vt ille tunc, ait Chrysost. de imagine aurea, sic modò alij de veste pretiosa, de equis, alij de curribus, de amplitudine columnarum, ac picturis parietum opinantur se esse meliores; quia enim, quod erant homines, perdiderunt, solicitè huc, illúcque circumeunt, aliunde sibi gloriam colligẽtes, omni sanè irrisione dignissimam: sed nequaquã nos, aut sonitus tubarum, aut tibiarum, citharæque concentus, aut reliqua diui-

tiarum Incentiua commoueant, vt adoremus imaginem auaritiæ.

Est etiam reprehensibilis hæc gloriatio, & exultatatio huiusmodi, quia gloriamur de alienis, quasi de nostris, cùm Deus sit omnia tribuens, & ille paterfamilias, qui vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua. Vnde Dauid se mendicum & pauperem dicit, sicut notauit Rupertus lib. 7. in Gen. c. 25. cùm ponderat ea verba Iacob. *Si fuerit Dominus mecum, & dederit mihi panem ad vescendum.* Hoc, inquit, tanquam pauper, & vt verè Dei mendicus dixit, nec mirum, cùm & Rex potentissimus in Psalmis egenum se & pauperem profiteatur. *Ego verò*, inquit, *egenus*: siue, *ego mendicus & pauper, sum.* Item: *Quoniam inops, & pauper sum ego.* Bonum ergo ex patribus exemplum filiis prouisum est, vt quantumcumque diuites simus, dicimus omnes ante fores supernæ gratiæ, panem nostrum quotidianum da nobis hodie; nec verò solùm panem spiritualis alimoniæ, sed panem quoque vitalem dignemur à Patre omnium Deo flagitare, vt illum quoque ex dono eius fateamur nobis esse, qui solus potuit creare, & dare non minùs Regi in solio fulgenti, quàm viduæ ad molam sedenti necessarium panis alimentum. Quibus habet similia Tertul. lib. de patientia c. 7. vbi ait. Nihil nostrum, Dei omnia, cuius ipsi quoque nos.

Gen 33. · Psal 39 · Genes 28. · Psal. 39 · Psal. 8.

Vnde illud rectè infert, quod ex opposito consequenti nostræ doctrinæ subseruit, scilicet, non licere nobis dolere in amissis bonis, quandoquidem aliena sunt. Itaque, inquit, si damno affecti impatienter senserimus, non de nostro amissum dolentes, affines cupiditatis deprehendemur, alienum quærimus, cùm alienum amissum dolentes ægrè sustinemus.

Hinc ergo patet, quòd si malignus est dolor de amicis, quia aliena sunt ea bona, quæ amittuntur, maligna vtique erit exultatio, & gloriatio de alienis bonis, quæ in nostras superbias conuertimus, cùm debeamus tantùm exultare in Domino, & in eo omnes recti corde gloriari. Nec adhuc, quia dedit nobis bona vt annotauit Basil. in Psal. 32. sed quia præditus tanta bonitate sit, & tali sapientia præcellens.

Psal. 11

Maligna etiam est talis exultatio, quia omnis talis gloriatio in præsenti sæculo igne æterno succendetur. Namque, sicut notauit D. Bernard. super *Ecce nos reliquimus omnia.* Non eiecit nos Deus de Paradiso voluptatis, vt voluptuosè, & gloriantes in hac miseriarum valle viueremus.

Fevard. verò existimat eos, qui in superbiis exultant, esse eos, qui de peccatis suis gloriantur, quique peccatum suum sicut Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt: cùm tamen verè dixerit Tertull. in Apolog. Omne malum pudore natura perfudit. Qui etiam videntur imitari maiorem filiam Loth, quæ præterquàm quòd minorem prouocauit ad coitum paternum, filio, quem ex illo peperit, imposuit nomen Moab. i. de patre, vt quicumque filium nominarent, inauditum illud crimen prædicarent.

Isai 3. · Genes. 19

Imitantur insuper Ioab, de quo dixit Dauid. *Tu scis quæ fecerit Ioab duobus Principibus exercitus, quos occidit, & posuit cruorem prælij in baltheo suo, qui erat circa lumbos eius, & in calceamento suo, quod erat in pedibus eius*: quasi dixerit; incautos ac nihil tale suspicantes oppressit: quare illius baltheus

& gla

& gladius labem contraxerunt ex innocentium sanguine nunquam satis eluendam, neque minùs alacer, atque animo immotus accingebatur gladio,& securus incedebat, quàm si nihil tale admisisset: vnde aliquibus præ impudentia scandalo & imitationi potuit esse: cùm quasi insignitus incederet sanguine per dolum effuso.

Sic similiter apud Hieremiã dicitur. *Maculata es in iniquitate*, posset quidem eleganter legi. *Insignita es iniquitate*, vt sit sensus: Emblematis & figuris expressis tuorum scelerum respersa es. Cui simile est illud. *Peccatum Iuda scriptum* (figuratum scilicet, & stigmate ornatum) *stilo ferreo, in vngue adamantino exaratum super latitudinem cordis eorum.* Ita enim opere argentario videris cordi tuo, scelerum, & impietatis figuras insculpsisse. Hæc etiam videtur fuisse ratio, quare Deus dixerit. *Quando transieritis Iordanem intrantes terram Chanaam, disperdite cunctos habitantes terra illius, confringite titulos, & statuas comminuite.* Existimo enim ideo Deum curasse fractionem titulorum, quia Deorum nomina, & sacrificia prædicabant. Et denique hæc fuit ratio, sicut notauit Theodoret. quæst. 26. in 1. Reg. cur Deus occiderit eum infantem, quem Dauid genuit ex ea, quæ fuit Vriæ, ne scilicet viuente puero, coram omnium oculis versaretur peccatum adulterij, & in solio Regio collocaretur, quod esset in peccato exultare, & gloriari.

Hier. 2.
Hier. 17.
Num. 33.

Vers. 17. *Scienti igitur bonum facere, & non facienti, peccatum illi est.*

EXPOSITIO LITERALIS.

POST tot monita vitæ tradita, concludit Apostolus, magnum supplicium expectare eos, qui cùm probè agnouerint quæ Deo placent, ea omittunt. Quæ admonitio ad cunctos Christianæ fidei professores pertinet, maximè verò ad eos, quibus scribebat. Constat enim ex toto huius epistolæ cõtextu, vt notauit Beda, & Gloss. hîc, eos, quibus Iacobus scribebat, notitiam legis habuisse, & fidei documenta percepisse, ità vt aliis se magistros fieri præsumerent, nec tamen operum perfectionem, neque mentis humilitatem, neque sermonis continentiam adepti erant. Propterea inter alia increpationis, & exhortationis verba, modò eos multùm terret, quia scientes necessarium esse benè facere, non faciebant, vnde maius peccatum contrahebant, quàm si nescirent. Vnde Christus dicebat. *Si non venissem, & loquutus eis fuissem, peccatum non haberent*, scilicet incredulitatis, vt vult Aug. tract. 29. in Ioan. Ioan. 15.

Alii ad peccatum odij & persequutionis referunt cum Euthy. In his enim peccauerunt, postquam & doctrinam eius audierunt, & opera viderunt. Vnde censent aliqui ex peculiari quadam misericordia erga ciues suos Christum noluisse miracula edere, ne illis abutẽdo, ampliùs punirentur; quia seruus, qui cognouit voluntatem domini sui, & non præparauit,

& non fecit secundùm voluntatem eius, vapulabit multis: qui autem non
Luc. 12. cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis. Meliúsque erat talibus
2. Petr. 2. non cognoscere viam iustitiæ, quàm post agnitionem retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato. Vnde Orig. hom. 7. in Exod.
Ezec. 20. intelligit illum locum Ezechielis. *Præcepta non bona, & iudicia, in quibus non viuent*, de præceptis diuinis. Quia, inquit, vnum atque idem mandatum, si seruetur, vitam; si non seruetur, generat mortem.

INTERLINEARIS igitur hoc loco sic connectit hæc verba cum superioribus. *Exultatis, & superbitis*: ergo grauiter puniemini, quia scitis bonum, & non facitis: vnde scienti bonum, & non facienti peccatum illi est, omissionis scilicet grauioris, quia, sicut ait Gregor. relatus à D. Thoma, vbi maius donum scientiæ, ibi transgressor maiori subiacet culpæ, non quia scientia sit mala, sed propter contemptum scientiæ.

VNDE ex hoc loco Apostoli deducunt Theologi Scholastici, in omissionibus voluntariis dari posse malitiam moralem, & peccatum, quod etiam docuit August. lib. de perfection. vit. dicens: Duobus modis fieri constat omne peccatum: si aut illa fiant, quæ prohibentur; aut illa non fiant, quæ iubentur. Quod idem habet in Enchiridio. De qua diuisione videndi Theologi in 2. distin. 35. & cum D. Thom. 1. 2. q. 71. & de omissione 1. 2. q. 6. art. 3.

ADVERTIT autem hoc loco Lyran. differentiam peccati sumendam esse penes bonum, quod noscitur amplectendum: namque si sit bonum necessitatis, eius omissio erit peccatum mortale; si autem sit bonum supererogationis, peccatum est veniale, & aliquando nullum. Caietan. verò ait intelligendum esse locum de bono debito, non de bono supererogationis.

§. I.

Misera eorum conditio, qui notitiam diuinæ voluntatis, ac legis habentes, eam non implent.

MISERAM docet hic locus eorum conditionem, qui cùm Dei notitiam, ipsiúsque datorum cognitionem habeant, eadem parui pendentes non adimpleant. Hunc igitur Iacobi locum sic exponit optimè Bernar. Serm. 36. in Cant. Sunt qui volunt scire eo fine tantùm, vt sciant, & turpis curiositas est: & sunt, qui scire volunt, vt sciantur ipsi, & turpis vanitas est, qui profectò non euadent subsannantem Satyricum, ei qui eiusmodi est decantantem.

Scire tuum nihil est, nisi te scire, hoc sciat alter.

Et sunt qui scire volunt, vt scientiam suam vendant, verbi gratiâ, pro pecunia; pro honoribus, & turpis quæstus est; sed sunt quoque, qui scire volunt, vt ædificent, & charitas est, & item qui scire volunt, vt ædificentur, & prudentia est: horum omnium soli vltimi duo non inueniuntur in abusione

abusione scientiæ, quippe ad hoc volunt intelligere, vt benefaciant: denique *intellectus bonus omnibus facientibus eum.* Reliqui omnes audiant. *Scienti bonum, & non facienti, peccatum est ei*: acsi per similitudinem dicat, sumenti cibum, & non digerenti, perniciosum est ei, nónne illa scientia reputabitur in peccatum, tanquam cibus conuersus in prauos, noxiósque humores? & vide ne fortè in persona talis animæ Propheta plangeret dicens. *Ventrem meum doleo, ventrem meum doleo.* Psal. 110. Hier. 4.

MIRUM namque est quòd creaturæ intellectu & cognitione carentes Deo ad nutum pareant, eiúsque voluntatem ad amussim impleant, & tamen homo eandem sciens non exequatur, quæ videtur esse illa querimonia apud Hier. *Me ergo non timebitis, & faciem meam non dolebitis, qui posui arenam terminum mari præceptum sempiternum, quod non præteribunt?* De quo etiam præcepto dixit Dauid. *Præceptum posuit, & non præteribit.* Sic enim interpretatur illum Hieremiæ locum D. Hieronym. lib. 2. in eundem Prophetam. Similiáque habet Orige. hom. 6. in Matt. cap. 3. cùm ponderat ea verba. *Quis est iste, quia venti, & mare obediunt ei?* Hiere. 5. Psa. 148.

RECTE autem infert D. Basilius tract. 1. de Baptismo cap. 5. quàm grauiter peccent ij, qui scientes non faciunt. Si maledictus, inquit, ille qui facit opera Dei negligenter, quo non supplicio dignus, qui omnino non facit? concluditque ex parabola ficus, & ex eo quod Christus Dominus ait. *Esuriui, & non dedistis mihi manducare,* in hunc modum. Ex quibus demonstratur, quòd non solùm ij, qui malè faciunt, digni sunt morte, quibus & ignis inextinguibilis paratus est, sed cum his condemnantur etiam illi, qui bonis operibus vacant. Pluráque hac de re habet regula 18. cap. 1. Hiere. 48. Luc. 13. Matt. 25.

IN hanc sententiam facit quod paraphras. Chaldæa vbi nos habemus, *in multa sapientia multa est indignatio,* legit, *vir qui multiplicat sapientiam quando peccat, & non conuertitur ad sapientiam, multiplicat indignationem à Domino:* quasi iuxta mensuram scientiæ, & notitiæ diuinorum præceptorum infligenda sit à Deo pœna. Eccles. 1.

PRO quo argumento videndus est Gregor. homil. 18. in Ezechiel. vbi adducit locum eiusdem Prophetæ, in quo ait. *Spiritus quoque leuauit me, & assumpsit me, & abij amarus in indignatione spiritus.* Constituit ergo Gregor. discrimen inter nudam scientiam, & scientiam operibus coniunctam, & ait. Sunt nonnulli, quos eleuat spiritus, sed eosdem non assumit spiritus, quorum intellectus, & spiritualia amicant, sed tamen vita in factis carnalibus manens intellectui non concordat. Balaam enim per prophetiæ spiritum eleuatus erat, sed non assumptus, quia potuit à longè futura prospicere, & tamen à terrenis desideriis noluit mentem separare; sed quoniam Ezechiel intellectu eleuatus est, & assumptus pariter vita, propterea abiit amarus in indignatione spiritus: quando enim intellectus cum vita concordat, necesse est, vt displiceant ea, quæ dulcissima videbantur, proptereáque oportet scire, & facere ea quæ scieris.

FACITQUE pro eodem instituto Cyrillus Alexandrinus lib. 9. in Ioan. c. 9. cùm explicat ea verba Christi Domini. Si hæc scitis, beati estis si facitis ipsa. Ioan. 13.

ipsa. Non magnum, inquit, est virtutem cognoscere, sed studiosè agere, id certè maximum est. Ego autem existimo melius modo quodam esse nescire, quàm quod scias per ignauiam negligere, & quod bonum esse credideris, ex desidia præterire, &c. quæ prosequitur in hác sententiam. Quam etiam habet August. Concion. 2. in Psalm. 30. vbi colligit, peiores cæteris paribus, Christianos esse quàm Gentiles homines: quod etiam habet in Psalm. 98. & Serm. 12. de verbis Domini, & Serm. 112. de Tempore.

De hac denique re dixit Gellius ex Pacuuio, id quod Macedo Philosophus scribi debere censebat præ foribus omnium templorum: Ego odi homines ignaua opera, & Philosophica sententia. Nihil enim fieri posse indignius (ait Gellius) neque intoleratius dicebat, quàm, quòd homines ignaui, ac desides, operti barba, & pallio, mores, & emolumenta Philosophiæ in linguæ verborúmque artes conuerterent, & vitia facundissimè accusarent intercutibus ipsi vitiis madentes.

Ex his constat quàm rectè dixerit Ephrem de pœnitentia in fine. Si scienti bonum, & non facienti peccatum est illi, multo magis malum scienti, & illud facienti. Vnde D. August. de Tempore, Serm. 112. in hæc verba Iacobi sic ait. Omni diligentia studete, vt cognoscatis voluntatem Dei, postquam autem cognoueritis, summo nisu contendite, vt hanc faciatis implentes mandata illius, & instanter deposcite, vt in hoc perseuerantes perueniatis ad promissa illius.


Apponit autem Iacobus iis, qui non faciunt pœnam, imò & supplicium, cùm ait. Peccatum illi est, quia hoc magnam vim apud homines habet, sicut notauit Chrysost. hom. 30. in Ioan. & hom. 10. in 2. ad Corinth. Maiorémque habebit is, qui scit bonum, & non facit. Quod

Isai. 40. ostendit Hieron. lib. 11. in cap. 40. Isaiæ ad ea verba. *Dimissa est iniquitas illius, suscepit de manu Domini duplicia*; vbi ait. Non est idem solui peccata, atque dimitti: cui enim dimittuntur, solutione non indiget, audiens in Euangelio. *Confide filia, dimittuntur tibi peccata tua.* Cui autem soluuntur, propterea soluuntur, quia purgata sunt, & soluta per pœnas. Iuxta historiam recepit Hierusalem de manu Domini duplicia peccata sua, semel à Babyloniis, secundò à Romanis, & rationem huius supplicij assignat dicens. *Qui enim scit voluntatem Domini, & peccat, vapulabit multis.*

Matt. 9.

Luc. 12.

CAPVT



CAPVT QVINTVM.


ARGVMENTVM TOTIVS CAPITIS.



OTVM hoc caput in sex diuiditur partes, quarum prima continet duram & acerbam doctrinam contra diuites auaros. In secunda hortatur ad patientiam, ad cuius confirmationem exempla proponit. In tertia iuramenta prohibet. In quarta vnctionem sanctam docet, & confessionem. In quinta orationem. In sexta tandem errantes in viam reducendos admonet.

Vers. 1. *Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miseriis vestris, quæ aduenient vobis.*

EXPOSITIO LITERALIS.



T pauperes patientiores reddat in sua inopia, fallacem prosperitatem diuitum acriter arguit. Vos igitur, qui securi in voluptatibus exultatis, coram diuino tribunali appello, vobísque diem nunc dico: cogitate diem iudicij adesse, quando ablatis iis, quibus confiditis, trademini tortoribus. Proinde, 1
nunc, id est, dum tempus habetis acceptabile, & diem salutis, vitam corrigite, ne prorsus insensibiles videamini, & sicut Ephraim, *quasi columba seducta non habens cor.* Super quæ verba D. Hieron. sic ait. Sola columba ablatos pullos non dolet, non requirit, &c. Ablatam proinde gratiam deplorate, vitam corrigite, pœnitentiam agite. Hucusque, ait Interlinearis, peccastis in pecunia, sed iam pœnitentiam agite. Osea 7.

ALII meliùs exponunt, *nunc*, id est, igitur, seu, itaque, id enim est agere, vt rectè aduertit D. Tho. Nec dicit, inquit, quid agant, quia agere bonũ, simpliciter est agere, agere malum non est agere, sed destruere. Agite ergo pœnitentiam

nitentiam, per eam recuperando quod destruxistis per culpam. Lyran. verò aliter exponit verbum, *Agite*, scilicet, vestras voluntates adimplete. Et est, inquit, ironica loquutio, quæ est intelligenda per contrarium, similisque erit illi; *Qui in sordibus est, sordescat adhuc, & qui nocet, noceat adhuc.* Sed plenior est prior sensus. Postquam enim dixit, *Agite*, statim exposuit quid agēdum esset, *plorate vlulantes*. Plorate igitur, inquit Gloss. manifestatione operis & vocis, vlulantes, vehementer dolete; corde scilicet.

Apo. 22.

Est autem vlulatus, sonus confusus, qui est signum magni doloris: qualis est locus ille Hierem. *Vlulatus tuus repleuit terram*; cùm prædicit vastandam Ægyptum. & sæpe alibi: vt Ezech. 15. Hierem. 3. & Matth. 1.

Hier. 46.

Describit itaque his verbis Iacobus pœnitentis habitum ac modum. Vnde Tertull. qui proximus fuit Apostolis, lib. de pœnitent. c. 9. sic pœnitentem docet sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus deiicere. Illa, quæ peccauit, tristi tractatione mutare, ieiuniis preces alere, lacrymari, mugire dies noctésque ad Dominum: presbyteris aduolui, charis Dei adgeniculari.

IN miseriis vestris. Vatab. *Super miseriis.* i. ex consideratione, atque formidine metuendi iudicij, æternaliúmque pœnarum vobis imminentium, nisi interim dignum pœnitentiæ fructum feceritis: de eis namque dixit Christus Dominus Luc. 6. *Væ vobis diuitibus, qui habetis hic consolationem, quia lugebitis, & flebitis.* Vel, *In*, id est, propter miserias vestras, sicut plerumque sumitur in Scriptura hæc præpositio, vt videre est Gen. 18. *Dimittam omni loco propter eos*: & iterum. *Non percutiā propter quadraginta.* & cap. 29. *Seruiam tibi pro Rachel.* Quibus in locis vbi nos habemus, *propter*, aut, *pro*, in Hebr. est, *in*: & idem significat apud Oseā. *Israel, & Ephraim ruent in iniquitate sua*, id est, propter: sic ergo hoc in loco, *In miseriis vestris*, id est, propter miserias, quæ aduenient vobis, scilicet in vita, vel iudicio futuro.

Osea c. 5.

§. I.

Proponuntur miseriæ, quæ in diuitibus reperiuntur.

Possumus hoc loco cum Apostolo diuites monere, vt miserias suas deplorent, cùm nihil tam deplorandum sit præ miseria, quàm diuites huius sæculi, quibus Dominus dixit. *Væ vobis diuitibus.* Sunt enim verè pauperes, & miseri, vtpote quibus deest vestitus deauratus, virtutum circumamictus varietate, illúdque indumentum veluti nuptiale, de quo dixit Apostolus. *Induite viscera misericordiæ.* Quod argumentum prosequitur Basil. hom. 11. in Ps. 44. & Hieron. lib. 13. in Ezech. vbi postquam vestimenta virtutis ostendit consistere in induendo Domino Iesu Christo, ait è contrario, pessima vestiméta maledictionis non induere viscera misericordiæ. Cóiungédúsque est locus Hier. in c. 1. Sophoniæ ad ea verba. *Visitabo super Principes, & super omnes, qui induti sunt veste peregrina.* Vestis, inquit, filiorū Regis, & Principū induméтum Christus est: cùm ergo debeamus talibus indui vestimétis, pro

Luc. 6. Coloss. 3. Rom. 13.

pro misericordia induimur crudelitate, pro patientia, impatientia: pro iustitia, iniquitate: & in hoc sensu dixit Chrysostom. hom. 7. de pœnitent. Diuitiæ malitiæ sunt scholæ.

Plorare igitur debent, deplorandique etiam sunt miseri diuites, qui talibus pannosis vestibus induuntur, quibus indumenta, ornamentáue virtutis desunt, quibus Dominus non est pars hæreditatis, quibus non ceciderunt funes in præclaris; sed in absconditis Dei. Quod prosequitur August. in Psalm. 15. Quibus non est gloria, & diuitiæ in domibus, sed purpura, & byssus, & epulæ splendidæ. *Psal. 5. & 15.*

Nisi fortè ea de causa plorandi sint, quòd vestibus alienis vtātur, quas pauperibus detrahunt; qua de re nos multa iam diximus: modò videatur Ambrosi. Ser. 59. vbi de miseris diuitibus sic ait. Semper alieno vtitur, alieno se pascit damno, & illi præda, egestas alterius est. Ecce religiosa vidua tota supellectili despoliatam suam domum dolet, & tu eadem supellectili domum tuam ornatam esse lætaris, non compungeris, cùm vides in hospitio tuo lacrymas alienas. Plura habet lib. 1. de Naboth cap. 1. 2. 3. 4. & 5. & Cyrill. lib. 4. in Ioan. c. 4. & Basil. homil. 6. in c. 12. ex variis, & Hieron. lib. 8. in Hierem. c. 17.

Miserrimi insuper diuites, qui vt congerant, in extrema penuria viuunt; quibúsque tam deest quod habent, quàm quod non habent: sicut dixit D. Hieron. epist. 103. & iis, quibus abundant, quia nesciunt vti, carent, sicut prosequitur Horat. 1. Ser. Satyr. 3. Qui iugi terrore agitantur, & afflictantur, dum latrones timent, potentiores verentur, famulis se non credunt, & aliquando à filiis non solùm viui, sed etiam mortui spoliantur. Qua de re multa dixit Isidor. Pelusiota lib. 2. epist. 146. & ibidem epist. 233. vbi ostendit, dies, noctésque tam dirè diuitem cruciari, vt inferorum suppliciū iam perpeti videatur. Quod dixit eleganter Greg. 15. Moral. c. 13. cùm hoc argumentum prosquitur inter alia, quæ sic habet. Tanta infelix patitur, quanta pati timet. Et Aug Ser. 28. de verbis Apostoli. Diuitias appellauit periculum possidentium. Videndus etiam Ser. 74. de Tempore; & D. Isidor. lib. 4. de summo bono, cùm ait. Qui bona mundi diligit, velit, nolit, timoris, & doloris pœnæ succumbit.

Merito proinde Philo lib. de charitate, non iam miseros, sed miserrimos vocauit diuites; ait enim. Hi miserrimi omnium, quasi pecunia careant, cibos mutuantur, vt recipiant cum fœnore. Isti quomodo egeno stipem offerrent, cùm in prouentu felici famem inuehant, redditus sibi parātes ex miserorum hominum ventribus? Vnde Plutarch. de cupiditate diuitiarum, de Aristippo refert, solitum fuisse dicere; si quis multa edens, multa bibens, nūquam saturetur, eum ad medicos iturum, & interrogaturum, qualis hic morbus? quæ affectio? quis sanandi modus esset? Si quis autem decem mensas possidens, alias totidem emeret, multísque prædiis multo argento paratis non expleretur, sed ad alia paranda se intenderet, eum non putare sibi medico opus esse. Ægrotare autem auarum dixit Varro in eum.

——— —— Denique auarus ———
Quis sanus? cui si stet terra, & traditus orbis
Furando tamen ac morbo stipulatus eodem
Ex sese ipse aliquid quarat, cogátque peculi.

EST etiam pro præsenti instituto id, quod Deus Laodicensi Episcopo dicit in Apocal. *Dicis, quia diues sum, & locupletatus ego: & nescis, quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, cæcus, & nudus.* Quæ verba sic exponit D. Greg. 34. Moral. c. 3. Pauper vtique, quia virtutum diuitias non habet: cæcus, quia nec paupertatem, quam patitur, videt: nudus, quia primam stolam perdidit: sed peius, quia nec se perdidisse cognouit. Deplorandæ proinde sunt ab ærumnosis diuitibus miseriæ, in quibus viuunt. (*Apoc. 3.*)

ET Aug. Ser. 13. de verbis Domini. Diuitiæ corporales paupertate plenæ sunt: dum etiam abundantiæ, & prouentus eosdem torquent, vt videre est in diuite auaro exclamante. *Quid faciam?* Super quæ verba ita habet Greg. 15. Moral. 13. Angustia ex satietate nata, de vbertate agri angustatur animus auarus: bene per Iob. *Cum satiatus fuerit, arctabitur.* Et Ambr. Serm. 8. Quid, inquit, faciam? Quis non talem misereatur? Quis non infelicitatem eius doleat? Angustatur ex abundantia, constringitur, & coarctatur ex opulentia. Et, vt video, ager ei non tam redditus largiores, quàm gemitus attulit. Terra ei non fructuum copiam, sed curarum molestiam germinauit; ita vt curis ac mœroribus stimulatus, egentibus & esurientibus similes proferat cruciatus. Denique egeni vox ista est. Quid faciam? vnde cibus? vnde vestitus? Infelix in præsentibus bonis, infelicior in futuris. (*Luc. 12.*) (*Iob. 20.*)

QVÆ verba Ambrosij mihi exponunt, cur Iacobus loquens de diuitibus sæculi non dixerit: *Vlulate in miseria vestra*, sed, *in miseriis vestris*. Quia scilicet duplex miseria contingit auaris diuitibus: illa nimirum, qua in vita vrgentur, & afflictantur; & ea, quæ ipsos in futuro manet. Quod probat Ruper. lib. 5. in Exod. c. 18. vbi aduertit id, quod Deus loquens de Manna dixit. *Nullus relinquet ex eo vsque manè.* Iuxta literam, inquit, fides exigitur à populo, vt totam sui curam Deo committentes, soliciti non sint de crastino, quorum inobedientiæ, vel minimæ fidei pœnam dignam, miraculum illud præsignauit: quod cùm dimisissent quidam ex eis vsque manè, scatere cœpit vermibus, & computruit: hoc enim exemplo commoneri se sciat infidelis auarus, qui spem suam in Deo non posuit: & idcirco diuitias recondendo mammonæ seruit. *Videbunt*, inquit Dauid, *iusti, & super eum ridebunt, & dicent, Ecce homo, qui non posuit Deũ adiutorẽ suũ, sed sperauit in multitudine diuitiarũ suarũ.* Nã eum, qui eiusmodi est, & nũc quãdiu viuit curarũ, atque solicitudinũ vermis comedit, & in futuro vermis, qui nõ morietur, comesturus est. (*Psa. 51.*)

VNDE quidam Christianus Poëta in Cantico 7. de inferno diuitem auarum introducit querimonias fundentem, quòd in inferno torqueatur adhuc, qui vitam in tormẽtis, & pœnis transegit: & cùm Deus non iudicet bis idipsum, diuitum auaritiam duplici pœna afficere videtur, in hac scilicet vita, & in futura: verùm ipse diues se nunc punit, ac torquet, non Deus ipsum, séque torquendo meretur, vt in æternũ torqueatur acrioribus suppli (*Nab c. 1*)

supplicijs, cùm cæteri damnati vnum tantùm supplicium videantur perpeti. Quod eleganter notauit Chrysost. hom. 5. in Luc. cùm ponderat, diuitem auarum fuisse in tormentis, vt ait Lucas. Non dixit in tormento, ait Chrysostom. sed in tormentis, diuitiæ, & auaritia talia præmia suscipiũt. Videndus idem Chrysost. homil. 14. in 1. ad Corint. vbi ostendit tormentum, quod in hac vita habent auari, & habebunt in futura. Luc. 16.

§. II.

Cur diuites plorare debeant.

CVM ergo miser diues hîc in miseriis, & pœnis viuat, ne etiam in æternis voluteтur, debet iuxta Apostoli monitum flere, & vlulare, imprimis, vt miseriam futuram agnoscat: clarior enim & perspicacior redditur oculus post effusionem lacrymarum ad ea cognoscenda, quæ conducunt. Quod dixit Ber. Serm. de conuersione ad cleric. Curatur, inquit, lacrymis oculus antè caligans, & acuitur visus, vt intendere possit in serenissimi luminis claritatem, quo per misericordiam à miseriis reuocetur, & verè diues reddatur. Solent enim lacrymæ miserorum in lætitiam conuerti. Vnde in Scriptura ait Sara Tobiæ. *Post tempestatem tranquillum facis, & post lacrymationem, & fletum, exultationem infundis.* Et D. Chrysost. hom. 6. in Matth. Sicut post vehementes imbres mundus aër, ac purus efficitur; ita etiam lacrymarum pluuias serenitas mentis sequitur. Similia habet Euthym. Matth. 5. & Hugo de Claustro lib. 3. dicens. Sicut Sol post pluuiam clarior fulget, sic Christus post lacrymas radios cõsolationis præbet. Tob. 3.

PRO qua re videndus Author lib. 1. de mirabilib. Scripturæ c. 22. apud Aug. cùm ponderat, aquas amaras, & salsas in dulcem saporem verti posse per humorem optimæ terræ infusas, aut si colantur per arenam. Vt ergo diuitum lacrymæ dulces reddantur, iubet Apostolus easdem per miserias diuitum fundendas, & defæcandas esse.

MONET autem fundendas esse, dum prodesse possunt. Quod dixit Ephrem Serm. 1. de pœnitent. Fundamus lacrymas, inquit, quandiu tempus est suscipiendi nostras lacrymas, ne abeuntes in sæculum illud, absque fructu, & vtilitate vlla plangamus. Ibi enim pro nihilo ducentur lacrymæ; erit enim ibi continuus fletus, & stridor dentium. Et Euseb. Emyss. homil. 1. de Epiphan. Bene nobiscum ageretur, si iam nunc sic pœniteremus super malis nostris, quomodò tunc sine remedio pœnitebimus, si fœditates & confusiones nostras, quemadmodum tunc visuri sumus, sic eas iam nunc videre, & horrere possemus.

PROINDE meritò suspirauit Axa, cui Caleb. *Quid habes? at illa respondit. Da mihi benedictionem, terram Australem & arentem dedisti mihi, iunge & irriguam.* Quæ verba sic exposuit D. Greg. lib. 3. dialog. c. 34. Suspirans à patre terram irriguam petit, quia à Creatore nostro cum magno gemitu quærenda est lacrymarum gratia. Qua de re plura habet Aug. lib. Medit. c. 36. Iosue. 15.

VT verò hæ lacrymæ prosint, adhuc addit Apostolus, vt cum vlulatu prodirent, qui magni doloris signum est. Neque enim placent Deo quæ citò arescunt, & in risum conuertuntur, sicut dixit Bern. Serm. 4. de Aduentu. Alios, inquit, lugẽtes video, sed si de corde procederẽt illæ lacrymæ, non tam facilè illi soluerentur in risum, lacrymas huiusmodi de his esse non arbitror, quibus consolatio diuina promittitur, quandoquidem post illas consolatio tam vilis admittitur.

LACRYMÆ proinde, quæ pro miseriis vitandis funduntur, miserè, & ærumnosè, ac cum vlulatu emittendæ sunt. Et de huiusmodi lacrymis, & tristitia ita ait Chrysost. tom. 5. hom. 5. de pœnit. Multus peccati ignis, atque modica extinguit eum lacryma. Nam lacryma rogum extinguit peccatorum. Et expendens ea verba. *Lauabo per singulas noctes lectum meum*; ait. Etsi lacrymarum vbertatem voluisset ostendere, satis fuerat dixisse; *lacrymis meis stratum meum rigabo*. Quare ergo præuenit, *lauabo*? Vt ostendat lauacrum, & purgatorium peccati, lacrymas esse. Malorum omnium causam constat esse peccatum, ex peccato tristitia, &c. Verùm id admiror, fratres, tristitiam homini tribuens Deus per peccatum, sententia sententiam soluit. Attende diligenter: mulieri minatus Deus, & de præuaricatione pœnam inducens dicit ad eam: *In tristitia paries filios*, & ostendit tristitiam peccati fructum. Sed, ô magnum donum, quod in pœnam dedit, in salutem vertit, peccatum tristitiam peperit, tristitia peccatum contriuit, &c.

(Margin: Psal. 10. — Genes. 3.)

ET hom. 2. in Psal. 50. Grandis lacrymarum virtus, dicam tibi quid valeant lacrymæ. Attende diligentiùs: quid Martyribus maius, qui animam suam ponũt pro amico suo? Grandis gloria Martyrum. Martyres effundunt sanguinem, peccatores effundunt lacrymas, meretrix non fudit sanguinẽ, sed fontes lacrymarum profudit, & deleuit peccata sua.

§. III.

Lacrymæ suas voces habent.

NISI fortè illud velit Iacobus inculcare, dum vlulatum lacrymis adiungit, scilicet lacrymas suas etiam voces habere, quibus Deum alloquimur. Vnde Dauid dixit. *Auribus percipe lacrymas meas.* Nec mirum quòd oculi suas habeant voces, cùm Dauid dixerit. *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum dicentes; quando consolaberis me?* Quasi ipsi oculi ad Deum clamarent, & interrogarent de Messiæ aduentu, cuius desiderio penè defecerant.

(Margin: Psal. 38. — Psal. 118. — Exod. 14.)

VNDE cùm filij Israël ab Ægypto egressi, vtrinque obsiderentur: vna scilicet ex parte copiis Ægyptiacis, alia verò mari: oculis eleuatis in cœlum (neque enim voce aliquid Moyses dixisse legitur) statim adfuit diuinum responsum. *Quid clamas ad me?* Quod nõ possumus referre modò ad clamorẽ populi, vt aliqui voluerunt, sed ad vocem oculorum Moysis, qui magna intentione clamabat. Ideo Hieremias. *Non taceat pupilla oculi tui.* Quæ

(Margin: Thren. 2)

Quæ verba ponderans Hieron.in Psal. 5.Videte quid dicat: *Non taceat pupilla oculi tui*;clamat ad Deum,vtique si clamat,lingua clamat, non pupilla oculi; sed quomodo clamamus in cordibus nostris, quando cum gemitu Dominum deprecamur,sic quando ad Deum lacrymas fundimus, eo tempore pupilla oculi mei clamat ad Dominum.

ET Chrysost.hom. 6. in Matth.ponderans ea verba 1. Reg. cap. 1. dum de Anna dicitur. *Labia eius mouebantur, vox autem eius non audiebatur*;ait:Solæ quidem lacrymæ emittebant vocem ad Dominum omni buccina clariorem; & idcirco sterilitatem eius mutarunt, & quasi è duro quodam saxo agrū fertilem reddiderunt,vt in aures Domini Sabaoth quàm celeriter introirent. Videndus idem Chrysost. in Psal. 5. cùm ponderat prædicta verba Hieremiæ. Et Hieron. Psal.38.ibi. *Auribus percipe lacrymas meas*; vbi ipse legit.*Ne obsurdescas ad lacrymam meam.* Vbi videndi sunt interpretes recentiores,præcipuéque Lorinus, & in Psal. 61. Estque optimus locus ille Ecclesiastici cap. 35. *Lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt, & exclamatio eius super deducentem eas: à maxilla enim ascendunt vsque ad cœlum, & Dominus exauditor non delectabitur in illis.*

NEQVE obest, quòd altissimus sit Deus,ad quem non tam facilè possit huiusmodi clamor peruenire;quod obiecit Aug. Ps.56. cùm Dauid ait:*Clamabo ad Deum altissimum*: Si altissimus, inquit, ille est, quomodo te audit clamantem?& respondet obiectioni.Nata est experiméto fiducia in Deum, inquit,qui benefecit mihi.Si antequam eum quærerem,benefecit mihi,clamantem me non exaudiet?Pro qualibus mori voluit filium suum?pro impiis.Impij autem non quærebant Deum,& quæsiti sunt à Deo. Sic est ergo ille altissimus, vt non sit ab illo longè miseria mea, & gemitus videtur. Proindéque in miseriis plorandum est diuitibus cum vlulatu, quò citiùs à Deo exaudiantur,& liberentur à miseriis superuenturis.

NEQVE verò omittendum est verbum, quo Iacobus diuites monet ad deplorandas miseras diuitias. *Vlulantes in miseriis vestris.* Est enim vlulare proprium ferarum.Vnde Virgil.1.Georg.

Per noctem resonare lupis vlulantibus vrbem.

Est namque instar immanissimæ feræ auarus diues, cùm neque misereatur pauperum,neque clamoribus egenorum annuat,neque viscera misericordiæ habeat,imò excutiat,quia affluentibus diuitiis cor apposuit. Vnde Alciat.emblemat. 89.

Quàm sit auari hominis,non tam mens dira ferarum est.

ET D.Paulus: *Qui volunt diuites fieri,incidunt in tentationem, & laqueum diaboli,& desideria multa inutilia & nociua.* Vbi Græcus codex habet, *in cupiditates multas & stultas.*& Oecumen.ibi *in absurda incidunt desideria.* Stultúmque appellauit Dominus auarum:*stulte hac nocte animam tuam repetent à te*:& alibi diuites,pecora pinguia appellantur ex sententia D.Hierony.lib. 11.in Ezechiel.ibi.*Ecce,ego iudico inter pecus pingue*;sicut etiam lib. 2. in Amos c. 4. per *vaccas pingues*,diuites intelligit.

1.Tim.6.

Luc. 12.

Ezech.34

DIFFERT tamen à feris,quòd illæ gregatim solent incedere,plerumque

aua

auarus autem solus. Quod prosequitur Ambros. lib. 5. Examer. c. 14. vbi confert auaros iis auibus, quæ rapinis intendunt, vt sunt aquilæ, accipitres, &c. Nam propter auiditatem prædandi, vel propter insidias explorandi, neque ipsis inter se conuenit, & ideo declinant sui copulam: sic & auaritia refugit consortium plurimorum.

REPERIT & aliud discrimen D. Aug. lib. de verbis Dom. inter auarum, cæteráq; bruta animantia, cùm ait. Quæ est ista auiditas concupiscentiæ, cùm & ipsæ belluæ habeant modum? Tunc enim rapiunt, cùm esuriunt, parcunt verò prædæ, cùm senserint satietatem. Insatiabilis est sola auaritia diuitum, semper rapit, & nunquam satiatur: ij proinde, quia ferarum more viuunt, debent vt feræ vlulantes, deplorare, quò tandem resipiscant, eisque veluti Nabuchodonosori reddatur intellectus ad cognoscendas futuras miserias & præsentes, sicut decet, deplorandas.

Vers. 2. *Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra à tineis comesta sunt.*

Vers. 3. *Aurum, & argentum vestrum æruginauit, & ærugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras sicut ignis.*

EXPOSITIO LITERALIS.

PORRONIT iam Apostolus primam causam miseriarum, quæ diuites expectant: retentio scilicet diuitiarum, quas congruo tempore non communicarunt egenis. Ideóque Oecumen. hîc. Putrefactio diuitiarum, & vestimentorum corrosio, siue, exesio à tineis, & ærugo auri, & argenti proferet aduersùm vos testimonium, arguens tenacitatem vestram.

DIVITIÆ ergo *vestræ*, quarum nomine intelligit diuitias naturales, vt frumenta, vina, & consimilia. Ita Carthus. Lyran. D. Thom. & alij. *Putrefactæ sunt*, præteritum pro futuro, vt aliqui volunt. i. citò putrefient, vel putrefiunt præ nimia, diuturna, & auara retentione, cùm tamen Christus dixerit. *Quod superest, date eleemosynam.* Brixian. exponit. Sinitis putrescere potiùs diuitias vestras quàm vt eas in pauperes distribuatis. (Luc. 11.)

VESTIMENTA vestra. Agit modò de diuitiis artificialibus, quales sũt vestimenta, quæ à tineis comesta sunt. Non vsu, inquit Interlinearis, necessario attrita, cùm potiùs deberetis nudos operire; iuxta illud. *Cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris.* (Isai. 6.)

AVRVM, & argentum vestrum æruginauit; quia nullus vobis eorum fuit vsus. Lyr. exposuit: in terra absconditum, Scio quidem & aliquos non sine re pecunias ærugine obduci, qui similes Græcis sunt, de quibus Anacharsis dicebat

dicebat (teste Plut. de profectib. virtut. sentiend.) se non videre ad aliam rem numismate vti Græcos,quàm ad numerandum.Quibus adhuc conuenit doctrina Iacobi,cùm loquatur de iis,qui nulli prosunt.

ET ærugo eorum. i. rubigo contracta ex nimia conseruatione eorum,quæ debueratis pauperibus distribuere,cui addenda est putrefactio naturalium diuitiarum. *Erit in testimonium,* scilicet auaritiæ vestræ. *Vobis.* i. contra vos: quia à Iudice supremo sumetur in argumentum , quo vos iniquæ auaritiæ conuincat , vel quia clamabit contra vos , sicut dicitur. *Lapis de pariete clamabit,& lignum,quod inter iuncturas parietum est, respondebit.* i. clamabunt , vindictam à Deo exposcentes, quia illa rapuisti : vel certè nummis ex rapinis partis comparasti:& lignum respondebit,id est,idem loquetur,& similiter contra te vindictam petet. Habac 2.

ET manducabit carnes vestras sicut ignis. Terrifica verba , inquit, Brixian. Si isti audirent,neque multo auro occlusissent aures. Habent autem duplicem sensum:primus est.Hæc eadem ærugo,& auaritia interiùs vos corrodet per cõscientiæ vermem, quæ quasi ignis adurit,non tamen cõsumit.Quem sẽsum affert Beda his verbilis:Non solùm impios,& immisericordes diuites visibis gehennæ ignis in tormentis excruciat, sed & ipsa diuitiarum putrefactarum,& inanium memoria,quibus facillimè possent suas redimere nequitias, non minùs ante iudicium animas eorum , & post resurrectionem etiam carnes exuret, dum sibimetipsis grauiter irasci incipiunt ; quia sua scelera eleemosynis abluere noluerunt. Alter sensus est. Manducabit , id est,causa erit afflictionis in gehenna,vbi ignis torquebit & corpora,& animas ; additúrque particula *(tanquam)* quia ignis comedet carnes damnatorum,non tamen eas consumet.

NEQVE verò ex eo,quòd Apostolus dicat ; *ignis manducabit carnes vestras*, aliquis inferat,animas ab igne nullatenus cruciandas;etenim , cùm vnum dicat,alterum minimè inficiatur,præterquàm quòd nomine *carnis*,non rarò in Scriptura totus homo accipitur.Vnde Ioel,& in Act. *Effundam de spiritu meo super omnem carnem.* Et Isaias : *Videbit omnis caro pariter,quòd os Domini loquutum est.* Quomodo autem ignis non solas carnes,sed animas torquere possit,tractant Theologi cum Magistro in 4. dist. 50. & August.lib. 21. de Ciuitat.Dei c. 4.& sequentib.& Abulens.in Matt. 25.quæst. 553. & Otho Frisingensis lib. 8. cap. 23.

§. I.

Misera auarorum conditio,qui diuitiis,vt dominis,seruiunt.

HOc in loco docet Iacobus, quare diues æternis suppliciis sit mancipandus , quia scilicet fructus ex diuitiis noluit colligere, priùs easdem diuidendo, spargendo , & seminando , & ita miser auarus sine fructu delinquit,& decedit. Nec verò videatur quælibet offensa esse huiuscemodi asseruatio auaritiæ (quæ *idolorum seruitus* appellatur à Paulo) super

quæ verba ita ait Chrysost. Videamus, cur auaritia, idololatria dicatur? quia honorificentiam Dei vsurpat,& vendicat creaturæ:quia similiter ea, quæ Dei sunt,sibi vsurpat,& recondit auarus,& quæ vsibus hominũ Deus concessit communiter auaritia denegat,quando idcirco hæc congregat apud se,ne alij vtãtur:Creatori inimica,vult enim Deus ac iubet de his,quæ creauit,subueniri pauperibus,auaritia contradicit.

ET super 1.ad Timoth.aliam insuper rationem reddit,cur auaritia idololatria appelletur,quia,inquit, sicut idololatria vni Deo auferre nititur gloriam,ne,quod eius peculiare est,solus habeat nomen diuinitatis,sibi soli condignum;ita & auaritia in Dei se res extendit, vt si posset fieri, vnus & solus creaturam eius sibi vsurpet,quam Deus omnibus fecit communẽ.

CAIETANVS verò explicans eadem verba Pauli, ait: Auarum dicit Paulus idolorum cultorem, eo quòd conuenit vterque in colendo vnam, & eandem rem, idolorum siquidem cultor argentum, & aurum colit, iuxta illud Prophetæ. *Simulachra gentium, argentum, & aurum.* Auarus itidem argentum,& aurum veneratur, sicut diximus cap. superiori, vers. 14.& probat Philo lib.1.de Monarchia,cùm ponderat illud præceptum. *Non facietis vobis deos argenteos,& aureos.* Videtur mihi,inquit,subesse præceptum,auaros valde arguens,vndecunque argentum, & aurum sibi quærentes,& acquisitum,tanquam numen recõdentes in penetralibus, totam suam felicitatem acceptam illi referendo.

HOC probat insuper illud Exod. vbi ad conflandum vitulum pretiosa monilia,& inaures aureas obtulit populus. Viri enim nobiles pro more Orientis vtebantur etiam inauribus,vt ait Plin. lib. 11.c. 37. Contulerunt etiam viri ad vitulum suos annulos,vt ait Tertull. contra Iudæos cap. 1. & ita factum est, vt suas opes,& sua monilia adamarent, & adorarent in vitulo conflato,vt ait Clem. Alex. 2. Stromat.

SIMILES prorsus his sunt miseri diuites,qui monilia, annulos, & pecunias adorant,ideóque sic ab eis abstinent,vt nec illas tangere audeant, quanto magis erogare? Vnde Chrysost. in c. 5. epist. ad Galat. ait: Colit eas, vt idola,veneratione quadam eas prosequens, attingere tanquam sacrosanctas verens;& neque etiam in extrema necessitate positus, inde ad sustentationem suam aliquid audet expendere. Quod tetigit Basil. hom. 2. ex variis,cùm ait. Auarorum alius morbus est,victus sui rationem in digitis locat. Qua quidem nulla acerbior miseria esse potest, ideóque meritò deploranda.

VNDE illud elicimus,auarum esse seruum diuitiarum,nec quomodolibet seruum,sed arctiori seruitute, quàm quilibet alius seruus possit pati, quia quilibet alius seruus somnum capit,requiem aliquando habet: solus auarus vigilat in pluma,maria nauigat. Quantùm augescũt diuitiæ, inquit Bas. hom. 2. ex variis,tãtùm aufert vitæ sollicitudo,mille in eo sũt curæ, &c.

VNDE Socrates,vt refert Minoë emblemat. 189. dixit, auaros esse aurea mancipia; quod aliqui ita intelligunt,vt non quæcumque & communia mancipia sint,sed vincant in ratione mancipij & seruitutis quæcumque

alia

alia possint reperiri: sicut ea, quæ perfectissima sunt in aliquo genere, aurea dici consueuêre, ex eo quòd cætera superent, sicut aurum cætera metalla excellit. Vnde fortè Poëta 2. Metamorph.

Sensit, vt illa suis aderat Venus aurea festis.

Et alius, scilicet Baptista Pius.

At Venus, & tecum puer aureus ille Cupido.

Quæ etiã fuit ratio, cur Ioãnes Constantinopolitanus dicatur propter aureum eloquentiæ flumen, Chrysostomus, id est, os aureum: & Petrus Rauẽnatis Archiepiscopus propter aureum sermonem dictus est Chrysologus. Sic ergo diuites, aurea mancipia, propter indicibilem promptitudinem obsequẽdi & obtemperandi dicuntur. Qua de re videndus Helias Cret. ad Orat. 24. Nazianz. in principio: & Ambr. epist. 7. cùm ait. Pecunia plerumque sibi dominos emit.

VIDENDVS item Rupertus lib. 3. in Exod. c. 40. vbi ait. Illud præceptum; *Non facietis deos argenteos, nec deos aureos*, apud nos idem est, ac si dicatur: Non studebitis auaritiæ, nec seruietis mammonæ. Quòd enim quis alteri homini obediat & obsequatur, non tam mirum est, sed quòd rebus insensibilibus, id seruitutem auarorum indicat. Exod. 20.

HÆC fuit ratio, cur Balaam tunc cessauerit à percussione asinæ non quidem, dum eam loquentem audiuit, quod mirum, insolitúmque erat, sed dum audiuit. *Nónne animal tuum suum*? tunc ne attingere quidem eam ausus est auarus ille animus; qui enim alienam pecuniam quærebat, quomodo proprium animal lædere auderet? Sed hac in re ostendit animal non suum quidem esse, sed potiùs auarum esse ipsius animalis seruum. Quod argumentum eleganter prosequitur Ambros. lib. de Nabuthe c. 14. vbi cõcludit. Custos ergo es tuarum, non dominus facultatum. Et cap. 15. Quicumque patrimonio suo, tanquam possessione non vtitur, is suarum seruulus est, non dominus facultatum, quia aliena custodit, vt famulus, nõ tanquam dominus vtitur. Num. 22.

ET ne huic seruituti id, quod superiùs diximus, videatur obstare, Dauid cùm ait; *Dormierunt somnum suum* (quasi requies lassis auaris à pecunia tribuatur, qua ratione tolerabilis ea seruitus esset) hoc dubium soluit dicendo. Huiusmodi viri somnum suum dormiunt, non Christi. Vnde non habent Christi requiem, neque resurgunt Christi Resurrectione: *sed sicut oues in inferno ponentur, & mors depascet eos.* Quàm bene sicut oues, ait Ber. Serm. 2. de verbis Apostoli; non est Regnum Dei, &c. quia detracto vellere mundialium diuitiarum, duréque detonsi sempiternis nudi deputabuntur incendiis. Mors depascet eos, quia semper morientur ad vitam, & semper viuent ad mortem, atque adeò & serui hîc erunt, & velut iniqui serui in alio sæculo punientur. Psal. 48.

§. II.

Iniquitas auarorum in eo consistit, quòd ea, quæ Deus omnibus communicanda dedit, ipsi recondant, nulli profutura.

DEINDE etiam nequitia diuitum in eo reprehenditur, quòd recōdant, & claudant id, quod omnibus Dominus communicari, & prodesse vult. Sepeliuit olim Iacob omnes deos alienos, quos sui habebant, & inaures, quæ erant in auribus eorum, subter terebinthum. Aduertit autem D. Ambros. lib. 2. de Iacob, & vit. beat. c. 7. sterilem, & infructuosam eam arborem esse. Namque idola auarorum, quæ sunt diuitiæ, sub sterilitate reconduntur. Inaures etiam eorum sterilitati subsunt; quia vel non audiunt postulantem miserum: vel nihil omnino illi tribuunt. Ait ergo Ambros. eod. lib. c. 5. Multi auro defosso incubant, aurum eorum sub terra, & cor eorum sub terra, caue ne & tu cor tuum terræ viuum defodias. Qua in re illud notandum est, auaros conscientia motos videri, dum terræ reddunt, quod ab eius visceribus vi fuerat ablatum, sicut videtur dixisse Senec. lib. 3. de Ira c. 32. *Auaritia iterum sub terras referri quæ malè egesserat;* dum scilicet recondunt, & sub terra custodiunt aurum, & argentum. Attamen D. Basil. hom. 7. ex variis, quæ est contra diuites auaros, sic ait. Ingens insania, cùm quidem in metallis est aurum, terram perscrutari: cùm autem in conspicuo est, rursus ipsum in terram occultare.

Gene. 35.

DEINDE contingit, vt defodiens diuitias, simul defodias etiam cor tuum, *vbi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* Quid verò inde sequatur, exposuit nobis Ambros. lib. 2. de interpellat. c. vltimo, dicens: Quid, nisi metallum mens auari, tanquam defossum tenet quicquid receperit, & in venis terræ, atque latibulis abscondit, eo quòd vti nesciat? quotidie aurum de metallis promitur, de auaro proferre quis poterit? Vnde illud colligimus contra auaros, diuitias quidem congregare, & recondere, vt nunquam in alicuius commodum possint assumi. Insupérque ideo illas detinent, abscondunt, & claudunt, ne ad alios perueniant, qui fortè iisdem, prout decet, vterentur. Quod notauit Cyprian. epist. 2. ad Donat. cùm ita habet. Pecuniam suam dicunt, quam velut alienam domi clausam solicito labore custodiunt, ex qua non amicis, non liberis quicquam, non sibi denique impertiunt: possident ad hoc tantùm, ne possidere alteri liceat.

Matt. 6.

QVÆ mihi videtur ratio, cur diues ille auarus, qui tot bona habebat de fructibus, quos sperabat, & quibus iam torquebatur, non egerit gratias, sicut notauit Leo Serm. 1. de ieiunio decimi mensis, cùm ait: Nec de magnitudine fructuum gratulatus, sed de vtilitate conquestus est. Quomodo enim Deo gratias pro acceptis bonis ille posset referre, qui ea solùm recondere, & concludere meditabatur? Et ita similes mihi hac in re videntur auari gryphis, & draconibus, & immensorum corporum monstris, quæ nascuntur, & viuunt, vbi nascitur aurum, carbunculus, & smaragdus, tanquam eorum custodia, sicut notauit D. Hieronym.

Luc. 12.

§. III.

§. III.

Infelicitas auarorum, qui pro diuitiis damnantur, ex quibus possent beatitudinem promereri.

SICVT igitur inde damnatus est Saül, quòd contra præceptum Domini pepercit Agag,& optimis gregibus ouium,& armentorum,& vestibus,& arietibus,& vniuersis,quæ pulchra erat:sic & auarus damnationem meretur,quia fructibus,& vestibus,auro,& argento parcit. Vnde Cyprian. lib.de disciplina,& habit.Virgin.Delinquis, inquit, & hoc ipso in Deum, si ad hoc tibi ab illo diuitias datas credis,vt illis non salubriter perfruaris. Dixerat autem superiùs:Diuitem te sentiant pauperes, auarus autem diues ærugine obduci sinit,& putrefieri bona,quæ illũ Deus aliis distribuere iussit,& sic supplicia inde accipit,vnde beatitudinem posset promereri.Quod explicat Greg.10.Moral.c.17.aptissima similitudine. Sicut enim cibus ad sustentationem vitæ datus est;siquis tamen per edacitatis ingluuiem,plusquàm par est,saturetur eo quo viuere debuit, & potuit pane,moritur:sic si quis bona,quæ à Deo accepit, vt aliis bonus esset,in se retineat, mala ex bonis acquiret.Vnde Ambros.lib.de Nabuthe cap.7.ait. Dat tibi Deus fœcunditatem,vt aut vincat,aut condemnet auaritiam tuam, quò excusationem habere non possis,seruares tibi, si dispertires aliis. 1.Reg.15.

VNDE Cæsarius Arelatensis hom. 2. ex hoc loco Iacobi seipsum arguit, & reprehendit,quia fortè aliquoties euenit,vt per negligentiam vestimenta,quæ debuerunt accipere pauperes, deuorata sint à tineis, timétque,ne sibi ipsi panni ad testimonium proferantur in die iudicij. Quibus habet similia D.Marcus Eremita lib.de pœnitent.& D.Damascen. lib. 2. Paralell. c.17.qui in eodem sensu præsentem locum interpretantur.

PRO cuius elucidatione facit id, quod Seruilius ait lib.2.de memorabilibus Principum thesauris,ex lib. 5. Historiarum Liuij. Mithridates in fugam à Sylla,& Lucullo actus copias auro, argento, vestibus multi pretij copiosissimè per itinera sparsis periculo exemit, ardentes hostium animos præda temerè disiecta,ab insequutione auertit,vt quam virtus incolumitatem negaret,diuitiæ prestarent.Vtinam igitur sic agnoscerent diuites eleemosynam à morte liberare,& per eam in die malo liberandos, ignem denique extinguere.Qua de re videndus Aug.lib.50.hom.hom.29.& de sermone Dom.in Luc.Ser.30.& in Enchirid.Ser.25.& 77.Ambros. Ser. 30.& 31.Cyprian.lib.de orat. Ber.Serm.1.post.Epiphaniam;& Leo Papa hom.2. de Collectis,& Ser.5. Tob.4. Eccl.29. & Ps.40.

CÆTERVM tanta est diuitum insania,vt malint post mortem perire, quàm vitam vestibus,argento,auróue emere.Vnde Chrys.hom. 14. in 1.ad Cor.Auarus ne suis quidem rebus fruitur,quod enim amat, nunquá vellet expẽdere,sed libétiùs sectionẽ pateretur,& carnẽ suã potiùs traderet,quàm aurum.Et nihil aliud curant auari, quàm claudere & recondere diuitias.

3. Reg. 6. Iob. 28. VNDE iam licet rationem reddere illius difficultatis, quæ reperitur in Scriptura, vbi dicitur. *Operuit illud* (scilicet oraculum) *auro purissimo.* vbi Regia, *conclusum.* sicut etiam alibi: *aurum obryzum* dicitur à Septuag. *conclusura,* ab August. *aurum inclusum,* à Tigurin. & Vatablo, *in thesauris conclusum.* Nam Rabbi Mardochai, Pagnin. Complutens. & alij recentiores volunt ex eo, aurum dici conclusum, quòd diligenter claudatur, & custodiatur ab auaris in thesauris, & in publicum prodire minimè sinatur: ad quod fortè allusit Iuuenalis, cùm acutè dixit: *Flagellantur opes.* Ne scilicet è carcere & custodia exeant, etiam ad miserorum subsidium. Qui ergo sic in carcere detinent diuitias, iure æternis carceribus concludentur, & contra eos in iudicio erunt testes perpetuæ damnationis.

§. IV.

Qualiter conscientia iniquos torqueat, & iustos securos reddat.

OSTENDIT etiam hic locus secundùm communem sententiam, quæ per *æruginem*, vermem conscientiæ intelligit, quomodo conscientia testimonium, seu sententiam ferat contra miseros diuites, & in vniuersum contra omnes delinquentes, quos etiam veluti ignis torquet. Vnde Iob. 15 Iob. *Cunctis diebus suis impius superbit.* Caiet. *Cunctis diebus suis impius dolens.* Regia: *se excruciat.* Tigurin. *Impius omni tempore sibi asciscit dolores parientis fœ-* Prou. 22. *minæ.* Et alibi. *Arma, & gladij in vita peruersi.* vbi Septuag. *Tribuli, & laquei in viis peruersis.*

POSSVMVS hoc idem cernere in fratricida Caino, qui cùm adhuc interfectores deessent in mundo, vtpote in quo solus Adamus erat, ait ipse. Gen. 4. *Omnis, qui inuenerit me, occidet me.* In se, inquit Ambr. in Apolog. Dauid c. 9. ferebat sententiam, quòd dignus esset, cui nullus ignosceret. Quod etiam prosequitur in Ps. 35. vbi de eodem Caino ita habet. Cùm adhuc percussor deesset, ipsa sese iniusti vita cruciabat; offunditur nobis vltrix nostri imago peccati, nec quietum reum esse permittit; semper nobis error noster, tanquam malus exactor occurrit; vel tanquam improbus fœnerator, conueniens debitorem.

ET lib. 2. de Cain, & Abel. in illud. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me;* Non accusat frater, non accusat vox ipsius, non anima eius, sed vox sanguinis accusat, quem fudisti: tuum te ergo facinus, non frater accusat; imò & eidem Caino à Deo dictum est: *si malè egeris, statim in foribus peccatum tuum aderit.* Heb. ad verbum; *ad ostium peccatum tuum cubans*; videlicet, more canis morosi, qui nec egredi, nec ingredi hominem tranquillè sinat; sed importuno latratu semper inquietet, hanc enim internam crucē multifariā nobis diuina proponit sapientia: imò illi nos ipsos affigit. Vnde Thren. 1. dicitur: *Vigilauit iugum iniquitatum mearum, in manu eius conuolutæ sunt, & impositæ collo meo,* vt ante oculos, manus ac pedes obuersans irrequietū malum cōquiescere animo minimè permittat. Et Philo lib. de Ioseph. Conscientia carn

carnifex intestina non sinet me oculos in herum erigere, vt nemo prodat alius.

Hoc cernere quidem est in eo, quod supremus Iudex dicturus est impiis in extremo iudicio: cùm enim dixerit. *Venite benedicti Patris mei*, reprobis tantummodo dicet: *Ite maledicti*. Neque assignabit, vnde proueniat illa maledictio, quia eorum conscientia, & mala opera gestà, contra eos ferent sententiã, & maledictionẽ impingent, sicut notauit Chrys. homil. 80. in Matth. Matt. 25.

VNDE Aug. lib. 1. contra Secundinum c. 1. Senti de Augu. quicquid libet, sola me in oculis Dei conscientia non accuset. Et Chrysost hom. 3. de verbis Isaiæ, *Vidi Dominum*. Ponamus, inquit, nulli notum esse flagitium, præter quàm ipsi vni, quomodo fert conscientiam redarguentem, & amarulentam, accusatricem vbique secum ferens? Quemadmodum enim seipsum nemo potest effugere, ita nec illam eius curiæ sententiam. Hoc enim tribunal non pecunia corrumpitur, non adulationibus acquiescit, eo quòd diuinum est, & à Deo nostris impositum mentibus. Quibus prorsus habet similia Ambros. epist. 44. lib. 7. quæ est ad Constantium; & Bern. lib. de conscientia. Nulla pœna maior est mala conscientia, omnium siquidem delictorum nostrorum ipsa est testis, ipsa iudex, ipsa tortor, ipsa carcer, ipsa accusat, ipsa iudicat, ipsa punit, ipsa damnat.

ET Basil. Orat. 23. de iudicio. Fortè grauior, quàm tenebræ, vt nunquã non ob oculos habeat sceleratæ vitæ vestigia, tanquam incuitabilis alicuius tincturæ. Videndus Gregor. lib. 13. Moral. c. 12. cùm explicat ea verba Iob. *Sonitus terroris semper in auribus illius, & cùm pax sit, ille insidias suspicatur*. Item Iob. 15. Hieron. lib. 16. in Isaiam cùm exponit ea verba. *Cor imp*[illegible]*, quasi mare feruens*. Et lib. 5. in Ezech. ad ea verba, vbi nostra lectio habet. *Et tu porta confusionẽ tuam*. Septuag. habent. *Tu sustine tormentum tuum*; quod de mala conscientia intelligit. Ezec. 16.

CONSCIENTIA denique, sicut notauit Chrysost. post tot annos transactos, fratres Ioseph sine accusatore accusabat. Videndus pro hac re Chrysost. hom. 52. in Genes. vbi ostendit, conscientiam fuisse, quæ Abimelech detulit ad Isaac eiectum.

ILLVDQVE prorsus intolerabile, quod notauit Ambr. lib. de interpellat. c. 3. cùm ait. Quid ærumnosius, cùm ipse lectus ad communem quietẽ datus graue vulnus infligat? Tunc enim solemus quæ fecimus, recordari, & factorum suorum stimulis compungitur interior conscientia. Vnde Scriptura ait. *Quæ dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini*. Sed Psal. 4. esto, vt aliquando somnus obrepat, terremur insomniis, vt iam nõ requies, sed pœna sit. Si enim qui ære alieno, aliáve humana obligatione constringũtur, neq; somnũ capere, neque quiete frui possũt. Vnde Aug. Cæsar subridẽs, ac miratus è tota supellectili, quã moriẽs quidã Romanus immenso ære alieno obrutus reliquerat, solũ lectũ emẽdũ curauit, quòd fieri nõ posse diceret, quin lõgè optimus esset ille lectus, in quo homo tãti æris alieni mole pressus sõno frueretur. Quî fieri poterit, vt qui æternis tormẽtis soluẽdis pro peccatis cõtra Deũ cõmissis est debitor, sõno requiéue potiri possit, cũ iugiter corro

corrodentem habeat conscientiæ vermem, qui veluti ignis totum hominem dilacerat, & adurit: eóque grauior, & acerbior est propriæ cóscientiæ sententia & testimonium, quia præterquàm quòd, neque minui, neque corrumpi potest, inexcusabilis omnino est? Sicut enim dixit Ambr. Ser. 50. Sine excusatione est qui conscientiæ suæ iudicio condemnatur, quem alter iudicat, potest quandoque à suo iudice sperare indulgentiam, qui se ipse iudicat, à quo indulgentiam postulabit.

Qvo in loco licet etiam dicere, lætitiam bonæ conscientiæ, quã probat illud, quod Deus dixit Caino. *Nónne, si bene egeris, recipies?* quod propriè ex Hebr. potest transferri. *Si bene egeris, eleuare*, vel, *leuabis*, quod lætitiam significat. Vnde Luc. *Respicite, & leuate capita.* Et confidentiam etiam denotat iuxta illud. *Recede, ne forte compellar confodere te in terram, & leuare non potero faciẽ meam ad Ioab fratrem tuum.* Et publicanus non audebat oculos ad cœlum leuare. Vnde Chrysost. hom. 16. ad Pop. Sicut in nequitia viuens, etiam ante gehennam punitur conscientia stimulatus; sic meritis abundans, etiam ante Regnum magna fruetur lætitia, se bona spe pascens. Similia habet Bern. Ser. 3. super *Missus est.*

Gene[s]. 4 · Luc. 21 · 2. Reg. 2 · Luc. 18.

Qvod si securitatem rectæ cõsciẽtiæ velis agnoscere, audi quid dixerit Sophar Naamathites. *Si iniquitatẽ, quæ est in manu tua, abstuleris à te, & non manserit in tabernaculo tuo iniustitia, defossus securus dormies.* Vbi Vatabl. vertit. *Iacebis securus, velut fossa circũducta.* Metaphora sumpta à re militari, vbi ad hoc, vt exercitus securus sit, & milites aliquantulùm arma possint deponere, nec tam citò ab hostibus irrumpentibus profligari, fossis apertis, & vallis appositis circundatur; sic ergo dicit futurum eum hominem, qui bene egerit, & se rectè gesserit. Nã, sicut dixit Ber. de interiori domo c. 20. Bona cõsciẽtia tranquilla est, quia omnibus est dulcis, & nulli grauis, vtẽs amico ad gratiã, inimico ad patiẽtiã, cũctis ad beneuolentiã, & quibus potest ad beneficẽtiã. Proindéque velut fossa circũducta, securus iacet iustus, nullũ omnino timẽs.

Iob. 11.

Ideoqve Cypr. Ser. de eleemosyna; salutarem operationem appellauit grande solatium credentium, securitatis nostræ salubre præsidium, tutelam fidei, & medelam peccati. Qua de re videndus Aug. Serm. 6. de verbis Apostoli, & Ambr. in Psal. 38. explicans ea verba Prophetæ. *Obmutui, & silui à bonis.* Silui, inquit, à bonis, quia bona conscientia non eget defensione verborum, quæ suo nixa est testimonio, ipsa sui iudex; ideo Paulus ait. *Mihi pro minimo est, vt à vobis iudicer.* Aduersùs calumniantes, & peccatores iustus suo iudicio contentus est, non possunt aliena verba crimen affingere, quod propria non recipit conscientia.

1. Cor. 4.

Vers. 3. *Thesaurizastis vobis iram in nouissimis diebus.*

EXPOSITIO LITERALIS.



Ontinent hæc verba amaram exprobrationem contra auaros, qui ex eo, quòd recondant diuitias, fructúsque ac vestes concludant, sibi quidem, vt miseri, coaceruant iram, & supplicium in vltimis diebus reuelandum, & infligendum, & ita au-

ri cumulis congestis, & frugum aceruis comparatis respondet thesaurus diuinæ vltionis & iustitiæ; cùm possent sibi thesauros in cœlo, faceréque sibi sacculos nunquam veterascentes. Math 6.

THESAVRIZANDI igitur verbo, quod metaphoricum est, vsus est Paulus etiam in hoc sensu, cùm dixit. *Secundùm duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram*: significátq; abundanter præparare, & recondere. Vnde in Scriptura dicitur: *Thesaurizantes iniquitatem.* Exposuitque metaphoram D. Thom. hoc loco eleganter sanè. Nota, inquit, quòd in thesauro intelligitur quantitas pœnæ, & qualitas, siue acerbitas. Thesaurus enim fit de magnis rebus, & multis. Sic pœna æterna magna erit æternitate, & multa pœnarum diuersitate, & acerbitate. Quod possumus probare ex illo Psalm. *Qui producit ventos de thesauris suis*: & alibi. *Apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera.* Et iterum: *Qui profert de thesauro suo noua, & vetera*, & Iob: *Nunquid ingressus es thesauros niuis, aut thesauros grandinis aspexisti?* vbi nomine *thesauri* significatur receptaculum, in quo est copia alicuius rei. Vnde Virgil. 4. Georg. aluearia vocat, *mellis thesauros.* Imò & in sacris literis, cellæ vinariæ, & apothecæ olei, dicuntur nomine originali *thesauri.* Rom. 2. Amos 3. Psal. 134 Matt. 2. & 3. Iob. 38.

VT ergo magnam pœnam, quam sibi coaceruauerunt diuites bona recludendo, significet, ait, eos thesaurizasse sibi iram. Fit enim ingens quidã thesaurus suppliciorum, & tormentorum, vel, cùm non statim rependitur supplicium debitum impiis. Continetur enim diuturnitate tẽporis diuina ira, quasi fluuius quidã clausis ostiis, lõgo interuallo compressus, & in fine maiori impetu sese effundit; vel etiam augetur prædictus thesaurus multitudine malorum actuum. Et vtroque modo auari diuites sibi thesaurizant iram & indignationẽ diuinã. Vbi autem recondatur hic thesaurus, ostendit Moyses, cùm dicit. *Nónne hæc condita sunt apud me, & signata in thesauris meis?* Deut. 32.

THESAVRIZAT autem homo sibi iram quia diuina, iustitia nõ videtur quoad effectũ per sese locuples, & abundans, nisi nostra nos illi peccata, tanquam ingẽtes copias traderemus. Ipse enim ex se diues in misericordia est. Quod videtur dixisse Paulus: *An diuitias bonitatis eius contemnis. tu autem thesaurizas tibi iram?* vbi diuinæ bonitatis diuitias, quasi proprias dixit, iustitiæ verò, & iræ à nobis veluti congestas, & acquisitas. Rom. 2.

CVIVS autẽ hæc sit ira facilè patet ex termino, qui assignatur ad illius adductionem, *in nouissimis*, scilicet, *diebus*, vt intelligamus esse iram Dei, per quã iusta vindicta de iniquis sumẽda intelligitur in sacra Scriptura. Quod multis docuit Aug. præcipuè verò ad finẽ lib. de essentia Diuinitatis tom. 4. & contra aduersarium legis, & Prophetarum lib. 1. c. 20. Atque eodem fere modo Ephiphan. lib. 1. hæres. 38. Quod etiam acutè notauit Didymus in Ps. 6. vbi aduertit, dixisse Moysem: *Misisti iram tuam, quæ deuorauit eos.* Nã ita, inquit ille, quæ affectio est, non meritur, est enim irascibilis animæ facultas, sed iram vocat miseriarum, ac dolorum in malos inductionem. Exod. 15.

TOTA difficultas est in explicando quidnam significet Apostolus per id, quod ait, *in nouissimis diebus.* Scio enim plures differentias tẽporis significare

nouissimum diem, nouissimorum dierum, seu nouissimos dies. Etenim aliquando significat tempus Messiæ, & tempus noui Testamenti, vt probat Hieron.& Lyran.Isaiæ 2. & Michçæ, & alibi. Et fere est communis interpretum sententia.

SIGNIFICAT etiam tempora futura, quæ subsequentur, vt quando Iacob filios suos vocauit;& ait illis. *Congregamini, vt annunciem quæ ventura sunt vobis in diebus nouissimis.* Licèt enim propterea quòd tunc protulit celeberrimam de Christo prophetiam: *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius,* &c.aliqui dixerint ibi, *in nouissimis diebus*, significare tempora Messiæ, tamen patet multa in eo cap.contineri, quæ ante aduentum Christi impleta sunt vt, verbi gratià, de Simeone, & Leui: *Diuidam eos in Iacob, & dispergam in Israel*; quod impletum est ad ingressum promissæ terræ, vbi Leui non accepit sortem, & Simeonis tribus recepta est in sortem tribus Iudæ. Et de multis aliis cæterarum tribuum prædictionibus adimpletis videndus Hieron.in tradit. Hebr. in Gen.

SED insuper probatur, quod diximus, *in nouissimis diebus*, significare posteriora tempora, quando ait Apostolus: *Hoc autem scio, quia in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes*; quod paulo pòst, ipsis Apostolis viuentibus, impleri cœpit. Vnde Oecum.ibi, per *nouissimos, ac extremos dies* ait posse intelligi eos dies, qui Pauli interitum essent sequuturi, in quibus Timotheus adhuc superstes futurus erat. Et D. Aug. epist. 80. ad Hesychium, per *dies nouissimos* intelligit ipsa Apostolorum tempora. Et Petrus: *Venient in nouissimis diebus in deceptione illusores.* Quod Iudas, qui post cæteros Apostolos scripsit, impletum fuisse docet in sua epistola.

SIGNIFICAT, *in nouissimis diebus*, tempus iudicij, vt patet ex D.Petro Apostolo; *qui reuelauit vos in spem viuam, paratam reuelari in tempore nouissimo.* vbi Syriaca editio habet: *in temporibus posterioribus*, vel, *nouissimis*; quia scilicet parata est salus, ac felicitas, vt reueletur, & appareamus cum Christo in gloria accipiendo consummatam felicitatem totius hominis constantis etiam ex suo corpore glorioso. Similisque est apud Oseam. Et sic etiam dies mortis dici potest nouissimus, aut nouissimum tempus, quo anima essentialem felicitatem acquirit; vel, quia nouissimus omnium est, vel, quia tunc subit iudicium particulare. Thesaurizant igitur diuites auari sibi iram reuelandam, & infligendam, vel in die nouissimo mortis, vel in die iudicicij, quãdo nõ solùm anima iã torquebitur, sed & caro igne, ac vermibus cruciabitur.

§. I.

Diuina ira, quo tardior, eo acerbior ad nos peruenit.

MISERORVM diuitum conditio iam ostenditur, qui cùm in acquirendis diuitiis maximè laborent, quæ coaceruauerunt bona, relinquũt, & recondita sibi, ac comparata inueniunt supplicia. Quod dixit Aug. lib. 50. homil. hom. 42. Ipsa est infelicitas hominum, propter quod peccant morientes, hic dimittunt, & ipsa peccata secum portant. Et qui thesauros nulli

nulli omnino vtiles acquirunt, supplicij thesauros inueniunt, positúmque in thesauris cor, ponitur deinde comburendum igni. Quod ex mente Hugonis Card. dixit Dauid: *Ponens in thesauris abyssos.* Quia qui totam curam in thesauris posuerant, iam in thesauris diuinæ iræ reconduntur.

VNDE illud iam colligitur, quo tardior scilicet ira Dei ad nos venit, maiores vires, veluti accedendo acquirere, & acerbiorem peruenire. Deinde & beneficium Dei esse diuinam hic perpeti punitionem; ne coaceruata tandem in æternum sustineatur. Quod significatum esse in ea similitudine arcus, qua vtitur Hieremias, ait Hieron. ibi. Cui, inquit, si peccauerimus, & diutiùs per patientiam eius expectati, ad eum per pœnitentiam reuerti voluerimus, tetendit arcum iudicij sui contra nos. Quanto enim arcus plus colligitur, & intorquetur, tanto maiori vi emittitur sagitta, & tanto plus interiora penetrat, & transfigit: sic & diuina iustitia diutiùs repressa, & collecta, maiori impetu fertur. Vnde per Isaiam dicitur: *Tacui semper, patiens fui, sicut parturiens loquar, dissipabo, & absorbebo simul.* vbi vides vociferationem parturientis correspondere taciturnitati diutinæ, dissipationem verò penitùs absorbentis patientiæ. Et Paul. Rom. 2. *Diuitias bonitatis eius & patientiæ, & longanimitatis contemnis, tu autem secundùm duritiem tuam thesaurizas tibi iram in die iræ.* Et D. Greg. Moral. c. vlt. Deus, inquit, peccata in die vltimo iudicat, qui nunc peccantium derisiones portat, & tanto tunc duriùs districtionem exerit, quanto nunc vocandis peccatoribus suam leuiùs patientiam sternit: qui enim diu conuertendos expectat, non conuersos sine retractione cruciat.

Thren. 2.

Isai. 42.

ET hæc videtur etiam ratio, cur in sacro sermone acrior Dei punitio, idem sit ac tarditas, & dilatio. Sic Dauid. *Distulisti Christum tuum.* Hieron. vertit, *Iratus es aduersùs Christum tuum.* Et alibi. *Audiuit Dominus, & distulit,* id est, maxima ira excanduit. Idcóque *ignis accensus est in Iacob, & ira ascendit in Israel.* Solet enim dilata Dei ira exacerbari, & supplicij tarditas grauitate compensari. Vnde Chrysost. hom. 3. ad Popul. Si peccaueris, & non punitus fueris dilecte, sed propter hoc ipsum magis time. Etenim sicut dixit Amos: *separantur in diem malum.* Timebat hanc iræ abundantiam Dauid cùm dicebat. *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut opus graue grauatæ sunt super me.* vbi Aug. legit: *sicut fasces grauatæ sunt,* quasi ex peccatis fascis fiat, quo impius comburatur in die furoris, quando sicut ignem mittet iram suam: proindéque, quo maior & grauior fuerit fascis, eo maior consurget pyra, & acerbius erit tormentum. Videndus pro hac re Aug. q. 37. in Exod. cùm ponderat, beneficio, & patientia Dei dici obduratum Pharaonem, quo acerbiùs puniretur à Deo, à quo tanta sustinentia expectabatur.

Psal. 88.
Psal. 77.
Amos 6.
Psal. 37.

§. II.

Diuinum beneficium est; statim puniri; ne nobis acquiramus thesaurum diuinæ iræ.

ILLVD insuper colligitur, singulare Dei beneficium esse, si cùm quis delinquit, à Domino puniatur. Quod dixit Dauid ex mente Bern. in Ps. 98. *Psal 98.*

Psal. 98. *Deus tu propitius fuisti eis.* Et statim exponens huiusmodi propitiationem ait: *Et vlciscens in omnes adinuentiones eorum.* Ait proinde Bern. Serm. 42. in Cant. Hoc vocat propitiationem, quòd eorum Deus non pepercerit excessibus. Volo irascatis mihi, Pater misericordiarum; non enim, cum nescio, sed cùm sentio te iratum, tunc maximè confido propitium. Similiáque habet Greg. 13. Mor. c. 3. dicens. Diuina flagellatio optari benignè debet, & oratio potius, quàm maledictio esse monstratur.

Et ideo Philo lib. *Quòd deterior*, ait. Arbitror eos, qui omnino sunt inexpiabiles, optare puniri potiùs, quàm dimitti: nam hæc missio facilè subuertet eos, ceu malè suburratas naues, carentes gubernatoris prouidentia; animaduersio verò ad correctionem profuerit. Ergo quicumque peccatorum sumus nobis conscij, precemur Deum, vt puniat nos potiùs, quàm incolligatos prætereat. Similiáque habet de legatione ad Caium, cùm ait. Vltrices facultates etiam collocandæ sunt in beneficiorum ordine; beneficium autem in suppliciis possumus considerare, tum quia iis corripimur, & emendamur, tum quia leuia sunt respectu illorum, quæ nobis aduenient in nouissimis diebus, nisi modò puniamur. Etenim præterquàm quòd grauissima sunt, nunquam eadem euademus, cùm tamen modò, dum Deus nos punit, transeat equidem percutiendo.

Vnde, sicut eleganter notauit Hieron. Oseæ 10. in Scriptura idem prorsus est, *transire Deum, & aduersa infligere:* & exterminator in Ægypto transiisse
Exod. 12 memoratur. *Transiuit Dominus percutiens Ægyptios.* Sicque illud Amos intel-
Amos 5. ligit. *Quia pertransibo in medio tui.* Non enim, dum in hac vita punit, permanenter, & diuturno supplicio id facit; proindéque veluti per transitum, supplicia infligit. At verò alterius vitæ pœnæ, cùm veluti in thesauro reclusæ nos maneant, nunquam tandem exhauriri poterunt præterquàm quòd grauissimæ, admodúmque acerbæ erunt.

Apoc. 3. Videndvs Tertull. lib. de patientia c. 11. vbi aduertit ea verba. *Ego quos diligo, castigo:* additque. O seruum illum beatum, cuius emendationi Dominus instat, cui dignatur irasci, quem admonendi dissimulatione non de-
2. Mac. 6. cipit. Idque probat locus ille in Scriptura, vbi dicitur. *Etenim multo tempore non sinere peccatores ex sententia agere, sed statim vltionem adhibere; magni beneficij est indicium. Non enim, sicut in aliis nationibus, Deus patienter expectat, vt eas, cùm iudicij dies aduenerit, in plenitudine peccatorum puniat.*

Vers. 4. *Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est à vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit.*

EXPOSITIO LITERALIS.



Rosequitur Apostolus ostendere, quibus in rebus superbi diuites soleant delinquere erga pauperes; & postquam ostendit sibi thesaurizare irã Dei, dum thesauros auri, & argẽti coaceruãt,

nec

nec tamen indigentibus subueniunt, & fructus ac vestes vsque ad putrefactionem, & comestionem à tineis congregant, cùm nudos minimè operiant, aut esurientes pascant; ostendit modò alterum eorum vitium, & peccatum, quòd scilicet seruos, agricolas, messorésque agrorum debita mercede fraudant, quod immane quidem peccatum est, suáque enormitate quasi alto clamore cœlos penetrat, à Deo vindictam exposcens: proindéque impunitum minimè remanebit.

PRO explicatione autem istius loci illud aduertendum est, quod dixit Aug. lib. 1. loquutionum; sacram Scripturam solere ponere *clamorem* pro tanta impudentia, & libertate iniquitatis, vt nec verecundia, nec timore abscondatur. Vnde D. Greg. lib. 5. Moral. c. 7. & 3. Pastoral. c. 32. Omnis iniquitas apud secreta Dei iudicia, habet voces suas. Peccatũ nãque cũ voce, est culpa in actione; peccatũ autẽ cum clamore, est culpa cum libertate.

ILLVD deinde aduertendum est, quod dixit D. Thom. omnésque eius interpretes. Cyprian. in Cat. ad Gen. c. 18. ibi. *Clamor Sadomorum*; & communiter solent aduertere sacri interpretes, ac Theologi, quatuor esse genera peccatorum, quæ propter suam grauitatẽ dicuntur in cœlũ clamare, quod quidẽ nihil est aliud, quàm diuinam irã, iustitiámque implorare. Primum est, voluntarium homicidiũ hominũ innocentium, de quo dixit Dominus ad Cain. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra*: & Christus ait in Euangelio. *Deus faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die, ac nocte.* Et in Apocal. animæ Martyrum de sacrario diuino dicuntur clamare. *Quare non vindicas sanguinem nostrum de his, qui sunt in terra?* Genes. 4. Luc. 18. Apoc. 6.

SI verò difficultatem ingerat, quòd Sancti petant vindictam de interfectoribus suis; Aug. Ser. 11. de Sanctis, id explicat, dicens. Petunt vindictam de inimicis suis, duobus modis, & hoc causâ charitatis, vt scilicet qui ad vitam æternam prædestinati sunt, conuertantur à malo ad bonum; qui verò præsciente Deo damnandi sunt, moriantur, & peccare desistant, vt per hoc minorem pœnam in inferno habeant: vbi vnusquisque secundùm qualitatem operum sustinebit magnitudinem pœnarum. Petunt autem de reprobis vindictam, quia optant venire diem extremi iudicij, & resurrectionem suorum corporum præstolantur. Et Greg. 2. Moral. cap. 6. ait. Quo Deo mente ardentiùs inhærent, eo etiam de ipso accipiunt, vt ab ipso petant, quodcumque facere velle nouerunt: discordarent ergo à voluntate conditoris, si quæ eum velle vident, non peterent. Et cùm sciant eum velle punire peccatores, id à Deo postulant. Ita etiam Beda, & Ambrosius.

QVOD si cui non placeant hæ responsiones, illa vtique addenda: Beatos, qui nec odio affici possunt, neque à Dei volũtate declinare, rectè optare posse, & petere, vt inimici impij puniantur, nisi pœnitentiam egerint: quod Deo placere vident. Nec mirum, quòd illis hoc liceat, cùm etiam in hac vita, si viscera charitatis induant, & omnem inimicitiæ, & maleuolentiæ sensum deponant, instar Beatorum, eis id liceat optare, & petere. Qua de re videndus D. Thom. 2. 2. q. 25. art. 6. ad 5.

SECVNDVM peccatum, quod clamare dicitur, est Sodomiæ, de quo

Gen. 18. Gen. 19. dixit Dominus. *Clamor Sodomorum multiplicatus est*; & Beati Angeli illud execrantes, dixerunt ad Loth. *Delebimus hunc locum, eo quòd increuerit clamor eorum coram Domino.*

Exod. 22. TERTIVM est oppressio pauperum, viduarum, & pupillorum, de quibus ait Dominus. *Viduæ, & pupillo non nocebitis, si læseritis eos, vociferabuntur ad me, & ego exaudiam clamorem eorum, percutiámque vos gladio, & erunt vxores vestræ viduæ,* Exod. 2. 14. & 15 *& filij pupilli.* Et sic exaudiuit Dominus clamorem Hebræorum ab Ægyptiis oppressorum; & ideo illorum primogenitos vna nocte deleuit, totámque turbam in profundum maris rubri, quasi lapidem demersit.

QVARTVM peccatum est hoc, de quo Iacobus loquitur, scilicet merces opificum, & agricolarum, vel fraudata, vel vi detenta, sub quo etiam crimine comprehenduntur qui minùs æquo persoluunt. Hoc igitur peccatum Deut. 24. ait Iacobus clamare. Nam in Deut. dicitur: *Non negabis mercedem indigentis, & pauperis fratris tui, siue aduenæ, qui tecum moratur in terra, & intra portas tuas est, sed eadem die reddes ei pretium laboris sui ante Solis occasum, quia pauper est, & ex eo sustentat animam suam, ne clamet contra te ad Dominum, & reputetur tibi in peccatum.* Eccl. 13. Et Ecclesiastic. *Pauper etiam læsus tacet,* &c.

ET clamor eorum. Caiet. verò putat legendum, *clamores.* Neque enim rarò hæc crudelis detentio reperitur. Clamor ergo præmiorum detentorum, aut operarorum præ fraude dolentium in aures Domini Sabaoth introiuit. Eccle. 34. Nam, vt dixit Ecclesiast. *Qui effundit sanguinem, & qui facit fraudem mercenariorum, fratres sunt.* Et Malach. *Accedam in iudicio, & ero testis velox iis, qui calumniantur* Malach. 3. *mercedem mercenarij.* vbi Septuag. *qui priuant mercedem mercenar*[illegible]. Chaldæus verò, *qui auferunt violenter mercedem mercenarij.*

IDEOQVE tanquam de maximo crimine se curauit purgare Iob, vt eum interpretatur Beda, & Carthus. hoc loco. Licèt enim alius sit literalis Iob. 31. sensus, dum dixit: *Si aduersùm me terra mea clamat, & cum ipsa socij eius deflent, si fructus eius comedi absque pecunia, & animam agricolarum eius afflixi; pro frumento,* Tob. 4. *oriatur mihi tribulus, & pro hordeo, spina.* Indéque Tobias. *Merces mercenarij tui* Eccles. 34. *apud te omnino non remaneat.* Et Ecclesiastic. *Panis egentium, vita pauperum est; qui* Leuit. 19. *defraudat illum, homo sanguinis est.* Et Leuit. *Non morabitur opus mercenarij tui apud* Hiere. 22. *te vsque manè.* Et Hierem. *Væ, qui ædificant domum suam in iniustitia, & cœnacula sua, non in iudicio: amicum suum opprimet frustra, & mercedem eius non reddet ei.*

EORVM igitur nequitiam ostendit Apostolus, qui mercenariis debitam laboris mercedem reddere spernunt, ostenditque eos damnádos, quia propria non tribuunt, sed quia aliena detinét; scilicet mercedem operariorum, qui regiones, id est, magnas possessiones diuitum messuerunt; quæ ab illis fraudata est; quia iniustè, atque fallaciter eam subtraxerunt, diminuendo, aut differendo reddere.

HÆC ergo, ait Apostolus, clamat, id est, materialiter vos accusat, & vltionem contra vos expetit coram Domino Sabaoth, qui solus audit clamores pauperum. Apposuit autem Iacobus magnificum verbum, *Dominus Sabaoth*, quod omnipotentem Dominũ exercituũ significat, ad perterrẽdum ini-

iniquos, qui ita se habent circa egenos, quasi non habeant protectorem, aut iudicem. *Tibi enim derelictus est pauper.* Et: *Non spreuit Dominus deprecationem pauperis.* Reddens autem Cyrill. Alexand. rationem, cur Deus quàm citissimè audiat, ait lib. 1. in Isai. cap. 5. Accipit promptissimè voces eorum, qui fraudati sunt, sanctissima, & improbitatis inimica natura.

§. I.

Contra eos, qui seruorum mercedes defraudant.

LICET ergo communiter serui soleant conqueri de dominis suis, quod notauit D. Hieron. epist. de vitando suspecto contubernio tom. 1. vbi ait. Querulum seruorum genus est, & quantacumque dederis, semper eis minus est. Non enim considerant de quanto, sed quantùm detur, dolorémque suum solis, quot possunt obtrectationibus consolantur. Hic tamen locus de eorum clamoribus intelligitur, qui verè à dominis fraudem in mercede laborum suorum patiuntur. Sicut Iacob passus est à Labano, qui Gen. 31. eum circumuenit, & mercedem illius decem vicibus mutauit. Quales passim in mundo reperiuntur, quod damnabilius est, non solùm decipiunt & fallunt pauperes in soluenda mercede: sed, ne soluant insuper crimen aliquod impingunt. Videndus Chrysost. in imperfecto homil. 2. cùm ponderat ea verba Eccl. 35. *Vox pauperis penetrat nubes.* Tacitus, inquit, eius clamor in excelso auditur, quia nō magnus clamor à Deo auditur, sed iustus, &c.

QVAM grauiter verò Deus animaduertat in huiusmodi fraudatores, notauit D. Ambros. lib. de Nabuthe c. 12. in eo, quòd Deus prohibuit, vel breuem retentionem in soluenda mercede, proindéq; iussit; *Eadem die reddes ei pretium laboris sui ant. Solis occasum.* Leuitici 9. Sic inde argumentatur Ambros. Qui non patitur te dicere, cras dabo, quomodo patietur dicere, non dabo?.

ILLVD autem hac in re notandum est in hominibus nequam, qui cùm vigilent ad repetendos debitores, obliuiscuntur omnino debitæ seruis mercedis. Qua in re imitandus esset nobis Tobias, qui tanta diligentia curabat, ne quid alienum domi eius remaneret. Et tamen propriam pecuniā in extremo vitæ suæ tempore procurauit acquirere; magis, ne fraudaret hæredem, quàm vt depositam pecuniam cogeret, ac recuperaret, sicut notauit Ambros. lib. 9. epist. 70.

POSSEMVS insuper Dei naturam hac in re nobis proponere imitādam, qui, sicut notauit Nazian. Orat. 11. etiam in hac vita rependit seruis suis, cùm tamen in alia promiserit solutionē, vt certiores redderet de præmio, quos in præmiando præuenit. Vnde Helias Cretens. ibi, hanc solutionem Dei in hac vita, velut arrhas appellauit. Hoc etiam dixit Ambr. lib. 1. de pœnit. c. 26.

CVMQVE hæc sit Dei natura, non mirum, si in aures eius clamor operariorū ingrediatur, sicut exauditus est à militibus Dauid puer ille Ægyptius,

1. Reg 30. ptius, quem crudelis Dominus reliquit in agro, cuius clamor causa fuit, vt Amalechitas Dauid percuteret à vespera vsque ad vesperam alterius diei, & non euasit ex eis quisquam, nisi quadringenti viri adolescentes, qui ascenderunt camelos, & fugerunt.

Illudque possumus cum Amb. deplorare Ser. 33. vbi sic ait. Sūt plerique, qui magis canum, quàm seruorum curam gerunt, & faciunt eos iuxta se, vel recumbere, vel dormire, quotidianum illis cibum sui præsentia ministrantes, qui verùm serui sui fame moriantur, ignorant. Et quod est grauius, nisi diligenter his præparatum fuerit, pro cane seruus afficitur. Vides in nonnullorum domibus nitidos, & crassos canes discurrere, homines autem pallentes, & titubantes incedere, &c. Quomodo ergo ministerij solutionem tribuent, qui nec ministrando tribuunt necessaria? quomodo diuinam euadent iustitiam, contra quos clamor seruorum cœlo penetrans, diuinam postulat vltionem?

Vers. 5. *Epulati estis super terram, & in luxuriis enutristis corda vestra, vt in die occisionis.*

EXPOSITIO LITERALIS.



Prosequitur adhuc Iacobus enarrare nequitiam diuitū, quò magis eos confundat, & conuincat, vt resipiscant à peccatis. Obiurgat ergo illos, primò de peccato gulæ, ac temulentiæ, quibus nimiùm dediti erant, cùm nihil omnino de pauperibus curarent.

Epvlati estis super terram. i. quandiu vixistis super faciem terræ liberè, & frequenter. Caiet. *deliciati estis in terra*. D. Thom. moraliter quidem, *super exigentiam carnis*, quæ est non scilicet ad necessitatem, sed ad voluptatem.

Et in luxuriis enutristis corda vestra. *Cordis* nomine, non ea tantùm pars intelligitur, quæ vitæ principium est, sed interiora corporis, vt patet Psal. 36.
Psal. 36. *Gladius eorum intret in corda ipsorum*. Vnde interiora cuiusque rei, cor dicun-
Mat 12. tur. *Ita erit filius hominis in corde terræ*, &: *Transferentur montes in cor maris*. Cor
Psal. 45. etiam est sedes concupiscentiæ: ideóque hoc loco reprehenduntur ij, qui
Luc. 21. vino, & crapulis illud aggrauarunt contra id, quod scriptum est: *Videte ne grauentur corda vestra crapula, & ebrietate*. Est igitur in luxuriis enutrire corda, fomentum præbere libidini: nam crapula, & ebrietas ignem concupiscentiæ nutriunt. *Ebrietas*, inquit Poeta, *ignes in igne facit*.

Addit deinde Iacobus, *vt in die occisionis*. Aduertit autem hoc loco Brixaliquos exponere hunc locum, delicias eorum finem habituras esse, cædem, atque interitum. Verùm hic sensus posset accommodari secundùm lectionem eorum, qui dicunt, *In diem*, & non *in die*, ait Brixian.

Nostram igitur sequendo lectionem, quæ Græco respondet, vbi habetur, *velut in die occisionis*; *in die occisionis*, idē est, atque in die victimæ. Vnde

Vatab.

Vatabl.transtulit *in die mactationis*.i.in die festo,in quo solent mactari victimæ in epulũ:vel etiam, quia quãdo mactabatur victima, magna pars cedebat in vsum offerentis,qui eo die solebat epulum struere.Quo pacto intelligendus est ille locus. *Melior est bucella sicca cum gaudio, quàm domus plena victimis cum iurgio*; quia scilicet in die occisionis victimæ, abundabat domus carnibus.Sic alibi dicitur. *Fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad sacrificia sua,& illi comederunt, & adorauerunt Deos eorum.*Quo pacto intelligendus locus Exod. cùm populus coram vitulo obtulit holocausta, & hostias pacificas.*Et sedit populus manducare,& bibere.*Notauit etiam hoc Iosephus lib.8.Antiquit.c.2.vbi explicat solemne conuiuium, & pariter sacrificium,quod fecerat Salomon in dedicatione templi.Mactauit enim hostias pacificas viginti duas, & mille, & ouium centum, & viginti millia:quod ita factum est,quia inuitauerat omnem populum Israël. Sic etiam intelligendus est ille locus Prouerb. 7. *Victimas pro salute deuoui*, vbi ita Brixianus ait:Hoc dicit,vt iuuenem alliciat,atque inuitet ad epulas, quasi dicat: Est mihi domi multa caro; nam feci hodie sacrificia pacificorum,indulgebimus igitur genio.Sic intelligendus est locus ille alius, vbi Gentilibus præcipitur abstinere ab immolatis,id est,ab iis,quæ sacrificabantur & immolabantur.Istiusmodi ergo epulones,de quibus Iacobus, ita solemniter quotidie epulabantur,sicut in die victimæ. Prou. 17. Num. 25. 32. Exod. 32. 3. Reg. 8. Act. 15.

NISI fortè dies occisionis respiciat illum diem, quo Paschalis agnus comedebatur,dies celeberrimus,& semel in anno cõuiuiis deputatus. Vnde Dionys.exponit,dies Parasceues.Isti verò diuites omnem diem, occisionis diem faciebant,quia quotidie epulabantur splendidè, & quod alij semel in anno faciebant,isti quotidie. Exod. 12.

CVM insuper quinque modis nos gulæ vitium tentet, sicut notauit Gregor. 30.Moral.cap.12.Aliquando namque indigentiæ tempora præuenit:vnde mortis sententiam,patris ore Ionathas meruit,quia in gustu mellis constitutum edendi tempus antecessit. 1. Reg. 14

ALIQVANDO verò gula tempus nõ præuenit,sed cibos lautiores quærit,vt ex Ægypto populus eductus in eremo occubuit,quia despecto Manna,cibos carnium petiit,quos lautiores putauit. Culpa filiorum Heli prima suborta fuit, quòd ex eorum voto Sacerdotis puer,non antiquo more coctas vellet de sacrificio carnes accipere,sed crudas quæreret, quas accuratiùs exhiberet. Num. 11. 1. Reg. 2.

QVANDOQVE verò & qualitati ciborum,& tempori congruit, sed in ipsa qualitate sumendi mensuram moderatæ refectionis excedit, vt cùm ad Hierusalem dicitur.*Hæc fuit iniquitas Sodomæ abundantia panis.*Vbi ostenditur,quòd idcirco salutem perdidit,cùm mensuram moderatæ comestionis non tenuit. Ezec. 16.

ALIQVANDO verò & abiectius est,quod gula desiderat,& tamẽ ipso æstu immensi desiderij deteriùs peccat,sicut Esaü,qui vilẽ cibũ magno desiderio quæsiuit.Hic igitur locus secundum,& quartum crimen reprehendit, cùm & abundantiã ciborum,& lautitiam subnotat,& ita de vtroque participat. Gen. 25.

§. I.

Redarguuntur qui comessationibus, & ventri inseruiunt.

CARPIT igitur hoc loco Apostolus eos, qorū Deus venter, quíque quotidie splendide epulantur, & in luxuriis enutriunt corda, cùm tamen rectè Bern. dixerit Serm. de iis verbis; *Beatus homo, qui inuenit sapientiā*, sic comede, vt semper esurias. Quod idem dixit Hieron epist. ad Lætam. Et August. 10. Confess. Hoc me docuisti, vt quemadmodum medicaméta, ita & alimenta sumpturus accedam. Quod etiam docuit Clem. Alexan. 2. Pædag. c. 1. dicens. Alij quidem homines viuunt, vt comedant, quod certè etiam rationis expertibus euenit animantibus, quibus nihil aliud, quàm venter vita: nobis autem Pædagogus præcipit comesse, vt viuamus. Neque enim nostrum munus est nutritio, neque institutū, scopúsque voluptas, sed ea nutritio est propter nostram hîc mansionem, quam ad incorruptionem ratio instituit. Loquénsque de iis, qui se totos ingluuici dederunt, addit: Nondum didicerunt Deum parasse suo opificio, homini inquā, cibum, & potum, vt conseruetur, non autem, vt voluptate afficiatur.

VNDE etiam Philo lib. 2. legis Allegor. ait. Protegitur vita cibo, potúque, sicut corpus vestimentis: proindéque neque multiplicandus, sed ad mensuram & normam adhibendus, ne scilicet constringat fames, aut impediat saturitas. Hæc est ratio cur Paulus dixerit non multo vino esse inseruiendum: vbi D. Hierony. sic ait. Signanter expressit, *non multo vino seruientes*; seruitus enim quædam est & extrema conditio vino sensus hominis occupari, & non suum esse, sed vini, cui mentem cum ventre tradunt. Pro qua re facit ille locus Numerorum, vbi Deus Moysi præcipit. *Fac tibi duas tubas argenteas ductiles*: deinde verò addit. *Si exieritis ad bellum de terra vestra contra hostes qui dimicant aduersùm vos, clangetis vlulantibus tubis. Si quando habebitis epulum, & dies festos, canetis tubis.* Quid ergo commune habet conuiuium cum bello, vt vtrobique clangor tubarum debeat insonare? Non omittenda hoc in loco Rabani expositio, nimirum vt in prosperis & aduersis eadem semper cura & solicitudine homines crucientur, atque ita sibi in summa rerum prosperitate sentiant formidandum, vt timere etiam in bello fortissimi consueuêre.

(margin: ad Tit. 2.)
(margin: C. 10.)

CÆTERVM ad præsens institutum facit id, quod sacer Textus statim habet, *vt sint vobis in recordationem Dei vestri*; ne veluti seruos vos cibis addicatis memoria habentes alterum, verum supremúmque Dominum Deum vestrum, illúdque iuge conuiuium beatitudinis, quod neque satietatē parit, nec esuriem; insupérque super epulas clangetis tubis, quibus ad bellū euocamini, quò vobis veniat in mētem eandē debere habere in epulis, atq; in castris: sicut enim in his semper vtique timendum, vigilandúmque, nūquam verò securitati omnimodæ incumbendum, sic in cōuiuio curandum maximè est, vt reficiantur vires, non opprimātur, vt ratio vigilet, nō sopiatur, subdatúrque poculis, aut dapibus obruatur. Facit tandem pro hoc argumento id, quod Deus dixit Noë egrediēti de arca. *Terror vester,* &

(margin: Genes. 9.)

& tremor sit super cuncta animalia terras omne quod mouetur, & viuit, erit vobis in cibum. Vbi eleganter sanè Theodoret. q. 55. inquit. Præuidens Deus talia in Deorum numero, atque honore quandoque habenda, eorum escam concedit, vt impietatem è medio tollat. Quibus verbis ostendit, Deum voluisse homines ab animalium cultu abstrahere per hoc quòd ea in cibum concessit, vt clariùs modò nobis eorum constet vesania, quorum Deus venter est, & dapes numina censentur.

Merito ergo Chrys. hom. 37. in Act. Apost. eleganter sic ait. Nunquid voluptatem quæris amice? hanc frugalitate parabis. num sanitatem? etiam hanc inde. num libertatem? num valetudinem, ac robur corporis? num bonam constitutionem? num animi sobrietatem? num alacritatem? Ita bona omnia hîc. In crapula autem contraria, insuauitas, mala valetudo, infirmitas, illiberalitas, sumptus, damnum reuerà est, cum toto damno tantas opes insumere, morbósque contrahere.

Vnde filij Israël, sicut notauit Ambros. libro de Helia, & Ieiunio c. 18. cùm de petra biberent aquam, & Manna manducarent, gentes validissimas vicerunt: & non erat in his vllus infirmus. Vbi verò carnes desiderare cœperunt, nequaquam ex tot millibus hominum in terram promissionis præter duos peruenire potuerunt. Videndus hac de re Tertull. lib. contra Phsychicos, præcipuè verò cap. 5. & vltimo.

§. II.

Quæ mala oriantur ex nimietate cibi.

Et præter mala, quæ ex Chrysostomo retulimus, possumus imprimis respicere ad ea mala, quæ ex nimietate cibi, ac potus orta fuerint. Etenim cibus vetitus Adam morti tradidit, mundo consummationem indixit. Per edacitatem Esau primo genituræ prærogatiuam vendidit. Per ebrietatem Noë irridetur; Loth filiabus maritus fit. Saturitas Israëlem simulachri adoratorem fecit, & Holophernem gladio obiecit. Quod argumentum prosequitur Chrysost. hom. 37. in Act. Apost. & Ser. 1. de Ieiunio. *Genes. 3.* *Gen. 25.* *Genes. 9. & 19.* *Exod. 32.*

Et Damasc. lib. 1. Paral. c. 77. ex hoc Iacobi loco contendit, ingluuiem multis mortem accersere. Quod etiam confirmat ex eo, quod scribit Moyses. *Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere; & continuò cæsa sunt ex illis vigintitria hominum millia.* Item Hierem. *Qui vescebantur voluptuosè, interierunt in viis.* *Exod. 32.* *Thren. 4.*

Facit pro hac sententia optimus locus apud Ambros. lib. de Helia, & Ieiunio, vbi ponderat; primis quinque diebus creationis nihil omnino dixisse Deum de cibo; at verò sexto die, post condita animantia dixisse Deum; *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna, vt sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ.* Primus vsus mundi, inquit Amb. à ieiunio cœpit. Sexto die bestiæ sunt creatæ, & cum bestiis orta edendi potestas: vbi cibus cœpit, ibi finis factus est mundi, vbi cœpit sua incre- *Genes. 1.*

menta nescire, ibi cœperunt diuina circa eum opera feriari; quo iudicio declaratum est, quòd per cibos mundus haberet imminui, per quos desiit augeri. Quasi inde velit Ambros. deducendos esse omnes defectus in hominibus, vnde finis creationis, & productionis probatus est, & nos existimandos æquales brutis animantibus, cum quibus cibũ communem accepimus.

VNDE pulchra est ea allegoria apud Greg. 30. Moral. c. 12. dum ponderat id, quod Scriptura ait. *Princeps coquorum destruxit muros Hierusalem.* Quid enim, inquit, per muros Hierusalem significans Scriptura exprimit, nisi virtutes animæ, quæ ad pacis visionem tendit? Aut quis coquorum princeps, nisi venter accipitur, cui diligentissima à coquentibus cura seruitur? Muros igitur Hierusalem princeps coquorum destruit, quia virtutes animi, dum non restringitur venter, perdit. Vnde Cyrill. Alex. dialog. de adorat. ad Palladium, ait. Quibus voluptas persuasa est, procliuiùs in quoduis absonum flagitium prolabuntur.

4 Re. 25.

EST etiam pro hac re videndus Gregor. 1. Moral. c. 4. cùm ita habet: Nonnulla sunt vitia, quæ à conuiuiis aut separari vix possunt, aut certè nequaquam possunt; penè enim semper epulas comitatur voluptas. Nam cùm corpus in refectionis delectatione resoluitur, cor ad inane gaudium relaxatur: ideóque Iacobus ait, eos, qui epulantur, in luxuriis enutrire corda, quasi ea carnalia prorsus reddant, dum enutriunt. Et Scriptura dicit. *Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere*: seu, vt interpretatur Tertull. aduersùs Psychicos, *scortari.* Vnde August. lib. quæst. in vtrumque Testamentum, cibum, ac potum confert cum lignis, quæ ignem fouent, & augent: quod vtrumque cibus facere solet; fouet enim, & auget luxuriæ ardorem. Vidẽdus hac de re Amb. lib. de Abrahã c. 6. & Philo lib. de Agricult.

Exod. 32.

§. III.

Imbecilles, & effæminatos reddit homines immoderatus cibus.

IMBECILLIORES etiam reddit ad pugnam spiritualem, imò corporalem immoderatus cibus, ac potus; insupérque est insania epulari, & enutrire corda super terram, in qua contra spirituales nequitias nobis colluctatio & pugna est. Vnde Basilius hom. 2. de Ieiunio ait. Qui militiam exercent, & qui palæstræ laboribus destinati sunt, necesse est largo cibo seipsos incarnare, quò validiùs labores capessant; quibus autem non est lucta aduersùs sanguinem & carnem, sed contra mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ, his per abstinentiam, & ieiunium necesse est ad certamen exerceri: quantùm carni detrahas, tantùm facies animam spirituali bona habitudine relucere.

Ephes. 7.

IDEO Chrysost. hom. 54. ad Pop. Tempus, inquit, est belli, tempus certaminis: tu verò sedes in deliciis; nónne vides & Regnis præpositos in castris tenuiter viuentes? stat stridens dentibus aduersarius, tu verò mensis vacas: Christus fame tabescit, tu verò voraciter temetipsum distendis? Nunquid

quid mactandi sumus, quoniam nosipsos saginamus?

Ex quibus Chrysostomi verbis desumpta fortassis est ea vulgaris expositio huius loci. Sunt enim qui dicant eos, qui epulantur, in luxuriisque nutriunt corda, sic se totos dedere comessationibus, quasi ad occisionem saginentur. Nec immeritò, quia qui sic comedunt, ad occisionem, & æternam mortem saginantur, & nutriuntur. Quod etiam confessus est Dionysius Tyrannus Siculorum, referente Euseb. lib. 8. præparation. Euang. c. 5. dum dixit. Illis animalibus similes sumus, quibus comedendi, bibendíque non ad aliud, quàm ad perniciem suam copia solet offerri: tradentur enim satanæ mactandi, qui velut in diem occisionis, in luxuriis corda nutriunt, ventres replent, & ad saturitatem vsque, ac vomitum hauriunt. Etenim cùm bene saginati fuerint, internecioni tradentur & gladio. Vnde Isai. *Gladius Domini repletus est sanguine, incrassatus est adipe de sanguine agnorum.* Et Hierem. *Congrega eos, quasi gregem ad victimam, & sanctifica eos in diem occisionis.* Isai. 34. Hier. 12.

INEPTOS proinde se reddunt ad retundendos impetus spiritualis hostis, qui nihil magis curant, quàm enutrire corda in luxuriis, ventriq; inseruire. Nec mirum, cùm etiam ad hostium visibilium congressum imbecilles, & effœminati sint, & tales per comessationem, & ebrietatem reddantur. Quod ostendit ille locus, quando quinque Reges, Sodomæ, & cæterarum ciuitatum oppugnati à quatuor Regibus terga verterunt initio statim cõgressus; quódque magis eorum muliebrem indicat animum, est, quod dicit Scriptura: *Ceciderunt ibi.* Quod Vatabl. sic exponit. Coniecerunt se, aut præcipitauerũt se illuc in eos puteos bituminis, imbecilles vtiq; ac desperati. Gen. 14.

SI verò inquiras huius desperationis causam, & cur quinque Reges cesserint quatuor, nullam prorsus aliam inuenies, nisi, quòd in luxuriis enutriissent corda, & præ cibo, & potu resoluti & debilitati, nec se opponere inimicis ausi sint. Namque sicut dixit Chrysost. hom. *Quòd nemo læditur nisi à seipso.* Qui in deliciis & luxuria vitam ducunt, resoluta quidem corpora, & omni cera molliora circunferunt, atque agmine quodam infirmitatum repleta, & est eis vita semper cum medicis, & medicamentis: sensus autem ipsi tardi, graues, obtusi, & quodammodo iam sepulti.

VNDE Seneca epist. 122. Magna pars libertatis bene moratus venter; quia scilicet ij, qui talem ventrem habent, nec se vitiis, nec hostibus subiiciunt, sed liberè se opponunt, & veritatem profitentur. Habent ergo corda enutrita in luxuriis, proindéque debilia. In Scriptura enim fortes, & strenui, robusti corde dicuntur. *Robustus corde inter fortes nudus fugiet.* At verò de languidis & imbecillibus dicitur. *Pertimuit cor populi, & ad instar aquæ liquefactum est,* &c. Notauítque August. 1. de Ciuit. Dei. c. 30. Scipionem noluisse dirui Carthaginem æmulam Romani Imperij, ne luxu & desidia, ac voluptatibus defluerent ciues sic enim contingere solet iis, qui in comessationibus enutriunt corda. Amos 2. Iosue 7.

§. IV.

§. I V.

Similes brutis non reddit immoderatus cibus.

BRVTIS animantibus prorsus similes sunt, qui ventri student. Sed nescio quid mihi indicant verba illa (*super terram*) applicata iis, qui in luxuriis enutriunt corda, quasi ij, qui sic comedunt, instar animantium, non hominum comedant: illorum etenim mensa, terra est, cúmque semper præparata sit, ad satietatem vsque irrationabiliter comedunt; quales erant ij, qui à mane vsque ad vesperam quicquid erat panis vno prandio consumebant. Qua de re Homer. Odyss. lib. 14. & Strabo lib. 15. Et de Alexandro refert Plut. lib. 2. de virtute & fortuna Alexandri. *Alexander prandio cùm diluculasset; accumbebat.*

Exod. 32. VNDE illud, quod dicitur. *Sedit populus manducare & bibere; & surrexerunt ludere*; ad hanc rem possumus intelligere. Ij enim, qui veluti bruta animan-
Luc. 15. tia comedebant, brutorum quidem cibis vescebantur. Ideo ille, qui substantiam suam consumpserat viuendo luxuriosè, saturari volebat de siliquis, & cum immundis animalibus reputari, de quibus dicitur. *Impinguatus, & incrassatus recalcitrauit vt bellua.* Et Clem. Alex. 2. Pædag. c. 1. dixit. Est valde à ratione alienum, & inutile, & nequaquā homines pecudum more pinguefactos, morti nutriri deorsum in terram respicientes, & è terra semper in mensas procumbentes, id quod bonum est, hac vtique in vita, quæ non est futura, infodientes. Dixerat verò idem Clem. Mihi quidem videtur homo, qui est eiusmodi, nihil esse aliud, quàm bucca, aut maxilla. & c. 2. eiusdem libri. Mihi quidem videtur qui à Mathematicis vocatur Acephalus, qui ante stellam errantem numeratur, capite in pectus compresso, ac considente, significare helluones homines, & voluptuarios, & ad ebrietatem propensos. Nam in his quoque facultas ratiocinandi non in capite, sed in intestinis collocatur: quod possumus videre in præsentibus Iacobi verbis, vbi dicuntur corda enutrire.

CVM verò *cor* in sacris literis mentem & intellectum significet, vt appud
Hier. 5. Hierem. *Audi popule stulte, qui non habes cor*, id est, intellectum, & alibi: *Dabis*
3. Reg. 3. *ergo seruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare possit.* Vnde à corde sumpto pro mente & intellectu dicti sunt vecordes, & excordes: & è contrà, cordati dicti sunt prudentes, vt in 1. Tuscul. author est Cic. *& Nasica ille sapiens dictus est corculum.* Inde infertur eos, qui nutriunt corda cibo, & potu, mentem & intellectum in ventre habere, & vecordes omnino esse. Qua fortè etiam ra-
Luc. 12. tione diues ille auarus dicebat. *Anima mea comede, & bibe*: cùm anima spiritus sit; sed ideo sic loquebatur, vt ostenderet animam in eo helluone in carnem, & ventrem transiisse.

VNDE D. Basil. hom. 6. ex variis de diuite, ponderans eadem verba, sic ait. Si suillā haberes animā, quid aliud, quàm hoc ipsum annūtiare potuisses? adeò bestialis es, adeò bonorum animæ non gnarus, vt carnalibus eduliis ipsā excipias, & quæ secessus locus suscipit, ea ad animā dimittas? huiusmodi

modi enim viris non sufficit, si corpus manducet, & venter repleatur: sed insuper volunt, vt mens ac anima ipsa, etiam manducet, & proinde dicuntur enutrire corda.

Recte proinde Ber. lib. de ordine vitæ ait: Cùm manducas, nequaquam totus manduces, sed corpore tuo suam refectionem postulante, mens suam non negligat, sed memoria suauitatis Domini, vel Scripturarum aliquid, quod eam pascat meditando, vel saltem memorando secum ruminet, & digerat, sed & ipsa necessitas non sæculariter, non carnaliter expleatur.

Et Ser. 2. Non est Regnum Dei; ex præsenti loco Iacobi ita ait. Quid dicitis, quorum Deus venter est; quorum omnis vsus aut in ventre, aut sub ventre: qui in luxuriis enutristis corda vestra, audite Apostolum: quia *esca ventri, & venter escis: Deus autem, & hunc, & has destruet*, &c. Phil. 3. 1. Cor. 6.

Pro qua re facit id, quod Deus dixit. *Comedes in conspectu Domini Dei tui.* Deut. 14. Videtur enim velle Deus, vt non super terram instar brutorum, & ad satietatem vsque manducemus, sed ea modestia & sobrietate, qua serui coram Domino solent cibum sumere: qui enim sic sumunt, semper reliquum habent quod largiantur pauperibus. Vnde dicitur. *Dies sanctificatus est Domino Deo nostro: nolite lugere, nolite flere*; itē: *Comedite pinguia, & bibite mulsum, & mittite partes his, qui non parauerunt sibi.* Vbi vides diem occisionis, ordinatum conuiuium, portionem tamen reseruatam pauperibus. 2. Esdr. 8.

Ideo Chrysost. hom. 16. in diuersos, de Christianis epulis sic loquitur. Conuiuium honestate decoratum, lætitia mensæ pertingat ad pauperes Christi, familia innocentiæ tripudiet disciplina: absit ebrietas, luxus absistat, vt præsens gaudium vestrum ad lætitiam veniat sempiternam. Neque enim Deus prohibet omnino conuiuia, aut de suis facultatibus liberaliter viuere. Nam sanctissimi Dei serui Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, Dauid, Tobias aliquoties cum amicis suis epulis sese oblectarunt, & amicitias fouentes, Deo benedixerunt. Et ideo Eliphas dixit. *Super abundantiam deliciis affluet.* Etenim Deus non necessaria solùm, sed quæ iucunditati, & honestæ voluptati essent, concessit mortalibus. Quod prosequitur Seneca lib. 4. de beneficiis c. 5. Vnde, inquit, hæc innumerabilia, oculos, aures, & animum mulcentia? neque enim necessitatibus tantummodo nostris prouisum est, vsque in delicias amamur. Attamen hæc omnia in mensura sumenda sunt, vnde Manna, quod de cœlo cadebat, in mensura sumi iubetur. Iure igitur increpantur ij, qui velut bruta animantia in luxuriis enutriunt corda. Iob. 22.

Vers. 6. *Addixistis, & occidistis iustum, & non restitit vobis.*

EXPOSITIO LITERALIS.

Adhuc persistit Iacobus in exponenda tyrannide diuitū in pauperes, & explicat quomodo eos persequantur. Ait ergo: *Addixistis*; quod habet Græcus codex, id est, condemnastis, & ita legit

git Tigur. & alij. Alij verò legunt, vt omnes veteres codices, *adduxistis*: scilicet ad tribunal, & iudicium, vt condemnaretur. Nam in Ecclesiæ exordio iusti ab impiis passim ad iudicia, & tribunalia trahebantur.

Act. 5. ET *non restitit*, quia, *ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habebantur pro nomine Iesu contumeliam pati*: qui sensus videbatur germanior huius loci, vt loqueretur Apostolus secundùm id, quod tunc temporis fieri consueuerat à potentibus, & diuitibus circa quelibet virum iustum, & pauperem.

CÆTERVM stat Latinorum interpretũ cohors, imò ex Græcis Oecum. qui de Christo Dom. hunc locum intelligunt, quem etsi Iudæi non occiderunt manibus, lingua interfecerunt dicentes. *Crucifige. Oportet, vt vnus moriatur pro populo.* Denique eum Gentibus, & Pilato crucifigendum tradiderunt, qua ratione homicidæ dicuntur à Stephano. De Iuda verò, quod etiam conuenit Iudæis, dixit Christus Dominus. *Qui me tradidit tibi, maius peccatum habet*: nec restitit vobis, sicut ab Isaia prædictum fuerat, *coram tondente se obmutuit.*

Ioan. 19. Act. 7. Isai. 53.

§. I.

Ostenditur perfecta patientia iustorum in perferendis laboribus.

QVONIAM plura diximus de impia diuitum tyrannide erga pauperes iustos, illud hoc loco restat dicendũ cum Iacobo de ipsorum tolerantia in sufferendis laboribus, & iniuriis, quomodo nec respondeant, nec resistant, etiam cùm possint. Perfecta enim patiẽtia iusti in eo maximè elucet, quòd offensus etiam non respondeat, nec vlciscatur cùm possit. In quam
Prou. 26. sententiam notauit Ambros. cap. 43. ea verba Prouerb. *Noli respondere insipienti ad insipientiam eius, esto sicut mutus, & tacens, & quasi non audiens.* Non quò respondere nequeas, inquit Ambros. sed quò respondere non debeas. Et huiusmodi os tacens in offensis, dum possit respondere, appellat Tertull. lib. de Patient. c. 14. os taciturnitatis honore signatum. Videndus Orig. in ea verba Matth. 25. *Statuet oues à dextris.* Oues, inquit, dicti sunt qui saluantur, propter mansuetudinem, propter quod vsque ad occisionem parati fuerũt venire, imitantes Christum, qui sicut ouis ad occisionem ductus est: & infrà addit loquens de iustis, qui dicuntur oues, cùm læduntur, aut tacent, aut rectè in benignitate probati, preces transmittunt ad Deum.

CERNITVR proinde iustorum eximia perfectio in perferendis immobiliter laboribus, vt illis non cedant ad instar columnæ, non marmoreæ, sed argenteæ in templo Dei. Patiẽtiæ namque repertæ in iustis eas fuisse symbolum putat Orig. hom. 9. in Exod. loquens enim de argenteis columnis, quas Deus ad tabernaculum iussit fabricari, ait: Tabernaculi in seipso vnusquisque potest formã exercere, & explere. Columnæ autem argenteæ sunt patientia rationabilis. Nam & qui nõ sentit iniuriã, & propterea non reddit,

reddit, patiens videtur, sed non est rationabilis ista patientia. Iste ergo habet quidem columnas, sed non sunt argenteæ: qui verò propter verbum Dei patitur, & fortiter fert, iste columnis argẽteis decoratus est, & munitus.

Et hæc fuit ratio, cur sponsa inuitans diuinum sponsum ad sui hospitium, & accubitum, postquam lectulum commendauit à florum pulchritudine, & flagrantia, addit: *tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina.* Fundamentum verò huiusce laudationis posuit Ambros. Ser. 4. in Ps. 118. Hoc genus arboris, inquit, nunquam amittit viriditatem suam, hyeme iuxtà, vere, atque æstate comam pascit, nec diuerso colore mutatur. Solam hanc arborem ventus suo nunquam honore despoliat, sola nunquam veteri exuitur amictu, aut nouo flore vestitur. Ea proinde immobilis iusti cõstantia, quæ nec cedit illatis iniuriis, vt à virtute decidat, nec cedere, aut vlcisci curat, vt resistat, Deo maximè placet, ipsúmque hospitem meretur colligere. *Cant. 1.*

Hoc argumentum prosequitur Cyprian. epist. 2. ad Conelium Papam; & lib. de lapsis, vbi ostendit, iustos paratos ad patientiam carceris, ad tolerantiam mortis. Et Bernard. Serm. 27. in Cantic. comparat virum iustum cum cœlo, aitque: Quomodo stellæ in nocte lucent, in die latent; sic vera virtus, quæ sæpe in prosperis non apparet, eminet in aduersis.

Videndus item Ambros. lib. 2. de Abel, & Cain c. 9. cùm ponderat ea verba Genes. *Ecce vox fratis tui clamat ad me de terra.* Bene, inquit, vox sanguinis fratris tui clamat, non frater clamat, non accusat frater, non vox ipsius, non anima eius, sed vox sanguinis: quasi indecens omnino esset si iustus, qui occidenti non restitit, post mortem vindictam proclamaret. Videndus pro hac re est Leo Serm. 1. de ieiunio decimi mensis; Tertull. lib. de patient. c. 6. & 8. & Cyprian. lib. de patientiæ bono. *Gen. 4.*

Hinc est, quòd Chrysost. perpendens animum Petri, dùm serui auriculam amputauit in comprehensione Magistri, dixit. Nondùm perfectæ virtutis erat. Quòd si vis Petri sapientiam intelligere, videbis postmodùm cæsum æquo animo omnia perferentem: imò & tantà alacritate patientem, vt inuersis vestigiis voluerit cruci affigi. Qua de re eleganter Ambros. Serm. 21. in Psalm. 118. Metuens, inquit, ne si ea specie crucifixus esset, qua Dominus, affectasse Domini gloriam videretur. *Matt. 26.*

Facit etiam & pro præsenti doctrina id, quod notauit Chrysost. tom. 1. Ser. in Iob, & Abraham, cùm explicat ea verba Isaiæ. *Quem docebit scientiam, & c. ablactatos à lacte;* firmos iam ad pericula subeunda. Postquam enim Propheta dixit, *ablactatos à lacte,* subdit. *Manda, remanda,* seu, vt legit Chrysost. *Afflictionem super afflictionem suscipe.* Ait ergo Chrysost. Quandiu imperfecti sumus, nobis parcitur, & quandiu lactamur, paternè fouemur; vbi autem perfectiores facti fuerimus, perfectorum certamina subibimus. *Isai. 28.*

Conquesti sunt olim Gabaonitæ coram Dauide de Saüle, qui occiderat Gabaonitas. *Dixit ergo Dauid ad Gabaonitas. Quid faciam vobis? dixerúntque ei Gabaonitæ. Non est nobis super argento, & auro quæstio, sed contra Saül, & contra domum eius: Virum, qui attriuit nos, & oppressit iniquè, ita delere debemus, vt* *2. Re. 21.*

 ne-

ne vnus quidem residuus sit de stirpe eius. Passi sunt quidem iniuriam, sed eam vlcisci curabant. Curauit tamen sacer Textus nobis enucleare horum hominum conditionem, dum prædixit initio statim capitis, antequam de iis aliquid tale referret; *Porrò ergo Gabaonitæ non erant de filiis Israel.* Notissimum quidem hoc erat, nec explicatione indigebat res apertissima. Videndus ibi Lyranus, qui sequutus Rabbi Salomonem, explicat propterea hoc fuisse additum, quia si fuissent ex filiis Israël, indulsissent factum Saülis contra eos, agnouissent vtique Dei seruos magnam debere præstare patientiam. Meminissent Isaac, id est, risum, & lætitiam filium esse Rebeccæ, id est, patientiæ. Quod Clem. Alex. 1. Pædag. c. 5. ait præfigurasse patientiã, & risum inuicem se complecti, & Deo magnopere placere huiusmodi coniunctionem, & proinde à vindicta desisterent, cùm nec resistendum persequentibus esse nouissent: est enim perfectorum propria virtus acriora certamina tolerare, nec tamen persequentibus resistere.

QVOD si velimus altiùs huius immobilitatis in iustis rationem rimari, ea sese obiicit, quòd vulnera & iniuriæ nihil illis obsunt, nullúmque inferunt nocumentum, quod dixit Dauid loquens de persequutionibus, & iniuriis Saülis contra ipsum Dauid. *Sagittæ paruulorum factæ sunt plagæ eorum.* (Psal. 63.) Quæ verba exponens Theodoret. ait: Qui ista atrocitate vtuntur, sua opinione decepti sunt, iacula à pueris emissa nihil damni afferunt his, qui petuntur. Quis ergo molestiam sentiet in plagis à paruulis illatis? quis virili animo præditus illis resistet? quis non potiùs rideat in huiusmodi opprobriis? In quam sententiam facit etiam ille locus Psal. *Qui oderunt iustum, delinquent*, (Psal. 33.) propriè ex Hebr. *Qui oderunt iustum, aberrant*; quia reuera ipsum non lædũt: nam sicut dixit D. Grego. 14. Moral. cap. 1. Sancto viro quot occasiones perditionis intulit inimicus, tot causas victoriæ ministrauit. Et 11. Moral. cap. 17. In hoc mens iusta ab iniusta discernitur, quòd non cum rebus frangitur, nõ cum casu gloriæ exterioris cadit, & in hoc magis, qualis cum rebus fuerit, demonstrat, quæ & sine rebus robustior erat.

SIMILIA habet idem Gregor. 12. Moral. c. 23. cùm explicat ea verba Iob. *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei.* (Iob. 19.) Hoc, inquit, habere solet proprium mens piorum, quòd cùm iniusta ab aduersariis patitur, non tam ad iram, quàm ad preces mouetur, tãtùm abest, vt eis resistat. Sed quomodo resistet qui affligentes, amicos cẽset, & nominat? *Miseremini mei amici mei.* Ecce, inquit Gregor. eos, à quibus se per contumelias affligi considerat, amicos vocat; quia bonis mentibus etiam fiunt prospera, quæ videntur aduersa. Vbi idem Gregor. subdit aptissimam rationem quare iusti non resistant eis, qui illos occidunt, quia non putant illata mala, à persequentibus sibi prouenire, sed à Deo infligi. A Sathan, inquit, percussus fuerat, nec tamẽ percussionẽ suã Sathanæ tribuit, sed tactũ se manu Domini appellat, sicut & ipse quoque Sathan dixerat. *Mitte manũ tuã, & tange os eius & carnem, si non in faciem benedixerit tibi.* Qua in re excellentia iustorum ostẽditur, dũ se nõ lædi putãt ab improbis, imò nec à Diabolo, cũ his prorsus superiores sint; sed à Domino, cuius percussionem quantumuis grauẽ, & ad spo-

lia

liationem omnium bonorum pertingentem, vel leuem manus tactum iudicant. Ideóque nec laboribus, nec morti resistunt: *quis enim restitit ei, & pacem habuit?* Iob. 9.

Sed quomodo resistent qui ipsos labores suam resistentiam, & defensionem vocant? sicut optimè notauit Ambr. in c. 4. epist. 2. ad Timot. vbi explicans ea verba Pauli. *In prima mea defensione nemo mihi adfuit, sed omnes me dereliquerunt*, ait: Pressuram, & tribulationes sibi illatas defensionem suã nuncupat. Passio enim Christianis vita est, & persequutio defensio. Pressura enim illata pro iustitia defendit illum in die iudicij. Bene proinde dicitur, non restitisse, qui lætus potiùs labores suscipit, quibus se defendat in aduentu iudicij.

§. II.

Summa Christi Domini in sua paßione patientia.

Qvoniam verò communis Interpretum sententia hunc locum intelligit de summa Christi patientia, de eadem breuiter aliquid dicemus. Elucet igitur Redemptoris nostri patientia, qui dum occideretur, non restitit. Quomodo enim resisteret, qui antequam ad passionem egrederetur, pro ipsa passione gratias agit, dum repræsentationem suæ mortis in Sacramento confecit? Quod argumentum eleganter prosequitur Gregorius 2. Moral. cap. 23. Imò, sicut notauit Bernard. Serm. 4. de aduentu; quæsitus in Ioan. 6. Regnum fugit, quæsitus ad tanta probra, & ignominiosum suppliciũ Crucis sponte obtulit semetipsum interrogans: *Quem quæritis?* & respondens, Ioan. 18. *Ego sum*; imò potiùs comprehensus de suorum Discipulorum libertate solicitus, solus voluit alligari, dum dixit: *Si ergo me quæritis, sinite hos abire.* Super Ibidem. quæ verba sic ait Ambrosius Psalm. 61. Satis est vobis habere quem quæritis; non quæro consortem passionis, qui ad salutem omnium adiutore non egeo. Quia verò Petrus gladium exemit contra irruentes in Christum Dominum, & cùm peteret caput cuiusdam serui Principis mortali vulnere declinante illo caput, dexterã auriculam amputauit, sicut aduertunt Theophyl. & Chrysost. id tamen reprehendit acriter Christus Dom. Quia, sicut dixit Tertull. lib. de Pudicitia c. 21. non decebat eum sæuire, qui pati venerat. Et lib. de patientia c. 3. Neque vnius quidem discentis (id est, Discipuli) gladium in vltionem probauit; patientia Domini in Malcho vulnerata est, & gladij opera maledixit in posterum, & sanitatis restitutione ei, quẽ non ipse vexauerat, satisfecit, per patientiam misericordiæ matrẽ. Noluit enim pati scissionem in patientia qui integram, & perfectam eam nobis voluit probare, & docere, & tradere.

Hinc est, quòd Christus Dom. qui summo desiderio ad tormenta ferebatur, Discipulósque præcedebat, sicut meminit Marcus. *Præcedebat illos* Marc. 10. *Iesus, & stupebant, & sequentes timebant*, cùm loqueretur de morte sua. Et cùm Matt 16. Petrus diceret. *Absit à te, Domine, nõ erit tibi hoc. Cõuersus dixit Petro. Vade post me,*

Sathana, scandalum es mihi, eisdem vtique verbis Petrum reprehendens, qui-
Matt. 4 bus à se Dæmonem tētantem abegerat. Eadem seueritate, inquit Caiet. reprehendit, & diabolum ad idololatriam prouocantē, & Discipulum mor-
Matt. 20. tem impedientem. Et fortè ideo filiis Zebedæi dixit. *Nescitis quid petatis*, quia tunc accesserat mater petens, quādo ipse loquebatur de passione sua, in pœnam, scilicet, interrupti sermonis de re desiderio desiderata, cui initium præbentem etiam per dolum, & summam nequitiam appellauit amicum. *Amice ad quid venisti?*

Hinc est quòd ipse dixerit Iudæ, non iubēs, sed permittēs. *Quod facis, fac citiùs.* Vnde Bern. Serm. 3. de Cœna Domini. Dñe Iesu, vita mea, decus Angelorum, quantùm eos diligebas, pro quibus mori cupiebas, nobis vitam, tibi mortem affectabas? Sedulò cogitate quantum est diligendus, qui se tradentem ad mortem sic hortabatur.

Luc. 23. Hinc etiam est, quòd ipse Dominus planctum prohibuerit in mulieribus, quæ eius mortem deplorabāt, *Filiæ Hierusalem, nolite flere super me.* Quod ponderans D. Leo Serm. 10. de passione cap. 3. ait. Istum planctum Dominus Iesus dedignabatur impendi, quia non decebat luctus triumphum, nec lamenta victoriam.

Isai. 50. Qvi igitur tam lætus mortem obibat, quomodo potuit resistere? imò tacuit, ineffabilémque præstitit patientiam. Vnde Isai. *Posui faciem meam, vt petram durissimam, & scio, quia non sum confusus*; qui percutit petram, non eam
Hier. 11. lædit. Dixerat Hierem. *Ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam, non cognoui, quia cogitauerunt super me consilia*, id est, ductus sum, nihil dicens, quemadmodum si non cognouissem, quò me ducerent, sicut agnus, cùm ad
Matt. 20. macellum ducitur, non queritur, non refugit, quia nescit quò eat: dicit ratione patientiæ se nescire quò eat, cùm tamen dixisset, *Ecce ascendimus*, &c.

Isai. 53. Prædixerat Isaias, Agnum auferentem peccata mundi, sic tacitum, & quietum fore in passione, qualis esset agnus coram tondente. Sed, inquit Bern Ser. 1. super. *Missus est.* Non coram tondente se, sed coram occidente se, obmutuit, quasi plus fecerit patiēdo, & tacendo, quàm promiserat per Pro-
Apo. 21. phetam prædicendo. Patientur fortè cæteri agni tonderi quidem, se non pelle spoliari, aut occidi: at hic agnus, & tonderi, & occidi passus est sine querela aut resistentia. Quod prosequitur Ambr. Ser. 14. in Psal. 118. his verbis. Passio Christi imago fuit Regni cœlestis, nemo audiuit in plateis vocem eius, quia illo silentio passionis suæ clamorem omnium posterorū impiæ vocis abolebat. Nolebat fleri qui dicebat ad filias Hierusalē. *Nolite flere super me; sed super vos ipsas flete.* Ablaturus enim omes lacrymas suæ beneficio Crucis, in passione propria, futuræ instar beatitudinis lætitiā exhibebat, vt nemo fleret nisi qui beneficia Christi non teneret; sic tacuit, nec restitit, tantámque exhibuit patientiam, vt inde Tertull. lib. de patiēt. c. 3. contra Iudæos sic argumentetur. Hinc vel maximè ô Pharisæi Dominum cognoscere debuistis, patientiam huiusmodi nemo hominum perpetraret, sibi soli iniuriosus fuit. Et lib. ad Martyres c. 3. Numquid tamē subeundæ morti, &

ti,& contumeliis opus fuerat? sed saginari voluptate patiendi discessurus volebat,despicitur,verberatur,&c.qui in hominis figura proposuerat latere,nihil de impatientia hominis imitatus est.

Et Chrysost.hom.40.in Matth. in ipso iudicio inauditam humilitatem ostendit,qua non minùs quàm signis potuisset eos attrahere. Similia habet Aug.tract.37.in Ioan. & D.Leo Serm. 10. de passione,admisit in se impias furentium manus,quæ dum proprio incumbunt sceleri famulatæ sunt Redéptori.Et enim sicut elegãter notauit Euthym.in panopl.p.1.tit.7. in fine, ea quæ in natura humana sũt à vitio,& reprehẽsione aliena,partim Christus supra homines,partim vt homines, partium verò abiectiùs quàm homines suscepit. Supra homines fuit,quòd sine semine virili conceptus fuit, quòd ex Virgine natus est,more humano fuit,quòd nouem mẽsium spatio in vtero portatus est,quòd hausit lac,quòd plorauit,&c. abiectius,& humilius quàm homines fuit,quòd eius species in Cruce turpis apparuit,& cum ignominia defecit,qua tamen in re supra homines fuit,dum maiorem exhibuit patientiam quàm quisque alius,maiores pertulit dolores, ignobiliores pertulit ignominias.

Ad laudem denique patientiæ Christi Domini optimè facit id,quod notauit Ambrosius.Nihil,scilicet timuisse Iudã Magistrum suum tradere, ac vendere:imò post acceptum corpus,& sanguinen eiusdem Domini, exiisse ad Iudæos,vt acciperet cohortẽ,& cõprehensionem exequeretur:tunc verò pœnitentia ductũ retulisse argenteos, cùm vidit patientiã Christi Domini excipientis osculum,& amicum vocantis.Sic enim habet Ambros.Psal. 39. Osculo Filium hominis tradis? hoc venenum infundis osculo, quo gratia charitatis infunditur, osculo quo fides sancta signatur, hoc osculo tradis periculo, quem propter osculi commercium venerari deberes? Ego osculum non nego,ipse videris,qui violaueris osculi sanctitatem.Denique patientiã Domini ferre non potuit qui maiestatẽ prodidit,adeò vt sibi ipsi tãti sceleris reus non posset ablui. Qui ergo tantam præstitit patientiam, vt & cognitioni Iudæorum ea potuerit esse,& compunctioni Iudæ, quomodo resistere potuit,qui solùm pati venerat? Rectè proinde Iacobus ait. *Occidistis iustum, & non restitit vobis.*

Vers.7. *Patientes igitur estote,fratres,vsque ad aduẽtum Domini.Ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ,patiẽter ferens,donec accipiat temporaneum, & serotinum.*

EXPOSITIO LITERALIS.



HÆc est secunda pars huius cap.in qua Apostolus miseros, & afflictos pauperes consolatur, & ad patientiam hortatur,suadens moderato,& forti animo ferre quicquid afflictionis,& ærumnæ aduenerit, expectando Iudicem Christũ, qui seruorum suorum

iniurias acerrimè vlciscetur, & præmium patientibus reddet: affertque ad patientiæ confirmationem exemplum agricolæ, qui terram colit sudās, vomeréque proscindit, semen veluti amittens spargit, multísque diebus patienter sustinet, vt cum fœnore recipiat, quod seminauit, cùm tamen incertus sit de terræ prouentu, qui à commoditate temporis, tempestiua scilicet pluuia, & opportuno Solis calore dependet, cùm tamen patientibus præmiū certū omnino sit, illísque tēporalis fructus, istis verò æternus.

ADVERTIT autē Carthus. posse hæc verba ad præfatos diuites iam conuersos referri, vt sit sensus. Quoniam ante conuersionem vestram ad Christum tot scelera commisistis, ideo quicquid aduersitatis nunc accidit, patientissimè ferre debetis, siquidem culpæ debetur pœna, & Deus in hac vita per reprobos purgat electos; planior tamen sensus erit si hæc verba ad pauperes afflictos, quos ipse consolatur, referantur.

PATIENTES ergo estote. Græci legunt, *Longanimes vsque ad aduentum Christi*, id est, vsque ad horam iudicij vestri particularis statim post mortem, vel vniuersalis iudicij, quando iusta retributio fiet. Etenim duplex in Scriptura dicitur Domini aduētus: alter particularis, qui fit in morte cuiusque
Hebr. 9. hominis, de quo Paulus. *Statutum est omnibus hominibus semel mori, post hoc autem iudicium*; & de hoc intelligitur illa comminatio facta Episcopo Ecclesiæ
Apoc. 2. Ephesinæ. *Venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris.* Et Pergamensis Ecclesiæ Episcopo. *Pœnitentiam age, si quominùs veniā tibi citò.*
Apoc. 3. Et Sardiensium Doctori similiter dicitur. *Si non vigilaueris, veniam ad te tanquam fur, & nescis qua hora veniam ad te.* Quæ omnia singularem Christi aduentum ad vnumquemque nostrûm significant. Est etiā & communis, vni-
Matt. 25. uersalisque aduentus Domini ad finem sæculi, de quo Matthæus, &
1. Cor. 4. Paulus.
Rom. 2.

ALII verò (teste Brixiano) per *diem Domini* intelligunt tempus quo Romani euerterunt Hierosolymam, & gentem Iudæorum, sicut etiam illud
Ioan. 21. dictum Ioan. *Sic eum volo manere donec veniam*, cùm paulo post captam Hierosolymam ipse è vita excesserit. Qua de re videndus ibi Theophylact. & Dorotheus in Synopsi. Monet ergo Apostolus, vt constanti animo sint vsque ad illum, vel istum Domini aduentum, quando iusti lætabuntur pro diebus quibus à Deo humiliati sunt in mundo, & pro annis quibus viderunt mala.

ECCE agricola expectat pretiosum fructum terræ. D. Thomas ait appellasse *pretiosum*, quia laboris sui pretium; enimuerò nihil magis voluptuosum, quàm quod proprio labore, sumptu, mortéque consequimur, vt quanuis laborandi natura necessitatem imposuerit, laboris amaritiem fructus dulcedine compensauerit. Et ideo meritò Liuius lib. 4. Decad. 1. ait. *Labor, &*
Psa. 127. *voluptas dissimillima natura, societate quadam coniuncta sunt.* Et Dauid. *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit.*

PATIENTER ferens, id est, multas passiones, & labores sustinens, *donec accipiat temporaneum*, id est, primi temporis fructum, ante generalem maturitatem, *& serotinum*, id est, fructum permaturum. Sic & vos debetis

patienter

patienter sustinere, donec fructum recipiatis, quando supremus ille agricola triticum suum colliget in horreum suum, paleas autem tradet igni inextinguibili. Terra promissionis, inquit Dionys. hoc loco, de qua nunc loquitur, bis in anno fructificat, videlicet in Aprili, atque Septembri: sic Sancti accipiunt fructum temporaneum, & serotinum. *Matt. 3. & 13.*

PER *fructum* ergo *temporaneum* spiritualiter intelligi potest gratia, & fructus iustitiæ, & per *serotinum* gloria, iuxta illud Pauli. *Habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitæ æternæ.* & alibi: *Flores mei, fructus honoris, & honestatis.* *Rom. 6. Eccles. 9.*

VEL potest per *temporaneum fructum* intelligi gloria animæ, quæ statim post mortem reddetur, & per *serotinum* carnis incorruptio, quæ in vltimo die concedetur iustis. scilicet immortalitas corporibus gloriosis concessa. Græcè verò habetur; *donec accipiat pluuiam matutinam*, seu, *tempestiuam*, scilicet, tempore sementis, *& serotinam*, vel imbrem tempore veris: & eundem fere sensum facit.

§. I.

Spes cælestis præmij nos patientiores reddit in sufferendis laboribus.

MONET hic locus, iustos debere præstare patientiam in tolerandis huius vitæ laboribus, donec adueniat retributionis tempus. Voluit enim Deus, ait Tertull. aduersùs Gnosticos cap. 5. mortem morte dissoluere, tormentis tormenta discutere. Cùm enim eos qui ob Christum aliquid in terra reliquerunt, & propter ipsum patiuntur, & illorum absentia, & laborum præsentia anxiè soleat cruciare, quia non vident præparata à Deo bona, inde necesse est admoneri, vt proposita futurorum bonorum spe, amissionem bonorum, & laborum tolerantiam despiciant.

IDEO Dauid clamabat. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te!* quasi áduerteret illorum bonorum cumulum nondum videri, quia absconditus est: & iterum. *Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.* vbi eleganter Augustinus. Non sustinebis mendacem, non eum qui poterat falli, non eum qui non est inuenturus quod dicit, omnipotens promisit, certus promisit, verax promisit. Sustine Dominum, viriliter age, noli dissolui, ne sis inter eos quibus dicitur. *Væ iis qui non perdiderunt sustinentiam.* *Psal. 30. Psal. 26. Eccles. 2.*

HOC etiam prosequitur Ber. Ser. 17. in Psal. *Qui habitat.* vbi ait. Non consideremus quæ videntur, sed quæ non videntur, gloriemur in spe gloriæ magni Dei. Prælibemus primitias gloriæ, sed vt dicam expressiùs, gloriemur in tribulationibus, in tribulatione siquidem spes est gloriæ, & ipsa in tribulatione gloria continetur, sicut spes fructus in semine, sic ipse fructus in semine est. In hunc modum etiã modò Regnũ Dei intra nos est, *2. Cor. 4.*

est, inquam, sed absconditum, fœlix qui inuenerit illud. Quàm veraciter hunc thesaurum inuenerat, qui aiebat. *Momentaneum & leue tribulationis nostra supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Bonum in tribulatione magis amplecti te, in camino habere te mecum, quàm esse sine te, vel in cœlo. Et Serm. 28. docet, quanti faciendi sint labores pro æterna vita: & cùm explicat illud Cantic. 1. *Nigra sum, sed formosa sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.* Est nigredo, inquit, persequutionis, quæ pro summoorna mento habetur, siquidem suscipitur pro substantia, & veritate, hâc potissimùm gloriari Ecclesiam arbitror, hanc libentiùs imitari de pellibus sponsi, qui dicebat. *Si me persequuti sunt, & vos persequentur.*

2. Cor. 4. *Cant. 1.* *Ioan. 15.*

Hoc ipsum quod prosequimur, videtur dixisse sponsa in commendationem sui sponsi Christi Domini. *Labia tua*, inquit, *sicut lilia distillantia myrrham primam.* Quis enim nesciat myrrham amaram symbolum laboris, passionis & mrotis esse? Id certè distillabant labia sponsi, qui nihil frequentiùs inculcabat, qnàm laborum sustinentiam, iniuriarum tolerantiam, mortis contemptum, ratione promissi præmij, & futuræ gloriæ reuelandæ in iis, qui labores & ærumnas perferrent; quia verò, & ad eiusmodi patientiam inuitabat proposito gaudio futuro, & spe gloriæ filiorum Dei, ideo labia spõsi sic loquentis, & prædicantis, similia dicuntur liliis, quæ symbolum spei vsquequaque fuêre; sicut prosequitur Pier. Valer. lib. 55. titulo de Lilio.

Cant. 5.

Et ideo fortassis Christus Dom. de Lilio dixit. *Non laborant, neque nent:* quia sufficit spes ad leuandum quemcumque laborem, & mite reddendum quodlibet tormentum significatum in ipsa fusi intorsione, sicut eleganter prosequitur Nazian. Orat. 2. Apologet. Vnde & partem præmij dixit spem Dionys. teste Plut. lib. de auditione. Cùm enim cytharœdo cuidam præclara cum approbatione cantanti inter audiendum magna quædam dona promisisset, deinde nihil dederit; persoluisse se ei iam gratiam dixit, quandoquidem quanto tempore canens delectasset, tanto etiam spe fuisset oblectatus.

Matt. 6.

Tota itaque Christi doctrina de laboribus & persecutionibus comitē sēper habuit spem futuræ retributionis, quā sancti viri adeò firmiter sunt amplexati, vt arboribus viridãtibus, & inconcussis foliis similes dicantur. Quod argumentum prosequitur Aug. in Ps. 36. vbi ostēdit, iustos esse velut arbores, iniquos homines veluti fœnũ, qui radicem altam charitatis non habent. Proinde, inquit, per hyemem virent: at vbi Sol æstatis feruere cœperit, arescent. Venit æstas. i. iudicij dies, tunc arescet viror fœni, tunc apparebit arborum gloria. i. iustorum. *Mortui estis*, ait Apostolus, quomodo videntur arbores per hyemem quasi aridæ, quasi mortuæ. Ergo quæ spes, si mortui sumus? intus est radix, vbi radix nostra, ibi & vita nostra. *Spera in Domino, & educet iudicium tuum tanquam meridiem. Noli æmulari in eo qui prosperatur in via sua.* Prosperatur impius, sed in via sua, laboras, sed in via Dei, illi prosperitas in via est, in peruentione infelicitas; tibi labor in via, in peruentione felicitas; proinde tolerandum, & sperandum. Et Concion. 2. in eundem

Coloss. 3. *Psal. 36.*

eundem Psalm. Cùm attenderis quid sis accepturus, omnia tibi erunt vilia quæ pateris, nec digna æstimabis pro quibus illud accipias. Videndus D. Chrysost. hom. 64. ad Pop. vbi prosequitur hoc argumentum, & ait. Multã exhibẽtes tolerãtiã spe pascamur. Multa de hac re habet hom. 9. ad Rom.

Idem habet Theodoret. in Ps. 1. ad ea verba. *Et folium eius non defluet*; vbi sic explicat hæc verba. Virtutis athletæ laborum fructus etiam in posterum reportabunt, bonam semper spem in seipsis ferentes, vt quædam viridantia folia germinant, & exultant, & frustra timent ob animi delectationem laborum sarcinam, &c. Et Cyprian. epist. 56. Ne vereamur, inquit, occidi, quos constat quando occidimur, coronari.

Notandvs venit in hanc sententiam locus apud Ambr. lib. de Isaac, & anima vbi dicit. Chaldæorum sermone Enos, dicitur Latinè homo. Enos autem, qui assumpsit, & sperauit inuocare nomen Domini, & ideo creditur esse translatus. Non videtur itaque homo esse nisi is, qui in Deum sperat, qui autem sperat in Deum, non degere in terris, sed quasi translatus adhærere Deo manifesta viri interpretatione significatur. Quod idem dixerat Philo de Abraham, & lib. *Quòd deterior, potior. insidiari soleat.*

Qvod si quicumque sit homo, in Deo sperare debet, multo magis qui Dei doctrinam absconditam sub laboribus agnouit, & bona quæ Deus laborantibus proponit. Pro qua re videndus est Rupert. lib. 9. in Gen. c. 21. vbi ponderat cur Patriacha Iacob tantus cœli ciuis, cui viuenti totus mundus exilium fuit, tantopere de suo corpore curauerit, & seriò scire voluerit quo loco puluis in puluerem, & cinis reuerteretur in cinerem, & asportari in terram promissionis, concluditque. Si ergo moriturus continuò promissiones terræ quas acceperat tanta cum gratiarum actione veneratus est, vt saltem mortuo corpore illam tenere cuperet, quanto magis viui possessores curare debuerunt sic in ea viuere, vt non iratus Deus donum suum gratis rursus offerret: exemplum enim viuis mortuus dedit, vt in spe patriæ cœlestis pignus amarent, requiem æternæ hæreditatis?

Hinc est quòd Oseas assignãs differentiam inter decẽ tribus idololatriæ seruientes, & duas quæ Deum verum colebant, ita ait. *Ephraim vitula docta diligere trituram, & ego transibo super pulchritudinem colli eius, arabit Iudas, confringet sibi sulcos Iacob.* Quæ verba sic meliùs intelligentur, si aduertamus quòd boues dum in area frumentum & triticum terebant, etiamsi laborem sustinebant, liberè tamen comedere sinebantur, iuxta illud Deut. *Non alligabis os boui trituranti*; & ita veluti dum laborant, mercedem accipiunt: at verò arare, est laborare in ea re quæ fructum præsentem non habeat, sed futurum promittat, & speret, vt docet præsens locus Iacobi, & aduertunt Glos. & Lyran. in citata verba Oseæ. Carpit igitur Propheta decem tribus, quæ colebant idola, quoniam in commercio, & amicitiis aliarum nationum locupletiores fiebant, & figuratè iniquos viros, qui solùm præsentibus rebus, & voluptatibus student, & trituram diligunt, seu, vt legit Ambros. lib. de Ioseph. c. 7. diligunt victoriam, non verò laborem aut prælium. At verò iusti, quales erant duæ tribus, quæ eo tempore, scilicet regnante Ezechia, pie-

Osea 10.

Deut. 15.

1 Cor 9 tatem seruabant,& Deum colebant vt patet 2.Paralip. 30. & 31. arare solùm curant,& spe futurorum sustentantur, sicut ait Paulus, quoniam debet in spe qui arat, arare,donec fructum temporaneum & serotinum accipiat. Vnde Amos dixit. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & comprehendet arator messorem*; quasi dixerit: Ne quæras statim istam dulcedinem, ecce dies veniunt, quibus tibi dabitur. Arator & seminator præsentem fructum non habent,sed in spe laborant,donec dies veniant,quibus sine dubio comprehendet arator, quando scilicet ex viatore fiet comprehensor, comprehendens possidendo æternæ vitæ brauium, ad quod in spe cucurrit.

Amos 9

Nec solum iusti vt agricolæ arando laborant in spe,quin imò aratores tolerant in spe corpus quidẽ,copias,& quæcumque habẽt persequentibus, velut terram proscindentibus tradentes, quod iam fecisse videtur Dauid cùm dixit. *Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores*.vbi Aquila, & Theodotion legunt, *arauerunt peccatores*, quod quidem videtur posse exponi eo loquendi modo, quo vtitur imprimis Paulus 2. Cor. 5. *Scimus quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationem ex Deo habeamus non manufactam, æternam in cælis*. Vel cum Tertul.in Apolog. cùm ait.Cruciate,torquete,damnate,atterite nos. Probatio patientiæ nostræ,est iniquitas vestra, semina non nisi corrupta & dissoluta fœcundiùs surgunt, exquisita quæque crudelitas vestra illecebra est magis sectæ nostræ; plures enim efficimur,quoties metimur à vobis, semẽ est sanguis Christianorum à vobis effusus. Videndus etiam est pro hac re Ambros.lib. 3. de Interpellat.cap.2. cùm ponderat illa verba Psal. *Quàm bonus Israel Deus rectis corde!* Bonus, inquit,huic semper est Deus,qui nouit quo tempore metat,& ideo quasi bonus agricola hìc arat agrum suum quodam rigidioris abstinentiæ vomere, hìc extirpat quadam falce virtutum, amputatrice vitiorum, hìc stercorat humiliando se vsque ad terram, sciens quia *Deus de terra suscitat inopem, & de stercore erigit pauperem*. Denique Paulus,nisi æstimatus esset vt stercora,nũquam Christum potuisset sibi acquirere; hìc custodit fructus suos,vt illìc securiùs recondat. Semper itaque ei bonus Deus, quia semper quæ bona sunt,de Deo sperat. Videndus Chrysolog.Ser. 103. vbi ait. Credamus quòd crux nostri corporis sit aratrum,fides semen,sulcus sepulchrum, resolutio germen,expectatio tempus,vt cùm ver Dominici aduentus arriserit, corporum nostrorum matura tunc viriditas vitalem resurgat in messem, non passuram falces, nec flagella sensuram, quia depositis in morte vetustatis paleis, nouum gloriosi corporis consurgit in fructum.

Ps. 128

2. Cor. 5.

Psal 72

Ps. 112

Philip 3

§. II.

Solos labores in hac vita quærunt iusti, dum futura inquirunt bona.

VNDE licet iam intueri quo fundamento sancti viri nullam omnino in vita mortali quærant consolationem, sed solos labores, & ærũnas, imò

imò paucos putant labores, iuxta illud Sap. *In paucis vexati, multis bene disponentur.* Pauca enim sunt imprimis respectu infiniti debiti, quo obstricti sunt Deo, & respectu præmij magnitudinis, ad quod non sunt condignæ passiones huius temporis, quas Sancti viri inquirunt expectantes beatam vitam, & futuram gloriam magni Dei. Vnde notauit Procopius Gen. 21. de solis iustis in Scriptura dici quòd fuerint ablactati, & semoti à lacte, & dulcedine rerum temporalium, & laboribus, veluti iam viri facti, enutriti, & indurati. Notandum, inquit, nullibi de impiis dici, ablactati sunt, sicut de Isaac, & Samuele. Nutriuntur impij veluti infantes, qui præsentia tantùm intuentur, & futura præ ignorantia non valent agnoscere, cùm iusti ablactati, & semoti à terrenis delectationibus futuram solam inquirant delectationem. Rom. 8. Genes. 21. 1. Reg. 4.

VNDE D. Aug. lib. 2. aduersùs Pelagianos notauit id, quod dixit Abacuch. *Computrescant ossa mea, & subter me vermes scateant, tantùm vt requiescam in die tribulationis*: hic tribulationes, & angustias afflictionémque animi deprecatur, vt in futuro virorum iam cum Christo regnantium numero societur. Et idem Aug. ad ea verba Ps. *Multæ tribulationes iustorum, & de omnibus his liberauit eos Dominus.* Numquid, inquit, ideo sunt Christiani, vt nihil tribulationis patiantur? non hoc promittit, sed dicit; multæ tribulationes iustorum, magis si iniusti sunt pauciores habent tribulationes, si iusti sũt, multas habent; sed post paucas tribulationes, aut nullas, illi venient ad tribulationem sempiternam, vnde numquam eruentur. Iusti autem post multas tribulationes venient ad pacem sempiternã, vbi nunquam aliquid mali patientur. Abac. 3. Psal. 33.

NOTAVIT hoc D. Aug. Psalm. 41. in Dauide, dum dixit: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die, ac nocte.* Non dixit, inquit, Aug. factæ sunt lacrymæ meæ mihi potus, ne ipsas desiderasse videretur sicut fontes aquarum, sed seruata illa siti, qua rapior, panes mihi factæ sunt lacrymæ meæ, dum differor, & vtique manducando lacrymas, sine dubio plus sitit ad fontes. Quibus verbis velle videtur Aug. nihil omnino voluisse Dauid in hac præsenti vita, quod illi sitim videndi Deum sedasset, aut spem retardasset; & quia lacrymæ solatium ex parte videntur esse, eas non bibebat, ne fortè sitis placabilis redderetur, sed comedebat, & in cibum, qui desiderium bibendi auget, conuertebat, vt nihil aliud in Dauide dum viueret, cerneretur, quàm sitis, spes, & desiderium videndi Deum, nihil insuper quod delectaret, sed quod vrgeret. Psal. 41.

IN hanc sententiam notauit eleganter Rupert. lib. 9. in Gen. cap. 21. loquens de Iacobo, quando iuramentum à filio sumpsit in morte, vt deferretur in terram Chanaam, quòd Patriarcha tantus ciuis cœli, cui veluti totus mundus exilium fuit, tantopere de corpore suo curauit, & seriò scire voluit, quo loco puluis in puluerem, & cinis reuerteretur in cinerem: videlicet, quia terra promissionis terra Dei erat. Exemplum viuis mortuus dedit, vt in spe patriæ cœlestis pignus amarēt requiē æternam hæreditatis. Ideo etiam post mortem peregrinus huc, illúcque deferri man-

dauit, vt ostendat nullam requiem nisi in futura terra promissionis haberi, & possideri à iustis posse.

RATIO verò cur iusti sic quærant labores, sicque in eis libenter glorientur, & patientes cernantur, ea est quam Apostolus assignauit, quòd scilicet pretiosum fructum expectent; quod videtur adumbratum in aureis armillis donatis à Pharaone Ioseph propter cõstãtissimã spẽ quã in laboribus habuit. Vnde in Gen. dicitur. *Sedit in forti arcus eius, & dissoluta sunt vincula brachiorum eius*, &c. vbi Paraph. Chald. ita habet. Quia seruauit legem in oculto, proposuitque constantem spem suam, positum est aurum sub brachia eius, possedítque Regnum. Vbi vides aurum gloriæ, constanti in perpetiendis laboribus spei correspondere. Ideóque sicut notauit Philo lib. de Ioseph, pincerna Pharaonis oblitus est Iosephi cõtra promissionem, quia non decebat Iosephum liberari à pincerna, sed potiùs à Deo, in quo nouit sperare, vt insuper agnosceret eiusmodi labores non alium liberatorem quàm Deum, nec præmiatorem posse habere, sicut & sacer Textus dicit, eum errantem vagatum in agro quando discessit à via, quæ ipsum poterat ducere ad fratres. Vnde à Deo missus videtur ille homo, si non potiùs Angelus, vt aliquis dixit, qui eum in viam induxit qua ad fratres posset peruenire, quia scilicet nulla alia via ad gloriam possidendam, & Regnũ consequẽdũ superest, quã si quis ad labores perueniat, & eos patiẽter sustineat.

Gènes. 49.

Genes. 37.

Hinc est quòd Isachar, qui supposuit humerum ad portandum, & laborandum, in rationali descriptus erat in secundo ordine, vt patet Exod. 28. non in carbunculo, sed potiùs in sapphiro, qui cœlestis coloris est, quia eorum nomina in cœlo scribuntur in libro vitæ, imò ad vitam admittuntur æternam, qui laboribus supponunt humeros, eosdem per patientiam tolerantes. Quod prosequitur Chrysost. epist. 7. ad Olympiam tom. 5. vbi ait: Dicam aliquid, quod opinionem multorum videatur excedere, non tamen veritatem, & si quis bonum operatus fuerit magnificum, vel viri e, non autem cum labore & periculo, non multam recipiet mercedem. Vnusquisque enim propriam mercedem accipiet nõ secundùm magnitudinem facti, sed prout fuerit qualitas passionis; est enim mensura gloriæ quantitas laboris, &c.

Exod. 28.

VIDENDVS item Aug. cùm ponderat titulum Psalm. 55. qui ait de Dauide, *tenuerunt eum Allophyli in Geth*, hoc est, in torculari. Quid est, inquit Aug. in torculari? In pressuris: sed in torculari fructuosa pressura est, nititur in torculari, calcatur, premitur, iniuria videtur fieri vuæ, sed ista iniuria sterilis non est, imò si nulla iniuria accederet, sterilis remaneret. Quicumque ergo sancti pressuram patiuntur, attendant Psalmum istum.

QVIA ergo accommodatum in malis pharmacum spes est, sicut dixit Nazian. Orat. 2. Apologet. ideo Apostolus docet, vt patientes in laboribus simus proposita spe futuri præmij, vt si labor terret, merces inuitet, sicut ait Ber. 1. de Considerat: hic non est locus præmij, sed laboris. Vnde Ambr. Serm. 3. in Psal. 118. ad ea verba. *Retribue seruo tuo, viuifica me, & custodiam sermones tuos*, legit ipse: *Retribue seruo tuo, viuam*. Quare dixit viuam, & non viuo?

viuo? quia hæc vita non est loco præmij, quæ in loco mortis est: viuam quasi nondum viuens; hîc enim quasi in vmbra viuimus: ergo ista vita in corpore vmbra est vitæ, atque imago, non veritas; denique in imagine ambulat homo, & in regione vmbræ mortis. Erit autem ibi abundantissimum præmium, quia, sicut dixit Augustinus Sermo.16. de verbis Domini, quicquid hîc quærebas, quicquid pro magno habebas, ipse tibi erit Deus. Vnde Paulus explicans ea bona quæ Deus tribuet diligentibus se, & patienter sustinentibus, ait. *Reddet vnicuique secundùm gloriam eius, iis qui secundùm patientiam boni operis, gloriam, & honorem, & incorruptionem.* Ea quidem recenset quæ homines in terra magni faciunt, & pro quibus magnos labores exantlare non recusant, quia nihil aliud habuit per quod hæc bona nobis possit explicare. Vnde Chrysost. ibi hom. 5. ita ait. Vide vti cùm de futuris bonis loquitur, manifestè ac liquidò bona ipsa qualia sunt, manifestare nequeat, sed & gloriæ, & honoris nominibus abutatur? Ea bona omnibus bonis humanis superiora sunt, non habet tamē vnde earum rerum imaginē proferat, sed ea nobis ab iis quæ apud nos splendida sunt: & illustria esse videntur, vtcumque repræsentat, à gloria, ab honore; hæc enim ab hominibus maiorem in modum expetuntur. Rom. 2.

Et Aug. Psal. 84. Fratres cogitate omnia ista quæ videtis pulchra, quæ amatis, si hæc pulchra sunt, quid est ipse? si hæc magna sunt, quantus est ipse? Ergo ex istis quæ hic amamus, illum magis desideremus, contemnentes ista, illum diligamus. Videndus omnino hac de re idem Aug. 1. de doctri. Christ. c. 38. & Gregor. 4. Moral. c. vlt. Berner. Ser. 2. super *Vidi Dominum.* & Chrysost. lib. 3. de Sacerdotio. Per patientiam igitur currere debemus ad præsentia certamina: illa enim necessaria est, vt finem promissionum reportemus. Quod etiam infert Iacobus, dicens.

Patientes igitur estote & vos, & confirmate corda vestra, quoniam aduentus Domini appropinquauit.

EXPOSITIO LITERALIS.

PROPONIT Apostolus rationē, qua fideles possit ad patiētiā plus commouere, quia scilicet eorum miseria, & persequutio breui quidem finienda est, quia non semper relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum; imò quàm citissimè reddet virtutibus præmia, & vitiis iusta supplicia. Ita breuitas vitæ, & certitudo præmij per verum Iudicem concedendi debet corroborare laborantium corda, ne à fide, & patientia cadant.

Per aduentum Domini aliqui intelligunt illum quando Iudæos per Romanos deuastauit, & subuertit. In Scriptura enim sæpe quando Dominus malos punit, aduenire, & egredi dicitur, vt iam notauimus. Ita Cardinal. Tolet. Ioann. 21. ibi. *Donec veniam.* Ita Oecum. qui citās eundem locum Ioannis exponit de simili aduētu, referens Chrysostom. in eandem expositionem.

tionem. Et ita Iacobus hoc in loco confortat fideles ex Iudaiſmo conuerſos, vt iniurias, & perſequutiones patienter ſuſtineant, quia citò perituri erant increduli, & per Romanos tollendi.

SED ſequentia verba oſtendunt, Apoſtolum loqui de iudicio, licèt de priori aduentu poſſit optimè locus hic intelligi, & de ſecundo ſequens locus. Similis eſt ea exhortatio Pauli. *Ne fatigeris dum ab eo argueris:* in Græco
Hebr. 12. eſt. *Ne diſſoluaris animo.* Quid verò ſit, *dum ab eo argueris*, intelligimus ex mo-
Prou 3. do loquendi, quo vtitur in Prouerbiis noſtra tranſlatio, *dum ab eo corriperis.*
2 Tim. 4 Arguere enim, & fit verbis, & factis. Verbis; *Argue, obſecra*, &c. factis verò:
Pſal. 6. *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me*, & alibi. *Qui ſi iniquè*
2. Reg 7 *aliquid geſſerit, arguam eum in virga virorum.*

HIC autem hoc loco occurrit loquendi modus neceſſariò explicandus, ſcilicet, *confirmandi cor*, qui ſignificat immobilem in ſententia permanere,
Pſal 111 vt ibi. *Confirmatum eſt cor eius, non commouebitur donec deſpiciat inimicos ſuos.* Vnde
Pſal. 104. è contrario conuertere cor, ſignificat mutare ſententiam. *Conuertit cor eorum,*
3. Reg. 18 *vt odirent populum eius.* Et: *Tu conuertiſti cor eorum.* Qua de re videndus Hieron. in c. 11. Oſeæ, cùm exponit ea verba; *Conuerſum eſt in me cor meum.* Quoniam, inquit, terribile ſupplicium comminatus fuerat, rurſum parentis affectu miſericordia vincitur, & auſteritatem Iudicis pietate mitigat patris. Ideo ergo admonet Iacobus fideles, vt confirment corda, ne à veræ fidei confeſſione diſcedant, néue laboribus cedant, & ærumnis flectantur.

§. I.

Aduentus Domini ad iudicium nos ad patientiam excitat.

HORTATVR Apoſtolus fideles ad patientiam ex eo quòd Domini
Pſal. 124. dies propè ſit, quoniam *non derelinquet Dominus virgam peccatorum ſuper ſortem iuſtorum.* Super quæ verba ita ait Aug. Ferant iuſti ad tempus, quia non erit hoc in ſempiternum, ſed præparent ſe ad poſſidendum hæreditatem; ad tempus poteſt eſſe virga peccatorum ſuper ſortem iuſtorum, non tamen eam relinquet Dominus ſuper ſortem iuſtorum: imò illis præmia meritorum concedet, illis ſupplicia infliget crudelia. Vnde Cyprian. lib. contra Demetrianum, loquens de ſumma fidelium patientium ſuſtinentia, ait. Patientes facit de ſequutura vltione ſecuritas.

IDEO & dies Domini, quô tanquam linteo iuſti extergunt laboris ſu-
Iſai. 13. dorem, peccatoribus terribilis erit. *Ecce dies Domini*, inquit Iſaias, *crudelis*, vbi Septuag. habent, *inſanabilis, & vaſtitas à potente*, ſiue vt Septuag. tranſtulerunt: *& quaſi miſeria de miſeria veniet, & contererentur in porta.* Iuſtis autem datur aditus, & porta ciuitatis cœleſtis Hieruſalem. Sic enim interpretatur
Iob. 5. D. Gregor. 6. Moral. c. 5. illud Iob. *Conterentur in porta, & non erit qui eripiat.* Nam ſicut vrbis aditus porta dicitur; ita dies iudicij porta Regni, quia per eum ab electis omnibus ad cœleſtis patriæ gloriam intratur. Et in hoc
Prou. 31. ſenſu de Chriſto Iudice intelligit illud. *Nobilis in portis vir eius quando ſederit*

rit cum Senatoribus terra. Quando sederit Filius hominis in sede maiestatis,& sederint Sancti cum eo,iudicantes duodecim tribus Israël; tunc dabit Ecclesiæ de fructu manuum suarum , filij autem gehennæ ante portam elati in porta conterentur:qui ergo nunc renuit premi,tunc non valet eripi.

PROINDEQVE patientes debent esse iusti , & confirmare corda dum premuntur,qui leuabunt capita sua dum Iudex aderit,vt coronam gloriæ accipiant, tunc videbit vnusquisque iustorum seipsum in lumine , & gloria inenarrabili.Consideránsque intra se,& admirans ait Ephrem;de iudicio extremo , cogitabit ac dicet. Nunquid ipse ego sum ? & quomodo hac gloria vilis,& abiectus ego repertus sum dignus? Corpora Sanctorum super luminis claritatem in cœlis erunt fulgentia,inuenerunt enim thesaurum in agro absconditum,venditisque omnibus super terram illum solùm possederunt.

VNDE iam licet colligere, cur iusti dicantur diligere aduentum Domini ad iudicium , qui suis desideriis , & votis videntur rapi obuiam Christo in aëra , quasi illis Iudex videatur moras trahere. Obseruat autem Chrysost.& Beda,Angelos,qui apparuerunt Apostolis,vt de reditu Christi Dom. ad iudicium illos redderent certiores, in vestibus albis quasi hilares,& lætos nuncios aduenisse, & dixisse:hic Iesus qui assumptus est à vobis in cœlum,sic veniet,scilicet,ad iudicandum,quemadmodum vidistis eum eunté, & mirum in modum beneuolum,atque propitium plusquàm charitate paterna suos complectentem , & consolantem,vt etiam ibi aduertit Chrysostomus. *1.Thes.4.* *Act.1.*

FACIT etiam ille locus apud Isaiam. *Discite benefacere, & venite,& arguite me*:quasi velit,non solùm non reformidabitis diuinum iudicium,sed confidenter ad Iudicem loquemini , causámque vestram proponetis. Videndus hac de re Irenæ.lib. 4.c.28.Hilar. & Chrysost. cùm explicant illud Matth. 24. *Vbicumque fuerit corpus , ib congregabuntur & aquila.* Et Hugo Ætherianus lib.de regressu animarum c.25.Aquilæ,inquit,sancti nominantur,eo quòd in excelso obuiam Christo ituri aduolabunt. Et quia sicut aquilæ Solem intuentur absque reuerberatione , ita iusti à seruitute corruptionis exuti veræ lucis radios,Christum scilicet,intuebuntur , venientem in nubibus, quando scilicet,*reprobi dicent montibus, cadite super nos,& collibus , operite nos.* *Isai. 1.* *Luc.23.*

Ex qua doctrina intelligitur il le locus Iob. *Quem visurus sum ego ipse.* vbi in Hebr.& in aliquibus codicibus habetur, *Quem visurus sum mihi*,qui casus licèt apud Hebræos per pleonasmum redundet,vt in Exod.*Præcide tibi duas tabulas.*& in Cantic.*Si ignoras te,egredere, & abi.* Hebr. habetur , *egredere tibi.* & alibi sæpe:tamen aliquando commodum,aut incommodum significat, vt apud Zachar.*Ecce Rex tuus veniet tibi*,vtilis scilicet, & salutaris ; & apud Isaiam.*Saluabit mihi brachium meum*, id est , cedet victoria in meam gloriam. Vnde & prædicta verba Iob, *Quem visurus sum mihi*,sic explicat Vatab.id est, bono meo,& ad commodum meum , vt sit sensus : Videbo Deum Iudicem mihi,non aduersùm me,sed pro me pronunciaturum sententiam,mearúmque vindicem iniuriarum ; proindéque vtinam adueniret. *Iob.19.* *Exod.34.* *Cant.1.* *Zach.9.* *Isai 63.*

SIMI

1. Pet. 1. SIMILISQVE est præsenti Iacobi doctrinæ illa apud Petrum, vbi etiam Christi Iudicis vidēdi lætitiam incredibilem in Sanctis afflictis quidem, & contristatis in terra proponit, vt illorum animos erigat, & lætificet; cùm enim dixisset *salutem paratam reuelari in tempore nouissimo*, subiungit. *In quo exultabitis*, cùm scilicet aduenerit, *modicum nunc si* (id est, quanuis) *oportet contristari in variis tentationibus*. Et de Christo Iudice venturo loquens ait; *quē cùm videritis, diligetis*, &c. vt sit sensus; Si etiam antequā videatur, sola spes re fouet, & erigit, ipsúmque proinde summè diligitis; quid cùm ipsum venientem videritis vestris ipsis oculis largiturum vobis laborū mercedem?

MITTO quòd pars præmij iustis erit visio Christi Domini. Pro qua re videndus Aug. in Manual. cap. 26. & de spiritu, & anima, cap. 54. & 69. & Cyp. Ser. de Natiuit. Christi. Ex hac ergo doctrina Iacobi illud colligendū est, quoties scilicet iniustè vexamur, debere Domini aduentū piis suspiriis expetere, qui omnibus miseriis nostris gloriosum finem, terminúmque imponet, & dicere in mediis tribulationibus cum Beato Euangilista: *Veni* Apoc. 22. *Domine Iesu*; quibus ipse ait; *Ecce venio citò; & merces mea mecum est, reddere vnicuique secundùm opera sua.*

Vers. 9. *Nolite ingemiscere, fratres, in alterutrum, vt non iudicemini, ecce Iudex ante ianuam assistit.*

EXPOSITIO LITERALIS.



AB effectis impatientiæ prouocat nunc Apostolus fideles ad patientiam, quòd scilicet, qui impatienter ferunt labores, & ærumnas, & contra proximos suos, & cōtra Deum indignantur, & conqueruntur, ab eodem Deo condemnantur, vt Deo detrahentes, eiúsque voluntati, & ordinationi resistētes; & ne temerè ad huiusmodi querelas homines prosiliant, Iudicem denunciat stare pro foribus, cuius saltem timore, & reuerentia quisque in officio continere se debeat.

NOLITE ergo ad inuicem ingemiscere eo gemitu, qui liuidi, & impatiētis animi certissimum argumentū est: potéstque intelligi gemitus in alterum ex displicentia passionata, & malè affecta contra alium, tribulati scilicet contra tribulantes.

Nolite in alterutrum ingemiscere, id est, mutuò gemere, & dolere propter aduersa, quæ sustinetis; quasi iniustus sit Deus, qui fidelibus tot aduersa infligit, impios verò in hoc sæculo prosperari permittit, & ita in alterum facit sensum. Nullus ingemiscat relatus ad alium fratrem, putà comparando se ad eum, qui minùs patitur. Ita Beda, Carthus. Caiet. & alij.

VT non iudicemini, id est, incurratis iudicium vltionis diuinæ eo quòd iustum Iudicem quasi iniquè iudicantem vituperetis, cùm potiùs inuicem adhortari deberetis, & prouocare ad patientiam. Etenim iudicari in Scriptura

ptura frequenter ſumitur pro condemnari. *Nolite iudicari, & non iudicabimini.* Matt. 7.
& paſſim alibi.

ECCE, ait, quia euidenter veniet. *Ante ianuam*, id eſt, prope, ſicut quod eſt in ianuis. Hebræa autem eſt phraſis, imò prouerbialis loquutio, qualis illa Geneſ. *Nónne ſi bene egeris, recipies, ſin autem malè, ſtatim in foribus peccatũ aderit?* & apud Matt. *Propè eſt in ianuis*, id eſt, citò venturus eſt. Solet autem in Scriptura ipſe iudicij etiam vniuerſalis horrendus dies, celer, citúſque dici, quia improuiſus, vel ſicut aduertit Hieron. Sophon. 1. quia ad comparationem æternitatis omne huius ſæculi tempus breue eſt. Geneſ. 4. Matt. 4.

§. I.

Contra eos qui in laboribus impatienter conqueruntur.

EST igitur imprimis hic locus contra impatientes, qui mala cùm nequeant ſuſtinere, in Deum, & maiores inſurgunt per murmurationem, cùm ea ab æquiſſimo Iudice prouenientia æquanimiter deberent tolerare, & illud ob oculos proponere, ea in vtilitatem, & commodum nobis inferri. Neque verò conſiderare quis debet qualis ſit qui immediatè inferat, ſed à quo iuſſus, aut permiſſus ſit. Vnde Iob. *Dominus dedit, Dominus abſtulit.* Non dixit, ait Aug. Dominus dedit, diabolus abſtulit, non gaudeat inimicus; agnoſco eius volũtatem, poteſtatem tamen non niſi à Deo habet, quemadmodum Pilato ſuam poteſtatem iactanti reſpõdit Chriſtus Dominus. *Non haberes poteſtatem aduersùm me, niſi tibi datum eſſet deſuper.* Et Dauid cùm malediceretur, & iniuriis maximis impeteretur à Semei iniquo viro, & à militibus expoſtularetur ad mortem. *Sinite* (ait) *Deus enim præcepit ei, vt malediceret Dauid*, ac ſi diceret, non ſic decipior, vt credam homunculum iſtum auſum fuiſſe maledicere Dauid: nec enim adeò ſum vilis, ſed ſi maledicit, præcepit Dominus vt maledicat. Viden' grande inuentum deuorandæ contumeliæ, & aſſerẽdæ prouidentiæ. Eſt enim *Deus formans lucem, & creans tenebras*, id eſt, commutationen aduerſitatis cum proſperitate, & è contrà faciens pacem, id eſt, bonorũ abundantiam, & creans malum, inopiam ſcilicet, & egeſtatem; *ego Dominus faciens omnia hæc.* Quæ repetitio vehementiam habet, & rem hanc indubitatam nobis aſſerit. Iob. 1. Ioan. 19. 2. Reg. 16 Iſai. 52.

NOBIS igitur Diuina voluntas in vtroque euentu pro ſumma ratione habenda eſt. Verbum enim Dei, per quod facta ſunt omnia, λόγος Græcè, quod vocabulum teſte Hieron. & Ambroſ. *rationem* ſonat, vt intelligamus omnia à Deo nobis per ſummã rationem prouenire; qua ratione ſe prudenter, & ſanctè conſolabatur Nazian. epiſt. 63. in ſuo morbo, & dolore. Gratias, inquit, dabo, vt in lætis rebus, ita & in acerbis, quandoquidẽ illud exploratum habeo, nihil rerũ noſtrarũ apud ſummã rationẽ expers rationis eſſe. Et ſanctus Ioſeph ſui ipſius miſeriã, & felicitatẽ Deo tantùm attribuẽs dicebat. *Non veſtro conſilio*, inquit, *ſed Dei volũtate huc miſſus ſum*, &c. Proſequitur hoc argumentum Chryſoſt. homil. 15. in epiſt. ad Rom. Geneſ. 45.

Exod 13. EST optimus pro hac sententia locus apud Exod.cùm dicitur. *Omne quod aperit vuluam asinæ mutabis oue.* Quæ verba pōderans Ambros.lib.2. de Cain, & Abel.ait. Si quis sensum spiritalis intelligentiæ altiùs persequatur, considerabit, quòd asina laboriosum sit animal. Omnem ergo laborem tuum, omnem industriam puro, & simplici commendabis affectu. Optima Ambrosij expositio: sed ea nobis viam aperit, vt aliam quæ nostro instituto inseruit subiiciamus. Cùm ergo asina laboris, & afflictionis symbolum
Isai.53. sit, ouis itidem & patientiæ nota est. Vnde & de Christo dicitur. *Sicut ouis ad occisionem ducetur.* Tunc ergo labor, & afflictio nostra Deo placet, nobísque prodest, cùm in ea patientia relucet, & ostenditur veluti commutata, vt vndique sustinentia reluceat quasi primogenita, & fundamentum virtutum. Sicut impatientia Deo summè displicet, vtpote quæ primogenita diaboli sit, sicut notauit Tertull.lib.de Patient. Natales, ait, impatientiæ in ipso diabolo deprehendo, iam tunc cùm Deus vniuersa opera sua homini subiecit, impatienter tulit, decepit hominem, quia inuiderat, inuidit, quia doluerat, doluit, quia non patienter tulerat. Impatiens itaque fuit in bonis alienis. Et nos in malis etiam propriis debemus patientes esse, vt Apostolus monet, & Deum, tam in malis, quàm in bonis bonum semper cogitare, & eos qui nos persequuntur, tanquam Dei ministros libenter sustinere.

OSTENDIT hoc Dauid in eo Psalmo in quo ipse se fatetur penè lapsum fuisse, dum pacem peccatorū videret, attamē hoc ipsū, defectū potiùs fuisse proprium, quàm diuinæ prouidentiæ fatetur, dum sic rem aggreditur.
Psal. 72. *Quàm bonus Israël Deus his qui recto sunt corde!* Quæ verba sic exponit Ambros. lib.3. de Interpellat.c.2. Nemo, inquit, potest Deum bonum fateri, nisi hic, qui non ex successibus commodorum suorū, sed ex cœlestium mysteriorum profundo, & diuinæ dispositionis altitudine bonitatem eius agnoscit, quæ non spe præsentium, sed futurorum vtilitate pensanda est. Iusto itaque semper bonus est Deus, & cùm torquetur doloribus corporis, & cùm affligitur acerbitate pœnarum semper dicit.. *Si bona suscepimus de manu Domini, quæ mala*
Iob. 2. *sunt, cur non sustineamus?* Futura præmia sperare non poterit, qui non luctatus, non exercitatus sit diuersorum certamine præliorum. Qui verò siue iustè, siue iniustè affligitur in hoc sæculo, gratulatur, vel quòd hîc soluat pretia delictorum suorum, vel quia nouit eam esse apud Deum vberiorem gratiā si iniustè pro eius nomine, aut pro bono aliquo opere acerba aliqua patiatur, hic perfectus est. Ergo iustus si in equuleo sit, semper iustus est, quia iustificat Deum, & minora se peccatis suis dicit sustinere, & ideo venit Dominus Iesus, vt saluum faceret quod perierat. Venit enim vt pec-
Luc. 19. catum mundi tolleret, vulnera nostra curaret, sed quia non omnes medicinam expetunt, sed plerique refugiunt, ne medicamentis compungatur vis vlceris, ideo volentes curat, non astringit inuitos. Accipiunt igitur sanitatem qui medicinam expetunt.

EST autem primum medicinæ huiusmodi ad salutem pharmacum, afflictio, sicut notauit Nazianz. Orat.12. proinde æquo animo sustinēda. Vnde

de Petrus. *In hoc vocati estis*; scilicet, ad patiendũ.vbi Caietan. Proprium est Christianæ Religionis vocare ad benefaciendum,& mala patiendum, &c. 1.Pet.2.
Et Greg.lib.9.epistolar.epist.39.Ego Abel esse non suspicor,qui Cain non habuerit.Quibus similia habet Aug.Serm.78.de Tempore : & Ber. Ser. de conuers. Pauli. Videndus etiam pro hac re idem Ambr. in Ps. 1. vbi explicat id quod de iusto ait Dauid.*Erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum. Aquarum* verò nomine intelligit labores, & afflictiones, quod tritũ est in Scriptura.*Assumpsit me de aquis multis*, id est, impugnationibus Saülis,& Absalonis.Et.*Adducet super eos Dominus aquas fortes, & multas.* Regem Assyriorum.Et alibi.*Si transieris per aquas,tecum ero,flumina non operient te.*vbi Hieron.Aquas,inquit,& flumina,ignem,& flammas persequutorum impetum,furorémque describit.Ait ergo Ambros.Plantatus ergo rectè dicitur secus decursus horum fluminum:iustum,non in ipsis decursibus,vt finitimum,non demersum intelligas.Neque enim mens iusti laboribus, & ærumnis obruitur,sed irrigatur,quò pulchriores flores proferat,& vberiores fructus producat,vt contingit iis arboribus, quæ plantatæ sunt secus decursus aquarum.Videndus idem Amb.Ser.4. in Ps. 118. Et hæc est ratio cur Paulus dixerit.*In multa patientia,sicut Dei ministros.*Cæteri enim,qui non sunt Dei ministri, nec paruam quidem possunt habere patientiam, quia nihil futurum nouerunt sperare.

Psal. 17. Isai. 8. Isai. 43. 2.Cor.6.

ILLVD etiam aduertendum,quod Apostolus ait:*Nolite ingemiscere,fratres in alterutrum,vt non iudicemini.*Quod ostendit districtum iudicium in eos,qui impatienter mala ferunt. Quod argumentum prosequitur D. Chrysost. hom.20.ex variis in Matt.locis,tom.2.vbi ait.Non solùm diues,verùm etiã pauper suæ paupertatis rationem redditurus est,si fortè gratè eam tulit, si non grauatus est,si non indignatus,si non diuinam incusauit prouidentiã, alium in deliciis & opulentia,se contrà in extrema egestate constitutum: sicut enim à diuite beneficentiæ,sic à paupere tolerantiæ ratio reposcitur. Et meritò,namque, sicut dixit Greg. 14. Moral. Sanctis viris quot occasiones perditionis intulit inimicus,tot causas victoriæ ministrauit. Debemus proinde orare pro persequentibus,& calumniantibus nos, & mala de manu Domini patienter ferre,memores Iudicem viuorum, & mortuorũ breui affuturum,qui dixit.*Mihi vindictam,& ego retribuam.* Matth. 5.

Vers.10. *Exemplum accipite,fratres, exitus mali, laboris, & patientiæ Prophetas,qui loquuti sunt in nomine Domini.*

EXPOSITIO LITERALIS.



Vo magis patientiam possit inculcare,exemplo Prophetarum, ac Sanctorum in communi proposito, eam docet, postquam verbo docuit, quasi dicat. Nolite frangi animis in aduersis, imò confirmate corda vestra in sancto pietatis Christianæ proposito

ad exemplum Sanctorum Patrum. Inde enim imprimis colligetis non solos vos laboribus conteri, neque vobis tantùm miserias obtigisse, cùm ij, qui vos præcesserunt, grauiora sustinuerint ab iniquis, ob prædictionem futurorum, ob reprehensionem præsentium vitiorum, ob quæ etiam, & vos patimini. Cæterùm sicut illorum in sustinendis tormentis sortem nemo iniquam iudicauit, & felices duxit, cur vos impatiẽter sustinebitis ea quæ in vestram vtilitatem, & augmentum futuri præmij inferuntur?

EXEMPLVM igitur *exitus mali accipite*, id est, crudeles, & indignas mortes. Malas dicit propter pœnas eorum, qui ludibria, & verbera experti, seu, vt Syriacus ibi habet, qui ludibriis, & verberibus se exposuerunt, vt
Hiere. 37. videre est in Hieremia cap. 37. quando Principes irati in eum, cæsum miserunt in carcerem, & ingressus in domum laci, & in ergastulum sedit ibi diebus multis. Et in Michæa alapa percusso, & in carcerẽ misso. Et in dua-
3. Re. 21. bus etiam mulieribus, de quibus 2. Machab. 6. In iis deinde qui lapidati sunt, vt Naboth Iezrahelites. Et Prophetæ de quibus Christus Dominus:
Matt. 21. *agricolæ apprehensis seruis illius, alium ceciderunt, alium occiderunt, alium lapidauerunt*, id est, alios. Similiáque habentur apud Matth. Et Zacharias Sacerdos
2. Pa. 24. lapidatus est: & in iis qui secti sunt, qualis Isaias iuxta veterum Hebræorum traditionem serra sectus. Quod probat Hieron. lib. 15. in Isai. in fine: & in argumento eiusdem Prophetæ, & in c. 26. Matt. Idémque in vita eius
2. Mac. 7. habet Epihanius: & in aliis, quorũ membra in tormentis abscissa sunt, vt
Act. 7. illi septem fratres. In iis denique de quibus Stephanus: *Quem Prophetarum non sunt persequuti patres vestri? & occidebant eos, qui pronunciabant de aduentu iusti*; & ij de quibus 2. Machab. cap. 5. & 6.

ALII hoc loco per *malũ exitũ* intelligũt aduersos successus, seu afflictio-
3 Re. 17 nes. Accipite etiã in exemplũ laboris paupertatem Heliæ, qui à coruo, & à
1. Re. 21 muliere in extrema necessitate pastus est. Dauidis, cui cibus suúsque deerat; & qui in exilium fugerunt, vt Dauid, cùm fugit ad Achis in persequutio-
1. Mach. ne Saülis. Insuper etiam dolores, ac solicitudines Heliæ, cùm fugeret Iezabel
1. & 2. Dauidis, Saülem, & prædictorum in persequutione Antiochi. Accipite etiam in exemplum patientiæ constantiam illorum, qui in aduersis forti, & æquo animo perstiteruut in functione muneris sui, vt Daniel leonibus expositus, & tres pueri voracissimis flammis adiudicati.

APPONIT autem rationem, cur hi omnes afflicti fuerint, & ipsorum conditionem, quò magis discipulos vrgeat dicens, *quòd loquuti sunt in nomine Domini*; quod sic exponit Beda. Videte, inquit, quia Prophetæ qui tam sancti erant, tam immunes à delictis, vt Dei Spiritus per eos sua mysteria loqueretur (quod etiam ait D. Thomas) vt sit sensus. Videte quales vobis in exemplum patientiæ adducam sanctissimos viros, Dei familiares, per quos loquutus est Deus, quíque ob id persequuti, afflicti, & occisi sunt, quòd in nomine, id est, in honore, virtute, ex parte, ex loco, & ex iussu Dei veritatem prædicauerint, futura mala prædixerint, & vitia reprehenderint. Hæc si ob oculos proposueritis, non dubito, quin

quin libenti animo quæcumque aduersa sustineatis, ipsorum patientiam, & longanimitatem imitantes.

§. I.

Quantùm valeant exempla Sanctorũ ad patientiã in laboribus.

NON parum ad patientiæ commendationem, & laudem cõducere existimo, tot huius virtutis exempla nobis Deum reliquisse, vt ea *nubem* appellet Paulus; sicut ibi notauit Theoderet. Et quasi parum fuerit nobis sanctos viros in exemplum patientiæ proponere, ipsemet Deus in patientia imitandus docetur, quod notauit August. lib. de patientia, tom. 4. vbi habet. Virtus animi quæ patientia dicitur tam magnum Dei donum est, vt etiam ipsius qui nobis eam largitur, qua malos vt corrigantur, expectat, patientia prædicetur, estque patiens sine vlla passione. Si ergo Deus nobis patiens proponitur, qui totus actiuus est, imò purissimus actus, nos qui nisi patiamur, tundamur, & premamur, perfecti minimè erimus, cur pati recusamus? *Hebr. 12.*

PROPOSVIT autem Deus, imò & Apostolus exempla patientiæ, quia hæc nos plus commouent, fortiùs vrgent, acriúsque pungunt, qua fortè ratione modò liceat interpretari illud quod Siracides dixit. *Lingua tertia multos commouit.* Est enim intellectus veluti prima lingua, qui sua profert verba, & conceptus: secunda verò est lingua oris: tertia sunt exempla, & opera, iuxta illud quod dixit Dauid, *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum.* Quod de perfectis viris plerique intelligunt. Hæc igitur lingua tertia, scilicet proposita maiorum exempla, multos commouit, quos lingua oris, & doctrina inconcussos reliquerat, & nec minimùm commouerat. Proindéque Chrysostomus homil. 9. ad Popul. Cœli, id est, Sancti, enarrant non dicentes tantùm, sed tacentes, & vitæ claritate in admirationem adducentes. Et hom. 38. Dicis, quòd opus est modestiam sequi, & lõgum super hoc trahis sermonem, sed te melior ille, qui per opera hoc me docet. Non enim disciplinæ tam à verbis, quàm à factis solent intromitti. Quod etiam prosequitur Basil. epist. 1. ad Nazianz. vbi vitas Sanctorum asserit nobis propositas esse tanquam quædam animata simulachra. Videndus item Gregor. lib. 9. Moral. c. 35. cùm explicat ea verba Iob. *Instauras testes tuos contra me.* Testes, inquit, suos contra nos Dominus instaurat, quia bona quæ facere ipsi negligimus, hæc ad correptionem nostram fieri ab aliis demonstrat, vt qui præceptis non accendimur, saltem exemplis excitemur, atque in appetitu rectitudinis nihil sibi mens nostra difficile æstimet, quod perfectè peragi ab aliis videt. Videndus etiam idem Greg. 24. Moral. c. 6. & lib. 33. cap. 37. & Orig. lib. 1. in Iob. Et Ephrem tom. 2. epist. ad Ioannem Monachum. Cassianus collat. 2. c. 4. Climac. grad. 26. *Eccl. 28.* *Iob. 10.*

VNDE eleganter Hieronym. epist. 13. ad Paulinum, de institut. Monach. Habet, inquit, vnumquódque propositum Principes suos. Romani duces

imitentur Camillos, Fabricios, Scipiones. Philosophi proponant sibi Pythagoram, Socratem, Platonem, Aristotelem. Poëtæ æmulentur Homerum, Virgilium, Menandrum, Terentium. Historici Sallustium, Herodotum, Liuium. Oratores Lysiam, Demosthenem, Tullium. Et vt ad nostra veniamus, Episcopi, & presbyteri habeant in exemplum Apostolos, & Apostolicos viros, quorum honorem possidentes habere nitantur & meritum. Nos autem habeamus propositi nostri principes Paulos, & Antonios, Iulianos, Hilariones, Macarios, &c. Plura hac de re habet idem Hieron. epist. 102. Bern Ser. de altitud. cord. & Serm. 54. in Cantic. Ambros. 2. Offic. c. 20.

RECTE proinde Iacobus eos, qui mala patiebantur, & ab infidelibus ærumnosè ac miserè affligebantur, ad patientiam monet appositis exemplis eorum, qui cùm sanctissimi viri essent, exitus malos, & labores, & afflictiones perpessi sunt: sic enim & fortiores, constantioresque in laboribus reddentur, insupérque consolationem aliquam in afflictionibus experientur. Ideo enim Paulus *nubem testium* vocauit Sanctorum exempla, secundùm expositionem Chrysostomi, & Theophylact. vt quoniam fideles tentationum, & laborum æstu affligebantur, memoria, & exemplo tot testium quasi nube in æstu recrearentur. Hebr. 12.

Vers. 11. *Ecce beatificamus eos, qui sustinuerunt.*

EXPOSITIO LITERALIS.



QVINTAM adhuc annectit rationem ad suadendam patientiam, quam sumit à communi iudicio circa eos, qui patienter tormenta subière, dum eos celebrat in terra cum omni honore ac reuerentia. Particula, *ecce*, admiratiua est hoc in loco, ait D. Thom. quasi mirabile sit, quomodo per tantam miseriam deuenerunt ad tantam gloriam. *Beatificamus*, id est, beatos reputamus, & dicimus, iuxta illud. *Beati qui persequutionem patiuntur.* Magnos, ait Glos. reputamus, & veneramur eos, qui sustinuerunt patienter. Igitur vt eiusdem gloriæ, & beatitudinis possimus aliquando esse participes, oportet illorum exemplis cuncta huius mundi aduersa æquanimiter, & alacriter sustinere. Matth. 5.

§. I.

Quanta cum ratione beati prædicentur Martyres.

HIc locus, sicut annotauit Feüardent. locum aperit ad commendandos sanctos Martyres, quos ideo beatos dicimus, quòd tanta passi sint pro Deo tormenta, in quibus animi constantiam imprimis comprobarunt: etenim cum igni, & ferro, & belluis, & tyrannis, & præsentibus malis, & denunciatis, alacri animo, velut in alienis corporibus, imò quasi corporum

corporum expertes dimicarunt, ne pietatem, vel verbo tenus proderent, ſicut proſequitur Nazian.Orat.1.contra Iulian.& Aug.Serm.8.de Sanctis. Quantæ autem ſit gloriæ,quis poterit explicare, animari hominem dolore,quo credatur extingui,& id ſibi in augmentum virtutis aſſumere,quod cruciatui putat prodeſſe qui punit? ſicut notauit Cypr.de laude Martyrij. Súntque hac in re teſtes, & veritatis fidei quam profitemur,ſicut ibi proſequitur idem Cyprian.& de dolor.vanit. & bonorum inſuper quæ nos in futuro ſæculo expectant, dum libentiſſimo animo tot aduerſa æquanimiter,imò gaudenter ſuſtinent;ſicut oſtendit Greg. 9. Moral. cap.35. vbi ob hanc rationem eos Martyres, id eſt, teſtes dictos aſſerit. Et Auguſt. ſuprà. Quæ gaudia erunt in virtute regnantium,quando ſunt tanta pro veritate morientium?

SVNT inſuper & Martyres propriæ victimæ Dei, de quibus elegãter exponit D.Aug.17. de Ciuitat.illud Prouer. *Sapientia immolauit victimas ſuas*; & quaſi holocauſti hoſtiam accepit eos, quos ob talia tormenta dignos ſe inuenit, & in eis extruxit pheretrum, in quo de diabolo triumpharet, & vexillum de inimico extulit,ſicut dixit Tertull. de Iob. lib. de patientia c. 14.& D. Hieron.epiſt.ad Iulian.loquens de Iob. Exultans, inquit, Dominus in victoria famuli, & illius patientiam ſuum ducens triumphum,dixit. *Animaduertiſti ſeruum meum Iob*,&c.dum vincitur is,qui cædit,& proſternitur is,qui occidit,& qui torquet, maximè torquetur. *Prouer.9.* *Iob. 1.*

MERITO autem dicitur Deus triumphare in Martyribus, quia ipſius donum eſt quòd Martyres tormenta ſuperent, vt proſequitur Cyprian. Ser.4.de mortalitate, & Serm. 5. de Lapſis, & ad Fortunat.cùm loquitur de duplici Martyrio,& Orat.6. de orat. Dom.Aug. lib.2. contra Iulian.& 13.de Ciuitate c.7. Habetúrque in decreto diſtinctione 15. cap. *Stans Romana Eccleſia.*

LOQVENS Seneca epiſt.68. lib. 9. de manu Mutij Scæuolæ ,quam ipſe ſponte flammis obiecit,ait. *Non dubito,quin magis laudauerim truncam illam,& torridam manum Mutij,quàm cuiuſlibet fortiſſimi ſaluam.Verius eſt hoſtem amiſſa manu viciſſe, quàm armata:confecit bellum inermis, & manens illa manu trunca Reges duos deuicit.* Quod nos meritò de Martyribus poſſumus dicere: tanta enim pœna erat in membris,tanta ſecuritas in verbis,tanquam alius torqueretur,alius loqueretur;quanto erant truculentiora, & exquiſitiora tormenta, tanto magis tortus de torquente triumphabat, ait Auguſt. Serm. 1. de Sancto Vincent. Et ex illa carne tanquam ex terra ſuo ſanguine irrigata, de qua plus dolebat inimicus,palma creſcebat, voces tyranni,oculi, vultus,& truculentus totius corporis motus indicabant, quàm grauiora tormenta ſentiret interiùs, quàm erant quæ Martyri infligebantur exteriùs. Si conſideremus perturbationem torquẽtis, & tranquillitatem patientis, videre facillimum eſt, quis erat ſub pœnis, quis ſupra pœnas.

BEATIFICANDI etiam ſunt Martyres,quia ad beatitudinem ſtatim per mortem euolant.Qua de re videndus Aug.lib.7.quæſt.in lib.Iudic. vbi ait, id ſignificatum fuiſſe in iis viris, qui fictiles hydrias acceperant, eiſque ardentes

dentes faculas incluserant, fractis verò hydriis lumina micantia lucere
Iud. 7. cœperunt. Quod Gedeon fecit instigante Domino, præfigurauit Sanctos suos thesaurum Euangelici luminis in vasis fictilibus habituros, sicut Apost. ait. Quibus in passione Martyrij tanquam vasculis fractis, maior eorũ gloriæ fulgor emicuit. Vnde & protomartyri Stephano Christus aper-
2. Cor. 4. tum cœlum ostendit, hoc facto indicans Martyribus per passionem tormentorum Paradisi gloriam reserari, & cœleste Regnum aperiri; sicut notauit Euseb. Emyss. hom. 1. de S. Stephano. Apertum (ait) Martyri cœleste secretũ, futuri præmij fuit testimoniũ; sed Deũ videre iam præmium est, & spes in re, spiritu adhuc intra carnem militante perficitur, nec dum explet famulus ministerium suum, & iam Dominus aperit Regnum suum. Etenim, sicut Tertul. dixit in Apologet. Omnia huic operi. i. Martyrio delicta donantur: cùm damnamur à Iudicibus, à Deo absoluimur.

IDEOQVE Aug. in Psal. 127. Martyres vocat feliciter infelices & 13. de Ciuita. cap. 4. Tantam Deus præstitit gratiam, vt mors, quam vitæ constat esse contrariam, instrumentum fieret per quod transiretur ad vitam. Qua de re videndus Cyprian. epist. 11. & Ber. Serm. ad milites templi c. 1. Si beati qui cum Domino moriuntur, multo magis, qui pro Domino moriuntur, &c. quæ in hanc sententiam prosequitur. Pretiosa proinde, inquit Cypria. epist. 9. in conspectu Domini mors, quæ emit immortalitatem pretio sui sanguinis, & mare rubrum sui sanguinis transiens peruenit ad beatam patriam; Notauit D. Maxim. Serm. de S. Stephano, ipsum dixisse, *ne statuas illis hoc peccatum*. Plus, inquit, tunc illorum dolebat peccata, quàm sua vulnera, plus illorum impietatem, quàm suam mortem, & rectè plus; in illorum quippe iniquitate erant multa quæ plangi, in illius autem morte non erat quod debuisset doleri.

VNDE iam patet quanta cum ratione dicat Apostolus, nos beatos prædicare eos, qui sustinuerunt propter fidem & veritatem. Ideóque Aug. Ser. 26. de Sanctis. Reddere debemus illis honorificentiam, qui nobis salutem, id est, doctrinam salutis effusione sui sanguinis pepererunt, qui tam sacratam hostiam pro nostra propitiatione Domino se obtulerunt. Et Ser. 2. de S. Stephano ostẽdit quantùm apud Deũ valeat intercessio Sanctorũ Martyrum. Exauditus, inquit, est Stephanus, vt eius orationibus deleretur peccatum, quod commiserat Saulus. Commendemus ergo nos orationibus eius. Multo magis enim nunc exauditur pro bene orantibus se. Similiáque habet in Psalm. 85.

Vers. 11. *Sufferentiam Iob audistis, & finem Domini vidistis, quoniam misericors Dominus, & miserator.*

EXPOSITIO LITERALIS.


CVM multos in confirmationem suæ de patientia doctrinæ posset proferre Iacobus, qui labores, & ærumnas libenter sustinuerũt, vnum solummodo affert Iobum, vnicum scilicet patientiæ, & longa

longanimitatis exemplum, qui diaboli opinionem perferendo superauit. Dixerat enim diabolus, *mitte manum tuam, & tange os eius, & carnem, & tunc videbis quòd in faciem benedicat tibi.* i. iam tunc affirmare ausim, & cuicumque supplicio me deuouere, fore vt læso corpore accipias ab illo maledicta. Cùm verò Deus illum diabolo tradiderit pro libito percutiendum acerbissimè, & ipse Sathan licentiosè in eum grassaretur, vt ex eius constat historia, eximiam præstitit patientiam, vt diabolus confusus abscesserit. Vnde & Dominus pro sua singulari clementia, cruentissimam viri iusti tragicomediam lætissimo, & gloriosissimo fine conclusit.

Non minima hoc in loco est difficultas, quidnam intelligatur per id quod Apostolus ait. *Sufferentiam Iob audistis, & finem Domini vidistis.* Communiter namque illud, *finem Domini vidistis*, referunt ad Christum Dominũ patientem in cruce, vt sit sensus. Vsque adeò ferre & sustinere debetis quæcumque aduersa obueniant, vt nullam prorsus consolationem in hac vita velitis, nec speretis, sed quidquid laboris & tristitiæ fuerit. Vnde moneo vt patientiam Iob imitemini, non tamen finem Iob attendatis, & speretis, qui post miseriarum inundationem, duplicia bona omnia recepit, & felicitatem expertus est: in fine patientiam Iob imitamini, sed finem Iob non speretis, quinimò vobis finem contumeliis, & suppliciis plenum, qualem oculis, vestris vidistis in Christo Domino proponite, exquirite, & postulate. Ita antiquiores expositores hoc in loco. Bed. D. Thom. Gloss. & Aug. Ait enim Aug. epist. 120. c. 10. Hoc ait Iacobus, ne ideo patienter sustinerent temporalia mala, vt sibi hoc restitueretur, quod recepisse legimus Iob, nam & ab illo vulnere, atque putredine saluus factus est, & cuncta quæ amiserat, duplicata sunt restituta: vbi etiam commendata est Resurrectionis fides; nam filij non dupli, sed totidem redditi, etiam illos quos amiserat, resurrecturos significauerunt, sic ipsi quoque illis prioribus iuncti à restitutione dupli non inuenirentur alieni.

Vt ergo non talem remunerationem speraremus, quando mala temporalia pateremur, non ait, sustinentiam, & finem Iob audistis, sed ait; *Sustinentiam Iob audistis, & finem Domini vidistis*, tanquam diceret, mala temporalia sicut Iob sustinete, sed pro hac sustinentia bona temporalia non sperate, quæ illi aucta redierunt, sed æterna potiùs quæ in Domino præcesserunt. Sic August. qui eãdem expositionem insinuat lib. 1. de Symbol. ad Catecum. c. 3. & habet Guarricus Abbas Igniacensis Ser. 3. de Dominica in Ramis palmar. dicens Ecce plusquàm Iob hîc (loquitur de Christo Domino) cui tum repentè tam vehementer omnia simul in cõtrarium Deus vertit. *Sufferentiam Iob audistis*, &c. ait Iacobus Apost. ac si diceret. Sufferentia Iob fuit vsque ad reditum substantiæ, sufferentia Domini vsque ad exitum vitæ: Iob quidem patienter damna sustinuit, sed mox in terra sua duplicia suscepit. Dominus vt erat repletus miseriis, & inebriatus amaritudinibus, è mundo migrauit.

Et hæc expositio multas congruẽtias & cõiecturas pro se habet. Enimuerò cùm patientiæ imaginem, & exemplum, ac exemplar nobis voluerit

proponere Iacobus,& pulchrior sanè extitisset si extremitas eius in patiētia desineret. Picturæ enim dignitas & excellentia in fine ac termino cernitur, sicut iam ex Plinio ostendimus: vnde ipse Iob quando vidit in spiritu
Iob.42. finem Christi Dom. sibi reuelatum, dixit. *Auditu auris audiui te, nunc autem oculus meus vidit te. Idcirco me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla, & cinere:* quia adhuc non in me cerno prefectæ patientiæ rationem. Sic enim ferè ex eo loco Iob philosophatur Aug. lib. 1. de peccatorū meritis. Facit etiam, quia, vt Petrus ait, Christus pro nobis in cruce passus, patiēdi nobis in exēplum relictum est. Vnde Tertull. in Scorpiac. c. 12. legit. Nobis relinquens exemplum semetipsum. Et licèt in omni Christi vita, si de moribus loquamur, multa nobis exempla suppetant, omnísque Christi actio nostra fuerit instructio, in morte & fine patientiæ imago perfectissima nobis proposita est, vt faciamus, imò patiamur secundùm exemplar, quod nobis in monte
Exod. 25. Caluario demonstratum est: & recogitemus eum, qui talem aduersùm semetipsum sustinuit à peccatoribus contradictionem, vt ne fatigemur ani-
Heb. 12. mis nostris deficientes.

CVM ergo Iacobus de patientia disseruerit, & patiendi exempla proferre voluerit, quî fieri potuit, vt potissimum patiendi exemplar omiserit Christum Dom. in Cruce pendentem? Cæteræ enim imagines imperfectæ sunt. At verò Aristot. 8. Politic. c. 5. præcepit ne pueri Pausonis figuras inspicerent, quæ imperfectæ erant, sed Polygnoti, quæ perfectæ erant. Perfectissima vtique patientiæ imago Filius Dei in carne, qui in diuinitate imago Patris est. Vnde Ber. Ser. 47. in Cant. Vtrumque mihi es Domine Iesu, & speculum patiendi, & præmium patientis. Et D. Greg. 2. Moral. c. 23. exponit de Christo patiente illa verba Iob: *Sit nomen Domini benedictum.* In se, inquit, credentes edocet, vt in flagellis positi benedicere Domino sciāt, cùm subditur. *Sicut placuit Domino, ita factum est,* &c. Vnde, testante Euange-
Matt. 26. lio, cùm appropinquaret passioni, accepto pane gratias egisse perhibetur. Gratias itaque egit, qui flagella alienæ iniquitatis suscepit, & qui nihil dignū percussione exhibuit, humiliter in persequutione benedicit, vt hinc videlicet ostēdat, quid vnusquisq; in flagello culpæ propriæ facere debeat, si ipse æquanimiter flagella culpæ portat alienæ: vt hinc ostendat, quid in correctione faciat subditus, si in flagello positus Patri gratias agit æqualis.

IDEO conqueritur meritò idem Christus Dominus quòd homines tam præclarum patientiæ exemplar non imitentur, cùm apud Ieremiam sic ait.
Ierem. 12. *Facta est mihi hæreditas mea quasi leo in sylua.* Hæreditatem appellat hominum multitudinem, quam sibi proprio sanguine in hæreditatem acquisiuit quā etiam leoni comparat; de quo referunt Epiphan. in Physiolog. c. 1. Nazian. 3. carm. de Virtut. Ælian. lib. 11. c. 30. Plut. lib. de animal. cōpar. & alij, propria vestigia, ne inueniantur, cauda abstergere, obscurare ac delere. Sic igitur conqueritur Christus de hominibus, quòd vestigia quæ ipse reliquit imitanda, & sectanda, reddant incognita, & inimitabilia more leonum. Nō sic B. Stephanus, de quo Aug. Ser. 2. ait, Passionis Christi vestigia sequutum patiendo, & pro lapidantibus orando.

CVM

CVM ergo Iacobus ad patientiam fideles fuerit exhortatus, & exempla patientiæ proposuerit, non debuit omittere singulare Christi Domini patientis exemplum, omnium quæ posset adducere, efficacissimum, imò ad sustinendos in vita lobores Iobi patientiam attulit, ad perferendam verò igominiosam, & suppliciis plenam mortem, Christi Domini mortis meminit: & quia cum iis loquebatur, qui morti Christi Hireosolymis affuerant, ait. *Finem Domini vidistis*, propriis scilicet oculis, cum de Iob qui eos præcesserat, dixerat, *Sustinentiam Iob audistis*; quæ omnia hanc expositionem probatissimam reddunt, ideóque apud viros doctos nostræ ætatis eam passim inculcatam, & assertam reperio. Et sequentia verba. *Quoniam misericors Dominus, & miserator*, sic cohærent cum præcedentibus; Finem Domini vidistis, vsque adeò enim misericors est Dominus, vt vobis tale exemplum, taliáque vestigia in proprio Christi corpore impressa reliquerit, qui pro vobis proprio Filio non pepercit.

SED si rem attentiùs consideremus, fortè magis placebit eorum expositio, qui ea verba, *finem Domini vidistis*, ad Iob ipsum referunt. i. vidistis quàm gratiosè Deus finaliter egerit cum Iob, non solùm post vitam præsentem, sed etiam in sæculo isto eum remunerando, vidistis, inquam, per fidem. i. ex sacra libri eius historia credidistis: de qua visione dixit Paulus; *Videmus nunc per speculum in ænigmate*: & hoc fine etiam vidistis, quòd valdè misericors, & miserator est Dominus erga patientes, vt inde certissimam concipiatis spem, & firmissimi reddamini in tormentis ac ærumnis. 1. Cor. 13.


HANC expositionem sequitur Caiet. Feuard. Titelm. Gagneius, & alij recentiores doctissimi. Vnde codex Syriac. in hoc loco habet, *finem quem præstitit ei Deus*, sequentiáque verba hoc magis probant. *Quoniam misericors Dominus*: vbi Græcè habetur. *Quòd misericors Dominus, & miserator*, qui nō passus est illum opprimi, sed ex malorum abysso profundissima eūdem extraxit gloriosissimè: amissa cumulatissimè reddidit, & cunctis gentibus, ac sæculis vt clarissimum virtutis exemplar erexit in sublime. Quæ optima cohærentia est inter prædicta omnia verba.

FACIT etiam pro hac expositione, quia totus fuit Iacobus suprà in commendenda patientia, ex eo quòd fructum ipsius, & præmium essent accepturi patientes à Iudice qui in ianuis aderat. Ne verò desponderent animum, tam certum futurum ostendit præmium, vt eis illud in præsenti vita concessum ostendat, quò magis excitet animos audientium, vt certo certiùs intelligerent Deum patientibus minimè defuturum. Solet enim diuina misericordia aliquando iustis, & sanctis viris aliqua bona etiam in hac vita cōcedere in arrhas futuri præmij; sicut fecisse legitur sancto Iob. quod prosequitur Nazi. Orat. 11. cùm ait. Iustus ille retributor in hac etiā vita repēdit, hoc quoque sæpenumero ad eorum, qui dubia fide sunt ædificationē facit, per exigua scilicet, & in aspectū cadētia maioribus & inuisibilibus fidem astruēs. Vbi Helias Cretens. hîc nimirum velut arrhas quasdā tribuēs. Inde ergo sumit argumētū Iacobus ad præsentem doctrinā. Sustinete donec veniat Iudex, qui in ianuis adest, memores beatitudinis eorum,

qui hîc sustinuerunt, quos ea ratione beatificamus, seu beatos dicimus, memores insuper non posse deesse in reddenda solutione, qui patienti Iobo etiam in hac vita soluere incepit.

Vers. 12. *Ante omnia autem, fratres, nolite iurare, neque per cælum, neque per terram, neque quodcumque iuramentum. Sit autem sermo vester, est, est, non, non, vt non sub iudicio decidatis.*

EXPOSITIO LITERALIS.



N eo cernitur cohærentia horum verborum cum præcedentibus, quòd hucusque Apostolus ad patientiam hortatus est fideles, & ad sustinendos labores; quia verò in ærumnis, & miseriis plerunque reperiuntur diræ imprecationes, ac iuramenta, in quæ afflictus animus statim solet prorumpere, quò perfectior, & honoratior sit patientia, etiam in his silentium indixit, de quo eleganter Tertul. lib. de patient. c. 14. Os taciturnitatis honore signatum. Aug. igitur Ser. 28. de verbis Apostoli, qui est super his verbis. Ante omnia, inquit, cautos nos facit aduersùs linguam nostram, tanquam speculam te posuit contra te. Quid est *ante omnia*? ante omnia vigila, ante omnia intentus esto, ante omnia, vt omnia tua inspiceres, & esses custos malæ consuetudinis tuæ. Et Serm. 30. de verbis Apostoli. Quare *ante omnia nolite iurare*? An iurare peius est, quàm furari? quàm adulterare? quam hominem occidere? Absit. Isto verbo quod ait, *ante omnia*; cautos nos facit aduersùs linguam nostram, vt attendatis præ cæteris, ne subrepat vobis consuetudo iurandi. Cùm tibi creditur, iuras: & cùm nemo exigit, iuras, vix es sanus non peierando. Istam ergo consuetudinem auertite à vobis, circuncidite ab ore vestro. Nam sicut dixerat idem Aug. lib. cont. mendac. Iurando ad facilitatem iurandi venitur, ex facilitate ad consuetudinem, ex consuetudine in periurium deciditur. Vnde Ecclesiast: *Iurationi non assuescat os tuum; multi enim casus in illa*: & Eccl. 23. infrà. *Vir multùm iurans replebitur iniquitate, & non discedet à domo eius plaga.*

Est itaque sensus. Hoc vobis imprimis commendo circa patientiam, vt non iuretis. Similique forma loquendi vsus est Petrus. *Ante omnia autem mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes*. i. super omnes alias virtutes, quas enumerauerat. 1. Pet. 4. Græcè hoc loco habetur. *Sit vestrum* quod noster Interpres rectè transtulit. *Sit sermo vester.* & Caiet. exposuit. Sit autem vestrum etiam, etiam, quod etiam Pagninus vertit.

VT non sub iudicio decidatis. i. sub condemnatione. Græcè habetur, *hypocrisi*, quod etiam habent Biblia Regia: & significat simulationem, quod transtulerunt & Vatablus, & Clarius, hîc verò sic rem explicãs ait. Quomodo qui iurans in simulationem decidit? dum creditur per iuramentum verax esse, & fit interdum vt mentiatur. Et Vatablus explicat. Ne deprehendamini, simula

simulatores veritatis. Nam si meum etiam non est, etiam, & meum non, non est, non.i.si falsò loquor & simulatè, incido in hypocrisim, & simulationem, quia aliud animo gero, aliud ore profero, vt hypocrita. *Ne sub iudicio decidatis.* Græci legunt. *Ne in condemnationem cadatis,*

Pro explicatione ergo præsentis doctrinæ Apostoli aduertendum est ex D. Damasceno lib. 2. Paral. ex Chrysost. hom. 9. in Act. ex Basil. in Ps. 14. *iurare* esse, Deum in testem inuocare, eúmque veluti fideiussorem constituere. Quod multis modis fieri potest. Primò, per graues imprecationes, & execrationes, siue in seipsum, siue in proximos: quæ iurandi forma fuit vulgaris apud Hebreos. *Hæc faciat mihi Dominus, & hæc addat.* Ruth. 1. & 1. Reg. 3. 14. 25. 2. Reg. 3. 19. 3. Reg. 2. 19. 4. Reg. 6.

Secundo, fit per contestationes, quales sunt. Viuit Dominus, Deus testis est, Deum testor, Deus scit, Nouit Deus, Ita Deus me seruet.

Tertio, per contactum rerum sanctarum, vt Euangeliorum, sanctæ Crucis, Altaris, sacrarum imaginum, Reliquiarum, &c. vt videre est in secundo Concilio Nysseno act. 4. & Concilio 6. Constantinopol.

Quarto, per sanctissima Ecclesiæ Sacramenta, vt Baptismi, Eucharistiæ, sacrorum ordinum. Quintò, per virtutes, vt per fidem, per charitatem, &c. Sextò, per mysteria & instrumenta Redemptionis humanæ, vt per corpus, sanguinem, vulnera, mortem, & Crucem Christi Domini.

Tandem per sanctissimas aut nobilissimas creaturas, in quibus Deus est laudandus, & glorificandus, vt per Angelos, per Beatissimam Virginem, per Apostolos, & Sanctos, per cœlos, & elementa. Vnde Christus Dom. vetans iurare per cœlum, ait. *Quia thronus Dei est*, scilicet, quia in eo Dei relucet maiestas, sicut etiam & in terra, quæ propterea dicitur *scabellum pedum eius.* Est enim Deus in cœlo veluti in parte mundi suprema, ac præclarissima, & in terra, vt in parte infima. Matt. 5.

Vetat igitur hoc in loco Apost. ne iuremus, absque necessitate scilicet. Est enim maxima irreuerentia in cœlum ponere os nostrum, & linguam nostram transire in terram, & maiori ratione prohibitum censendum est falsum iuramentum indiscretum, ac temerarium. Psal. 72.

Sed statim sese offerunt multa Scripturæ loca, quæ contrarium probare videntur. Nam in Deut. dicitur. *Dominum Deum tuum timebis, & per nomen eius iurabis.* Et Dauid dicit: *Laudabuntur omnes qui iurant in eo.* Et iterum: *Iuraui, & statui custodire iudicia*, &c. Et alibi: *In omni corde suo iurauerunt Domino, & inuenerunt eum.* Helias quoque & Elisæus iurasse leguntur: *Viuit Dominus, in cuius conspectu sto hodie.* & Paulus. *Testis mihi est Deus.* Deut. 6. Psal. 62. & 118. 2. Par. 2. 3. Reg. 1. & 3. Rom. 1.

Vt igitur rem conficiamus, aduertendum est per se, & natura sua non esse malum intrinsecè, iurare: ideóque nec naturali lege prohibitum. Vnde in Scriptura Exod. 20. Leuit. 19. & Deut. 9. non prohibetur simpliciter iuramentũ, sed iurare frustrà, aut in vanum: & ita Sanctos iurasse legimus, vt Abraham, Isaac, & Iacob, & Moysen. Et Dauid, ac cæteri Prophetæ frequenter vtuntur illa forma iurandi, *Viuit Dominus*: imò Aug. obseruat, Dominũ Deum frequẽter iurasse, vt nos omnino certos de promissis redderet. Genes. 26. & 31. Deut. 3. & 4.

Videndus Serm. 29. & 30. de verbis Apostoli.

ETENIM cùm iuramentum sit quædam inuocatio diuini nominis, non est iniuriosum Deo, imò continet tacitam fidei confessionem, quòd Deus sit prima veritas, & mentiri nõ possit. Ideóque nõ est intrinsecè malum. Regula verò est certissima Theologorum, in lege noua non esse lata positiua præcepta diuina, præter leges Sacramentorum & fidei. Vnde dicere possumus, nullum esse datum præceptum negatiuum in lege gratiæ, quo vniuersaliter prohibeatur aliquid quod de se malum non sit, imò Paulus iurauit; *Testis mihi est Deus*. Similiáque verba habet ad Philipp. & 2. Cor. 1. *Ego autem testem Deum inuoco*. & 2. Timot. 4. *Coram Deo, & Christo Iesu*. Similiter Galat. 1. vbi videndus Aug. & epist. 206. & Ser. 26. de verbis Apost. & refertur in cap. 2. 22. q. 1.

Rom. 1. 2. Cor. 1. 2. Tim. 4.

VNDE authoritate Ecclesiæ exiguntur iuramenta, vt patet ex titulis de Iureiurando, & de Testibus, vel ad abiurandam hæresim, vt patet ex titulo de Hæreticis, & ex Concil. Ephes. & ex Cõcil. Constantiens. in bulla Martini: vel ad purgationem delictorum, vt patet ex titulo de purgatione Canonica; vel ad promittendam obedientiam, & confirmandam pacem, vel ob alias causas, quas late congerit Selua tract. de iuramento, 2. p. in principio. Idémque cernere est in Imperatoribus, Regibus, & Pontificibus, ac Doctoribus quando inaugurantur.

Hebr. 6. ENIMVERO ex Paulo necessitas iuramenti est, vt sit omnis controuersiæ finis, & confirmatio: quæ necessitas modò etiam durat in lege gratiæ, vt latè prosequitur Concilium Tolet. 8. c. 2.

HIS suppositis, vt iuramentum sit licitum, requiritur veritas, iustitia, & iudicium, quæ est sententia D. Tho. 2. 2. q. 89. art. 3. vbi recentiores, & antiquiores cum Magistro in 3. dist. 39. & Canonist. in cap. *Animaduertendum*. 22. q. 2. Nãque Hieremias dixit; *Iurabis: Viuit Dominus in veritate, & in iudicio, & in iustitia*. vbi Hieron. Animaduertendum, quòd iuramentum hos habeat comites veritatem, & iudicium, & iustitiam.

Hier. 4.

PRIMA conditio inde patet, quia finis iuramenti est confirmatio veritatis, vt ex Paulo diximus, proindéque iuramentum in quo veritas deest, se destruit; & deinde quia per iuramentum Deus adducitur in testem, tanquam prima, & infallibilis veritas, proindéque ad solam veritatem debet adduci.

SECVNDA conditio, scilicet iustitia, ex parte materiæ, quæ iustitia intelligenda est generalis, prout de õmni virtute dicitur, vt idẽ sit materiam iuramenti debere esse iustam, ac debere esse honestam, nam irreuerentia infertur Deo afferre illum in testem ad confirmandam rem iniquam.

TERTIA conditio est, quòd fiat cum iudicio, id est, debita, & prudenti consideratione: solétque per hanc conditionem intelligi necessitas, vel grauis vtilitas iuramenti. Vnde in præcepto Deuter. *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum*, id est, frustra, sine causa, sine necessitate.

Deut. 11.

HINC iam intelligetur præceptum Deut. initio allatum, quod affirmatiuum cõditionatum est, & in rigore in negatiuum resoluitur, vt ibi Gloss.

&

& Abul.exponunt.Cuius ſenſus eſt, quòd ſi iuraret, per ſuum ac verum Deum iuraret:quando verò occurrerit obligatio iurandi,tranſit in abſolutum præceptum: vt ſi præcipiatur per legem Eccleſiaſticam, vel ciuilem, vel occurrat neceſſitas ad ſaluandam rixam inter proximos,vel ad ſubueniendum proximo in vitæ periculo exiſtenti.

QVI ergo cum debitis circunſtantiis,& quando neceſſe eſt, iurat,laudatur,non tam quia iurat, quàm quia quando iurat, in eo iurat, id eſt, in cultum eius, & omni reuerentia illi debita:& ita iurarunt Sancti,de quibus ſermo eſt in locis allatis.

PROHIBET ergo hoc in loco Iacobus temerarium, leue, ſpontaneum, & contumelioſum iuramentum, quo peruerſi diuinæ Maieſtatis contemptores nomen Dei ſponte,vel paſſim, aut in rebus leuiſſimis aſſumunt,idque in vanum,& frequenter in falſum, ſicque ex iurantibus fiunt periuri, eiſque imminet graue iudicium,& ſeuera condemnatio.

IVRAMENTVM ergo ſumendum eſt tanquam medicina, ſicut dixit D. Thom.opuſc.7.quæ nō ſemper accipitur,ſed in neceſſitate;quod eleganter dixit Theodoret.quæſt.41.in Exod. cùm ponderat ea verba legis. *Non aſſumes nomen Dei in vanum.* Ego, inquit, puto diuinam legem ſtatuere, ne quis nomen Dei pronuntiet ſine aliqua ratione, velut docendi, aut orandi, aut alia quadam neceſſitate. Si enim permulti conſueuerunt pretioſiorem veſtem diebus feſtis reſeruare,multo rectius eſt diuinum nomen precibus, atque docendi officio conſecrare.ſic ille. Proindéque Chryſoſt. hom. 26. priùs abluendum os docet antequam nomen Domini illo aſſumamus. *Exod.20.*

RECTE igitur Iacobus admonet in præſenti, vt nolimus iurare: qua in re præter ſupplicia quæ remanent iurantibus, qua de re videndus Chryſoſt.hom. 15.ad Pop. & D. Aug. Ser. 28. de verbis Apoſt. ipſe etiam pudor poſſet homines à iurando retrahere,& ſuadere, vt eorum ſermo eſſet, eſt, eſt,non,non.Namque,ſicut dixit Ioſephus lib.2.de bello cap.7.Eſſeni mendacij condemnatum arbitrantur,cui ſine Deo non creditur. Ideóque Baſil. Pſal.14. Turpe eſt, & omnino ſtultum, ſeſe, vt fide indignum accuſare,& ad iuramenti ſecuritatem confugere.

ET Philo lib. de ſpecialibus legibus, in principio. Quicquid vir bonus aſſeuerat,perinde ac iurato credi debet,cùm verbum eius firmum ſit,ac rigidum,nullo mendacio flexile,veritate in qua fundatur, ſubnixum. Quòd ſi rei neceſſitas religionem iuriſiurandi poſtulet, magis decet iurare per patris,& matris ſanitatem, & ſenectutem proſperam,ſi viuunt, aut ſi defuncti ſunt, per eorum beatam memoriam.

DEINDE verò loquens de iis,qui iuramenta multiplicant, faciléque adhibent cuicumque dicto, ait. Quaſi euicturi ſint crebris deierationibus, vt ſibi credatur.Fatui,qui non intelligunt conſuetudinē crebrò iurandi,argumentum eſſe perfidiæ, non fidei,duntaxat prudentiorum iudicio.

VIDENDVS etiam pro hac re lib. de Decalog. & Chryſoſt. homil. 7.ad Pop.& hom.13.& 25.& hom.26.ad Pop. & Aug.lib.1.de ſerm. Domini in monte, ait. Chriſtianus verum loquatur, neque iurationibus crebris, ſed morum

morum probitate commendet veritatem, &c. Neque omittendum hoc loco decretum Concilij Carthagin. 4. c. 61. quod constituit clericum per creaturas iurantem, grauiter obiurgandum esse, & si in vitiis perstiterit, excommunicandum; quod decretum videtur desumptum ab Aug. Ser. 3. de verbis Apostoli.

Vers. 13. *Tristatur aliquis vestrûm? oret: æquo animo est? psallat.*

EXPOSITIO LITERALIS.

DOCET modò Apostolus, quidnam fideles agere debeant, tum in aduersis, tum in prosperis, omnibus consulens, neminem deserẽs. Proindéque, quia in pressuris ingemiscere prohibuit, nunc quid agendum sit, monet: vt in aduersis ad orationes confugiant, quibus patiẽtiam, constantiam, & leuamen possint impetrare, in prosperis verò se hymnis, & canticis spiritalibus occupent, & oblectent. Non autem omnia ab omnibus exigit, sed ab his qui animo æquiori sunt, lectiones, hymnos, & gratiarum actiones, ab illis verò qui in mœrore sunt, orationem. Indicat verò hic locus animum ægrotantis ad orandum esse ineptum, & languidum.

TRISTATVR, id est, affligitur: sic enim Græcè habetur, scilicet, pro violentia, & pressura tribulationum, vel pro damno rerum, vel amicorum, vel periculo corporum, vel pro culpa, vel illata iniuria. Alij verò per *tristitiam* hoc loco intelligunt accediam, quæ est torpor, & mœror de exercitio virtuoso, seu Dei obsequio, ideóque orare Deum debet, qui accediæ vitio tangitur, vt ab ea protinus liberetur, & feruens, alacérque reddatur. Est enim efficax remedium contra accediam, & tristitiam oratio. Itaque qui tristatur non se ad carnales, viléſque consolationes effundat, non murmuret, nec loquacitatibus vacet, nec pusillanimis efficiatur, sed oret.

ÆQVO animo est? id est, non sic afflictatur primò, sed prosperiori vtitur fortuna, & omnia pro animi sententia succedunt; ad psalmodiam, gratiarúmque actionẽ recurrat. Nihil enim aliud est psalmus, quàm laus, & præconium Dei, & *psallere* hoc in loco est, gratias agere, vt omnes fere exponunt. Vnde Chrysostom. homiliam tom. 1. fecit, *quòd Dauidica cantica diuersis inseruiunt nostris consolationibus*. Et Ambr. in Ps. 38. Etsi infirmus es, ora, etsi fortis es, ora, &c.

§. I.

Vera consolatio in solo Deo reperitur.

NON videtur mihi prætermittendum quod Apostolus eos, qui tristitia, & mœrore affecti sunt, nulla alia consolatione putat reficiendos, &

& à mœrore leuandos, quàm si ad Deum confugiant consolatorem, quasi nihil aliud in mundo possit reperiri quod nostram mœstitiam possit reficere, & solatium præbere, ideóque Dauid. *Renuit consolari anima mea; memor fui Dei, & delectatus sum.* Psal 76.

CVRAVIT Helcana consolari Annã, quæ amaro animo erat, dixítque ei. *Cur fles, & quare non comedis, & quamobrem affligitur cor tuum, nunquid ego non melior tibi sum quàm decem filij?* Attamen adhuc amaro animo flens largiter ad Deum accurrit. Et Iacob multo tempore flens mortem, quam existimabat, Iosephi, à cæteris filiis noluit consolari. Et Iob consolatores suos cultores peruersorum dogmatum appellauit; in Hebr. est *Medici*, aut, *curatores*, vel, *sanatores idoli*, id est, falsitatis, aut vanitatis, id est, vani, inepti, & imperiti medici, qui cùm neque de morbi natura, neq; de remedio possint iudicare, falsa, & nociua remedia adhibent, quæ nihil omnino prosunt; sic & vos vestris consolationibus nihil conficitis, quia vera consolatio, non in hominibus, sed in solo summo Deo reperitur. Vel etiam potest esse sensus. Estis medici idoli, id est, quasi qui curare vellet idolum, stipem, aut truncum, qui licèt multa adhiberet remedia, multúmque curationi incumberet, & saluti insudaret, nihil tandem proficeret. Vel tandem est sensus, nostro etiam instituto admodùm inseruiens, estis medici idoli, id est, veluti idola mortua, de quibus dixit Propheta. *Hominem à morte non liberant, neque infirmum à potentiori eripiunt, hominem cæcum ad visum non restituunt, de necessitate hominem non liberant, viduæ non miserentur, neque orphanis benefaciunt, lapidibus de monte similes sunt, Dij illorum lignei, & lapidei, & aurei, & argentei. Qui autem colunt ea, confundentur.* 1. Reg. 1. Gen. 37. Iob. 13. Baruch 3

ET Paulus rem hãc etiam expressit cùm dixit. *Quia nihil est idolũ in mundo.* Quod etiam dixerat Zachar. contra eos Pastores, qui nullum commodum, officiúmque pecori impendunt, *ò pastor, ò idolum!* Ideóque Symmac. vertit ea verba prædicta. *Addicti estis mendacio, & medici concinnatores mei apparantes absurda*; quia quæcumque consolationes mundi, mendaces, apparentes, absurdæque sunt, cùm nihil prodesse possint, neque aliquid solaminis possint afflictis afferre. 1. Cor. 8. Zach. 11.

RECTE proinde ad Deum remittit mœstos, & afflictos Iacobus, & præcipit vt orent: sicut & Christus tristis in horto orauit Patrem, iussítque tristes Apostolos orare. Et Dauid: *Ad Dominum cùm tribularer, clamaui.* & alibi ait: *Effundo in conspectu eius orationem meam, & tribulationem meam ante ipsum pronuntio*; quia in oratione mirabilis animi dulcedo, & spiritualis lætitia percipitur. Mat. 26. Luc 22. Psa. 119. Psa. 141.

PRO qua re videndus est ille locus Exod. quando Moyses, & Aaron, Nadab, & Abiud, insupérque septuaginta de senioribus Israël montẽ Sina ascẽderunt, vt Dominũ orarent: deinde sacer Text. ddit, *Viderũtq; Deũ, & comederunt, ac biberunt.* Quod magis exposuit Paraphrast. Chald. qui ait. Gauisi sunt in sacrificiis suis, quasi comedissent, & bibissent. Qui enim Deum orat, magnam experitur suauitatem, lætitiam, & consolationẽ, nec minori afficitur gaudio, quàm si amicorum lautissimo conuiuio frueretur. Exod. 24.

Psal. 83. VNDE Dauid. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum*; quem locum ad præsens institutum bene versat Aug. lib. 50. homil. hom. 33. &
Ps. 76. idem Dauid iterum ait. *Memor fui Dei, & delectatus sum*: vbi Nazianz. Orat. ad ciues suos. Quid memoria paratius? Memor esto Dei, & delectaberis: ô
2. Mach. 15. facilem, & parabilem medicinam, &c. Iudas, & qui cum eo erant inuocato Deo per orationes congressi sunt, manu quidem pugnantes, sed Dominum cordibus orantes prostrauerunt non minùs triginta millia, præsentia Dei
Iob. 27. magnificè delectati. Vnde Iob loquens de impiis. *Cùm venerit super eum angustia, poterit in omnipotente delectari.* vbi alij legunt. *Non delectabitur in Deo.*

Iob. 6. HINC etiam est quòd idem Iob miseriis, & ærumnis oppressus dixerit. *Quæ est fortitudo mea, vt sustineam, aut quis finis meus, vt patienter agam?* id est, precor Deum, vt mihi grauissimè laboranti sustinétiam, constantiam, & lætitiam conferat, nam sine precibus, sine oratione, sine Dei adiutorio nõ possem tam fortiter tot mala sustinere. Quem sensum penè indicat Chrysost. ibi, qui ita habet: Tolerantia non à robore corporis, sed à pietate Dei manabat, nunc verò rem omnem non suæ audaciæ, sed precationi committit. Hoc orandi remedio ad tot ærumnas sibi relicto, se consolabatur
Iob. 19. Iob, & in hanc sententiam dicebat. *Derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos*, quasi dixerit. Dum orare, & precari possum, non omnino perij.

FACIT pro hoc argumento D. Chrysost. lib. 2. de orando Deum, vbi ita habet. Si quis dicat animæ neruos esse deprecationem, mea quidem sentẽtia videbitur verum dicere. Qui ergo præ laboribus quasi neruis, & robore se spoliatum viderit, ne omnino eneruis fiat, dum tristatur, ad orationem recurrat, vnde vires, & robur colligat. Præstò namque Deus adest laborantibus, vt illis subueniat. Qua de re videndus est Ambr. in Psal. 118.
Cant. 5. cùm ponderat ea verba sponsæ. *Caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* Existimat enim hæc verba intelligenda esse in typo, & figura animæ laborantis, & Filij Dei miserantis & condolentis. Considera, inquit Ambros. quàm celeriter ianuam pulset: in tribulatione enim positos visitare dignatur, eósque celeriùs adiuuat, similia patitur, nõ ignara mali anima miseris succurrere discit præstò. Quod argumentum prosequitur Cyprian. Ser. de Cœna Domini.

§. II.

Semper & vbique Deus præstò adest nostris inuocationibus.

SED illud hoc loco cum Iacobo notandum, quòd omnibus non semper omnia præcipienda sunt; sed pro loco, & tempore ea quę naturæ, ingenio, & moribus accommodata fuerint, vt ei, qui tristatur, oret. Tunc enim ipsæ spinæ inflictæ reuerti ad Deum faciunt peccatorem. Ei verò qui feliciori fortuna vtitur, vt psallat. At verò misericors Deus quandocũque & vbicumque inuocetur, præstò adest inuocantibus cũ in veritate. Fatetur hoc

hoc Dauid, cùm ait. *In terra deserta, inuia, & inaquosa, sic in sancto apparui tibi.* i. Psal. 6.
vbicumque essem ad te orabam, acsi in templo, ac tabernaculo tuo essem. Iona 2.
Sic & Ionas ad Dominum suum de vtero piscis orauit, & clamauit de tribulatione sua. Qua de re videndus August. lib. de Ord. c. 8. & Serm. 130. & lib. 1. contra aduersarium legis, & Prophetarum cap. 18. & 19. & tract. 10. in Ioann. Est qui exaudit, ne dubitetis orare, qui autem exaudit, intus manet, munda tantùm cubiculum cordis: vbi fueris, vbicumque oraueris, intus est qui exaudit, intus in secreto, quem sinum vocat Dauid, cùm ait. *Et* Psal 64.
oratio mea in sinu meo conuertetur. Et Chrysost. hom. 79. ad Popul. vbi inter alia. Neque mihi quisquã dicat, quòd nequeat homo sæcularis affixus foro per diem continuò orare, & ad Ecclesiam concurrere. Potest enim, & quàm facillimè: nam licèt in Ecclesia non possit, illìc in foro potest. Similia habet Prosper lib. sentent. sent. 374.

QVOD verò Deum semper possimus orare, & deprecari, ostendit locus Exod. vbi Sacerdos sanctuarium ingressurus tintinnabula vesti appensa deferebat, cuius rei rationem si velimus iuxta morem Magnatum, Regum, ac Exo. 28.
Principum terræ indagare, inueniemus hos quidem apud se tintinnabula habere, quibus seruos ad se quando voluerint, vocent, & pro libito ingressum præbeant. Etenim tunc solùm serui ad Dominos ingrediuntur, cùm ab iisdem ad sonitum vocantur. Et ita serui præstò adsunt, vt quando datum signum fuerit, accedant. Sic igitur vt nobis constaret quàm promptè nos exauditurus sit Deus, appendi iussit vesti Sacerdotali tintinnabula; quo significaretur, Deum preces nostras statim auditurum, cùm ipsum inuocauerimus. Ideóque dictum est: *Non est alia natio tam grandis, quæ Deos habeat ap-* Deut. 4.
propinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris, quod Onkelus ita legit. *Quis est populus magnus, cui Deus ita appropinquet, vt suscipiat orationẽ eius in tempore tribulationis, sicut est Dominus Deus noster in omni tempore, quo nos oramus coram eo?* Et apud Isai. *Inuocabis, & Dominus exaudiet, clamabis, & dicet, ad-* Isai. 58.
sum. Quæ ostendunt, Dominum nostras preces, veluti seruum vocem Domini expectare, vt exaudiat, qui propè est omnibus inuocantibus eum.

PROSEQVITVR hoc argumentum D. Chrys. homil. 23. in Matth. Quotiescumque, inquit, venire, & ad illum voluerimus accedere, expectatas ab illo esse preces nostras continuo tempore sentiemus, si verò nihil ex redundante illo fonte bonitatis haurimus, nostra est omnis culpa, non fontis. Hoc enim Iudæis imputando dicebat Oseas. *Misericordia sicut nubes ma-* Osea 6.
tutina, & vt ros diluculo cadens. Et Psal. 4. vbi ait. Non assistit miles, qui expellat, vel satelles, qui tempus interrumpat, non est qui dicat. Non est tempus audiendi, veni postea, sed quando venerit, stat audiens. Etsi tempore gaudij, etsi tempore cœnæ, etiamsi nocte intempesta, semper, & assiduè eum potes interpellare, neque opus ianitoribus, qui te introducant.

NOTANDVS etiã est pro hac re locus ille Exod. vbi cùm Pharao dixisset ad Moysen, & Aaron. *Orate Dominum, vt auferat ranas à me, & à populo meo: di-* Exod. 8.
xit Moyses Pharaoni. Constitue mihi quando deprecer pro te, & pro seruis tuis, & pro populo tuo. vbi Gloss. ait. Vt nostra oratione, non fortuito casu

intelliguntur recessisse. Relinquens verò arbitrio, & voluntati Pharaonis vt tempus ad deprecandum constitueret, apertè ostendit, Deum omni tempore præstò adesse iis, qui ipsum precarentur: & eum qui vbique potest postulari, cùm omnibus locis adsit, quandocumque voluerimus nos exauditurum, si in veritate eum inuocauerimus.

§. III.

Gratias debemus Deo agere pro beneficiis in nos collatis.

ILLVD deinde monet Iacobus, vt qui æquo animo est, psallat; id est, cui prosperè res succedunt, gratias Deo agat, vt ait Caiet. hìc, & alij, quò beneficia Dei meliùs custodiat. Est enim gratiarum actio custos beneficiorum diuinorum, sicut ait Chrysost. hom. 26. in Matth. & pro præsenti argumen-

Gen. 13 to videndus est hom. 34. in Genes. vbi ponderat, Abrahamum in omnibus iis locis, vbi tabernaculum fixit, erexisse simul altare, in quo gratias Deo redderet pro acceptis beneficiis. Vidisti, inquit ille, mentem gratam, quia mox vt tabernaculum fixit, statim pro facta sibi promissione (scilicet de multiplicanda posteritate) gratiarum actiones obtulit Domino, in singulis locis vbi tabernaculum fixit, inuenies hoc præ omnibus ei fuisse curæ, vt extructo altari preces offerret; vidisti animam diuino amore succensam, per omniáque gratias agentem. Non enim expectauit donec promissa complerentur, sed & mox pro promissione gratias egit, & facieb t quod in se erat, vt de præcedentibus dignam, & sinceram gratitudinem præ se ferens Dominum suum prouocaret ad promissiones suas implendas.

IDEMQVE Chrysost. homil. 26. in Matth. Est prorsus absurdum nos opere quidem ipso beneficiis eius quotidie perfruentes, gratias ei nec sermone persoluere, & hoc, cùm ista confessio in nostrum commodum iterum cedat, optima beneficiorum custos est ipsa beneficiorum memoria, & perpetua gratiarum actio, propterea & reuerenda, ac salutaria illa mysteria, quæ in omni Ecclesiæ congregatione celebramus, Eucharistia, id est, gratiarum actio nuncupatur: sunt enim beneficiorum recordatio plurimorũ, capútque ipsum diuinæ prouidẽtiæ ostendunt, nósque faciunt debitas Deo gratias semper exoluere. Agamus igitur gratias non ob propria tantùm, verùm etiam ob aliena bona. Idcirco etiam Sacerdos pro vniuerso orbe terrarum, pro absẽtibus, & præsentibus Deo nos gratias iubet offerre, hoc quippe, & à terra nos liberat, & transponit in cœlum; atque ex hominibus Angelos facit. Sic ille.

QVÆRET aliquis, cur Deus iusserit asseruari Manna in Arca, cùm nulli prorsus deberet vsui inseruire? cui statim respondet Lyr. Exod. 16. in memoriam accepti beneficij, vt scil. ea recordatione alia denuò beneficia mererentur à Deo, cui gratũ animũ exhibebãt. Si insuper quæras, cur sine vermibus, sine corruptione tãdiu permãserit incorruptũ? respõdet Abul. q. 14. Nec mirum id per miraculũ fuisse factũ, vbi grati animi aderat significatio.

Sed

Sed adhuc alia restat dubitatio, quam repetit Aug. q. 61. in Exod. Quomodo enim fieri potuit, vt tum temporis Manna coram Domino poneretur, sicut præcipit diuinum Oraculum, cùm eo tempore, nec tabernaculum extiterit factum, nec Arca constructa? Scio aliquos cum Lyr. in ea esse sententia, vt putent positum fuisse Manna in paruo tabernaculo, quo filij Israël vtebantur antequam magnum tabernaculum construeretur. Illud tamen ad rem nostram aptius apparet, quod ait Aug. An fortè de futuro dicit, *repones*, vt intelligeretur tunc ante Deum posse reponi, quando futura erat Arca? an potiùs ante Deum dictum est, quod sit ipsa deuotione offerendi in quocumque loco poneretur, ibi enim Deus est? Quasi velit Augustinus, ibi Deum adesse, vbi aderat grati animi significatio; rectè enim ex gratitudine benefica Dei præsentia colligi potest. Similia habet idem Aug. q. 66.

Videndus etiam est Aug. in Ps. 44. vbi obiter exponens ea verba Ps. *Quid retribuam Domino*, &c. ait. Tibi gratias agere licet, referre non licet, non enim potes. Quærebat ille, quid retribueret, qui dixit, *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* & inuenit quasi aliquid. *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo:* hoc illi rependis qui calicem salutaris accipis, & nomen Domini inuocas. Quis tibi dedit ipsum calicem salutarem? Remansit in gratiarum actione, nam in relatione defecit, inueni quid Deo des, quod ab illo non acceperis, & retuleris gratiam. Ps. 115.

Videndus hac de re Philo libro de plantatione Noë, vbi sic habet. Fertur certè antiqua fabula à sapientibus viris ad posteros per manus tradita. Olim cùm totum mundum opifex absolueret, quendam è Prophetis rogauit, nunquid desideraret nondum creatum, siue in terra, & aqua, siue in sublimi aere, siue in cœli extimo ambitu? Respondit ille. Esse quidem perfecta, & plena vbique omnia, vnum tamen se requirere laudatorem horum sermonem. Hoc responsum placuisse fertur, nec multo post exortum genus Canorum. Ex cuius fabulæ authoritate discimus, nihil esse Deo magis proprium, quàm benefacere; nihil item creaturæ, quàm gratias agere, cùm præter eas nihil rependere valeat; nam si quid aliud retribuere voluerit, id inueniet iam antè non ad creaturæ offerentis, sed ad ipsius omnium Creatoris possessionem pertinere. Ergo, quia didicimus, vnum solum nobis opus competere ad honorem Dei faciens, videlicet gratiarum actionem, eam semper, & vbique meditemur. Hæc Philo.

Qui etiam videndus est pro hac re lib. 2. legis Allegor. vbi quærit, cur moriens Iacob dexteram manum in sinistram partem conuerterit, positurus eam super Ephraim minorem natu, sinistram verò conuerterit in Manassem, primo loco natum inter filios Ioseph: Dicitque rationem esse, quia dextera symbolum est reconciliationis; & amicitiæ, quæ priùs debetur Ephraim: nomen enim (*Ephraim*) memoriam non interruptam significat diuinorum beneficiorum (*Manasses*) verò reminiscentiam, quæ obliuionem supponit. Primas verò partes in gratitudine habet memoria acceptorum, secundas autem reminiscentia.

Videndus etiam pro hac re Lipomanus in c. 2. Exod. vbi inquit. San-

cti beneficiorum Dei memoriam perennem instituunt sibi nominibus filiorum, vt quandocumque liberos aspicerent, vel vocarent, diuinorum beneficiorum recordarentur ex nomine. Sic Eua dixit cùm peperit Cain; *Possedi hominem per Deum.* Et innumera alia sunt huius rei exempla in sacris literis. Ideóque Bernar. Serm. contra vitium ingratitud. Felix qui ad singula dona gratiæ redit ad eum, in quo est plenitudo gratiarum, cui dum nos pro acceptis non ingratos exhibemus, locum in nobis facimus gratiæ, vt maiora adhuc accipere mereamur. Et idem de diligendo Deo. Delictum est maximum vti datis tanquam innatis. Similia habet epist. 181. & Serm. 14. in Psal. *Qui habitat.*

VIDENDVS hac de re Greg. 4. Moral. c. 10. & 17. Philo lib. de charitate. & Senec. 3. de beneficiis. Hæc fuit ratio, cur in Scriptura Maria soror Moysis videns cunctos hostes Ægyptios cum Rege suo in mari demersos, sumpto tympano, cum cæteris piis fœminis choreas ducens cecinerit, *Cantemus Domino*; eodémque modo, ac spiritu grates Deo rependentes seipsos canticis oblectauerunt Debbora, Iudith, Ezechias, Tobias, tres pueri, Anna mater Samuelis. Et sub nouo Testamento Zacharias, Beatissima Virgo, & iustus Simeon, de quibus nos Deo dante iam dicimus. Vera etenim est præsens doctrina, qua affecti diuinis beneficiis pro eis psallere iubemur.

Exod. 14.

Vers. 14. *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini.*

Vers. 15. *Et oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.*

EXPOSITIO LITERALIS.

DOCET modò Iacobus quid facere debeant Christiani, quando aduersa corripiuntur valetudine, & soli cum mortis agone, & horrore congrediuntur, & colluctantur. Imprimis enim cauere debent confugere ad magos, ariolos, incantantes, & maleficos, qui cum diabolis pasciscuntur, sicut Ochozias, qui consuluit Beelzebub, vtrùm viuere posset de infirmitate, cui Deus per Prophetam dixit. *De lectulo super quem ascendisti, non descendes, sed morte morieris.* Et Asa Rex Iuda coarguitur quòd infirmus Deum non requisierit, sed spem suam in secundis causis posuerit. Sicut etiam mulier emorrhoïssa omnes facultates suas frustra per duodecim annos consumpsit in Medicos. Non quasi Medici omnino contemnendi sint, sed priùs ad Deum, qui mortificat, & viuificat, recurrendum.

4. Reg. 1. 2. Par. 16

Marc. 5. & Luc. 8.

VNDE Aug. de Rect. Catho. conuers. dixit. Propterea quoties aliqua infirmitas occurrerit alicui, non quærantur præcantores, non diuini, non sortilegi, non caraiij: neque per fontes, aut arbores, aut biuia, phylacteria

exerceantur, sed qui ægrotat, in sola Dei misericordia confidat, & Eucharistiam cum fide, & deuotione accipiat, oleúmque benedictum fideliter ab Ecclesia petat, vnde corpus suum vngatur. Videndus etiam hac de re lib. 2. de visitandis infirmis c. 4. Et Ecclesiastic. *Fili in infirmitate tua ne despicias teipsum, sed ora Dominum, & ipse curabit te.* Ecclesi. 8.

INFIRMATVR igitur *quis in vobis?* ita grauiter, vt probabiliter existimetur citò moriturus, ait Carthus. *inducat presbyteros.* Græce habetur, *aduocet.* Oecum. & Vatabl. *accersat,* quod verbum non intelligendum est inducere aliquam obligationem præcepti, vt resoluit D. Thom. in 4. dist. 23. q. 1. Sot. ibidem. Bonauent. dist. 23. in expositione literæ, & est communis sententia. Vnde infirmus amittens hoc Sacramentum, non peccat, secluso contemptu, & aliorum scandalo. Tria namque sola Sacramenta, Baptismus, Pœnitentia, & Eucharistia, sunt de præcepto diuino.

PRESBYTEROS Ecclesiæ, id est, Sacerdotes. Etenim hoc in loco vocabulum, *presbyteros*, non senectutis, sed ordinis significationem continet, & insuper cùm interdum etiam Episcopum significet, vt videre est apud Ambros. & Primasium in 1. ad Timoth. 5. hoc tamen in loco Sacerdotes significat, qui ministri sunt Sacramenti extremæ vnctionis. Et in Testamento Nouo hæc vox fere vbique accipitur pro ministro Ecclesiastico.

INDVCAT, ait D. Thom. non verò inducantur; in quo ostendit quòd Sacramētum Extremæ vnctionis, quod hic institutum legitur, non nisi petentibus verbo, vel signo dari debet secundùm morem Ecclesiæ: nec dicit, inquit D. Thom. Sacerdotes, sed presbyteros: in quo significatur, & officium, vt sint Sacerdotes, vt definit Trid. sess. 14. Can. 4. & qualitas, vt sint maturi, & sapientes. In plurali autem dicit eos vocandos, ait Carthus. si plures sint ibi presbyteri, & conuenienter possint haberi, vt multorum oratione infirmus copiosiùs adiuuetur; sufficit tamen vnus Sacerdos ad vngendum, imò quanuis plures adducantur, & adsint, tamen ab vno fit vnctio.

ET orent super eum, id est, omnes inuocent misericordiam Dei super infirmum, cui ministrandum est Sacramentum; vngentes eum oleo, scilicet, oliuarum, ab Episcopo consecrato, ita tamen vt vnus faciat vnctionem, alij verò assistant. Vel loquutus est communi modo, sicut nos dicimus faciendam esse confessionem Sacerdotibus, non quasi debeat fieri multis, sed vni tantùm. Nunquam tamen negandum est, vt multi veniant.

IN nomine Domini. Hoc refertur ad vngentes, id est, cùm inuocatione Dei sub certa verborum forma.

ET oratio fidei. Hic innuitur forma Sacramenti vnctionis per modum deprecationis. Indulgeat tibi Deus, Oratio ergo fidei, id est, oratio cum vnctione facta in fide Catholica, atque ex fide procedens. Et sic verbum sacramentale, quod cum elemento fit Sacramentum, August. vocat verbum fidei, & dicit operari, non, quia dicitur, sed quia creditur, tract. 8. in Ioann.

ILLVD tamen hoc in loco aduertendum, in sacris literis sæpe tribui effectus sacramētales vni parti ipsius Sacramēti, sicut hoc in loco, cùm tamē constet eam partem non operari sine alia, vt apud Paulum. Saluos nos fecit Tit. 3.

per

Act. 4. per lauacrum, externam scilicet lotionem: & alibi. *Cùm videret Simon, quia per manus impositionem Apostolorum daretur Spiritus sanctus*; sic intelligendus est hoc in loco Iacobus, cùm ait. *Oratio fidei saluabit infirmum*, id est, ad salutem cooperabitur ei, quoniam Sacramenta legis Euangelicæ sunt medicinalia vasa, gratiam continentia, & effectiua salutis. Et sic per hoc Sacramentum gratia confertur, animáque nouis auxiliis roboratur ad superandos mortis terrores, reuincendásque Dæmonum tentationes, & insidias eluendas, confirmatur, securiórque redditur de proxima sibi salute per merita Christi Redemptoris sui, cuius Sacramento fulcitur. Et hic est primus effectus huius Sacramenti.

SECVNDVS effectus explicatur per illa verba. *Alleuiabit eum Dominus*, quæ cùm absolutam promissionem contineant, non possunt referri præcipuè ad corporalem sanitatem, quam non semper consequuntur ii, quibus Sacramentum ministratur. Nam etsi vox Græca ἐγήρω propriè significet *excitare*, & *eleuare*, quod ad corpus pertinet; vnde Oecumen. *Et eriget eum Dominus*; tamen per metaphoram in Scriptura tritam, significat *pellere mœrorem, tristitiam, negligentiam, soporem, & desidiam animi*. Vnde Paulus. *Hora est iam vos de somno surgere*. Et: *surge qui dormis*; & Petrus. *Excito sinceram vestram mentem*. Proinde videntur verba Iacobi significare liberationem à quodam torpore, mœrore, & anxietate, quæ propinquos morti valde deprimere, & grauare solet, vt non possint facilè mentem ad Deum attollere. Et hic vigor mentis dicitur ab aliquibus Theologis res, & Sacramentum simul.

Rom. 1.
Ephe. 5.
1 Cap. 3.

Ex hac lætitia oritur alius effectus huius Sacramenti, quem aliqui per hæc verba intelligunt, scilicet, sanitas corporis, quando expedit animæ dum exhilarat faciem in oleo; qua de re videndum est Concilium Florent. & Triden. c. 2. & significat Can. 2. quæ est communis sententia cum Magistro in 4. distin. 23. vbi D. Thomas, Bonauent. Richard. Sot. quæst. 1. art. 2. qui tamen hac in re nobis non placet, cùm putat corporalem sanitatem esse absolutum, & infallibilem effectum huius Sacramenti. Nam absoluta promissio non est de sanitate corporali, sed de remissione peccatorum. Sanitas verò corporalis pertinet ad huius Sacraméti promissionem, sed conditionatam, id est, si ea fuerit animæ vtilis.

ET *si in peccatis fuerit, remittentur ei*. Hic etiam est effectus huius Sacramenti, quod aliter dici solet abstergere reliquias peccatorum.

TOTA difficultas est, quænam peccata hoc in loco intelligantur. Quidam enim volunt esse peccata venialia; sed improbabiliter, nam ea possunt sine Sacramento deleri, nec ad ea tollenda requiritur noua infusio gratiæ, quæ est effectus omnium Sacramentorum: & ita si is esset effectus proprius, & præcipuus huius vnctionis, non facilè probaretur eam esse Sacramentum, nec tam tutum videtur restringere ad venialia, quod Iacobus generatim vocat peccatum. Vnde in forma huius Sacramenti generatim dicitur; Quicquid deliquisti.

ALII intelligunt pronitatem, seu habitum ex peccato relictum. Attamé huiusmodi habitui nó possunt cómodè aptari verba Apostoli. *Si in peccatis*

catis fuerit. Neque etiam forma Sacramenti. Quicquid deliquisti. Insuper non videtur tolli per Sacramentum huiusmodi habitus:nam qui illud suscepit, & ab infirmitate conualuit, eandem pronitatem adhuc experitur, quam antea.

VIDETVR proinde dicendum per *peccata* intelligi ea,quæ remanẽt post alia Sacramenta,siue mortalia,siue venialia sint. Potest enim fieri, vt quis post confessionem, vel communionem in peccatum incidat, & ignoret se eo peccato teneri, vnde non poterit illud noua confessione expiare. Potest item fieri,vt confessionem, & communionem nõ ritè peregerit, & hoc ipsum ignoret,& per hoc Sacramentum peccata quæ habet, deleantur,nisi ponat obicem;& hoc indicat Iacobus cùm ait.*Si in peccatis fuerit.*Vnde Trid. dixit.sess.14.c.2.Si quæ delicta sint adhuc expianda, abstergit.

SI verò quis dicat hoc ipsum esse commune cæteris Sacramentis, scilicet tollere peccata mortalia, siquæ inueniant, & non ponatur obex, cùm omnia Sacramenta conferant gratiam,quæ non potest cum peccato mortali constare; dicendum est cætera quidem Sacramenta id efficere per accidens:hoc autem Sacramentum id efficere per se,& propriè,quia ad hoc peculiariter est institutum.

EX hoc igitur loco deducunt Sancti Patres, Sacramentum Extremæ vnctionis à Iacobo hîc promulgatum,& inculcatum,à Christo quidem institutum,quod Marc.6.fuerat insinuatum,vt Conc.Trid.asserit. Neque enim eorum nobis placet sententia,qui dicunt Sacramentum extremæ vnctionis ante Passionem fuisse,quia vnctio illa non erat sacramentalis, sed initium quoddam:dabatur enim etiam non baptizatis,& per Apostolos antequam essent initiati Sacerdotio,initiati siquidẽ sunt in vltima Cœna. Qua de re videndus est Cardin.Bellar.& Tol.& Ianf. Sot.& alij. Sic enim intelligunt hunc locum Conc.Florent.& Trid.sess.14. Can. 1. D.Aug.Ser.215. de Tempore,& lib.1.de Visitat.infirmor.& lib. de Rectit. Cathol. conuersat.Chrysost.3.de Sacerdotio.Orig.hom. 2. in Leuit. Cyrill. Alex.Orat. de exitu animæ;& lib.2.in Leuit.Theophylact.in cap.6.Marc.3.8. Patres Cõcilij Nysseni Can.69.ex Arabico. Alcuinus lib. de diuinis offic. pag. 55.& 56.Rabanus Maurus lib.2.de Instit. Cleric.c. 55. Pet. Damianus Ser.1. in Dedicatione Ecclesiæ.S.Thom.4.cõtra Gent.c.72.& omnes Theologi cum Magist.dist.23.Bed.Oecum.D.Thom.Carthus.& alij. Marc. 6.

VNDE miror Caiet.hîc dixisse,nec ex verbis, nec ex effectu verba hæc loqui de sacramentali vnctione,sed magis de vnctione quam instituit Dominus Iesus in Euangelio à Discipulis exercendam in ægrotis.

§. I.

Quæ sapientia in Sacerdotibus requiratur.

QVONIAM verò hoc loco D. Thomas annotauit Sacerdotes appellari presbyteros, in quo non solùm officium significatur, sed & qualitas, vt sint maturi & sapientes. vnde Gloss. hoc in non ad iuniores, minúsque

doctos, causam suæ imbecillitatis refert, non abs re erit aliquid de Sacerdotum conditione prosequi. Sapientia igitur primò in Sacerdotibus requiritur. Vnde Sapientia & doctrina in pectore summi Sacerdotis visebatur, & legem præcipiebat Deus accipi à Sacerdotibus, & ipse iudicabat de lepra. Imò & ad faciendas vestes Sacerdotis Aaron præcepit Deus quæri sapientes corde viros, & repletos spiritu prudentiæ; quanto maiorem requireret Deus prudentiam in eo, cui sapiens vestem adaptare debebat? ideo dixit Dominus ad Aarõ. *Vinũ, & omne quod inebriare potest, non bibetis tu, & filij tui, qui intrabitis in tabernaculum testimonij, ne moriamini. Quia præceptum sempiternum est, vt habeatis scientiam discernendi inter sanctum, & prophanum, inter pollutum, & mundum, doceatisque filios Israël omnia legitima mea, quæ loquutus est Dominus ad eos per manum Moysis:* & apud Malach. *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius.* Vbi D. Hierony. aduertit, non dixisse Prophetam, proferent, sed custodient, vt loquantur in tempore, déntque conseruis cibum in tempore suo, ita vt os Sacerdotis sit arca quædam salutaris doctrinæ, vnde omnes necessaria depromant, quæ ibi Deus ad communem vtilitatem, & doctrinam recondit.

Exo. 18. Deut. 17. Deut. 17. Leuit. 10. Malac. 2.

VNDE Paulus ait. *O Timothee depositum custodi.* Quæ verba sic explicat Vincentius Lyrinensis in libello aduersùs profanas hæreseon nouitates. Quid est depositum? id est, quod tibi creditum est, non quod à te inuentum, quod accepisti, non quod excogitasti, rem non ingenij, sed doctrinæ. Et Ber. 2. de Considerat. notauit dixisse, legem requirent, non nugas, inquit, profectò, vel fabulas. Et lib. de dispensatione, & præcepto ait; in lege non intelligi quod Scriptura apertè tradit, vel recta ratio, in quibus nec præceptor expectandus est, nec prohibitor auscultãdus, sed quæ dubia sunt. Vtrùm Deus sic velit fieri, an aliter. Cyrillus autem nomine (*legis*) ait contineri omnium ad bene viuendum necessariorum cognitionem.

1. Tim.

VNDE quando in Scriptura filij Dauid dicuntur fuisse Sacerdotes; Hierony. explicat ideo sic vocatos fuisse, quòd essent suorum fratrum magistri, quasi idem penè sit Sacerdos, & magister. Et Chrysost. hom. 50. in Gen. ad ea verba Genes. vbi de Abraham dicitur. *Perrexit vt consuleret Dominum*, ait; Cucurrit ad veram scientiam, & festinauit ad Sacerdotem Dei ministrum, per quem latentium scientiam volebat discere; didicit omnia diligenter misericorde Deo per Sacerdotis linguam detegente. Et vide quanta etiam tunc erat Sacerdotum dignitas. Nusquam enim dicit quòd Sacerdos ei responderit, sed postquam dixit, abiit, vt consuleret Dominum, & dixit Dominus ei. nempe per Sacerdotẽ & alio loco Angelũ vocat Sacerdotẽ diuina Scriptura, mõstrãs quòd illa loquatur quæ inspirat, & suggerit Spiritus gratiæ. Et lib. 6. de Sacerdotio. Neque solùm purũ, mũdúmq; Sacerdotẽ esse oportet, sed etiã imprimis prudẽtẽ, atque adeò multarũ rerũ experientia instructũ, ornatúmq. in tantũ, vt sæcularia, mũdanáque omnia nihilo minùs noscat quàm norunt ij, qui in hominum media turba versantur. Et hom. 38. in imperfecto inter alia. Sicut stomachus accipiens cibum, coquit eum in seipso, & per totum corpus dispergit, sic & Sacerdotes accipiunt scientiam

2. Reg. 8. Gen. 25.

scr

ſermonis per Scripturas ex Deo,& excoquunt eam in ſe. i. tractãtes & meditantes apud ſe vniuerſo populo ſubminiſtrant. Videte ergo vos Sacerdotes quomodo vos componatis in verbo,& in opere. Nam quemadmodum cùm videns arborem pallentibus foliis marcidam, intelligis quia culpam aliquam habet circa radicem,ita cùm videris populum indiſciplinatum & irreligioſum,ſine dubio cognoſce quia Sacerdotium eius non eſt ſanum.

Et D.Ambroſ.Ser.13.comparat Sacerdotes apibus,dicens; ſicut apes de diuinarum Scripturarum floſculis ſuauia mella conficiunt,& quicquid ad medicinam pertinet animarum, oris ſui arte componũt.Et D.Leo.epiſt. 4. decretali. Vix ferenda eſt in Sacerdotibus excuſatio, quæ prætendat inſcitiam. Similia habet epiſt. 23. Proſequitur hoc argumentum D. Hierony.lib. 6. in c. 31. Hierem.Qualis verò ſapientia in Sacerdote requiratur, oſtendit D. Thom.in additionib.ad 3. p.q.36.art.2.

§. II.

Maturitas & prudentia Sacerdotis.

Sacerdotum inſuper maturitatem docet præſens locus. Pro qua re videndus eſt Ambroſ. epiſt. 6. vbi ita ait. Separauit Deus Sacerdotes à populo,præcepit Moyſi vt montem cum Sacerdotibus aſcenderet,populus autem deorſum ſtaret. Vides diuiſiones? Nihil in Sacerdotibus plebeium requiri,nihil populare, nihil commune cum ſtudio,atque vſu, & moribus inconditæ multitudinis,ſobriam à turbis grauitatem,ſeriam vitam, ſingulare pondus dignitas ſibi vendicat Sacerdotalis. Quomodo enim poteſt obſeruari à populo,qui nihil habet ſecretum à populo,& diſpar à multitudine?quid in te miretur,ſi ſua in te recognoſcat;ſi nihil in te aſpiciat quod vltra ſe inueniat? Supergrediamur igitur plebeias opiniones, & ſtrata quædam gregalis conuerſationis.

Prosequitur hoc argumentum Orig.hom.9.in Ioſue,cùm ponderat, Sacerdotes in humeris ſuis Arcam portaſſe.Ipſi,inquit, ſunt veri Sacerdotes Domini,qui in humeris ſuis legem Dei portant, agendo videlicet, & implendo per opus ea,quæ ſcripta ſunt in lege.Vnde & Deus dixit. *Sanctificabor in iis,qui appropinquant mihi*; qui ſine dubio Sacerdotes ſunt, quod aliqui ſic legunt,& exponunt.*Agnoſcar ſanctus ex mũditia, & ſanctitate miniſtrorũ.* *Leuit 10.*

Notavit pro hoc argumento Thodoret.q. 3. in Leuit. quare victima quæ pro Sacerdote offerebatur tota prorſus cremaretur.ſcilicet,vt integritatem Sacerdotis demonſtraret,qui nõ aliquatenus, ſed ſe totũ planè Deo dedicauerit.Et Philo libr.de migratione Abrahæ,ponderat,propter Sacerdotes Deum iuſſiſſe,vt in tabernaculo ſpecula mulierum penderẽt, in quibus Sacerdotes ſe inſpicerent,corrigerent,& abluerent quicquid deformitatem redoleret.Et in eandem ſentẽtiam notauit idem Philo lib. 2.de Monarchia;vniuerſum etiã parentum luctum Sacerdotibus Deũ interdixiſſe. Cùm enim,inquit ille,alioquin ſit Deo dicatus,oportet eũ abdicari omni-

bus cognationis affectibus, vt charitatem erga parẽtes, liberos, fratres posthabeat, nec vnquam ea retardatus potiora negotia differat. Vetatur insuper in domestico luctu vestimenta scindere, & insigne Sacerdotij suo capiti detrahere, aut è fano per occasionem luctus excedere, vt ob loci, ornatúsque reuerentiam resistat mœstitiæ, & fortis malit videri, quàm miserabilis. Postulat enim in eo viro lex præstantiorem homine indolem, quippe qui Deo sit familiaris præ cæteris, situs in quodam diuinæ, humanæque naturæ (si verum fateri licet) confinio, vt hoc mediatore Deus propitietur hominibus, & eiusdem ministerio porrigat eis, largiatúrque suam gratiam. Hæc Philo.

Et Chrysost. homil. 33. in Matth. Quo non oportet esse puriorem tali fruentem sacrificio? quo Solari radio non splendidiorem eam manum, quæ carnem hanc diuidit? Os quo dignè spirituali repletur, lingua, quæ nimis tremendo sanguine rubescit? Et Ber. Ser. 29. ex paruulis. Minister Christi sic debet conuersari, vt ex moribus exterioris hominis, qui videtur, existimetur compositio interioris animi, qui non videtur. Ne ergo à memoria expellat Deum irruens turba plurimarum cogitationum, quæ solet effluere tanquam vilis plebs in atrium, ponatur ad eius portam ianitor, cuius nomen est recordatio propriæ professionis, vt cùm turpibus sese cogitationibus senserit animus prægrauari, increpet se, & dicat sibi. Túne hæc debes cogitare qui Sacerdos es, qui Clericus es, qui Monachus es, &c. quæ prosequitur.

Rem denique conficiat Dionys. Areop. c. 1. de Eccles. Hierarch. dicens. Vt qui Sacerdotium dixit, sacrorum simul omnium vno vocabulo significauit ordinem, ita & qui Sacerdotem dicit, augustiorem, prorsúsque diuinum insinuat virum, totius sanctæ conscientiæ paratissimum, in quo liquidò, ac perspicuè sacratus omnis ordo suus, & perspectus sit, & possit agnosci. Hæc dicta sint pro ostendẽda maturitate, & sanctimonia Sacerdotis, in quo nihil puerile, nihil commune debet reperiri, sicut prædicti interpretes hoc in loco aduertunt. Plura qui velit, videat caput 1. ad ea verba; *vt simus initium creaturæ eius.*

Vers. 16. *Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem, vt saluemini; multùm enim valet deprecatio iusti assidua.*

EXPOSITIO LITERALIS.

Monuerat Apostolus ægrotos, vt presbyteros accerserét, à quibus oleo sancto cum precibus vngerentur, & adiecerat effectum illius sacræ vnctionis, & precum, futurum, vt alleuiaretur ægrotus & sanaretur, & si in peccatis esset, ea illi remitterẽtur. Sed ne fortè qui hæc legeret, existimaret illa etiam peccata lethalia, quorum homo con

conſcientiam habet, per ſacram vnctionem poſſe deleri, ſubiunxit: *Confitemini alterutrum peccata veſtra*; non enim ſacra vnctio peccata lethalia per ſe remittit, quorum aliquis conſcientiam habet, cùm ea per confeſſionis Sacramentum purganda ſint; ſed aut venialia, aut etiam lethalia, quorum conſcientiam non habemus, quæ reliquiæ peccatorum dici ſolent, vt verſu ſuperiori explicauimus. Deinde ad orationem hortatur, cuius efficaciam, & vtilitatem refert.

DVPLICEM confeſſionem ex ſacris literis deducunt Theologi, & de vtraque hoc in loco loqui aſſerunt Apoſtolum. Primam appellant conſultricem, & reconciliatricem. Fit autem, vel quando peccata, imperfectiones, infirmitates, & conſcientiarum anguſtias, & ſcrupulos fratribus noſtris retegimus, vt ſuis nos conſiliis iuuent, dirigant, & conſolentur: vel quando mutuas offenſiones libenter fatemur, vt inuicem condonemus, atque in pacem, & concordiam redeamus, & huiuſmodi confeſſione vſus eſt magiſter pincernarum Pharaonis, quando poſt tres annos recordatus Ioſeph, exclamauit. *Confiteor peccatum meum.* Eadem vſi ſunt fratres Ioſeph quando dixerunt. *Serui tui ſumus, non ſis memor iniuriæ fratrum tuorum.* Eadem vſus eſt Dauid coram Gad, & coram Nathan: & de hac ſcriptum eſt. *Non confundaris pro anima tua dicere verum, & confiteri peccata tua*: & iterum ibidem. *Narra ſi quid habes vt iuſtificeris*: & alibi dicitur. *Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur: qui autem confeſſus fuerit, miſericordiam conſequetur.* Gen. 41. 2. Re. 12. & 2. Re. 24. Eccleſ. 4. Cap. 43. Prou. 28.

HVIC confeſſioni addenda eſt ea, quæ minimè ſacramentalis eſt, fitque propter humilitatem, & in extremo caſu, ſæcularis, de qua Caiet. locum intelligit, qui cauendus eſt dum illum ad hanc confeſſionem limitauit, ait ergo. Hic ſermo eſt de confeſſione, qua mutuò fatemur nos peccatores, vt oretur pro nobis, & de confeſſione hinc, & inde erratorum pro mutua placatione, & reconciliatione. Videndus hac de re Medina Cod. de confeſſione. q. 3. & alij Doctores cum Magiſtro in 4. diſtin. 17. §. *Nunc priuſquàm*. Et Aug. lib. de vera, & falſa Pœnitentia c. 10. in medio. Qui vult confiteri peccata, vt inueniat gratiam, quærat Sacerdotem, qui ſciat ligare & ſoluere, ne cùm negligens circa ſe extiterit, negligatur ab eo, qui eum miſericorditer mouet, & petit. Tanta itaque vis confeſſionis eſt, vt ſi deeſt Sacerdos, confiteatur proximo. Sæpe enim contingit, quòd pœnitens non poſſit verecundari coram Sacerdote, quem deſideranti nec tempus, nec locus offert. Et ſi ille cui confitebitur, poteſtatem non habeat ſoluendi, tamen dignus venia ex Sacerdotis deſiderio, qui crimen confitetur ſocio. Mundati Luc. 17. enim ſunt leproſi dum ibant oſtendere ſe Sacerdotibus antequam ad eos peruenirent. Vnde patet, Deum ad cor inſpicere, dum ex neceſſitate prohibentur ad Sacerdotes peruenire. Similia habet c. 11. eiuſdem libri.

ALIA eſt confeſſio Sacramentalis, de qua ſimpliciter hūc locum intelligant Origen. hom. 2. in Leuit. Chryſoſt. lib. 3. de Sacerdotio. Aug. lib. 50. homil. hom. 12. Videatur pro hac re & lib. 2. de Viſitat. infirm. cap. 4. 5. & 7. Bern. lib. meditat. c. 9. Calixtus Papa apud Burchardum lib. 18. decret. c. 1. Et eodem vtitur Concilium Cabilonenſe tempore Caroli Magni, cap. 33.

vbi illud quod ait, præceptum confessionis hoc loco esse latum à Iacobo, exponendum est, promulgatum fuisse à Iacobo.

NEQVE obest quominus locus propriè de Sacramentali confessione intelligatur, quia Apostolus dixerit, *Confitemini alterutrum*; quæ verba videntur relinquere liberam confessionem, vt promiscuè fieri possit alteri homini cuiuscumque conditionis ille sit. Nam, vt rectè exponunt Beda, Hug. de Sacrament. lib. 2. p. 14. c. 1. Feuard. & alij, nihil aliud significat, nisi, confitemini homines hominibus, & non tantùm Deo, sed alter alteri, oues Pastoribus, subiecti Prælatis, laici Sacerdotibus, hi qui peccata habent his qui peccata dimittendi potestatem habent, quemadmodum cùm Apostolus di-
1. Pet. 4. cit. *Hospitales inuicem sine murmuratione, vnusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam administrantes, si quis loquitur, quasi sermones Dei*, &c. Non significat, sine discrimine oportere omnes ab omnibus hospitio recipi, aut doceri, aut curari, &c. sed eos qui tecto indigent, hospitio recipiendos esse ab his, qui domum habent, imperitos à doctis instruēdos, ægrotos à medicis curādos, pauperes à diuitibus sustētandos, non cōtrà, nutriendos diuites à pauperibus, aut curandos medicos ab ægrotis, doctos ab imperitis erudiendos, excipiendosue ab his hospitio qui tecto carēt. Sicit igitur qui peccatorum vinculis constricti tenētur ad eos accedere debēt, quibus dictum
Matt. 18. est. *Quæcumque solueritis*, &c. quod magis explicant sequētia verba, si ea ad presbyteros tantùm velimus applicare: significant enim vt presbyteri pro infirmis, non infirmi pro presbyteris orent. Respicere enim videtur Apost. ad id, quod antea dixerat. *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum*; quod etiā indicat Græca lectio. Nam vbi nos legimus, *orate pro inuicem, vt saluemini*, habet, ἰαθῆτε, quæ ad sanitatem corporis proprie refertur. Vnde Oecumen. legit, *vt sanemini*.

CÆTERVM videtur locus intelligi simpliciter de oratione, vt exhortetur hoc loco Apostolus Christianos ad mutuas preces, quarum asserit maximam esse vim, & vtilitatem, & sic explicat hunc locum author Sermonū ad Fratres in Eremo Ser. 22. vbi valorem, & efficaciam orationis ostendit in hunc modum. Orans Hieremias confortabatur in carcere, Daniel inter leones exultat, tres pueri in fornace tripudiant, Iob in sterquilinio triumphat de diabolo, Latro de cruce Paradisum inuenit, Susanna à senibus defenditur, Stephanus de torrente in cœlum suscipitur: non est igitur locus in quo orare non debeamus. Orate igitur semper, & in omni loco, & pro inuicem, vt saluemini, oratio sancta est columna virtutum, Deitatis scala, viduarum maritus, Angelorum cognata, fundamentum fidei, Monachorum corona, coniugatorum leuamen. Hæc ille. Et sic intelligit assiduitatem orationis D. Max. dialogo de Incarnatione, &c. vbi ait. Assidua est oratio quum mens in cautione multa continetur, desiderióque applicatur Deo, & semper à spe eius dependet, in omnibúsque tam operibus, quàm accidentibus in ipsum confidit.

ILLVDQVE hoc loco notādum, pro eo, quod nos habemus, *deprecatio iusti assidua*, Græcè habetur, *efficax*, sicut etiam legit Vatab. Chrysost. hom. 1. de ver

verbis Isai. *Vidi Dominum.* & D.Maximus loco infrà citando: & videtur explicare nostra lectio Græcam. Assidua enim, hoc est, iugis & continua, frequénsque oratio afficax esse solet, quod ostendit illud Luc. vbi non quia amicus, sed propter improbitatem dedit panes, & daret omnes necessarios; vbi improbitas, quæ Græcè ἀναιδία, & Latinè dicitur impudētia, significat assiduam, & constantem in oratione perseuerentiam, vt notat Titus Bostranus, & Euthym. Accōmodatiùs verò noster interpres appellauit improbitatem, qua voce vsus est Aug. Serm. 29. de verbis Domini, Serm. 171. de Tempore; qui enim vrget, & non cessat, dicitur improbus, sicut Poeta dixit. *Luc. 11.*

Labor improbus omnia vincit.

Caietan. putat legendum, *deprecatio agens*; ad differentiam, inquit, deprecationum, quæ fiunt non ad hoc vt agatur aliquid, sed ad propriæ animæ salutem, vnde inducitur oratio Heliæ ad cohibendam, & dandam pluuiam: & Vatab. explicat quid sit *efficax oratio.* i. operans, cùm agit, vt intelligas efficacem ex animo profusam. D.Maximus centuria 3. c. 80. sic explicat hanc orationem, de qua Iacobus in præsenti, quam ipse legit pro assidua, *efficacem.* Duobus modis scio hanc efficaciam esse, vno quidem quando precator cum operibus mandatorum orationem præsentat Deo, & non in nudo duntaxat sermone, & inani vocis sono linguæ sitam precationem, quæ vacua excidit, & non subsistit; orationis enim & precationis fundamentum est profectò per virtutes. Altero modo, cùm is, qui opus habet oratione iusti, peragit orationis opera, tum emendatione pristinæ vitæ, tum valida precatione iusti per honestam eius conuersationem potentiore facta.

§. I.

Quantùm conducat confeßio peccatorum.

HIc locus confessionem nostrorum peccatorum proclamat, quæ iam olim adumbrata est initio statim orbis, sicut notauit Tertull. 2. aduersùs Marcion. cùm expendit id, quod factum est quando exegit Dominus ab Adamo, & Eua confessionem sui sceleris. Apparuit enim Angelus sub humana forma quasi minister, & interrogat quasi incertus, vt hinc liberi arbitrij probans hominem, in causa vel negationis, vel confessionis, daret eidem locum confitendi liberè. Quod etiam asseruit Ambros. lib. de Paradiso cap. 14. & lib. 2. de Cain, & Abel. c. 9. & Greg. lib. 23. Moral. c. 13. Chrysost. hom. 28 in Genes. Adumbrata insuper est in Leuit c. 5. Qua de re videndus Vualdens. tom. 2. de Sacrament. c. 187. & Galat. lib. 10. c. 13. quam à nobis imprimis exigit Deus, vt nostra confessione demōstremus quòd sumus malitiæ authores, & quòd nullo cogente deliquimus, sicut ponderat Ambr. lib. 2. de Cain, & Abel. cap. 9. & quòd ipse misericordiæ sit fons, vnde remedium debemus sperare. Quod etiā habet, & explicat eleganti similitudine idem Ambros. Ps. 36. ad ea verba. *Reuela Domino viam tuam.* Bene, inquit, *Genes. 3.* *Psal. 36.*

inquit, *reuela*.i. aperi conscientiam tuam, ne eam sæculi istius grauet vmbra, prorumpentia semina si fuerint adumbrata, tenuantur, si obiecta Soli, pinguescunt. Ipsas arbusculas quominùs se in altum subiiciant vmbra syluestris, interuenit, & prohibet brachia ramosa diffundere. Reuela Domino viam tuam, noli abscondere, sicut abscõdebat Cain. Ser. 4. in Psal. 118. ibi. *Vias meas enunciaui, & exaudisti me.* Confitetur, inquit, errores, non negat lapsus, si enim se accusauerit iustus, vocem parati accusatoris excludit; vtinam Adam se priùs accusare, quàm celare voluisset. Et lib. 2. de Pœnitentia c. 7. Præueni accusatorem tuum, si te ipse accusaueris, accusatorem nullum timebis, si te detuleris ipse. Et c. 10. In Ecclesia nihil est quod pudori esse debeat, nisi non fateri, cùm omnes simus peccatores: vbi ille laudabilior; qui humilior, ille iustior, qui sibi abiectior. Et de Institut. Virgin. c. 4. Erroris medicina confessio est.

Ps. 118.

Cant. 8. Et in Ps. 118. eleganter ponderat id, quod dixit Sponsa. *Non dimittam te donec introducam te in secretum meum* nec enim aliquid sui venienti Christo occultare voluit, sed omnia etiam ea, quæ secretissima erant, reuelare. Nouerat enim ita curari potuisse si abditus & recessus animæ Deo aperuisset, propterea dixit; *Non dimittam te.* Qua de re plura habet Cyprian. Ser. 5. de Lapsis. Chrysost. hom. 5. & 12. ad Pop. & hom. 3. de verbis Isai. In forensibus iudiciis post accusationem, & criminum confessionem sequitur mors. Cæterùm apud tribunal Dei post accusationem, & confessionem criminum datur corona. Similia habet Ser. in Ps. 84.

Bern. epist. 113. ad ea verba Psalm. *Confessio, & pulchritudo in conspectu eius:* reuerà vbi confessio, ibi pulchritudo, ibi decor, si peccata sunt, in confessione lauantur, si bona opera, mundantur. Cùm mala tua confiteris, sacrificium est Deo spiritus contribulatus, cùm Dei beneficia, immolas Deo sacrificium laudis. Ama confessionem, si affectas decorem. Bonum animæ ornamentum confessio, quæ & peccatorem purgat, & iustum reddit purgatiorem, absque cõfessione iustus iudicatur ingratus, & peccator mortuus reputatur. Confessio igitur, peccatoris est vita, & iusti gloria, & necessaria est peccatori, & iustum decet.

Ps. 95.

Hinc est quòd confessio Dauidis dicatur in Scriptura, scala eidem à Deo facta. Sic enim interpretatur D. Hieron. in tradition. Hebr. ad lib. Reg. ea verba Dauid. *Dixit vir cui constitutum est de Christo Dei Iacob.* In Hebræo, inquit, est. *Cui constituta est scala Christo Dei Iacob.* Scala eidem Christo Dei Iacob, id est, Dauidi constituta est per quam conscenderet ad Deum, eo quòd idem scilicet confessus fuerit se peccasse Domino in Vria Ethæo.

2. Reg. 23

Vnde iam apparet eorum stultitia, qui verentur Deo coram Sacerdote ab eo constituto, ipsiúsque personam gerẽte fateri peccata sua. Vnde Christus Dominus, qui nostra soluere venerat peccata, pectus suum aperiri voluit, quò indicaret ad abluenda nostra peccata maximè necessarium esse, si pectora aperiamus. Ideóque Tertull. lib. de Pœnitentia c. 10. Plerosque de die in diem confessionem differre præsumo, pudoris magis memores, quàm salutis; velut illi qui in partibus verecundioribus corporis contracta

Ioan. 19.

vexa

vexatione conſcientiam medentium vitant, & ita cum erubeſcentia ſua pereunt;ne tu verecundia bonus, ad delinquendum expandens frontem, ad deprecãdum verò ſubducens: an melius eſt damnatum latere,quàm palàm abſolui? Et Bernar. epiſt. 185. Non pudet inquinari, & ablui pudet, imò, ſicut argumentatur Bern. dum erubeſcimus confiteri, Deum minùs quàm homines reueremur, & ſi confundimur hîc dicere, quid erit in illa magna confuſione, vbi omnibus omnia patebunt?

MONET etiam hic locus,vt confiteamur peccata noſtra.Sunt enim nonnulli,ſicut proſequitur idem Ber.qui in confeſſionibus narrare ſolent,quæ vel arguto literario,& fortè gladiatorio geſſêre conflicto.Sunt etiam nonnulli à quibus ſermo receſſit, ne confiteantur ea, quæ ipſi fecerunt,& niſi ipſis indicent, & oſtendant Confeſſores,nihil omnino loquuntur,qui pro- *Dan. 2.* fundum habent cor. Quoniam multo ſudore, & labore inde extrahi ne- *Iſai. 26.* queunt peccata à Confeſſoribus,cùm tamen ipſi debeant propria confiteri peccata, ſicut Iacobus ait.Vnde Gregor.in expoſitione 2. Pſalm. pœnitential.ad ea verba. *Quorum tecta ſunt peccata.* Si tegit infirmus vulnera,quomo- *Pſal. 31.* do illi à Medico adhibetur medicina?nónne ſi celare vulnus cœperit, latiùs extenſum introrſum putreſcit? ſic & peccatum niſi per confeſſionem detegatur, lethaliter in nimis dilatatur, & ſicut vulnus non oſtenſum etiam ſanam carnem putredine inficit,ita peccatum, niſi confitendo reueletur,etiam quæ ibi ſunt bona, corrumpit. Tegit Medicus vulnus ſanando, medicamine, tegit Deus peccatum ea, quæ multitudinem peccatorum operit, charitate.Si quis ergo peccata ſua tecta eſſe deſiderat, Deo ea per vocem confeſſionis oſtendat.

SIMILIA habet Aug.concione 2. in Pſal. 31.cùm expendit illud Lucæ. *Luc. 18.* *Deſcendit hic iuſtificatus.* Quare cœlum non attendebat? quia ſe attendebat, vt primò ſibi diſpliceret, & ſic Deo placeret. De Phariſæo verò ſic ait. *Gratias tibi ago Domine,*&c.Habebat,inquit,peccata,ſed peruerſus,& neſciẽs quò veniſſet, erat enim tanquam in ſtatione Medici curandus. Sed ſana membra oſtendebat, vulnera tegebat. Deus ergo tegebat vulnera; nam ſi tu tegere volueris erubeſcens, Medicus non curabit.Medicus tegat,& curet:empiaſtrò enim tegit,ſub tegmine Medici ſanatur vulnus,ſub tegmine vulnerati celatur vulnus.Cui celas?qui nouit omnia. *Quoniam tacui,inueterauerunt oſſa mea acclamando tota die.* Quid eſt hoc? ſi acclamando, quomodo tacuit? tacuit quiddam,non tacuit quiddam,tacuit vnde proficeret,non tacuit vnde deficeret, tacuit confeſſionem,clamauit merita ſua,acclamando tota die in defenſione peccatorum ſuorum.

ET Bern.Serm.5. in dedicat.Eccleſiæ.Meritò dicit,miſeriæ diſſimulatio excludit miſerationem.Videndus Tertullia.lib.de Pœnitent.cùm ait.Tantùm releuat confeſſio delictum,quantùm diſſimulatio exaggerat; confeſſio enim ſatisfactionis conſilium eſt, diſſimulatio contumaciæ, neminem pudeat,iteratæ valetudinis iteranda medicina eſt. Proinde ergo confiteri debemus peccata noſtra,vt ſaluemur,non tegenda, ne damnemur.

ILLVD tamen hoc loco neceſſariò aduertendum, Confeſſori ſcilicet in-

cumbere, de peccatis pœnitentis inquisitionem facere, maximéque hoc curandum circa rusticos, & ignorantia laborantes, vnde rectè dicuntur exploratores à glossa in cap. 2. Iosue, quia debent diligenter peccatorum conscientias explorare, & ad hoc ingredi domum mulieris meretricis. i. conscientiam peccatoris, quam post prolata peccata ad morum rectitudinem suis consiliis, & admonitionibus debent reducere.

INSVPERQVE hoc loco notandum est, confessionem peccatorum, ad ipsorum emendationem debere omnino inseruire; nam, sicut rectè dixit Chrysolog. Ser. 113. ingratus Medico, inimicus est curæ, qui semper curari æstuat, nec vnquam desiderat hîc sanari, & ita Dei gratiam suis cupit exuberari peccatis, vt sibi cupiat peccata cumulari; miser qui tali voto reus esse contendit per veniam: recidiua enim lethalis est sæpiùs ægritudo. Fugienda, fratres, dementia ista, quæ etiam post curam captiua tenetur amore morborum.

§. II.

Quantùm prosit assidua deprecatio iusti.

SECVNDO ostendit, quantùm valeat, & prosit deprecatio iusti assidua & efficax: quod probatur ex Ps. 146. vbi nos habemus. *Præcinite Domino in confessione.* vbi Septug. habent; *Excantate Dominum*, quasi nostris precationibus Deus excantetur, & sopiatur. Vnde Moysi dixit. *Dimitte me.* Et illud Isaiæ. *Laude mea infrænabo te.* Vatab. transtulit ex Hebr. *Propter laudem meam frænum iniiciam mihi tui causâ, ne te omnino exscindam.* Scitum autem & vulgare est per *laudem Dei* intelligi orationem, quæ diuinam iracundiam reprimit, & si fas est dicere, refrænat, ipsíque vim videtur inferre. Vnde Paulus. *Obsecro vos, fratres, vt adiuuetis me in orationibus vestris pro me ad Deum.* In Græco est, *vt mecum certetis orationibus vestris.* Quod argumentum prosequitur Chrysost. tom. 1. Ser. de Moyse, vbi ita habet. Stabat Moyses in monte, non armis; sed precibus pugnaturus. Pugnabat cũ hostibus absẽs, cũ externis sine bello decertabat. Fit Moyse orante, occulta pugna; sed manifesta victoria, latenter dimicat, vt euidenter deuincat. Idẽ prosequitur hom. 30. in Gen.

Ps. 146.

Exod. 32

Isai. 48.

Rom. 15.

ET hom. 3. in epist. ad Philemonem loquens de oratione, ait. Vincebat Ezechias Assyrium, Moyses Amalechitas, Samuël Ascolonitas, Israël triginta duos Reges. Quod etiam habet lib. 1. de orando Deum. Et hom. de fide Annæ. Nulla profectò res est quæ possit æquari deprecationi, siquidem, vt audistis, in Anna naturam mancam, & sterilem correxit, & vuluam quæ erat conclusa, aperuit, & probrum sustulit. Et hom. 19. in Matth. ex Luca probat quãtùm oratio valeat. Cùm intẽpesta nocte, inquit, venisse aliquem ad amicum dicat, eúmque dormientem de lectulo suscitasse, illúmque hoc non tam familiaritate, quàm sedulitate meruisse, nihil aliud omnino quam vt ipse frequenter interpellaretur, admonuit. Sed insuper hoc probat, plus apud amicũ assiduitatem postulantis potuisse, quàm amicitiã: non enim

Cap. 11.

enim concessit amico, & tamen instanti,& perseueranti tribuit quotquot erant necessarij.

IDEO idem Chrysost. hom. 23. in Matth. ex hoc loco Euangelij, atque ex perseuerantia Cananeæ pro filia postulantis, ita infert. Accedamus ad eum, atque dicamus, *etiam Domine, nam & canes edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum.* Accedamus importunè, imò hoc numquam est importunè accedere; sicut enim respirare importunè omnino numquam est: ita etiam non quidem petere, sed non petere potiùs importunum est. Sicut enim respirare, hoc iugiter indigemus. Mat. 15.

ET Greg. in Psal. 6. pœnitent. Clamauit Ionas ad Deum de ventre ceti, de altitudine maris, de profundo inobedientiæ, vult Deus rogari, vult Deus cogi, vult quadam importunitate vinci, ideo tibi dicit: *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Esto sedulus in oratione, esto in precibus iimportunus, si dissimulat audire quem rogas, esto raptor, vt Regnum cœlorum accipias. Esto violentus, vt vim etiam inferas cœlis. Inferant ipsis cœlis violentiam. & Regnum cœlorum quadam orationis vi rapiant. Ionæ 3. Matt. 11.

IDEO Cananæa à Domino exaudiri meruit, quia prima Domini responsione repulsa, clamare nequaquam cessauit. Videndus Origenes homil. 11. in Exod. & Hieronym. in cap. 13. Ezechiel. & Bernard. Serm. de Ascensione, ad ea verba Marci. *Recumbentibus vndecim Discipulis, apparuit illis Iesus.* Multam, inquit, fiduciam præstat, quòd libentiùs assistit orationi incumbentibus, quando nec recumbentibus quidem dedignatur adesse. Mat. 15. Ezec. 16. Marc. vlt.

NOVIT hoc Patriarcha Iacob, qui nec dũ recũberet in lectulo præ senectute, incumbere orationi omisit, sicut notauit Rupertus lib. 9. in Genes. cap. 21. nam ad ea verba Genes. *Adorauit ad lectuli caput.* Sãctus quippe, inquit, & Deo deditus vir oppressus senectute, sic habebat lectulum positum, vt ipse iacentis habitus absque difficultate vlla, ad orationem esset paratus. Similia habet idem Rupertus lib. 3. in Genes. cap. 13. vbi ait. Culpandúsne est Deus, quia toto meridie dormiuit, & eo dormiente lupus ouem cẽtesimam tulit? non vtique, sed tota culpa illius est, quia custodem suum dormire permisit; nam vt ille non dormiat, in arbitrio hominis est, qui semper illum ne dormitet, aut dormiat, inquietare debet: vnde & per Prophetam Spiritus eius dicit. *Qui reminiscimini Domini, ne taceatis, & ne detis silentium ei.* Quomodo non dandum silentium ei? videlicet toto die, & tota nocte non tacendo laudare nomen Domini. Facit etiã id, quod notauit Tertullian. in Apologet. Christianos scilicet, dum ad mensam accedunt, præmittere orationem, ne sine ea recumbant. Non priùs, inquit, discumbitur, quàm oratio prægustetur, æquè oratio conuiuium dirimit. Genes. 47. Isai. 6.

Vers. 17. *Elias homo erat similis nobis passibilis: & oratione orauit vt non plueret super terram, & non pluit annos tres, & menses sex.*

Vers. 18. *Et rursus orauit, & cælum dedit pluuiam, & terra dedit fructum suum.*

EXPOSITIO LITERALIS.



DOCTRINAM assertam de orationis efficacia apposito probat exemplo, cúmque posset plura afferre, scilicet, Moysis
Iosu.10. mirabiles conuersiones operantis, Iosue, dum breui oratione
1.Reg.7. Solem stare coëgit, Samuëlis Palęstinorũ exercitum dissipantis, Saræ, Rebeccæ, Rachelis, & Annæ sterilium, precibus verò & orationibus fæcundarũ, Ionæ insuper, trium puerorum existentium in flammis, & Solis retrogradationis factæ Ezechiæ: vnum tamẽ Eliam af-
Isai. 38. fert, cuius voluntati, & orationi Deus adstrictus, neque rorem, neque plu-
3.Re.17. uiam misit in terram tres annos, & menses sex, iterúmque aperuit cœlos,
3.Re.18. quando iussit abundantissimas pluuias terris infundi, quando obtenebrati sunt cœli, & nubes, & ventus, & facta est pluuia grandis.

CÆTERVM, vt hoc loco aduertit Beda, ne trepidaret nostra fragilitas, reputans se tãto Prophetæ, qui curru igneo rapi meruit, disparem omnino esse, similiáque proinde facere non posse; consultò B. Iacobus de eius oratione dicturus, temperauit orationem, dum dixit: *Elias homo erat similis nobis*: Græcè habetur, *similiter affectus, similibus affectionibus obnoxius.* Et ita Oecumenius habet. *Similiter obnoxius affectionibus, sicut nos.* Glossa. *Similis mentis, & carnis fragilitate.* Homo namque erat, tametsi nulli hominum virtute secundus: similis nobis origine carnis, passibilis vt nos, & mentis, &
3.Reg.17. carnis fragilitate: enimuerò, quia carnis fragilitate nobis similis erat, apud Sareptam viduam victum quæsiuit famelicus; quia verò mente passibilis, ideo post redditas terris aquas, extinctos quoque Prophetas, &
3.Re.19. Sacerdotes idolorum, per deserta aufugit. Cùm ergo iisdem præditus fuerit affectibus, quibus & nos, quia tamen magna in Deum fiducia, eximióque salutis proximorum zelo flagrans postulauit, ea impetrauit quæ hominibus videbantur impossibilia.

Et oratione orauit. Hebraismus est ad inculcandam orationem: siç enim, vt aliquid magis auditoribus commendent, & rem exaggerent, tali repetitione vti solent Hebræi, vt quando dicitur, *creauit Deus hominem, ad imaginem*
Genes.1. *Dei creauit illum*, vt ibi annotauit Chrysostomus. Sic etiam Iob. *Timor quem*
Iob. 3.
Psal.21. *timebam, euenit mihi*; sicut ibi aduertit D. Hieronymus. Sic Dauid. *In te sperauerunt Patres nostri, sperauerunt, & liberasti eos*; vt ibi exposuit Euthymius. Sic etiam & hoc loco Iacobus, quia loquutus est de efficacia orationis

orationis assiduæ, exemplum talis orationis afferēs ait: *Oratione orauit Elias*, id est, efficaciter deprecatus est.

Hic locus campum aperiebat, vt plura de orationis vi, & de efficacia prosequeremur; sed id satis supérque fecimus tum cap. 1. tū hoc etiam cap. Videatur modò August. Serm. 226. de Tempore, vbi orationem iusti, cœli clauem appellat. Et Origenes homil. 9. in Numeros, vbi ostēdit, Deum plura nobis concedere quàm postulemus. Qua de re plura habet D. Hieronymus ad Luc. cap. 15. & D. Chrysostom. homil. in cap. 3. Sapient. & homil. 38. in Genes. & hom. 79. ad Pop. D. Ambros. in Psal. 3.

Vers. 19. *Fratres mei, si quis ex vobis errauerit à veritate, & conuerterit quis eum.*

Vers. 20. *Scire debet, quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum.*

EXPOSITIO LITERALIS.

TOTAM suam epistolam iam claudit Apostolus Euangelica exhortatione de reducendo proximo in veram pietatis, ac fidei viam, qui aberrauerat per viam iniquitatis; asserítque sic reducenti proximum, præclarum præmium æternæ vitæ à Deo esse reseruatum. Sensúsque totius sententiæ est: Magnum, & præcellens putate, fratres, si quis precibus suis à morte corporis alium suscitauerit, vt quidam Prophetarum, & Apostolorum fecisse leguntur; sed longè maius, ac propè diuinum censendum profectò est, si quis animam à peccatis, ab ira Dei, dānationéque perpetua liberet; cauete proinde, ne vestra negligentia pereant animæ, quas æternus Dei Fili⁹, homo fact⁹, propria morte redemit; cauete itē ne tātis præmiis vos indignos reddatis, fallētes vosmetipsos.

SI quis ergo *errauerit à veritate*, fidei scilicet, aut morū, aut legis; lex enim recta, & iusta veritas dicitur in Psalmo. *Lex tua veritas*. & iterum: *Omnia mādata tua veritas*: ideóque facere veritatem, est operari secundùm legem iustitiæ, rectitudinis, & honestatis, vnde Christus Dominus dixit. *Qui facit veritatē; venit ad lucem*; nam veritas aliquando est, qua vitæ sanctitas omnis continetur, & honestas, de qua Paulus dixit. *Veritatem autem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus.* Psal. 118. Ioan. 3. Ephes. 4.

DOCTRINA etiam Christi veritas est, tum quia vmbras, & figuras legis illustrat, tū quia promissiones implet, demum quia viam Dei perfectè tradit. Si quis ergo à veritate errauerit discedēdo à lege Christi, aut à via veritatis, virtutis, & iustitiæ, & conuerterit quis eum, reducendo scilicet iterū ad viam veritatis, vel bene monendo, vel tacitè exempla rectæ actionis

Mat. 18. ostendendo, quod est ostendere viam veritatis, & lucrari fratrem, sicut dixit Christus Dominus.

SALVABIT ergo *animam eius*, occasionaliter scilicet, & doctrinaliter, *à morte*, scilicet æterna, quæ vera mors est, vt aduertit Beda, & D. Thomas, in qua morte licet adnotare cum D. Bernard. nec qui torquet, aliquando fatigatur, nec qui torquetur, aliquando moritur: sic enim ignis ibi consumit, vt semper reseruet, sic tormenta aguntur, vt semper renouentur. Sic morientur, vt semper viuant, & sic viuent, vt semper moriantur.

ALIQVI verò codices habent, *Saluabit animam suam*, nam ex ambiguo Græco ita rectè exponit potest, vt aduertit Beda: & reuerà, qui erranté corrigit, eiúsque animæ docédo medetur, sibimetipsi per hoc vitę cœlestis gaudia ampliora acquirit. Qui peccatorem, inquit Beda, ab errore conuertit, & eius peccata per hanc cóuersionem ab aspectu interni iudicis superpositione melioris vitæ abscondit, & sua quoque in quibuscumque offendit errata ab intuitu eius, qui omnia videt, proximum curando contegit; ideóque Paulus dixit. *Attende tibi, & doctrinæ, insta in illis; hoc enim faciens, & te ipsum*
1. Tim. 4. *saluum facies, & eos qui te audiunt*: & alibi ait. *Vnusquisque propriam mercedem ac-*
1. Cor. 3. *cipiet secundùm suum laborem, Dei enim sumus adiutores.*

ADVERTIT autem ex hoc loco Iacobi D. Bernard. epist. 203. errantes citiùs emendádos, ne non solùm errent, sed multos post se trahant suo exemplo: eos autem qui poterunt reuocare; nec reuocabunt, eodem errore inuoluit. Annunciate, inquit, peccatori opus eius, ne in illo peccato suo moriatur, sanguinem verò eius de manu vestra requirat, qui suo eum re-
Amos 5. demit sanguine pretioso. En de cœlo clamat. *Virgo Israël corruit, & non est qui subleuet eam*; quousque in luto aurum iacet? tollite margaritam, &c.

EX hoc etiam loco probat Ambros. in cap. 5. epist. ad Galat. quòd sicut is, qui errantem conuertit, valde remunerandus est, ita & qui recta incedentem via iter in deuium cogit flectere, grauem damnationem consequetur; quod confirmatur ex verbis Pauli loco citato, vbi ait: *Qui conturbat vos, portabit iudicium, quicumque fuerit.* Vbi etiam aduertendum est, non esse necessariam tantam curam ac diligentiam, vt frater in errorem inducatur, quanta opus est, vt ab illo reducatur, nam sicut dixit Nazianz. Orat. 1. Apologet. Res quædam ad imitandum prona, & expedita improbitas, neque quidquam tam facile, quàm malum fieri, etiamsi nemo ducem se nobis ad vitium præbeat.

ET D. Hieronymus epist. ad Lætam. Procliuis est malorum æmulatio, & quorum virtutes assequi nequeas, citò imitaris vitia. Vigilandum proinde est, ne aliis fiamus laqueus, & ruina, quod quàm citissimè fit, quódque durum iudicium, ac supplicium inuenit. Præ oculis igitur habenda sunt verba
1. Cor. 8 Pauli, qui de hac re loquens sic habet. *Sic peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam in Christum peccatis.*

OPERIET igitur qui reduxerit fratrem, multitudinem peccatorum, illius scilicet quem conuerterit, & sua quoque in quibus offendit errata ab aspectu interni Iudicis, qui omnia videt, non amplius iam discooperienda

da ad ignominiam, vt ait D. Hieronymus in Psalm. 31. nec ad supplicium, licet aperienda ad gloriam Dei: nec erunt prorsus aliis incognita. Qua de re videndus Anselm. lib. de similitud. cap. 60. nec admittendus Magist. in 4. distin. 1. Omnia namque peccata gesta in corpore discooperientur. Et cùm Deus iustus sit, si penitùs non punit, omnino delet, & cùm omnia quæ sunt, sint nuda, & aperta oculis eius, quod Deo tegitur, prorsus euanescit, & quod illi opertum dicitur, prorsus non est.

VIDENDVS pro hoc loquẽdi modo Petrus Damian. Serm. 3. de S. Georg. & Origen. in cap. 4. epist. ad Roman. Ambros. 2. de pœnitent. cap. 5. Gregor. 32. Moral. cap. 2. & homil. 4. in Ezech. qui dicunt operiri peccata ab eo, qui priùs peccauerat, quando assumendo honestæ vitæ tegmen facit, vt præteritorum criminum ante Dei oculos turpitudo celetur, abiecta scilicet per remissionem turpi, & lacera peccatorum veste, & induta eleganti, ac prima stola, quam pius pater misero filio afferri iussit; doctrinam verò præsentium verborum aperiet appositus §. *Luc. 15.*

§. I.

Iustis hominibus, & Prælatis incumbit errores aliorum corrigere, & ad viam veritatis adducere.

HIc locus docet quæ cura proximi reducendi à via iniquitatis, & adducendi ad viam iustitiæ in nobis debeat reperiri; hoc enim est saluare animam eius à morte: sicut in re simili rectè exposuit Clemens Alexand. 1. Pædag. c. 7. Pertinet autem hæc cura & diligentia ad perfectos, & iustos viros, & iis insuper incumbit, qui curam animarum habent.

PRIMVM ergo significatum esse videtur in Iacobo, & Esau, quorum alter, pius scilicet & iustus Iacob, dum impius Esau ingressus est viam viuentium, & è ventre matris exiit, istius plantam tenebat manu, vt inde iam intelligeretur, pij & iusti viri proprium munus esse impiorum gressus dirigere, & reducere ad viam rectam, si aberrauerint. Vnde Paulus dixit. *Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam sine qua nemo videbit Deum, contemplantes ne quis desit gratia Dei*; quasi dicat, non solùm hoc quæro, vt vos adsitis gratiæ, sed vt alios adducatis, imò si declinauerint à recto, reducatis. Sumptáque videtur metaphora ab his, qui inter latrones gradiũtur, qui maximè curãt, ne quis à via abberret, & à recto itinere deuiet, incidátque in manus latronũ. Vnde Chrysost. ibi ait: Sic cũ eis loquitur quasi in numeroso comitatu viatorum longa itinera permearent, veluti si diceret. Attendite vobis, ne quis vestrùm remaneat, & in latronum manus deueniat, non hoc tantùm requiro, vt vos soli perueniatis, sed etiam vt inspiciatis & cæteros, ne quis desideretur. Ideóque Græcè habetur: *superintendentes, & aliorũ curam habentes.* Et Theodoretus ibi. Non solùm autem vestrùm, sed etiam alter *Gen. 25.* *Hebr. 12.*

alter alterius curam gerite, nec eum qui est infirmus, despicite, & ei qui vestræ manus auxilio indiget, subuenite. Quibus habet similia Theophyl.

Hoc vt faceret idem Paulus, & vt aberrantes in rectum adduceret iter, transmutabat se in varias formas, vt omnes, factus omnia omnibus, lucri-
1. Cor. 4. faceret, nec deesse aliquo modo instituto proprio videretur, vnde ait. *Spectaculum facti sumus mundo.* quod D. Hieronym. aduersùs Iouin. sic legit. *Theatrum facti sumus mundo*, id est, varias induimus formas, & omnes in vniuersum agimus personas, omnibus nos accommodantes, & metientes, ne aut
1. Cor. 3. excedamus, aut deficiamus. Ideo modò hortulanum agit cùm dicit. *Ego plan-*
1. Cor. 3. *tauit, Appollo rigauit*, &c. deinde architectum, vnde ait. *Secundùm gratiam Dei, quæ data est mihi, vt sapiens architectus fundamentum posui.* Alibi se matrem exhi-
Galat. 4. bet dicens. *Filioli, quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis*; aliis se ve-
1 Thes. 2 lut nutrix accõmodat; ideóque ait. *Facti sumus in medio vestrûm tanquam si nu-*
1. Cor. 9. *trix foueat filios suos*: modò se militem profitetur dicens. *Sic pugno, non quasi aërem verberans, sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo.* & iterum: *ad bestias*
1. Cor. 15. *pugnaui Ephesi.* Quin & luctatorem se prædicat cùm ait. *Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem.* Omnes denique personas agit, vt omnibus succurrere possit, & omnes secum ad viã veritatis reducere, ac docere possit. Cuius rei rationem optimam affert Chrysost. hom. 33. in 1. ad Corinth. dicens. Magnus est Doctor charitas, satis idoneus qui & tollat errores, & mores formet, & ad Philosophiam manu ducat, & è lapidibus homines reddat. Is proinde, qui charitate præeminet, aliis succurrere debet, & omnes quantumuis perditos lucrifacere, & ad viam iustitiæ is qui iustus est, adducere.

QVOD si hæc cura pertinet ad viros iustos, multo magis spectabit ad
Luc. 15. Præsules & Pastores, qui edocti ab illo primo, ac vero Pastore, qui centesimam ouem perditam quærens, inuentam super humeros imposuit, & ad caulas reportauit, sibi commissas oues debent seruare, educere, & reducere, ne aliqua pereat, ad quod alludit pallium ex agnina confectum lana, quod primores Episcopi gestãt solemnioribus diebus, vt obseruat Isidor. Pelusiota lib. 1. epist. 136. Qua de re videndus D. Bernard. Serm. de S. Magdal. cùm ait. O quàm leni, & dulcissimo spiritu imbutus est spiritus illius, qui nouit in spiritu lenitatis peccantem instruere, suspendere vindictam, & affectuosis visceribus inuiscerare sibi peccatorem, donec vitæ reddatur!

INSERVIT autem ad commouenda viscera pietatis, si quis aduertat, nos more ouium aberrare, non verò ad instar non viuentium, & insensibilium, hæc enim quo in loco ceciderunt, ibi remanent donec tandem inueniantur,
Luc. 15. tur, vnde mulier quæ domi drachmam perdidit, eam totam domum euertens quæsiuit, non verò extra domum, donec ibi eam inuenit: at verò quæ viuentia sunt, & loco mouentur, quo plus à via discedunt, eo magis implicantur, & à recto longiùs abeunt: quod videtur voluisse Dauid cùm dixit.
Ps. 118. *Erraui sicut ouis, quæ periit, quære seruum tuum.* Quasi ex eo magis diuinam imploret, & cõmoueat clementiã, quo magis à via recedit velut ouis perdita, remotiora in dies quærẽs loca, à diuina luce longiùs profuga, & separata: quod

quod videre licet in Petro,qui primò negauit simpliciter,postea verò cum iuramento,& tertiò detestari,iurare,& anathematizare cœpit,*quia non noui hominem.*Sic & Dauid adulterio addidit homicidium ; vera etenim est celebris illa sententia D. Gregor.homil. 11. in Ezech. quæ habet : Peccatum, quod per pœnitentiam non deletur,suo pondere ad aliud trahit.Qua de re videndi recentiores Theologi cum D.Tom.1.2.quæst. 109.art.8. Ne misera igitur anima perdita pereat,debent Pastores vigilare , & quàm citissimè occurrere , si à via aberrauerit.

Hoc aut m vt faciant libentiùs, voluit Deus , seu permisit, vt duo hierarchæ,veteris vnus legis,& nouæ alter,nimirum Aaron , & Petrus, fœdè laberentur circa ipsammet,cui præerant,Religionem,vt scilicet mitiùs se haberent , & faciliùs commouerentur erga delinquentes oues:cùm Pastores sic delinquentes nobis proponerentur, sicut notauit Caiet. in cap. 32. Exod.& qui casum in se experti fuerant,alios cadentes libentiùs leuarent. Vnde D. August.exponens ea verba Christi Domini. *Tolle grabatum tuum.* Ioan.5. ait:Cùm esses languidus portabat te proximus tuus, sanus factus es , porta proximum tuum.Porta ergo eum cum quo ambulas,vt ad eum peruenias, cum quo manere desideras.

Qvod si præ infirmitate frater aberrauerit maiori commiseratione dignus censendus est , ideo namque bonus Pastor,qui animam suam ponit pro ouibus suis , dum eas Petro committeret,semel,atque iterum tenellos agnos commendauit, dicens. *Pasce agnos meos*:semel verò ouium meminit, Ioan.21. dicens, *Pasce oues meas.* Idémque diuinus sponsus hædos tãtummodo adhuc paruulos sponsæ commendat, dũ ait. *Pasce hœdos tuos iuxta tabernacula.* Quæ Cant.1. omnia singularem pastoris curam & diligẽtiam erga infirmiores probant, sicut ad prædicta verba Cantici optimè notauit Alanus; atque etiam scholastici Theologi cum D.Thom. cùm reddunt rationem cur Deus non Angelicam naturam, sed humanam reparauerit,& nonaginta nouem reliquerit oues in deserto, debiliorem, ac miserabiliorem quærens.

Meminit autem errantis fratris , non fratrum noster Apostolus , inculcatum nobis volens,vt sic omnium salutem curaremus,vt vniuscuiusque etiã nullatenus præteriremus , & ita debitores essemus omnibus hominibus,vt cuilibet nos addictos à Deo existimaremus:quod elegãter sanè notauit Philo lib.de Decalog. cùm quærit, cur Deus publicãdo diuinã legẽ,quã vniuerso orbi concesserat,ita eam publicauerit,vt non cũ omnibus videatur loqui,sed cum priuato aliquo & peculiari homine ; nec enim dicit:Diligetis Dominum Deum vestrum, sed potiùs ; *Diliges Dominum Deum tuum,* ne scilicet quispiam Imperatorum, vel Regum , vel etiam dominorum vllum ex eorum numero, qui priuatam agunt vitam , despiciat , cùm Deus non dedignetur eundem alloqui, & peculiarem illius curam gerere. Vnde Pacatus in Panegyrica oratione in laudem Theodosij Imper. ait. *In ipsis statim Imperij auspiciis priuatorum domus adibat,& vrbis angulos, qui nunquam Imperatorium Solem vidissent, pio lumine complebat.*

Si verò necesse fuerit vt baculo , seu virga ouem reducat , nullatenus deesse-

deesse debet; ideo namque Elisæus dicebat, *Pater mi, currus Israël, & auriga eius.* Quia bonus Pastor & portare debet infirmos more plaustri, & rebelles comprimere ac refrœnare efferatos, ne præcipites agantur; humeris asportare, & virga corrigere. Vnde Gregor. Nyssenus in vita Moysis, asserit supplicium à Deo illatum Moysi ob id fuisse, quòd cùm ei præciperet accepta virga populum in contritionem vocare, corámque petra alloqui, ille perculsus animo nihil de Deo magnificè præfatus, paucis quidem & subobscuris vsus est verbis, quod Dauid dixit. *Non distinxit in labiis suis,* non palàm & seuerè locutus est. At verò sicut notauit Clemens Alex. 1. Pædag. c. 9. Qui ad gratiam loquuntur, parum diligunt, qui autem ad vtilitatem, acerbi sunt, in futurum sæculum beneficio afficiunt. Vnde & Sponsa cùm pulchra esset, nigram tamen se filiis exhibuit, cuius rei causam reddit D. Ber. Ser. 28. in Cant. Vt remissis, inquit, mollibus & fugitantibus disciplinam non candorem serenitatis, sed obscurum seueritatis zelum exhibeat.

4. Reg. 2. — Psal. 101.

Hæc etiam fuit ratio sicut optimè notauit Clemens Alex. sup. cap. 7. cur Christo Domino tanquam bono Pastori, & optimo pædagogo tribuatur virga in Scriptura. *Virga oris sui interficiet impium.* Vt quibus, inquit, verbum suadens, & admonens non medetur, eis minæ medeantur, quibus autem non medentur minæ, virga medebitur, quibus verò virga non medetur, eos ignis depascit. Debet ergo perfectus Pastor, si quando ouis deuiauerit, & verbo, ac doctrina, & virga, ac supplicio reducere.

Isai. 11.


Si autem contingat nihil hæc omnia prodesse, nobis minimè iam imputabitur: namque, vt D. Ambros. dixit lib. 1. de Virginibus in principio, studium à nobis Dominus, non profectum requirit. Quibus habet similia Chrysost. homil. 4. de verbis Isai. *Vidi Dominum.* Semper tamen præ oculis habendum est, quòd si nostra doctrina, aut diligentia frater reducitur, id Deo tribuendum tanquam auctori, & præcipuæ causæ, nobis verò vt instrumentis: *Neque enim qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.* Quod argumentum prosequitur D. August. epist. 105. & 3. de Trinit. c. 8. & Bernard. epist. 135. vbi ait. Profectò lex Domini conuertit animas, non ego: laudatur de bona literæ tornatura manus, non calamus. fateor vt multùm tribuam mihi, lingua mea calamus scribæ. Et D. Ferrandus in 5. regula: Seminare pertinet ad officium diligentis agricolæ, superni est muneris vt terra fructificet votísque cultoris sui respódeat, quod etiam dixit Horat. lib. 1. Od. 2. *crescit occulto arbor æuo.*

Ipse igitur qui incrementum tribuit, & gratiam intus largitur nobis dignetur, si quando à via discesserimus, occurrere, ipse vias nostras ac verba dirigat: dirigat insuper, corrigat, & reducat Sancta mater Ecclesia, cuius correctioni, quæ hucusque dixi, dixeróue semper subiicio, suppléxque committo.

FINIS.



INDEX



INDEX RERVM, ET VERBORVM, QVÆ IN COMMENTARIIS IN EPIST. B. IACOBI APOSTOLI CONTINENTVR.

A.

Abrahæ fortitudo, & fides in oblatione filij. pag. 356
Absentium amor maximè probatur. 28. 29
Acceptio personarum reprehenditur. 252
Acceptio personarum charitatem fraternam scindit. 254
Acceptio personarum nulla apud Deum. 252
Aduentus Dei in carne. 216. 217
Adulterium peccantis animæ. 574
Afflictos persequi, iniquissimum. 102. 103
Alba vestis, signum honoris. 262. 263
Ambitio vilis, & audax. 329
Ambitio in honoribus reprehenditur. 397
Ambitio perfectos aggreditur. ibid.
Ambitio pacem, & vnionem turbat, & scindit. ibid. & 550
Amicus dolosus vitari non potest. 103
Amicorum manus respicit falsus amicus. 299
Amor Prælatorum in subditos. 417. & sequentibus.
Amor inter absentes probatur. 28. 29
Amor Dei in hominis creatione. 165
Amor Dei in homines. 164. 216. 382. 577. & sequentib.
Amor Dei in vnumquemque nostrûm. 372. 577
Amor laborem non sentit. 306
Amor proximi. 295. 296.
Amor proprius. ibid.
Amor patriæ qualis. 381.
Amor Dei superat amorem patriæ. ibid.

Amor magnus Doctor. 382.383
Amor proximi occultat defectus illius. ibid.& 526
Amor proximi non sola verba,sed opera defert. 310
Amor proximi,eius maximè curat salutem. 767.& sequentib.
Amor proximi magnus Doctor. 768
Amor Dei,& mundi inter se pugnant. 583
Amor Dei via qua facilè ad Deum imus. 629
Annulus nobilitatis signum. 262
Anima nostra Deo desponsatur. 579
Appetitus inordinatus principium peccati. 134
Appetitus quomodò nos ducat ad peccatum. 135
Appetitus hostis noster. ibid.
Appetitus nobis in insidiis. 138.& sequentibus.538.& 539
Appetitui minimè fidendum. 138.& 539.
Appetitui qua cura occurrendum. 143.538.& 550
Appetitus nos decipit. 539
Auarus,& cupidus diuitiarum. 546
Auaritiæ bellum,& arma. 551.& sequentib.
Auaritiæ crudelitas in auarum. 614
Auarus pro Deo habet diuitias. 688.& sequentib.
Auari iniquitas. 691
Auarus torquetur pro iis quibus posset esset beatus. 693
Audire verbum Dei quàm vtile. 176
Auditus primaria causa salutis. ibid.
Audire verbum quomodo. 178
Auditores se reprehendunt,non prædicatores. 215
Audientes verbum Dei, non facientes. 218
Author omnium bonorum Deus. 152

B

BAPTISMVS generatio est. 162
Baptistæ Ioannis humilitas. 651
Beatitudo gloriæ quomodo sit corona. 127
Beatus plus aliquando de beatitudine alterius gaudet,quàm de sua. 281
Beneficia Dei magnifica. 64
Beneficia Dei ad plura ipsum constituunt debitorem. 65
Beneficia qui confert,nihil debet sperare. 61
Beneficia Dei integra,& perfecta. 160
Beneficia Dei apta loco,tempori,personæ. 161
Beneficus homo imitatur Dei naturam. 67.241
Beneficus homo sibi benefacit. 243
Beneficia amorem dicunt,& merentur. 283
Blandimenta concupiscentiæ arma diaboli. 26

Bona ſpiritualia maximè curanda. 27
Bona bonorum ſunt æterna bona. 80
Bona noſtra Deo referenda. 156
Bona temporalia bonam poſtulant conſcientiam. 264
Bona temporalia, vide literam T. ſub titulo, *temporalia bona.*
Boni præponuntur iure aliis. 258
Breuitas rerum temporalium. 115.116
Breuitas, & incertitudo vitæ. 325. vide etiam, *vitæ breuitas.*

C

CAnanæa laudatur. 761.763
Candida veſtis nobilitatis inſigne. 262
Caſtitas qualiter honorificet homines. 203
Caſtitas multùm conducit ad ſapientiam. 516
Caritas virtutum regina, & regia virtus. 292
Caritas via regia, & communis. 294
Caritas neminem excludit. ibid.
Caritas neceſſaria, & vtilis. 303
Caſtigat Deus per tranſitum. 697
Caro noſtra ſpinas malarum cogitationum profert. 136.537
Caro quo ſenſu non ſit infirma. 137
Caro verè infirma. 129.150
Carnis infirmitas Dei poſtulat auxilium. 142
Caro inurbana ad ſpiritum. 137
Carne pro armis contra nos vtitur diabolus. 138.542
Caro in inſidiis contra nos. 137.541
Carnis deliciæ perſequutiones ſunt. 139
Caro corpúſque quomodo tractandum. 140.417
Chriſtus verum templum, & Pontifex. 75
Chriſtus exemplum patientiæ. 653. & ſequent.
Chriſti patientia in tormentis. 717.737
Chriſtus Cruci affixus nos vocat. 581
Chriſtianorum conſtantia. 27
Chriſtiana vita debet correſpondere nomini. 269
Cibus, & potus moderatè ſumendus. 706
Cibi nimietas quæ mala cauſet. 707
Cibi nemietas effœminatos reddit homines. 708
Cibi nimietas ſimiles nos reddit brutis. 710
Clamor in Scriptura quid ſit. 695
Clamare quæ peccata dicantur. ibid.
Concupiſcentia noſtra principium eſt peccatorum. 136
Concupiſcentia non infert neceſſitatem ad peccandum. ibid.

Concupiscentia nostra quomodo se habeat in peccato. ibid.
Concupiscentiæ minimè fidendum. 532
Concupiscentia quomodo nos decipiat. 537.& seqq.
Concupiscentia inimica spiritus. 138.536
Concupiscentiæ motus quot sunt. 142
Concupiscentiæ motibus qua cura occurrendum. 144
Cogitationibus iniquis qualiter occurrendum. ibid.
Cognitio Diuinæ voluntatis, ad Dei obsequium & cultum inseruit. 679
Cognitio sui. 149.161.225
Cognitio sui, pondus habet ne quis superbiat. 157.239.254
Cognitio propriæ ignorantiæ conducit ad sapientiam. 61
Cognitio peccati via ad Deum. 626.
Concionatoris munus non citò sumendum. 127
Contionator lacrymas, non risum moueat. 213
Concordia fidelium. 295
Commodum proprium omnes quærunt. 300
Commodum proprium non quærendum in dignitatibus. 414
Compassio alienæ miseriæ in iustis hominibus. 524
Compassio in alienis malis. 242
Confidentia in rebus temporalibus damnatur. 95
Consolatio vera in solo Deo repetitur. 744
Confessio peccatorum quàm vtilis. 760
Confessio duplex in Scriptura. 757
Constantia Sanctorum. 94
Conuersio nostra muturanda est. 628
Cœlum cur sic dicatur. 281
Conscientia quomodo iniquos torqueat. 85.749
Cupiditas diuitiarum arma diaboli. 26
Cupiditas pecuniæ, & rerum temporalium. 206.546
Cupiditas vindictæ vilis. 208
Creationis nomine iustificatio intelligitur. 163
Confidendum Deo. 576
Confidentia in oratione. 81
Cultus Dei Regna dilatat. 25
Confessoris officium. 762

D

DARE apto tempore sapientiæ est. 160
Defectus proximorum occultandi. 383.526
Defectus proximi quomodo curandi sunt. 765.& sequentibus.
Defectus aliorum ad nostram salutem, & cautionem. 385.& seqq.
Defectus malorum maximè conspicui sunt. 432
Deliciæ carnis persecutiones sunt. 139

Dele

Delectationes, persecutiones sunt. ibid.
Desideriis iniquis occurrendum, & de iis agitur. 144.& sequentib.
Desideria rerum solùm habentur in mundo. 559
Detractores res augent. 447
Detractores. 456
Detractores carpuntur. 655
Detrahere quid sit. ibid.
Detractoribus resistendum. ibid.
Deo confidendum. 368
Deus non est auctor peccati. 132.148
Deus quomodo sit Pater noster. 164
Deus verus medicus infirmitatum nostrarum. 751
Deus sufficit nobis pro omnibus. 165
Dies Domini quid significet. 116
Dies iudicij, vide, *iudicij dies.*
Dignitates meretur qui eas contemnit. 403
Dignitates quomodo accipiendæ. ibid.
Diligentia in operibus charitatis. 335
Diligentia iustorum in surgendo à peccatis, 424
Discipulorum defectus magistris tribuuntur. 422.& seqq.
Diuites quomodo miseri sint. 683.& sequentibus.
Diuites malè audiunt in Scriptura. 191
Diuites à Deo puniuntur. ibid.
Diues non glorietur in diuitiis. 108.112.
Diuites bellicosi. 747
Diuites sæuiunt in pauperes. 285
Diuitiæ nihil gloriæ continent. 113.271
Diuitiarum falsitas. 113.& sequentib.
Diuitias amare angusti animi est. 110
Diuitiæ dominantur diuitibus. 111.207
Diuitiæ alienæ non propriæ sunt. 113.114
Diuitiarum honor verum honorem furatus est. 256
Diuitiarum cupiditas. 547
Diuitiarum breuitas. 114
Diuitiarum fallacia. 674
Diuitiæ idolum, quod reueretur homo. 256
Diuitiæ, veræ sunt virtutes. 279
Dolosus vir abominatur. 103.104.528.529
Dolositas vel duplicitas animi, seruile vitium. 108.528.530.
Duplicitas animi reprehenditur. 110.111

E

ECclesia Dei dilatatur persecutionibus. 26
Electio fieri debet ex probatis hominibus. 491.492
Electio iniqua. 255

Electio.

Electio iusta. 257
Electio Prælatorum, & Doctorum qualis. 406. 407
Eleemosynarius imitatur Dei naturam. 67
Eleemosynarius dum tribuit, sibi accipit. 243
Eleemosyna. 241. 314
Eleemosyna liberat in iudicio. ibid.
Eleemosyna vilibus rebus magnum dat pretium. 318
Eleemosyna neminem excipit. 319
Eleemosyna cæteras virtutes continet. 318
Eleemosynam qui negant, reprehenduntur. 245. 271. 315
Eleemosynam quis intelligat. 272. 314
Epistolæ Apostolorum communem continent doctrinam. 23. 24
Eucharistia præuium examen requirit. 220
Euangelium speculum est vt componamur. ibid.
Errores proximi quomodo curandi sint. 766. 767
Excusatio in peccatis. 136
Excusationem in peccatis à primis parentibus hæreditamus. ibid.
Excusatio in peccatis quantùm Deo displiceat. 137. 460
Exterior ornatus hominis quos decipiat. 261
Exemplum maiorum quàm necessarium sit. 429. 490
Exempla ad omnia habemus in Sanctis. 732
Exempla quantùm valeant. ibid.
Exempla patientiæ. 733
Exemplum malum perniciosissimum. 766

F.

FALLERE aliquem, iniquissimum. 28. & seqq.
Falsitas diuitiarum. 112
Falsi, & dolosi. 527. 530
Famæ nostræ debemus consulere, & occurrere si lædatur. 470.
Festiuitates Ecclesiæ beneficia Dei nobis in memoriam reuocant, vt pro illis gratias Deo agamus. 73. & sequentibus.
Fides maximè necessaria ad orandum. 81
Fides cum operibus. 331. & sequentib.
Fides per opera comprobatur. 335
Fides mortua quæ sit. 339
Fides sine operibus citò perit. 343
Fides superat difficultates naturales. 366
Fidendum soli Deo. 368
Filiorum defectus patribus imputantur. 422
Filij Religiosi quantùm æstimandi. 360
Fragilitas humana nostros defectus excusat. 434
Fructus iustitiæ necessarij; vide *opera*.

Fratres

Fratres quomodo appellantur Christiani. 34

G

GAVDIVM Sanctorum in laboribus. 36
Gaudia vera in Deo. 648. 745.
Gaudia cœlestia qualia. 556
Gaudium in oratione. 745. & sequentib,
Gaudia sæculi ficta,& profana. 41.745
Genuit nos Deus quot modis. 161.
Gloria quomodo sit coronæ vitæ. 127
Gloria cælestis hæreditas,& qualis. 281.
Gloriæ bona qualia sint. 724
Gloriari non decet in diuitiis. 119
Gloriari in peccatis. 677
Gratias debemus agere pro beneficiis acceptis. vbi plura de gratitudine. 157.540.748.
Gratitudo est beneficiorum custos. 748.
Gratitudo testis beneficiorum. 159

H

HÆreditatis nomine beatitudo intelligitur. 271.284
Hypocrita 93.103.
Hypocritæ inconstantes. 100
Hypocrita non fert fructum suum. ibid.
Hypocritæ duplices animo. 99
Hypocrita duplex homo. 100
Homo arbor temporalis est. 114.
Homo quanti apud Deum fiat. 164.
Homo se curiosè componens,& adornans. 223
Homo non ex vestibus, & dignitate,sed ex se, & virtute sua pensandus. 264.& seqq.
Homo imago Dei,ideóque honorandus. 500
Hominis dignitas. ibid.
Hominis dignitas eum debet continere. 502
Homo non debet deturpare imaginem Dei quam in se habet. ibid.
Hospitalitas laudatur. 398
Hospitalitas accipit,non dat. ibid.
Hospitalem esse remuneraturis,iniquum. 179
Humana fragilitas nostros excusat defectus. 434
Humilior surgit iustus cùm peccauit. 430
Humilitas quot modis in Scriptura sumitur. 595
Humilitas beneuolentiam conciliat. 15
Humilitas in iis qui sunt honoratiores,maius pretium habet. ibid.

Humilitas in Dei obsequio,& cultu. ibid.
Humilitas Sanctorum. 16. & seqq. 432
Humilitas Sanctorum quomodo superba. ibid.
Humilitas exaltare solet humiles. 21.158.159.650
Humilitas quid significet in Scriptura. 106
Humilitas quanti à Deo fiat. 610.& sequentib.

L.

IMPATIENTIA primò in diabolo inuenta est. 730
Iob patientia imitanda. 737
Immutabilitas Dei. 155.& sequentib.
Incarnatio verbi. 216
Inconstantia rerum temporalium. 117.368 369
Inconstantia iniquorum. 76.98.103.512
Ingratitudo reprehenditur. 73.& sequentib.
Iniqui cedunt laboribus. 122
Iniquus homo sibi nocet. 152
Inimicorum dilectio. 208.& sequentib.
Inimicorum dilectio nobilissima. 293
Inimicorum amor, proprius Christianorum. ibid.
Intentio nostra Christum respicit. 234
Interiùs pensandus homo, non secundùm externa. 265
Iniuriæ quomodo tolerentur. 193.439.457
Iniuriarum obliuio nobilissima. 208
Iniuriarum remissio. 320
Iniuriis non cedere. 208
Inuidia Angelum fecit diabolum. 588
Inuidia primi homicidij causa. ibid.
Inuidiæ miseria,& iniquitas. 494.226
Inuidia nulla in cœlo. 323
Inutilis homo, nec homo est. 67
Irato videtur iustum, quod iniquum est. 175.195
Iratus nihil rectum operatur. 175
Ira iustitiam dissipat. 174
Ira reprehenditur vitiosa. 191
Ira cohibenda. ibid.
Ira curatur silentio. ibid.& 452
Ira quomodo superetur. 193.194
Ira si durat, transit in odium. 195
Ira in nosmetipsos, est pœnitentia. 202
Ira quomodo tribuatur Deo. 197
Ira Dei significat iustam vindictam. ibid.
Ira Dei quò tardior, eò acerbior. 697.& sequentib.

Ira

Ira pro zelo Dei,& iustitiæ,bona est. 197
Iudas maximè Deum offendit,dum desperauit. 502
Iudæi Ecclesiam Dei persequuntur. 24.& seqq.
Iudæi natura crudeles. 25
Iudæi in Orbem dispersi in pœnam sui criminis. 26
Iudæorum inconstantia. ibid.
Iudæi velut serui tractabantur à Deo. 225
Iudæi pueriles. 233
Iudæos olim quanti Deus faciebat. 249
Iudex communis esse debet. 255.& sequentib.Vide *Prælati æquitas in omnes.*
Iudex iniquus, & acceptor personarum. 258
Iudex debet esse diues. 419
Iudicare secundùm externa tantùm iniquum. 269.662
Iudicium iniquum,& temerarium. 525.656.662
Iudicij vltimi recordatio quantùm valeat ad virtutem. 311
Iudicij dies lætus iustis. 705.740
Iudicium Dei quò plus tardat,acerbius erit. 701
Iudicij dies cur propè esse dicatur. 729
Iustitia æqualis omnibus. 258
Iudicare quomodo debeamus,& possimus de proximo. 514
Iustus vt Phœnix. 120
Iustorum diligentia in surgendo à peccatis. 430
Iusti non cedunt laboribus. 122
Iustitiam Dei quis imitetur. 196.197.258
Iustitia Dei duplici misericordia reconditur. 197
Iustitiam dissipat ira. 175
Iuramentum quomodo fieri debeat,& quando liceat. 740.& sequentib.

L.

LABORES quærunt Sancti. 35.38.730
Labores requies,& deliciæ Sanctorum. 35.120
Laboribus perficiuntur Sancti. 36.717.722
Labores Sanctorum velut ficti,non veri. 40.714
Labores Deum socium habent. 44
Laboribus examinatur virtus, 44.722
Labores magnum Dei beneficium. 55.160.372
Labores beare solent iustos in hac vita. 121
Laborum beatitudo. ibid.
Labor mensura gloriæ. 724
Laboribus non cedunt iusti. 122
Labores quærunt iusti in hac vita. 722
Labores prædestinatis accidunt. 125.372.722
Laboribus probantur fideles. 124.371

Labores pignora sunt vitæ æternæ. 116
Lacrymæ. 420. 637.& sequent.
Lacrymæ solis peccatis adhibendæ. 639
Lacrymæ nostram terram rigant, vt virtutes proferat. 646
Lacrymæ suas voces habent. 686
Latro beatus. 125. 272. 384. 565
Laudandus Deus semper à nobis. 473
Laudes nostras cur Deus æstimet. 475
Laudare hominem, periculosum. ibid.
Laudes qui scit apto tempore reprehendere. 476
Lex obseruari debet. 293.320
Lex Dei, testis contra nos. 301
Lex vetus erat lex seruitutis. 225
Lex Dei plurimùm æstimanda. 660
Lex gratiæ, libertatis, & bonorum lex. 231
Liberalitatis diuinæ affluentia. 62.63
Liberalitas Dei plus confert, quàm petatur. 65
Liberalitas Dei nulli deest. 68
Libertas in docendo, & prædicando. Vide in communi Doctorum hac de re. 214
Libertas iniquorum periculosa. 231
Libertas quæ decet hominem Christianum, & Dei seruum. 233
Lingua refrænanda. 187.237.442
Linguam refrænare quàm difficile sit. 441.
Linguæ, & oris, est ratio clauis. 188
Linguæ vitium frequentissimum. 441
Lingua ostendit cuiusque conditiones ac mores. 238.440
Linguæ vitium etiam perfectos aggreditur. 238
Lingua arma diaboli. 441
Lingua res exaltat. 446
Lingua ignis est, vrit, & inficit. 450.455
Linguæ multiplicia vitia. 454
Lingua nemini in vniuersum, neque etiam Deo parcit. ibid.
Lingua maledici ipsum inficit. 458
Lingua exornat, defenditque peccata. 460.
Lingua omnes virtutes perdit. 462
Linguam diabolus accendit, aliam verò Deus excitat. 465.
Lingua venenum mortiferum. 469
Linguæ munus laudare Deum. 473
Lites, & bella Deo displicent. 549
Loqui debemus quando necessarium fuerit. 188.484
Loquacitas reprehenditur. 187
Loqui tardè, & consultò. 187.236.310.484
Luxuria bellicosa. 548

Luxuria immundum peccatum. 203
Luxuria insipientiæ cognata. 517
Luxuria effæminatos reddit homines. 710

M

MAGISTRI officium non obeundum citò. 192
Mala faciunt, qui bona conferre tenentur. 337
Mala non hominem, sed Deum nobis conferre putandum est. 729
Malum qui alicui non confert, bonum conferre putat. 67
Mali homines defectus obseruant, & notant. 370. & sequentib.
Malorum inconstantia. 98. 513
Malorum hominum vnio. 300
Maledici. 456
Maledicus ferè semper malè loquitur. 482
Maledici lingua ipsum inficit maximè. 458
Malitia quid, & quàm nociua. 199
Mandata Dei speculum, vt componamur. 220
Martyres qui superuincunt tormenta. 38
Martyrum beatitudo. 735
Martyrum commendatio, & laus. ibid.
Mansuetudo laudatur. 195. 206. 484. 486. 488
Mendacium. 447
Merita nostra claues Regni cœlorum, & baculum viæ. 354
Minima pro maximis cauere, optimum consilium. 147
Misericordia in egenos fratres. 316. & sequentibus.
Misericordiæ opera testantur Christianam Religionem. 241.
Misericors idem est ac sanctus. ibid.
Misericordia Dei quomodo dicatur cætera attributa excedere. 323. & sequentibus.
Misericordiæ diuinæ pulchritudo. 324
Misericordia Dei iniquis occasio peccandi. 327
Mortem generat iniquitas seu peccatum. 147
Mors prima, & secunda. ibid.
Mors dicitur requies. 463
Monasterij ingressus. 360
Mortificatio carnis, & appetitus. 543
Mundi amatores. 546
Mundi, & mundanarum rerum inconstantia. 370
Murmuratores res augent. 446
Murmuratores carpuntur. 654
Murmuatio nulla in Deo. 155. & sequentibus.
Muliebris ornatus. 266. 482

N

NATIVITAS Christi nostram carnem fructuosam reddit, quæ antea solas spinas producebat. 213
Natiuitati Domini præparemus carnem nostram. ibid.
Natiuitas Domini. 216
Natiuitatis Domini humilitas nos replet bonis. 615
Natum Christum in terris quomodo suscipere debemus. 216
Nemo sine crimine veniali viuit. 426
Negare Deum aliquid nobis sæpe beneficium est. 569.& sequentibus.
Notitiæ Dei ad opera debet dirigi 679
Nouissimus dies, vel nouissima tempora quid significent. 698

O

OBEDIENTIÆ promptitudo. 183
Obedientia multas continet virtutes. 355
Occasionem minimè præbeamus detrahendi de nobis. 479
Occasionem peccati Deus aliquando detrahit. 571
Oculi Dei causa totius boni. 596
Odium vilis quidem res. 208
Odium vel amor inuidiæ. 259
Offensarum condonatio. 230
Offerentibus aliquid Deo, id nobis remanet. 363
Om issionis peccatum. 679
Omne.i.perfectum.in Scriptura. 33
Opera nostra necessaria ad salutem. 319.328.340353.373
Opera fidem testantur 334
Opera comitentur verba in proximos. 300. 345
Opera nostra quærit Deus non vt indigus, sed vt remuneret. 28
Opera nobis necessaria, non verba. 384
Opera ferunt contra nos sententiam vltimam. 695
Opera Dei summa ratione fiunt. 729
Opera misericordiæ Christianam Religionem testantur. 241
Oppressum persequi, iniquissimum. 102
Oratio assidua quæ, & quàm efficax. 758.760
Orationis efficacia ostenditur. 75.60.758
Orationi præstò adest Deus. 746.763
Oratio nostra cur non sit efficax. 91.566.762.764
Oratio armatura est. 762
Oratio requirit rectam conscientiam. 85
Oratio remedium ad omnia mala. 745.& seqq.
Orationi instandum. 87.758.759
Oratio consolationem à Deo habet. 745
Oratio nostra musica est Deo. 89

Oratio Deum ligat. 762
Orare pro quibus debeamus. 563
Orandus Deus qualiter sit. 568
Ornatus exterior quos decipiat. 263
Ornatus muliebris. 265

P

PArcitas sumptuum in vestibus. 265
Parentes dolentes de filiis Religionem ingredientibus. 352
Parentes gaudentes de filiis Religiosis. 331
Parentes culpantur in defectibus filiorum. 421. & seqq.
Pater in Scriptura. i. auctor. 153
Pater noster quomodo sit Deus. 164. & seqq.
Patris amor in filios. 165. & seqq.
Patientia tentationibus acquiritur. 50
Patientia nos similes Deo reddit. 52. & seqq.
Patientiam præ omnibus miratur diabolus. 55
Patientia cognata, & connexa sapientiæ. 58
Patientia magnum Dei donum. 733
Patientia in malis quia Deus, non homo nobis mala infert. 729
Patientiæ exempla in Deo & in Sanctis habemus. 733
Patientia iustorum. 712
Patientia Christi in passione sua. 715
Patitur Deus simul cum Sanctis qui patiuntur. 41. & seqq.
Paupertatis laus. 108. 266. 550
Paupertatis diuitiæ. 108
Paupertatis magnificentia. 110. 277
Paupertatis pulchritudo. 115
Paupertas penna qua volatur ad cælum. 150. 274
Pauper est diues alterius sæculi. 109
Pauperes cur elegerit Deus. 272
Pauperibus iniuriosi reprehenduntur. 289
Pauperum, & miserorum compassio. 243
Pax fidelium. 295
Pax laudatur. 522
Pax quantùm Deo placeat. 248
Pacis necessitas. 529
Pacis turbatores filij diaboli. 519
Pacem debent curare Magistri, & Pastores Ecclesiastici. ibid.
Peccare in præsentia Dei grauissimum. 133
Peccatum mors est, mortémque generat. 148
Peccatum error, & insipientia. 150. 306
Peccatum non debet regnare in nobis. 430

Peccatum

Peccatum longissimè à Deo separat, 624
Peccatum quæ mala secum afferat. 305
Peccati seruitus. 227
Peccati onus. 287
Peccata nobis ad humilitatem proficiunt. 430
Peccata leuiora vitanda. 431
Peccatum torquet peccatorem. 693. & sequent.
Peccator sibi nocet. 143
Peccatoris conuersio ostendit Dei omnipotentiam. 386
Persecutionibus dilatatur Dei Ecclesia. 25
Persecutio magnum beneficium cui fit. 39
Persecutio nos similes Christo reddit. 52
Pingendi ars cur prohibita apud Hebræos. 103
Pœnitentiæ vis, & efficacia. 629
Pœnitentia via ad Deum. 626
Pœnitentiæ vtilitas. 202.676
Pœnitentia nos in alios conuertit. 595
Pœnitentia redimit tempus. 671
Prædicatoris vita, & exemplum. 419.& seqq.
Prædicator lacrymas elicere debet, non risum. 216
Prædicatores qui solam popularem auram venantur. ibid.
Prædicarores qui dicta non seruant. 222.419
Prædicatori scientia necessaria. 404
Prælatus, & præsentes, & absentes curare debet. 29
Prælati æquitas in omnes. 30.43.251
Prælatorum benignitas in subditos. 45.483.485
Prælatorum benignitas condienda est aliquo rigore. 487.768
Prælatorum auctoritas. 174
Prælatus aliena diripiens. 245.289
Prælati scientia. 404.485
Prælati cura de ouibus suis. 768
Prælati, & principes serui sunt, & eorum labor. 413. & seqq.
Prælati exemplum. 419
Prælatorum defectus. 432
Prælati puniuntur ob defectus subditorum. 420.& seqq.
Prælatus habeat zelum communis boni. 496
Prælatus debet esse pater. 417
Promissio Dei eius bonitatem ostendit. 283
Promissio Dei certissima. 717
Prosperitas humana quàm citò transeat. 110
Proximos, & propinquos qui plus æquo diligunt, reprehenduntur. 256.
Proximi salus quomodo curanda sit. 766.& sequent.
Pudor sapientiæ comes. 517. & sequent.
Pugna concupiscentiæ aduersùs spiritum. 135

Pupilli

Pupilli qualiter curandi. 243
Pupillos qui deprædantur. 245
Pupilli curæ sunt Deo. 247

R.

RELIGIOSI viri quales debeant esse. 169
Religiosi grauiùs Deum offendunt peccando. 170.& sequentib.
Religiosi qualiter honorandi sint. 171
Religiosi filij quanti æstimandi sint. 360
Religiosi maledicuntur ab iniquis hominibus. 457.459
Religionis professio. 260
Reprehensio est veluti chirurgia animi. 202
Reprehendens personarum conditionem non curet. 204
Reprehensio maximè necessaria, ne nobis vitia imputentur. 424
Reprehensio patris benedictio est. 577
Reprehensio quomodo ferenda sit. 206
Reprehensio condienda est benignitate. 436
Reprehensio aliquando acris. 577
Resistendum diabolo, & tentationibus. 616
Respicere Deum quid significet in Scriptura. 596
Respectus terreni abiiciendi. 234
Rex. vide litera P. *Prelatus*.
Rigore quomodo condienda sit benignitas. 488

S.

SACERDOTIS sapientia qualis esse debeat. 365.404.485
Sacerdotis maturitas, & prudentia. 753
Sacerdotes quales debeant esse. 167.753
Sacerdotum grauiores offensæ. 269.& sequent.
Sacerdotes honorandi sunt. 171
Sacerdotibus illatas iniurias qualiter Deus sentiat. 175
Sacerdotes qualiter se debeant componere. 221
Scriptura Iudæis velut epistola clausa. 228
Scriptura nihil superfluum, imò totum vtile continet. 591.& sequent.
Scripturæ lectio vtilis. 592
Scripturæ Author, & autoritas. ibid.
Scriptura sacra quo spiritu legenda. 61
Sancti testes sunt contra nos. 733
Sanctorum constantia, & firmitas. 95
Sanctiores rectè aliis præponuntur. 257
Salutis nomine omnia bona intelliguntur. 24

Salus æterna præ omnibus curanda. 36
Salus nostra quomodo Deo sit curæ. 28
Sanat Deus peccata, vt nec cicatrix remaneat. 380
Sanguis martyrum semen est. 25
Sapientia vera Dei donum est. 62
Sapientia à Deo acquiritur. 534
Sapientia necessaria Prælatis. 404.486
Sapientiæ veræ notæ, seu conditiones. 513
Sapientia humilis. 521
Sapientes in propriis oculis. 523
Scientia necessaria Prælatis, & Doctoribus. 407
Seruorum Dei magna dignitas. 19
Serui Dei se subiicere nō debent aliis dominis, & multo minùs vitiis. ibid.
Seruorum ac mercedum eorum fraudatores. 703
Seruire Deo intuitu alicuius præmij quomodo liceat. 651
Seruitus in Scriptura quotupliciter sumatur. 23
Seruitus peccati. 228
Seruilis animus qualis. 234
Silentium vitiosum reprehenditur. 184
Silentium in iniuriis. 193
Silentium laudatur. 237.484
Simplicitas animi commendatur. 103.& sequent.
Simpliciores animi faciliùs decipiuntur. 104
Simulatus animus carpitur. 102.& sequent.
Spes humana quàm fallax sit. 115
Spes quàm propria sit homini, & quantùm illi conducat. 84.90
Spes cælestis præmij quantùm ad labores conducat. 717
Sponsus nostræ animæ Deus. 578
Stabiles in Deo reperiuntur iusti. 94
Sua omnes quærunt. 300
Superbia Iudæorum. 18
Superbiæ remedium est cognitio suis. vide *cognitio sui.*
Superbia bellicosa, & iniuriosa. 549
Superbiæ tumor & ignorantia. 600.602
Superbia initium omnis peccati. ibid.
Superbia solos diuites, & magnos reueretur. 255
Superbium comitantur omnia vitia. ibid.
Superbia maximè insidiatur virtutibus. 603
Superbiæ insaniam, & amentiam deludit Deus. 606.& sequent.
Superbiæ lingua magna exaltat. 448
Superbos Deus frangit, & humiliat. 596.597
Superbos quomodo Deus odio habeat. ibid.
Superbus de alienis se iactat. 604
Supplicium alienum nos cautos debet reddere. 608

Supplicium Dei citiùs aduenięns est beneficium. 699
Supplicium Dei fit per transitum. 700
Supplicium Dei, misericordia conditur. 370. & sequentibus.
Susurratio quid. 653

T

TACITVRNITAS laudatur. 185
Taciturnitas vitiosa reprehenditur. 188
Tardè loquendum est. 186
Temporalia bona nullius fere momenti sunt. 207. 554
Temporalia bona nihili Deus facit. 91
Temporalia pro æternis amittere optima negotiatio est. 112
Temporalia inania sunt. 279. 554
Temporalibus non confidendum. 368
Temporalium rerum cupiditas. 546. & seqq.
Temporalia quomodo possidenda. 556
Temporalia non satiant nostram sitim. 559
Temporalia arrhæ nobis sunt futurorum bonorum. 739
Tentatio in Scriptura quid significet. 33. 120. 128
Tentare quomodo dicatur Deus. ibid.
Tentat acriùs diabolus sanctiores viros. 617
Tentationes pignora sunt vitæ beatæ. 125
Tentationes quot modis vincantur. 135
Tentatio huius vitæ beare solet iustos. 121
Tentatio, & pugna concupiscentiæ aduersùs spiritum. 136
Tentationibus resistendum. 548
Tentationibus non dimouentur sancti, sed iniqui. 98
Timor Dei pietatem, & Religionem significat. 353. 368.

V

VELVM monialium. 50.
Venialia multa non faciunt vnum mortale. 431
Venialia peccata vitanda, quia disponunt ad mortalia. ibid.
Venialia non dissoluunt Dei amicitiam. 429
Venenum pestiferum lingua. 469
Verba Dei comitantur opera. 309
Verba nuda nihil prosunt pauperibus. 336.
Verba lenia, & optima proferenda in proximum. 308. 440. 453. 487
Verbum Dei auditum omnia omnibus. 181
Verbum Dei audiendum. 176. 178
Verbum Dei debet penetrare, & vrere. 214
Verbum Dei velut speculum. 216. 221

Verbum Dei auditum opere implendum est. 219
Verecundia in confitendis, non in perpetrandis peccatis. 134
Verecundia cognata sapientiæ. 517.519
Veritas. 506
Veritatem facere quid sit. 768
Vestium elegantia quos decipiat, & multa de hac re. 263
Vestium modestia, & moderatus vsus, ac sumptus. 265
Victoria tentationum quot modis fiat. 134
Viduarum ærumnæ. 241
Viduas, & pupillos qui deprædantur. 245
Viduæ curæ sunt Deo. 247
Vindictæ cupiditas vilis, & immunda. 207.293
Virtutes veræ. 278
Virtutes sine fide folia sunt. 341
Vitæ humanæ fragilitas, & breuitas. 115.117
Vitæ humanæ incertitudo. 322.& 325
Vitæ humanæ inconstantia. 463
Vitia aliena qualiter obseruemus, & notemus. 239
Vnctionis Sacramentum, & eius effectus. 750. & sequentibus.
Vnio fidelium. 295.& sequentib.
Vnio fidelium quantùm conducat ad defensionem Reip. & diabolo quàm infesta sit. 296
Vnio malorum. 297. & sequentibus.
Vnitas doctrinæ apud Catholicos. 426
Voluptates instar sirenarum sunt. 137
Voluptas nobis insidiatur. ibid.
Voluptates quàm breuiter transeant. 115
Vtilitatem propriam omnes quærunt. 292
Vtilitas propria non quærenda in dignitatibus. 414

Z

ZELVS iustitiæ quomodo bonus. 198
Zelus habendus cum benignitate. 488
Zelus in reprehensione. 577
Zelum nostri amoris Deus habet. 589
Zelus indicat amorem. ibid.
Zelum communis boni debet habere Prælatus. 496



FINIS.